ANNALES MINORUM SEU TRIUM ORDINUM

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLIX
H
21
NAPOLI

Digitized by Google

XLIX
H
21

Digitized by Google

Digitized by Google

ANNALES MINORUM

AUCTORE

A. R. P. F. LUCA WADDINGO

HIBERNO

Ejuſdem Ordinis Chronologo.

Digitized by Google



Digitized by Google

ANNALES MINORUM

SEU

TRIUM ORDINUM

A S. FRANCISCO INSTITUTORUM

AUCTORE

A.R.P. LUCA WADDINGO HIBERNO

S. T. Lectore Jubilato, & Ordinis Chronologo.

TOMUS XII.

Editio ſecunda, locupletior, & accuratior

OPERA, ET STUDIO

R.mi P. JOSEPHI MARIÆ FONSECA AB EBORA

Ord. Min. Scriptoris & Ex-Generalis, S. & U. Inquiſ. Conſultoris, S.C. Conſiſtor. Vot. Epiſcop. Examinat. Regiæ Accademiæ Luſitanæ Socii, in Romana Sapientia Cenſoris, atque in Ciſmontana Familia Viſitat. & Reformat. Apoſt. &c.

ROMÆ Typis Rochi Bernabò MDCCXXXV.)(*Superiorum permiſſu.*

CUM PRIVILEGIO SUMMI PONTIFICIS.

NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

SANCTISSIMO

D. N. D.

CLEMENTI XII.

PONTIFICI OPTIMO MAXIMO

FR. JOSEPHUS MARIA FONSECA EBORENSIS
Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia
FELICITATEM

QUOD *veriſſime dixit neſcio quis ex illa vetuſtate Sapientum, & ab Apoſtolo Paulo uſurpatum videmus, cœleſtes in hominibus eſſe ſatus animorum, id in iis Principibus maxime cernitur, qui ad rem-* Actor. cap. 17. verſ. 28.

Digitized by Google

publicam juvandam, præcavendaſque calamitates celeres habent ingenii motus, ac prope divinos; quique ut honore, ita potiſſimum gubernandi ſolertia cæteros antecellunt. Ejuſmodi in Te motus, & inſtinctus eſſe qui neget, BEATISSIME PATER, *non is tam iniquus gloriæ Tuæ, quam infeſtus Divinæ, & in ambos ingratus habeatur. Nam ut ea commemorare jam deſinam, quæ in Urbe degentibus propiora, & conjunctiora ſunt, quæ Tua nuper in Ravennates fuit, Ariminenſes, cunctæque adeo Æmiliæ populos beneficentia? quod conſilium? quæ ratio in propulſandis ab hac provincia periculis, quæ cum terra, marique impenderent, niſi in tempore occurſum eſſet, clariſſimis urbibus peſtem, ac vaſtitatem attuliſſent? Primum enim, cum redundantes duorum fluminum aquæ propter ipſa Ravennæ mœnia late ſtagnarent, iis tandem effoſſo alveo in altum deductis, ab alluvionum calamitatibus agrum, a cœli vitio, & gravitate urbem*

inco-

Digitized by Google

incolumem præſtitiſti: tum ut libera commeandi maritimis gentibus, merciumque convehendarum facultas eſſet, auſpiciis Tuis, & liberalitate portus exſtructus, operibuſque firmiſſimis contra prædonum, ac maris impetus eſt egregie munitus. Quo quidem genere beneficii non ipſi modo Ravennates, verum etiam Ariminenſes, & Æmiliæ finitimi Fanenſes Cives affecti, ad immortalem Tui Nominis gloriam monumentum grati animi ſui publice exſtare voluerunt. Hanc Pontificis curam, vigilantiam, prudentiam, vereque paternam benignitatem, ad ſingulas partes Eccleſiaſtici imperii pertinentem, his præſertim temporibus, cum omnia circum belli tumultibus miſceantur, armorum ſtrepitu fremant, quis non jure miretur? quis non ſummis honoribus, atque præconiis in cœlum ferat? quis non in eo Divini Numinis, blande, ac potenter adminiſtrantis univerſa, ſeque per ſingula inſinuantis, imaginem, ac veriſſimis expreſſam coloribus ſpeciem ineſſe fa-

tea-

teatur? Deus eſt profecto, Deus, qui Tibi, PATER BEATISSIME, *parem tot rebus providendis, obeundis, perficiendis animum dedit, quibus vix tentandis vis, aut ætas humana ſufficeret. Hunc habes auctorem capiendorum conſiliorum, hunc exequendorum ducem, ac præſidem: hic in dubiis, & impeditis lucem objicit menti Tuæ; ut non tam præſentia procurare ſapienter, quam proſpicere futura videaris. Quocirca illud non aſſentandi cauſa, ſed rectiſſime dicam, qui civilis prudentiæ laude confectam, & abſolutam cum Deo, quantum homini licet, germanitatem exprimerent, longe pauciſſimos inveniri & majorum noſtrorum temporibus, & noſtris: ac ne nullos eſſe conqueramur hodie, neve ſolis ex hiſtoriis illius nobis capienda putemus exempla, Te quidem facere inſigniter ex omnibus. Itaque & nomen, & virtus, & dignitas Tua tanta nunc apud omnes in opinione eſt, ut non hominum conſiliis huic Te civitati, & imperio donatum,*

ſed

ſed ad noſtram ſalutem eſſe divinitus reſervatum magno conſenſu confiteantur: nemo autem ſit, qui non ſublatis in cœlum manibus preces ad Deum pro Tua incolumitate fundat; qui non illud magnopere petat, ut, cum imperium CLEMENTIS XII. *publicæ ſit felicitatis procuratio, diuturnus illius fructus, utilitaſque ad alios, ad ipſum vero, qui imperat, rerum optime gerendarum voluptas, & lætitia perveniat.*

ERU-

ERUDITO LECTORI.

BELLUM a capta Conſtantinopoli Chriſtianæ reipublicæ formidoloſum, quod ad Taurunum Pannoniæ urbem munitiſſimam geſtum eſt, hoc volumine continetur. Ad Minorum familiam quod attinet, Joannis a Capiſtrano ſanctiſſimi viri in ejus belli ſocietate conflanda præter cæteros laborem, ac ſtudium; in deliberando prudentiam, & altitudinem animi; in re gerenda fortitudinem, & alacritatem exſtitiſſe legendo cognoſces: militibus eum & committendi prælii ſuaſorem, & comparandæ victoriæ adjutorem fuiſſe. Qui, cum hoſtes tæterrimi Chriſtianorum, & ſemper alias ſuopte ingenio feroces, & tum maxime propter everſum Græcorum imperium tantos ſibi ſpiritus, tantam arrogantiam ſumſiſſent, ut Europæ univerſæ perniciem, ac peſtem minitarentur, ſapientiſſime capto conſilio, ac propitiato precibus Deo, ita noſtrum exercitum in aciem eduxit, ita irrumpentem effrenatius in barbaros imperio continuit, ita impulit opportune, ita rem geſſit, ut ſine magna noſtrorum clade cruentatus, ac tepefactus Danubius illorum ſanguine redundaret. Itaque tali, tantoque magiſtro didicit miles Chriſtianus vincere, barbarus vinci: ut id omnibus documento eſſe poſſit, optimis auſpiciis bella geri, quæcumque pro Chriſtiana religione ſuſcipiantur: in his dumtaxat noſtrorum & victoriæ, & morti immortalem gloriam propoſitam eſſe: Chriſto duce, atque auſpice de ſecundo prælii exitu nemini eſſe dubitandum: eam denique militarem virtutem recte appellari, quæ propagando divini nominis cultu, hoſtibuſque domandis, non inteſtinis utique bellis exerceatur.

REIM-

REIMPRIMATUR

Si videbitur Reverendiſsimo Patri ſacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

N. Baccarius Epiſcopus Bojanenſis Vicesgerens.

REIMPRIMATUR

Fr. Jo. Benedictus Zuanelli Ordinis Prædicatorum ſacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

ANNALES MINORUM.

Anno Christi	Nicolai V.	Friderici III. Imp.	Religionis Minorum
1448.	anno 2.	anno 9.	anno 241.

ARGUMENTUM.

Alphonſi Regis Aragoniæ, aliorumque Principum interceſſione motus Pontifex, promovet cauſam canonizationis ſancti Bernardini. Sanctiſſime moriuntur Honufrius Senenſis, & Petrus Regalatus. Hujus geſta partim recenſentur. Philippi Norreys Mendicantium Ordinum infeſtiſſimi hoſtis contumaciam Pontifex infringit. Creantur Epiſcopi. Obſervantes Ultramontani celebrant Comitia. Ædificantur Fratrum & Sororum Cœnobia.

1. ALPHONSUS Rex Aragonius & Siculus, miris operibus, & frequentibus miraculis ſancti Bernardini Senenſis excitus, ſummis precibus hoc anno rogavit Nicolaum Pontificem, ut eum vellet Cœlitibus adſcribere. Ipſius litteras hic exhibemus. Alphonſus Rex orat pro canonizatione S. Bernardini.

Sanctiſſime, ac beatiſſime Pater, poſt humilem filii commendationem, & pedum oſcula beatorum.

TOt adeo ſunt venerabilis quondam viri beati Bernardini Senenſis tam in vita, quam poſt ejus obitum miracula facta in gentes, ut plane omnibus apparere debeat, ad ſummam vitæ beatitudinem, ac perpetuam felicitatem perveniſſe, unde merito ejus nomen ab univerſis Chriſtianis celebrandum eſt. Jam dudumque meruit aliorum Sanctorum numero adſcribi, cujus ſanctiſſimorum operum devotiſſimi S. V. enixius atque ex animo oramus, obſecramus, atque obteſtamur, ut eum in Eccleſia Dei canonizare dignetur, & præſertim cum poſt examinationem nuper jam tertio Senæ factam, nihil expectandum eſſe videatur, quod ejus beatitudinem magis comprobet. Itaque erit piiſſimum opus, ſi S. V. ejus tantam nomini ac famæ mercedem retribuerit, poſtquam ab immortali Deo animæ ejus ampliſſima retributa extitit: quod ſi S. V. effecerit, cum nos ipſos, ac Senenſes, non minus ſui devotiſſimos, ſibi perpetuo obligabit, tum apud omnes Chriſtifideles ingentem laudem & commendationem merebitur. Oramus ut eamdem S. V. omnipotens Ex regiſt. Capiſtrani.

Deus felicem ſervet. Datum in noſtris felicibus Caſtris contra Plumbinum, die XXVIII. *Auguſti anno &c.* MCCCCXLVIII. *E. S. V. humilis & devotus filius Alphonſus Rex Aragonum & utriuſque Siciliæ &c.*

II. Hæ litteræ, & aliorum Principum, atque urbium Aquilanæ & Senenſis preces excitaverunt Pontificis animum, ut canonizationis negotium urgeret. Miſit itaque Commiſſarios, qui amplius Viri ſancti facta explorarent & miracula examinarent: Senas hoc ipſo tempore miſſum Epiſcopum Reatinum Angelum ſcribit illius temporis vir doctus, & teſtis oculatus Auguſtinus Dathus Senenſis, inter hiſtoriæ ſuæ patriæ fragmenta. Verba ejus tranſcribo: *Annus volutabatur ſupra mille & quadrigentos octavus & quadrageſimus, ac peſtilentia, quæ per nonnulla Italiæ loca atque urbes cœperat circa medium Auguſti menſis, Senam quoque invaſit, ac nonnullos cives teterrimo morbo abſumpſit, ac finiit non ante hybernam tempeſtatem. Per idem vero tempus, cum ea clade Sena laborare cœpiſſet, ſupervenerunt miſſi a ſummo Pontifice, Angelus Epiſcopus Reatinus, & Joannes Capiſtranus, vir ſanctitatis & doctrinæ fama celeberrimus ex Religione Minorum, qui Bernardini Senenſis a teneris annis, per omnem inde ætatem, vitam, mores & ad finem uſque progreſſum perſcrutarentur. Tenebat hic Joannes Senenſem populum quotidianis concionibus, & quaſi cœlitus adveniſſet, execratus flagitiorum omnium labem, flagrans fidei & caritatis ſtudio, ſalubriter admonebat. Res mira dictu, ac divinitus inſtituta, ut cum de Bernardini vita inveſtigaretur, nova quotidie in illo Deus per diverſas Italiæ oras variaſque regiones miracula oſtentaret, ita ut non exploranda Bernardini vita, ſed prædicanda ſanctitas, atque efferenda eſſet, quæ tam multis, tamque præclaris illuſtraretur miraculis. Quorum ex numero ſi unum ſiluerim, quod ad meos attinet, poſſim merito & ingratus & impius judicari. Erat mihi frater germanus, Joannes, minor natu, qui ſub Salvatoris regula Deo ſerviebat. Is aliquando ruſtico operi intentus, dum ſarmentum amputare cogitat, elabente falce mediam manum graviore ictu ferit, articulos confringit, contractis nervis manus elanguet: hanc quatuor circiter annos mancam & velut concretis digitis languidam, atque intractabilem gerit. At cum ſupplex & multa vi lacrymarum profuſus, in baſilica ſancti Donati, ſpectantibus multis, ad Bernardini cervical manum admovit, ſubito recuperato vigore ita eviruit, ut ad quemvis ductum facillime converteretur, ut exinde percommode illius miniſterio uſus ſit. Quæ res una cum ceteris, & iis quidem pene innumeris miraculis majorem in modum Bernardini illuſtravit gloriam.*

Examinatur ejus miracula Senis. *Aug. Dathus l. 1. fragment. hiſtor. Senen.*

Ibi adoleſcentē mancum ſanat.

III. Bernardini compatriota beatus Honufrius ex Comitatu Senenſi, hoc anno ſanctiſſime deceſſit in Conventu Narnienſi. Miræ ſanctitatis fuiſſe antiqua referunt monumenta MSS. impigrum etiam ſancti Franciſci imitatorem in paupertate, abſtinentia, humilitate, & ardentiſſima caritate; ſpiritu etiam prophetico illuſtrem multa certiſſime prædixiſſe, & innumeris in vita, & poſt mortem claruiſſe miraculis. Hoc etiam anno floruiſſe virtute, pietate, & plurimo animarum lucro beatum Albertum Morigium Mediolanenſem, prædicatorem eximium, commemorant monumenta Conventus ſancti Angeli illius urbis ad me tranſmiſſa.

Mon. MSS. Provinciæ S. Franciſci. Moritur Honufrius Senenſis.

Floret Albertus Morigius.

IV. In Hiſpania celebre erat ſub hoc tempus nomen Petri Regalati, viri ſanctiſſimi, cujus vitam & geſta ad mortem uſque hic proſequemur, reliqua ſub annum MCCCCLVI. quo deceſſit, adnectemus. Valliſoleti natus anno MCCCXC. patrem habuit ſui nominis & cognominis, matrem Mariam de Coſtanilla, conjuges æque nobiles ac pios, erga pauperes ſumme liberales. In Eccleſia ſancti Salvatoris ſacris aquis intinctus, ab infantia

Data in vita Petri. Proceſſus canonizat. Relatio Audit. Rotæ. Marc. 3. p. l. 1. c. 10. Petri Regalati ortus & puericia.

cœ-

cœpit Deum timere, & futuræ ſanctitatis ſpecimen dare, eas præferens virtutes, quæ vel in provecto viro laudabiles apparerent. In vitæ ferme limine vitæ ſuæ perdidit auctorem, optimum parentem: eo tamen tolerabilior fuit jactura, quo major apparuit genitricis cuſtodia & ſolicitior in pueritia diſciplina. Ab optima magiſtra didicit tenellum corpus in ſervitute ſpiritus continere, vas ſuum in ſanctificatione poſſidere, oratione frequenti Deum interpellare, juvenculorum declinare conſortia, eaque præſtruere fundamenta, quæ magnam in molem divinæ conſurgerent pietatis. Ægerrime ferebat divinas offenſas, & ſi quid puerile excideret in opere, aut laberetur in verbo, quod a recta regula judicaret aberrare, grave ſumebat inde ſupplicium, etiam minimis erroribus eas præſcribens pœnas, quæ delictis utique magnis forent æquales.

V. Decimum ætatis annum non attigerat, & cupiebat ſe in holocauſtum Deo conſecrare ſub Minorum Inſtituto, neque moras adhibuiſſet, niſi aliunde mater retardaſſet. Annis tribus ut faceret, facultatem petiit, & tandem impetravit; nec in longum vota produxit, ſed protinus in patrio Minorum Conventualium * Cœnobio religioſam veſtem ſuſcepit. Tirocinio feliciſſime peracto, anno quartodecimo ſuæ ætatis, quod tunc licebat, ſuffragantibus & collaudantibus univerſis, votis ſe obſtrinxit Religionis, quorum Obſervantiæ ſolertiſſime invigilavit. Fit Minorita.

* *Vide infra ad annum 1456. Vide c. 1. de Regular. in 6. & gloſ. 20. c. q. 1. in c. 1. & Clem. de Regular.*

VI. Dein generoſus animus, quaſi parum hoc reputaret, quod pro magno alii haberent, majora ſibi proponens virtutum incrementa, plurimas addebat virtutum exercitationes & corporis afflictiones, quæ Conſodalibus magnam ingerebant admirationem. Videbant in tirunculo, quæ in veterano apparerent conſpicua, excelſa, laudabilia; aſſiduam orationem, ſummam humilitatem, ardentiſſimam caritatem, plenum ſui contemptum, æquam humanarum & divinarum rerum æſtimationem, & ſuper hæc omnia, intenſiſſimum deſiderium reſtitutæ in ſuo Sodalitio diſciplinæ. Mater etiam conſpicata in filio præclara hæc virtutum germina, majori exarſit amore, amplius in filio reverita quod cœlitus accepit, quam quod ipſa conceſſit. Et ſi vero pius fuerit hic affectus & maternus, Petro tamen moleſtus; quippe ægre ferebat a Monaſticis exercitiis ſæpe vocari ad matris colloquium. Inſtanter itaque Deum rogabat, ut vel genitricis familiaritatem reprimeret, vel ſe ab ejus conſpectu avelleret, eoque loco conſtitueret, quo liceret ſuſceptum vitæ genus perfectius obſervare. Ejus virtutes & profectus.

VII. Opportune advenit beatus Petrus Villacretius, de quo ſæpe dictum eſt, ſocios vitæ ſtrictioris, Miniſtri Generalis auctoritate, aſſumpturus, cui ex animo & ex corde Regalatus adhæſit, optimum nactus vitæ, quam cupiebat, anteſignanum. Dolebat Cœnobitas, adoleſcentem probæ indolis & ſpei melioris amittere, ſed neque Primicerii juſſis refragari licebat, neque abire volentem placebat contriſtari. Extruxerat Villacretius Eremitorium prope villam Aquileræ, leucis duabus a Rauda, ſive Aranda Duriana, totidem ab oppido Roano, eodem ferme ſpatio a Gumiele Tzani & M. D. P. a Gumiele Mercati, uti alias narratum eſt, obtenta prius Epiſcopi Oxomenſis Diœceſani facultate, & ſuperatis aliquot obſtaculis. Hic uterque Petrus aſperrimam, ſanctiſſimam, ſolitariam vitam degebat; neque vero latere poterat, quantumvis ſtudioſe ſe occuluerat in ſolitudine. Ad urbes & oppida virtutis odor pertranſiit, & ſanctitatis fama avolavit, allectique acceſſerunt multi, ut viderent, aliqui ut cohabitarent. Duo Presbyteri primum ſua nomina dederunt, hos ſecuti ſunt alii, per quos iſtud vitæ genus cœpit propagari. Præcipuam opem tulit frater Petrus a Sancto- Adhæret Petro Villacretio. Tranſit ad Eremitorium Aquileæ. *Tom. 9. an. 1404. n. 14.* Alii accedūt ad ſocietatem.

ctoyo, ſacræ Theologiæ Magiſter, qui ex Conventualibus ad pauperculam hanc familiam tranſierat, & Conventum Valliſoletanum, ex quo prodierat, reformavit. Per tres ejuſdem nominis viros collapſa reſtituta eſt diſciplina; Villacretio tamen inſigniter præeunte.

Inſtituitur Superior illius Cœnobii.

VIII. Alia ſtructurus Eremitoria, & Cœnobiis vetuſtis meliorem normam daturus, domum Aquileræ commendavit Regalato, cujus virtutem & prudentiam habuit probatiſſimam. Ita ille curavit ſpiritualia, ut non neglexerit corporalia, per omnia Religioſorum occurrens indigentiæ. Adiutorio fuerat pia genitrix, abunde adminiſtrans neceſſaria, ejuſque beneficentiæ adhuc ſuperſtat monumentum, æramentum ſive campana, qua ad perſolvendum penſum Divinum Fratres convocantur. Accidit ut multa nive ſepultis ſemitis, nihil extere advenerit, quod manducarent Conſodales. Architriclinus ſub meridiem monuit non ſuppetere quod apponat, horam autem reficiendi inſtare. Juſſit ille, ut ſolito tintinnabuli pulſu Religioſos convocaret, & cum fiducia accederent, Divinam probaturi circa ipſos providentiam. Ita factum; ſed vacuis dum accumberent menſis, ecce orante Præfecto, pulſatur ad oſtium, apparetque caballus pane onuſtus & obſonio, nullo ducente, neque monente unde iſta advenerint. Fert omnia janitor in cœnaculum; ſed regreſſus, neque jumentum vidit, neque quo receſſerit potuit explorare, nullo inter nives apparente veſtigio. Miraculo hoc, etſi auctor vetuerit, ſtatim divulgato, crevit jugiter erga Fratres oppidanorum reverentia, & ſollicitudo circa victum, præſertim iis temporibus, quibus non licebat Fratribus e domuncula ad ſtipem proſilire.

Mirabiliter parat Religioſis neceſſaria.

Garrientes hirundines abigit imperio.

IX. In oratione aſſiduus, docuit ſuos Fratres, pacata mente & tranquillo ſpiritu, abſque diſtractionibus externis Deo ſupplicare. Perturbabat frequenter hirundinum importunus garritus, quem dum illi moleſte ferrent, & quererentur ſe ab oratione divelli, omnibus, quæ tunc aderant, imperioſe præcepit, ut protinus recederent, neque deinceps redirent, idque illas reliquis voluit indictum. Res mira! ab illo tempore nulla nidificavit neque acceſſit abſque præcepti tranſgreſſi ſupplicio. In documentis enim collectis pro hujus ſancti Viri canonizatione, ſunt qui referant, ſe unam aut alteram vidiſſe advolantem, & templum ingreſſam, ſtatim exanimem decidiſſe.

In oratione ignescit.

X. Eo ipſo orabat fervore, ut totus igniret, & undique per corpus interna pectoris flamma evaporaret. Sæpiſſime viderunt Conſodales igneo circumdatum ſplendore, & a terra elevatum horis multis immobilem. Qui ignem hunc in terram miſit, volebat ut accenderetur in aliorum cordibus, patefacto hoc occulto Petri non ſolum domeſticis, verum etiam externis. Viderant Gumieli Mercati & Aquileræ oppidani, nocte intempeſta, igne undique accenſam domum, accurreruntque celeriter extincturi. Excitatis magno ſtrepitu Fratribus, compererunt incendium totum ex Petri orantis pectore prodiiſſe, atque illic ortum, ſummum ædis faſtigium ſuperaſſe. Non ſemel hoc igne decepti ſunt vicini populi: diverſis quippe temporibus diverſi viderant viri has ingentes flammas; & Fratribus auxiliaturi, didicerunt ſacri ignis originem. Ab his admonitus Epiſcopus Uxamenſis (perperam alii dicunt Burgenſem) ſecum decrevit propriis oculis iſta conſpicere, venitque propterea iſtud in oppidum dormitum. Sub noctem mediam expergefactus a famulo, cui curam commiſit, vidit lucidiſſimas faces ædis tectum circumdantes, & domum omnem, uti videbatur, incendentes; ſed dum ad locum accedit, non alias comperit, quam quæ a ſacra hac fornace in cœlum tendebant, eo reverſæ, unde ſunt emiſſæ. Admiratus vehementer Epiſcopus

pus viri virtutem & reliquorum pietatem, circumſtantibus dixit: *Vere hæc domus Dei eſt, quæ tales meruit incolas habere.* Epiſcopi vocem populi conſenſus excepit, atque ex illo tempore hoc nomine, *Domus Dei*, Cœnobium cœpit audire. In Conventu etiam Tribuli, vulgo *Abroxo*, ſimili exarſiſſe Virum ſanctum incendio, hiſtoriæ recenſent; ita ut vere cum Propheta aſſerere poſſet: *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardeſcet ignis.* *Pſalm.* 38.

XI. Poſt ſui præceptoris Villacretii mortem, utramque domum Aquileræ & Tribuli gubernabat; ſed dum in iſta matutinis laudibus intereſſet in feſto Annunciationis Virginis Mariæ, atque in illa recordaretur magna in veneratione a ſe habitum ſimulacrum hujuſce myſterii, & ardenter optaret illic eſſe, divinumque hoc arcanum coram imagine contemplari, ſocio adſtanti dixit: *Me oportet parumper abire, ſi quid interim Fratres velint, dic brevi rediturum.* His dictis ex omnium oculis evanuit, & inſtar Prophetæ Habacuc translatus eſt Angelorum miniſterio ad locum ſui deſiderii. Obſtupuerunt Aquileræ Conſodales ad inſperatum & repentinum hominis conſpectum, videntes in medio poſitum, quem neque venturum ſperabant, neque ingredientem conſpexerunt. Miraculum & admirationem auxit ſimilis adventui receſſus; nam abſoluta pſalmodia, imaginem parumper contemplatus, in ictu oculi diſparuit, eodem regreſſus vehiculo ad locum, unde receſſit. Scriptis mutuis epiſtolis, utriuſque domus incolæ, quid factum ſit explorantes, cognoverunt Dei potentiam & Viri ſancti virtutem, cui Angeli aſſiſtebant, & quo volebat, in manibus portabant, ne forte offenderet ad lapidem pedem ſuum. His aliiſque ſanctitatis indiciis, & magiſtrum digniori proſecuti ſunt reverentia, & præſcriptas ab ipſo reſtitutæ diſciplinæ leges majori ſervaverunt diligentia.

Angelorum miniſterio trãsfertur ad longinquum Cœnobiũ. *Daniel* 14.

XII. Fuerunt tamen in Tribulano Conventu, qui vel dubitarent de facto, vel ulteriori ſigno periculum facerent virtutis, aut probare fortaſſis vellent, an aquæ ſolidum iter greſſibus præberent, quem per aerem ſenſerunt volitaſſe. Adlabitur ædiculæ rapidus, altuſque Durii fluvius, & in oppoſita ripa denſæ ſunt pinus, ex quibus ligna cædendi facultatem a poſſeſſore acceperunt Fratres, quotieſcumque liberet. Ut ligna colligeret quodam die veneris, duxit ſecum in cymbula Conſodales; & denſiorem ſilvam cum ſocio ingreſſus, juſſit ut Fratres interim cæſos ramos conſtruerent in cymba. Nacti hanc occaſionem tentandæ ſanctitatis, tranſvadarunt omnes, ſolo magiſtro & ſocio relictis, & inter ſe convenerunt ne ſcapha referretur, quantumvis ex oppoſito margine illi vocitarent. Regreſſus in apertum campum ſocius; neque cymbam videns, neque Fratres reperiens, vocare, clamare, vociferari cœpit, ut navicula remitteretur; ſed fruſtra, nolentibus reliquis audire. Advenit prandii tempus, & pro more conveniendum erat ad culparum judicium, quod *capitulum* vocant; audienſque Vir ſanctus tintinnabuli pulſum, dixit comiti: *Cariſſime, huic muneri non licet deeſſe: fortaſſis Fratres ſuſpicantur nos domi eſſe, & propterea conſueta hora, facto ſigno, ſe Superiori ſiſtunt corrigendos. Aliis rebus intenti, vocantes non audiunt: alveum circuire, & ad pontem longe infra poſitum deſcendere, nimis eſſet operoſum, nec per tempus liceret. Si ſequaris, ego recta ibo, & flumen tranſvadabo. Confide in Domino, quia venti & mare obediunt ei: ipſo dirigente torrentem pertranſibit anima noſtra, pertranſibit aquam alias intolerabilem. Ipſe ſuper marinos vortices ambulavit, & filiis Iſrael diviſit mare rubrum, ut ſicco pede inter montes tranſirent aquarum: nobis, ſi placuerit, ſemitam poteſt inter undas aperire, vel aquas ſupergradientibus conſolidare, vel in oppoſitam*

Socii experimentum faciunt ſanctitatis.

Flumen ſicco tranſit pede.

ſitam ripam immotis pedibus abſque noſtri greſſus miniſterio tranſferre. Sequere præcuntem. Noluit tamen comes his verbis acquieſcere: etſi enim boni viri exploratam haberet ſanctitatem, ſuam veritus infirmitatem, exhorruit ſe flumini committere. Abiit itaque magiſter ſolus, aquas intrepide calcans, non aliter, quam ſi per aridam ambularet. Ex ſpecula obſervarunt gradientem Conſodales, & prodigio obſtupefacti, occurrerunt venerabundi. Culpam faſſis blande indulſit Vir ſanctus, miſitque, qui ſocium adveherent. Ille etiam veniam petiit incredulitatis & puſillanimitatis, & vovit, quotieſcumque offerretur occaſio, etiam ſuper aquas incedentem comitari. Ita fecit non ſemel; ad pagos enim & vicos citra flumen poſitos euntem abſque cymba aut vehiculo ullo ſequutus, probavit Viri ſancti virtutem non ſolum intra ſe contineri, ſed & ad alios diffundi. Ad animalia etiam irrationalia eamdem extendit, dum ex Cœnobio Aquileræ profectus, panem per vicos collecturus in menſe Decembri, & ex Azæ vico per fluvium Riazæ rediret, ſtrato ſuper excreſcentes aquas pallio, ſimul cum jumento, clitellis onuſto, ſecure tranſivit.

Eamque poteſtate ſocio communicat & jumentis.

XIII. In hoc Aquileræ Cœnobio commoratus, alterius etiam Tribulani domicilii, uti narravimus, curam agebat, & frequenter utramque inviſebat. Examinanda erant feria ſexta ante Dominicam Paſſionis, pro Cœnobitarum more, quem ſupra diximus, acta ſingulorum Conſodalium, & præſcribenda, quæ regimini videbantur neceſſaria. Munere ſuo functus in aula capitulari, ſtatim a recitata hora prima, ſub horam ſeptimam diſceſſit verſus alium Conventum, ſimile completurus officium. Diſtabat a loco unde receſſit XLII. M. P. ſed ille pervenit ante horam octavam, & Capitulo præſedit. Res mira! ut in duobus adeo diſſitis locis, intra unius horæ ſpatium, utramque functionem expleverit, & ad nutum quo vellet, abſque ulla tranſmigraret moleſtia. Nihil volentem retardabat, neque interjacentis fluminis periculoſa vorago, neque locorum longe diſtantium vaſta menſura.

Breviſſimo tempore longum cōficit iter.

XIV. Neque his dumtaxat prodigiis Deus voluit manifeſtam ſui ſervi ſanctitatem, ſed ore infantium & lactentium ſtatuit amplius enunciari. Mataputeolis (vicus eſt a Cœnobio Tribulano III. M. P. ſemotus) vidit pulchrum infantulum biennem, a genitricis uberius pendentem, laudavit, arriſit & dixit: *Benedicat tibi Dominus, ſpecioſiſſime puelle, o quam pulchram & candidam ſortitus es animam!* At elinguis infantulus ſtatim vices rependit, dicens: *Illa tua ſpecioſior eſt anima, quam Deus multis donis illuſtravit.*

A bimulo infante laudatur.

XV. Magna hæc ſunt & mira, ſed mirabiliora, quæ ſequuntur. In oppido quodam ad ripam fluminis Duriani ſito, mulier erat dives, viro Dei valde addicta, & erga Fratres benefica. Fragilitate fœminea in maritum deliquit, & detecti criminis mortis pœnam timuit ſe daturam. In deſperationem ab eo, qui adulterium inſpiravit, redacta, ſe præcipitavit in flumen. Cauſam hanc inflictæ mortis meliores referunt ſcriptores, alii honeſtiorem ſcribunt tuendæ pudicitiæ. Poſt biduum extractam, vir ligneo incluſit loculo, atque his verbis inſcriptis: *Nullus contingat, corpus ineſt deſperatæ mulieris, quæ ſibi intulit necem*, denuo projecit in flumen. Qui ſupernatantem videbant capſam, avide in terram trahere conabantur; at, lecta inſcriptione, dimittebant. Apparuit nocte ſequenti Angelus Domini Viro ſancto, matutinas laudes concinenti, & totius rei ſeriem aperuit, atque ut loculo prope decurrenti occurreret, & corpus Eccleſiaſtica donaret ſepultura præmonuit: *Etſi enim*, inquit, *deſperans aquis ſe præcipitaverit; attamen Dei miſerantis peculiari dono pœnituit, & potentiſſima gratia interipſas*

Revelatur ei finalis deſperatæ mulieris pœnitentia.

ipſas aquas & mortis pœnas, ita ſuæ animæ curas egit, ut pereunte corpore, ſolius commiſſi reatus & ſecuti præcipitii dolore vexaretur. Plurimum debet tuis tuorumque orationibus, propter beneficia recepta repenſis; hac ſingulari venia delictorum voluit Dominus illius compenſare munera, & veſtras preces illuſtrare. Abſoluto divino officio, rem omnem Regalatus Fratribus narravit, & protinus cum omnibus, præeunte cruce & reliquis de more ſacris, ad ripam fluminis acceſſit; ubi inhærentem loculum invenit, detectumque corpus agnovit, & in Cœnobium humeris allatum honeſta donavit ſepultura. Lapidi impoſito factum inſcripſit, quod uſque in præſentem diem a convenientibus in templum legitur, & diligenter abſque læſione conſervatur.

XVI. Ab Aquilera VII. M. P. diſtat pagus Quintanillæ, diœceſis Palentinæ, qua itur Valliſoletum ad ripam fluminis Duriani. Dum illac tranſiret Vir Dei, acceſſit quidam adoleſcentulus, ut in Fratrum conſortium admitteretur rogaturus. Diſtulit Vir ſanctus beneficium, dicens, ſe in regreſſu præſtiturum. Inſtitit, ſupplicavit, lacrymis oravit, ne Deo ſervire volenti aditum præcluderet. Victus ille adoleſcentis pia importunitate, inquit: *Eſto bono animo, ex hoc tempore te in Conſodalem admitto; quando rediero, exteriori, quæ dumtaxat deeſt, te veſte donabo. Quid*, repetiit ille, *ſi interim emoriar? Ego*, inquit vir Dei, *etiam tunc ſpondeo, te in hoc appariturum indumento.* Recedens autem dixit ſocio. *Juvenis hic bonam ſortitus eſt animam, deſiderium ejus exaudivit Dominus, & non fruſtrabitur eum. Videbis in regreſſu, quid circa eum Dominus miro modo decrevit.* Aberat Vir ſanctus per aliquot hebdomadas, & adoleſcens febre correptus, e vivis exceſſit. Parentes in Eccleſia parochiali ſepelierunt ſindone involutum. In reditu Regalatus illac pertranſiens, interrogavit quid ſuus ageret diſcipulus? Cui parentes mœſti dixerunt, diem obiiſſe, & ſub mortem valde doluiſſe, quod in Fratrum contubernium non fuerit aſſumptus, quando petierat: *Imo vero*, inquit pius Pater, *ego admiſi, & pro uno ex noſtris Conſodalibus ab illo tempore reputavi; juvitque in conſpectu Domini, dum moreretur, & communia bonorum operum totius Sodalitii, & religioſæ veſtis tegumentum.* Aſſerentibus illis communi ſecularium habitu inceſſiſſe & in ſindone ſepultum, dixit: *Ignoſcite; ab illo tempore meus erat, & ego in mente, quem ille in voto habuit, habitum conceſſi, idque vobis manifeſtum erit indicium, quod hoc tegumento non ſindone invenietis involutum.* Illi admirati, iterum dixerunt, ſe propriis manibus linteum obduxiſſe. Quibus ille: *ad ſepulcrum vos provoco, ubi videbitis operimentum.* Convenerunt ad ſepulturæ locum, & egeſta terra, conſpexerunt veſte indutum Franciſcana & fune præcinctum: *Ita*, inquit, *Deus pia complet vota: pro facto reputat, quod bona mente ſtatuitur, ſi aliunde opus prohibetur.*

Mente admittit adoleſcentem ad Sodalitium.

Mortuus apparet in veſte Franciſcana.

XVII. Valliſoletum ibat, & prope urbem indomitus furioſuſque taurus occurrit, qui multa fixus cuſpide in publicis ſpectaculis, ab equitibus agitatus, theatri cancellos irrupit. In anguſta ſemita obvium impetere volens ſeneſcentem Patrem, ſola voce repellitur & cicuratur, admirante frequenti hominum turba, quæ magno clamore ſequebatur. Magna caritate ſolebat pauperum ſublevare miſerias, & per dies multos vetulam viduam, tres habentem liberos omni ope deſtitutos, collectis ſecreto panis fragmentis & obſonii reliquiis reficiebat. Occurrerunt ſemel qui curioſe explorare voluerunt Conſodales, quid in fimbriis deferret: non aliud quam roſas dixit; & urgentibus ut monſtraret, aperuit ſinum, videruntque tempore brumali pulchras roſas albas & rubeas, albeſcentes in flores pane, & carne

Ferocientem ſola voce cohibet taurum.

In ejus ſinu panis fragmenta convertuntur in roſas.

in

Tom. 2. an. 1235. n. 13. & tom. 6. ann. 1311. n. 9.

in rubicundos converſa. Simile nos miraculum de utraque Eliſabetha Hungarica & Luſitana in illarum actis enarravimus.

Heroicæ illius virtutes.

XVIII. Tot tantiſque miraculis majorem conciliant fidem egregiæ multæque hominis virtutes. Illibatam incontaminatamque ad mortem uſque ſervavit virginitatem, ſummo ſtudio Evangelicam ſtrictiſſimamque ſectabatur paupertatem, lacera incedens veſte, nudiſque pedibus, in ultima dumtaxat ſenectute admiſſis ſandaliis, quæ in Conventu Aquileræ aſſervantur. Dono præditus lacrymarum, ſua populique peccata aſſidue deflebat; ibique conſpicitur linteolum, quo rubentium ardentiumque oculorum dolorem ſolebat delinire. Cibus, ut plurimum, erat panis & aqua, admiſtis aliquando herbis crudis; vinum carnemque raro delibabat. Quadrageſimis novem, ad exemplum ſui Inſtitutoris, totum anni curriculum diſtinxit. Prima incipiebat a feſto omnium Sanctorum uſque ad Nativitatem Domini. Secunda, a Protomartyris Stephani die ad Epiphaniam uſque. Tertia, ab Epiphania uſque ad Februarii diem quartumdecimum. Quarta, a feria quarta Cinerum uſque ad Domini Reſurrectionem. Quinta, a tertia die infra octavam Paſchæ uſque ad Pentecoſten. Sexta, a quinta die infra hujus feſti octavam uſque ad Petri & Pauli Apoſtolorum Natalitia. Septima, ab hac feſtivitate uſque ad beatæ Virginis Aſſumptionem. Octava, ab hoc die uſque ad ſolemnitatem ſancti Michaelis Archangeli. Poſtrema terminabatur in feſto omnium Sanctorum, ubi prima incipiebat. Semel in die manducabat, diebus feſtivis exceptis, quibus ſub noctem ob feſtivam lætitiam buccellam panis admittebat. Tribulationes & inſidias multas perpeſſus eſt ab eo tempore, quo ſtrictiorem amplexus eſt vitam, & ad ſimiles perferendas aſſidue ſuos hortabatur Conſodales. Caritate erga proximos exæſtuans, quoſdam conſilio, alios prece, multos ſubſidio rei familiaris aliunde petitæ adjuvabat. Si quos offendebat ulceroſos aut leproſos, domum ducebat, lavabat, ſovebat, curabat, paſcebat; ulcera lambebat, & abeuntes oſculabatur. Iſthæc nunc retuliſſe libuit, reliqua ſub mortis annum adnectemus.

Anno 1456.

Tom. 11. anno 1440. n. 15. & ſeqq.

Philippus Norreys pertinax in ſuo errore.

XIX. Narravimus alias quæ bonæ memoriæ Pontifex Eugenius ſtatuerat contra Philippum Norreys, quatuor Ordinum Mendicantium furibundum calumniatorem; ſed omnia ille floccipendens, neque injurias revocavit, neque expenſas ſolvit, neque Judicibus Commiſſariis voluit obedire. Per duos annos adhæſit Baſileenſibus, & demum appellavit a Pontificis ſententia ad Sedem Apoſtolicam. His irritatus Nicolaus, ad inſtantiam Procuratoris fiſcalis cameræ Apoſtolicæ, pœnas aggravavit, conſtitutis executoribus, & inſertis ſuo Diplomati litteris prædeceſſoris. Do exemplar.

Gravius punitur.

Venerabilibus fratribus Cantuarien. & Dublinen. Archiepiſcopis, & Epiſcopo Londinien. &c.

Ex lib. 1. de Regular. fol. 56.

XX. *Dudum ſel. record. Eugenii Papæ IV. prædeceſſoris noſtri emanarunt litteræ tenoris ſubſequentis*: Eugenius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei: Venerabilibus fratribus Dublinen. & Armachano Archiepiſcopis, ac Epiſcopo Bajocen. Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Exbita nobis pro parte dilectorum filiorum &c. ut in Tomo XI. anno MCCCCXL. num. XVII. uſque ad mentionem. Datum Florentiæ, anno &c. MCCCCXL. IX. Kal. Septembris, Pontificatus noſtri anno X. *Et deinde nobis, qui dicto prædeceſſore, ſicut Domino placuit, ab hac luce ſubtracto, fuimus, divina favente clementia &c. aſſumpti, pro parte Magiſtrorum, Miniſtrorum & Fratrum prædictorum expoſito, quod dictus Philippus ſententiæ hujuſmodi, & habi-*

habitis ſuper ea proceſſibus contumaciter parere non curarat, loco & tempore congruis deſuper requiſitus, ſed congregatis in Baſilea, etiam poſt translationem olim Concilii Baſilcenſis de Baſilea ad civitatem noſtram Ferrarien. per eumdem prædeceſſorem factam, adhæſerat, & in ſententiis, cenſuris & pœnis in proceſſibus prædictis contentis, quas occaſione non paritionis hujuſmodi incurrerat, per duos annos inſorduerat, & a litteris, proceſſibus ac requiſitione prædictis, ad Sedem Apoſtolicam, ut dicebat, appellarat: Nos dicto Dominico, tituli ſanctæ Crucis in Hierusalem Presbytero tunc, ut præfertur, ſanctæ Mariæ in Via lata Diacono Cardinali, commiſimus, ut ad dilecti filii Procuratoris fiſcalis Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ inſtantiam, contra prædictum Philippum &c. aggravatorias, brachium ſeculare implorando, litteras daret; ac prout ſibi videretur, omnibus & ſingulis Prælatis ac Principibus ſecularibus, Communitatibus & aliis Officialibus locorum, ad quæ dictus Philippus declinaret, ſub pœnis & cenſuris mandaret, ut ipſum Philippum caperent, & in firma cuſtodia detinerent, quouſque dictas damnatas concluſiones revocaret, ac dictis Magiſtris, Miniſtris & Fratribus de expenſis hujuſmodi, in quibus condemnatus erat, ſatisfaceret, & quid de ipſo agi deberet, exiſteret ordinatum: ipſeque Cardinalis Philippum prædictum tamquam rebellem & inobedientem mandatis Sedis Apoſtolicæ, & propter præmiſſa hæreticum, in ſententiis, cenſuris & pœnis prædictis per ſuas litteras aggravavit, cum auxilii brachii ſecularis invocatione, ac litteras aggravatorias & reaggravatorias, cum invocatione auxilii hujuſmodi, extra Romanam Curiam decrevit & conceſſit, prout &c. contineri. Cum autem, ſicut eadem petitio continebat, Magiſtri, Miniſtri & Fratres prædicti dubitent, quod dictus Philippus litteris Cardinalis hujuſmodi, & præſentium vigore habendis proceſſibus reverenter parere non velit, pro parte Magiſtrorum, Miniſtrorum & Fratrum prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis ſuper his &c. dignaremur. Nos itaque hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fraternitati &c. mandamus, quatenus vos, vel duo aut unus veſtrum alias litteras Cardinalis, ubi & quando expedire videritis, auctoritate noſtra ſolemniter publicantes, necnon ſententias, cenſuras & pœnas hujuſmodi aggravatorias fore nunciantes, dictum Philippum, quoties ſuper hoc pro parte Magiſtrorum, Miniſtrorum & Fratrum prædictorum fueritis requiſiti, in Eccleſiis aliiſque locis, infra Miſſarum ſolemnia, dum major inibi populus ad divina convenerit, Dominicis feſtiviſque diebus, hæreticum & excommunicatum, campanis pulſatis, candelis accenſis pariter & extinctis, & in terram projectis, publice nuntietis, & ab aliis nuntiari, & ab omnibus arctius evitari, necnon capi, & ſub dicta cuſtodia detineri faciatis, donec & quouſque prædictas concluſiones revocaverit, & de expenſis, ipſis Magiſtris, Miniſtris & Fratribus prædictis ſatisfecerit. Et inſuper legitimis &c. proceſſibus eos, quoties expedierit, aggravare curetis, contradictores &c. invocato &c. ſecularis. Non obſtante ſi dicto Philippo, vel quibuſvis aliis &c. mentionem. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno &c. MCCCCXLVIII. XV. Kalen. Auguſti, anno II.

XXI. Scribit Hippolytus Doneſmundus, Mantuæ commoratum hoc anno fratrem Baſilium Genuenſem Patriarcham Hieroſolymitanum, die X. Novembris conſecraſſe altaria Eccleſiæ ſancti Benedicti. Cambalienſis Archiepiſcopus in Tartaria creatus eſt frater Bartholomæus de Caponibus * per obitum Leonardi: *Apoſtolatus officium*. XVII. Kal. Maii. Archiepiſcopus Antibaren. in Dalmatia, frater Andreas, per reſignationem Petri: *Divina Diſponente*. Eodem die. Ad eamdem Eccleſiam promovit olim Innocen-

Doneſm. l. 5. hiſtor. Mant. ann. 1448.
Fr. Baſilius Patriarc. Jeroſolymitan.
Fr. Bartholom. Archiepiſcopus Cambalien.
* *Al.* de Campo.
Fr. Andreas Antibaren.

Item Fr. Joannes.

tius IV. fratrem Joannem de Plano Carpini, virum doctum, in Fratrum regimine probatiſſimum, a ſe deſtinatum Nuncium ad Tartarorum Imperatorem, de quo alias diffuſius egimus, ſed tunc excidit collati Epiſcopatus notitia. Hipponenſis Epiſcopus in Africa, frater Petrus de Medina, * per obitum Auguſtini. *Apoſtolatus officium*. Eodem die. Diæ-cæſarien. in provincia Seleuciæ, frater Theodoricus Curshus, per obitum Ludovici. *Divina diſponente*. Eodem die. Ab Eccleſia Clonfertenſi in Hibernia, ſub Archiepiſcopo Tuamen. transfertur frater Cornelius Omulalay, de quo alias diximus, ad Imelacenſem, ſub Archiepiſcopo Caſſellenſi, per translationem fratris Cornelii Ocunlis ab Imelacenſi ad Clonferten. *Romani Pontificis*. III. Kal. Septembris. Et: *Divina diſponente*. Eodem die. Sed in libris obligationum comperio has translationes non habuiſſe effectum. Sidonien. Epiſcopus in Græcia, ſub Arch. Lariſſeno inſtituitur frater Ludovicus de Valle-oleti ſacræ Theologiæ profeſſor, per obitum Joannis: *Apoſtolatus officium* IV. Non. Septembris. Cuperſan. in regno Neapolitano, ſub Arch. Baren. frater Petrus de Migella, per translationem Donati ad Valven. *Apoſtolatus officium*. Pridie Non. Septembris.

Tom. 3. an. 1245. n. 4. & ſeqq.

Fr. Petrus Epiſc. Hipponen.

* *Al.* Melino.

Fr. Theodorus Diæ-Cæſarien.

Fr. Cornel. Imelacen.

Tomo 11. anno 1447. n. 65.

Fr. Cornelius Clonferten.

Fr. Ludovicus Sidonien.

Fr. Petrus Cuperſan.

Comitia quatuor Obſervantum Ultramontan.

XXII. Joannes Maubertus hoc anno Comitia habuit Fratrum Regularis Obſervantiæ, familiæ Ultramontanæ, in Eremitorio Argentonii provinciæ Turoniæ Pictavienſis, ubi aliqua conſtituit circa receptionem adoleſcentum ad Ordinem, circa modum tranſitus Patrum Conventualium ad Obſervantiam, & circa promovendos ad ſacros Ordines, ac confeſſionis audiendæ miniſterium.

Alia Congregatio in Hiſpania.

XXIII. Hoc anno Dominica quarta poſt Reſurrectionem, frater Joannes a ſancta Maria, Vicarius provinciæ ſancti Jacobi ſuper Obſervantes, congregationem indixit, auctoritate Mauberti Vicarii Generalis, in Conventu Salamantino, ubi multa utiliter conſtituit. Acceſſerunt Conventibus, quos ſub ejus regimine conſtitutos diximus, Eremitoria quatuor; ſanctæ Mariæ de Gratia prope ſanctum Martinum de Caſtaneto, ſecundum Erenæ, tertium Angelorum, de quibus alias diximus, quartum Fovearum, de quo nunc agemus. In provincia Aragoniæ non parum officiebat quieti & bono regimini nimium Miniſtrorum deſiderium dignitatem in plures annos protrahendi. Ad preces itaque Alphonſi Regis præcepit Pontifex, ut eorum auctoritas triennii dumtaxat ſpatio contineretur: *Expoſcit plena vigilis*. x. Kal. Januarii.

Tom. 10. anno 1430. n. 50.

Tomo 9. anno 1398. n. 5.

Ne durent Miniſtri ultra triennium.

XXIV. Provinciam Hiberniæ regebat Guillelmus Orealy *, uti diximus alias, non tamen ſine ſuſpicione inſidi apud Henricum Regem Angliæ, apud quem traductus, dicebatur ſollicitaſſe corda ſubditorum, ut Anglorum jugum excuterent, & propterea plurimos crearit Guardianos, rebellioni excitandæ idoneos. Rege deprecante, Pontifex accuſationis examinandæ injunxit Epiſcopo Limorenſi, & Decano Caſſellenſi, & poteſtatem Guillelmum ab officio deponendi, modo verum eſſet, quod objiciebatur, ejuſque loco ſubſtituendi David Carron ſacræ Theologiæ profeſſorem, & Nicolaum Walshe in eadem Baccalaureum, genere Anglo procreatos, qui provinciam regerent uſque ad novi Miniſtri electionem. Robertus Epiſcopus & Joannes Cantuellus Decanus ad judicium procedentes in oppido Cloninelæ, Guillelmum nolentem comparere in loco, ut dicebat, ſibi parum tuto, propter bellorum diſcrimina, & Regis edictum ut comprehenderetur, & proinde de quacumque ſententia contra ſe ferenda appellantem, officio deſtituerunt, Præſideſque inſtituerunt Davidem & Nicolaum prænominatos, atque hi tamdem Miniſtrum eligi curarunt Gilbertum Walshe, Nicolai conſanguineum.

* *Al.* Tragillig.

Tomo 11. anno 1445. n. 15.

Suſpicio Anglorum contra Miniſtrum Hiberniæ.

neum. Venit in Urbem Guillelmus, & poſt aliquot annos, deterſis calumniis, cauſamque promoventibus Angelo Peruſino Generali Miniſtro, & Franciſco Eugubino Ordinis Procuratore, ſub Jacobo de Mozanica, juſſus eſt in ſuum gradum reſtitui. Hæc habeo ex variis monumentis Vaticanis, quibus inſeruntur aliæ ſimiles omnino querelæ ab Eduardo Rege porrectæ Joanni XXII. Pontificatus anno 1. contra Prædicatores & reliquos Ordines Mendicantes, Anglis hæc ſuggerentibus, & Hibernos, ut ab officiis & dignitatibus reppellerent, apud Reges traducentibus. Tandem evacuatur.

XXV. Joannes Capiſtranus totus intentus canonizationi ſancti Bernardini, ultro citroque procedebat ab Urbe ad Aprutios, & ab iſtis Romam redibat, qua potuit ſollicitudine grave urgens negotium. Dum per Urſuniam *, Aprutiorum oppidum, tranſiret, auctoritate, qua pollebat, Pontificia, varia domicilia admittendi, hoc anno unum admiſit, communi oppidanorum ære P. M. ab oppido conſtruendum, ſub invocatione beatæ Virginis Annunciatæ. Neceſſariis rebus inſtructum inhabitant Fratres duodecim, ibique requieſcit vir religioſiſſimus Chriſtophorus Pennenſis, qui integram & extemporaneam cuidam languenti ſanitatem ſuis precibus impetravit. Conv. Urſuniæ. * *Al.* Orſoniam. *Gonzag. in Prov. S. Bernardini Conv.* 11.

XXVI. Eadem auctoritate aliud admiſit Capiſtranus in oppido Campli, Apruntinæ diœceſis. Sed cum Univerſitatis oppidanorum facultates minime ſufficerent domui perficiendæ, rogarunt Pontificem hoc anno, ſeu potius ineunte ſequenti, ut liceret vendere quamdam terræ portionem ſpectantem ad Eccleſiam ruralem ſancti Joannis de Caſtillione de Camplo, cujus Jus-patronatus penes ipſam erat Univerſitatem, annuente maxime Angelo prædictæ Eccleſiæ Rectore. Rei examen commiſit Pontifex Abbati ſancti Mariani de Nuvella, dictæ diœceſis: *Ex Apoſtolicæ*. VI. Idus Februarii. Domus tamdem tredecim Religioſorum capax conſtructa eſt, indito ſancti Bernardini nomine poſt apotheoſim. In eadem provincia, oppidi Caramanici incolæ tertium conſtituerunt domicilium, in gratiam ejuſdem Capiſtrani, totidem Religioſorum habitaculum, ſancto Franciſco nuncupatum. Conv. Campli. *Idem Conv.* 14. Conv. Caramanici. *Idem Conv.* 15.

XXVII. Quartum adhuc comperio hoc anno conſtructum Cœnobium Obſervantum in provincia Aprutina. Prædicaverat ante biennium in civitate Terami, Pennen. diœceſis Jacobus Picenus, ſive de Monte-Brandono. Præter animarum multiplicem fructum, etiam civibus indidit ejuſdem Inſtituti viros apud ſe habendi deſiderium. Videbatur ſatis opportunum Cœnobio conſtruendo ædificium, prope muros urbis ſitum, *Capella ſancti Angeli* nuncupatum, quod ad Monaſterium ſancti Joannis de Aſcortono, Ordinis ſancti Benedicti Monialium ſpectabat, earumque manſioni aliquando deſerviebat. Supplicavit Urbis Senatus Eugenio Pontifici, liceret ſibi eo in loco Fratribus Obſervantibus domum ponere, data Monialibus æqua compenſatione. Commiſſo examine & judicio Epiſcopo Pennen. Joanni, paulo poſt moritur Eugenius; ſed ad judicium Epiſcopus procedit, compertaque veritate a civibus expoſita, decrevit *Capellam* cœnobio Fratrum deſtinandam, & Monialibus aſſignandam domum & Eccleſiam quamdam, *ſanctæ Annæ* nuncupatam. Omnia hæc confirmavit hoc anno Nicolaus, ſuppletis quibuſcumque occurrentibus defectibus, præſertim conſenſus Abbatis & Conventus Montis-Caſſini, a quo prædicta *Capella* dependebat: *Apoſtolicæ nobis injunctæ*. XV. Kal. Maii. Poſſeſſionem acceperunt Ludovicus, Paulus & alii Fratres Regularis Obſervantiæ. Domus viginti Fratrum capax, ſub invocatione *ſanctæ Mariæ de Gratiis*, in magna veneratione eſt apud cives & populos circumvicinos. Conv. Terami. *Indid. Conv.* 10.

Anno Christi 1448.	Nicolai V. anno 2.	Friderici III. Imp. anno 9.	Religionis Minorum anno 241.

Conv. Iſei ſancti Mauritii. *Idem in Prov. Brixien. Conv. 7.*

XXVIII. In Lombardia Tranſpadana XXX. M. P. ab urbe Brixienſi & totidem a Bergomenſi, in ſcopuli jugulo ſupra lacum Iſeum, hoc anno duodecim Fratribus extruxiſſe Lucrenſes quoſdam Conventum, ſancto Mauritio ſacrum, probat inſtrumentum in ipſius ædis tabulario aſſervatum. Deliciosus & ſaluberrimus eſt ſitus, amœniſſimique proſpectus; ex una parte Camonicæ vallis planities, quam Ollii flumen fœcundat, ex altera prædictus lacus piſcibus abundans & naviculis frequens, ex alia editiſſimi montes nivibus perpetuo albeſcentes conſpiciuntur.

Con. Arcis Monfinicæ. *Idem in Prov. Terræ laboris Conv. 3.*

XXIX. Ad hunc annum reducit Gonzaga conſtructionem Cœnobii ſanctæ Mariæ de Fontibus Arcis Monfinicæ, in provincia Terræ laboris. Originem ſumpſiſſe ait ex imagine beatæ Virginis aliquandiu deliteſcente prope fontem inter denſas quercus, & tamdem pio paſtori apparente. Prædictæ Arcis oppidani ſtatuerunt eo in loco ædiculam ſimulacro colendo fabricare. Sed cum in dies magis miraculis clareſceret, & majori erga eam ferretur populus affectu, ædiculam in commodam Eccleſiam & Fratrum Conventum commutare decreverunt; ita curante Theanenſium Epiſcopo Diœceſano, & licentiam concedente hoc anno Eugenio IV. cujus Bullam aſſerit haberi in archivo prædicti Cœnobii. Sed vel Eugenii non eſt, vel hoc anno prior eſt: qui enim fieri poteſt, ut illius ederetur hoc anno Diploma, a cujus obitu hic annus recurrit ſecundus? In ea dicit præcipi, ut hoc in templo, in ſacræ imaginis honorem, Epiſcopus Theanenſis ſacramentum perpetuo adminiſtret Confirmationis.

Reformati quatuor Conventus Provinciæ Terræ laboris.

XXX. Ante hunc annum tranſiviſſe ad Obſervantes quatuor Conventus ejuſdem olim provinciæ, videlicet ſanctæ Mariæ Novæ urbis Neapolitanæ, ſancti Franciſci Caetanæ, ſancti Franciſci Surrentinæ, & ſancti Franciſci Stabiarum, ſive Caſtri maris, mihi compertum ex Nicolai Diplomate, quo concedit, ut propter perfectiorem ſuæ regulæ obſervantiam, bona immobilia, & ſi quæ ſuo ſtatui repugnantia, quæ ſub Patrum Conventualium regimine poſſidebant, vendere poſſent & alienare, atque in reparationem Cœnobiorum convertere: *Cum proximis temporibus.* IV. Nonas Junii. Angelus Peruſinus Ordinis Procurator ad Eccleſiam ſancti Salvatoris in Unda conſiſtens, petiit hoc anno, ut liceret turrim prope eamdem Eccleſiam dare in Emphyteuſim quibuſdam civibus, qui & turrim reficerent & cenſum annuum penderent. Commiſſum fuit æquitatis examen Epiſcopo Volaterrano Urbis Vicario: *Ad ea.* III. Kal. Maii. Fratribus Conventus *ſancti Franciſci ad alto* urbis Anconitanæ, vineam, quæ olim ſpectabat ad Patres Conventuales, dum in illo loco habitarent, & hortulum contiguum, ac parvulam Eccleſiam ſanctæ Cæciliæ, illorum uſibus neceſſaria, & a Philippo tituli ſanctæ Suſannæ, Presbytero Cardinali Bononienſi, Marchiæ Anconitanæ Legato conceſſa, rata voluit ac firma: *Expoſuit nobis.* Pridie Kal. Februarii. Fratribus ſancti Fortunati oppidi Montis-falci in Umbria, ut libere vendere poſſent bona & jura, quæ ad Eccleſiam prædicti Sancti prius pertinebant, antequam inibi Conventum conſtruerent, & ſponte eorum uſui ceſſit Latinus Archiepiſcopus Tranenſis, atque in Cœnobii fabricam ornatumque converterent, indulſit: *Sedis Apoſtolicæ.* VII. Idus Novembris. Gravem & diuturnam litem circa funeralia emolumenta inter Canonicos & Capitulum Eccleſiæ Cathedralis Eugubinæ, ac Fratres Minores Conventus ejuſdem urbis, prolixis concordiæ inſtrumentis ſuo Diplomati inſertis, diremit.

Turris hoſpitii Procurat. Conventualium.

Applicantur bona aliqua Conventui Anconitano.

Alia Conventui Montis-falci.

Conven. Montis-Rotundi.

XXXI. Deprecantibus nobili viro Jacobo de Urſinis, Domino oppiduli Montis-Rotundi, & oppidanis, Eccleſiam ſanctæ Mariæ extra muros dicti oppi-

oppidi, ad eumdem Dominum jure-patronatus ſpectantem, conſentiente Antonio Joannis Rectore Archipresbytero prædictæ Eccleſiæ, uſibus & Conventui Fratrum Regularis Obſervantiæ adaptandam conceſſit: *Piis ſupplicum*. III. Kalend. Novembris.

Conv. Anceniſii. *Gonzag. in Prov. Turoniæ Piſtav. Conv. 11.*

XXXII. In Britannia ſuperiore, diœceſi Nanneten. & oppido Anceniſii, juxta Ligerim fluvium, loco fertili & amœno, inter urbes Andegavenſem & Nannetenſem, Joanna de Henricuria, nobilis viri Bertrandi de Reiux olim coniux, ejuſque filius Franciſcus de Rieux, Anceniſii Baro, Dominus de Rieux, Rupis-fortis, ac Caſtri Briandi, piiſſimus heros, Obſervantibus Conventum extruxerunt. Bulla Nicolai: *Humilibus*. XIII. Kal. Novembris, qua & conſtructionis facultatem largitur, & Obſervantibus Conventum addicit, conſervatur cum aliis multis litteris Apoſtolicis in ipſius Cœnobii archivo; & in ſacrario egregiæ Sanctorum reliquiæ. In oratorio coram Ara majori fundatores ſepulcrum habent ex variegato marmore pulcherrimum. Domus capax viginti quinque incolarum, viros habuit doctrina & Religione percelebres.

Eremitoria Inſularum Galliæ. *Vide ann. 1446. n. 11.*

XXXIII. In quibuſdam inſulis maris Gallici circa Normanniæ & Britanniæ partes, vivebant in humilibus caſulis Fratres Obſervantes ſub titulo Eremitarum & peregrinorum, & obedientia Superiorum provinciæ Franciæ & Turoniæ. Et alii in portu maris de Blanes, & in inſula Virginis, Veneten. & Leonen. diœceſium in Gallia, nonnullas Eccleſias, domos & oratoria conſtruxerunt. Quæ omnia rata voluit Pontifex hoc anno & initio ſubſequentis, communicatis etiam Ordinis privilegiis: *Mentis veſtræ*. Nonis Aprilis. *Sacræ Religionis*. VIII. Idus Februarii. Rogante nobili viro Bernardo de Armaniacho Marchiæ, Perdriaci, & Caſtri Comitis, juſſit Patres Conventuales reſtituere Fratribus de Obſervantia Conventum Aurilliani, Narbonen. diœceſis, alias opera B. Coletæ reformatum.

Conv. Aurilliani.

Conv. Olivæ. *Gonz. in Prov. Valent. Con. 11.*

XXXIV. In regno Valentiæ, procul ab oppido Olivæ, inter refertas pinus, Franciſcus Gilabertus Centellas, primus ejuſdem oppidi Comes, & Beatrix de Urrea coniux, circa hunc annum, domum extruxerunt ſub titulo *Dominæ noſtræ de Pinu Olivæ*, viginti octo Fratribus & ſtudio Philoſophico peropportunam. Horum ſucceſſores ſenſerunt incolæ ſemper beneficos, & venerantur. Jacet hic fr. Triſtanus Luſitanus, vir pius, in dicendo efficax, qui mores Valentinorum maximè reformavit, & abuſus ſuſtulit mercimonii in diebus feſtivis exercendi, & parum culta pietatis in Eccleſiis.

Fr. Triſtanus Luſitan.

Conv. Marnani.

XXXV. In regno Portugalliæ prope villam Marnani, diœceſis Egitanienſis, innumerabilia patrabantur miracula meritis B. Virginis Mariæ. Petierunt itaque Henricus Dux Viſenſis & Portugalliæ Infans, necnon univerſitas prædictæ villæ, ut eo in loco ſibi liceret domum condere Minorum. Aſſenſum præbuit Pontifex: ſed an illi ædificarint, incompertum: *Fidelium*. Nonis Junii.

Conv. Foverum. *Idem in Provin. S. Michael. Con. 19. Mon. MSS. illius Prov. Tom. II. ad ann. 1147. n. 20.*

XXXVI. In extremæ-Duræ regione in Hiſpania ad pagum Fovearum, vulgo *los Hoyos*, diœceſis Caurienſis, Obſervantes hoc tempore Eremitorium habuiſſe conſtat ex congregatione à nobis alias relata, habita in provincia S. Jacobi. Tamdem excrevit in commodum Conventum opera Pauli Piretii, qui poſtquam in imperio Peruano ſub Franciſco Pizarro egregia præcelluit virtute militari, nobili teſſera ab Hiſpano Rege Philippo II. condecoratus, propriam domum pio huic operi promovendo conceſſit, adjunctis hortis, vinea, oliveto, aquarum irriguis, varia & copioſa ſupellectile, & conſtituta honeſta pecuniæ ſumma quotannis ſolvenda, donec Cœno-

nobium perficeretur. Cœnobio non tam fundando noviter, ut aliqui dixerunt, quod non potuit, ſed vel perficiendo, vel augendo, & Eccleſiæ conſecrandæ ſub titulo *S. Spiritus*, facultatem tribuit Didacus Almanca Epiſcopus Caurien. an. MDLVIII. die XV. Septembris. Præter alia loca pia & ſacra, quæ in civitate Legionenſi, provinciæ Guatimalæ in Indiis, Paulus erexit, in hac ſua patria pauperibus alendis & curandis Xenodochium poſuit, & maritandis puellis dotes inſtituit, quarum præcipuum diſtributorem deſignauit hujus ædis Præfectum. Pro tot beneficiis nihil jure patronatus repoſcit, nec onus aliquod ultimis tabulis Fratribus injungit; quod tamen ipſi ſub Melchiore Carmonenſi, provinciæ S. Michaelis Miniſtro, ſponte in ſe ſuſceperunt, ſtabilitis anni diebus, quibus ei parentandum ſit, præſcriptiſque variis & honorificis ſuffragiis. Solum id conſtituit, ut ad latus dextrum Altaris præcipui poſito ſepulcro, impoſitæ ſtatuæ lapideæ, genibus flexis, manibus ſupplici more conjunctis, demiſſo capite ad modum adorantis Venerabile Sacramentum, ſubmitterentur hæc verba: *Hic jacet Paulus Piretius, hoc oriundus pago, patronus & fundator iſtius cœnobii, & Hoſpitalis, ac ſacelli Dominæ noſtræ de Torrente* * *. Obiit* ..... Curatores animarum annis multis contendebant, ſibi deberi varia emolumenta funeralia ſepeliendorum in hac Eccleſia. Tamdem anno MDCIV. auctoritate Apoſtolica decretum eſt, Fratres ab omni ſolutione hujuſmodi liberos cenſeri.

* *Del Arejo.*

Canarienſibus indulta.

XXXVII. In inſulis Fortunatis indefeſſe laborabant Fratres in converſione infidelium; ſed cum operariorum & rerum penuria laborarent, rogarunt Pontificem, ut ſibi liceret ad Ordinem venientes admittere, domum maritimam in regno Luſitaniæ, rebus advehendis opportunam, inſtar illius quam in Bætica diximus accepiſſe, conſtituere, & olei indigentiam lacticiniis in diebus jejunii compenſare. Omnia Pontifex indulſit: *Digna reddimur*. IV. Kal. Aprilis. In eadem provincia Bæticæ, diœceſi Hiſpalenſi, Fratres domus *de la Rabida*, de qua ſæpe incidit ſermo, orarunt & impetrarunt, ut, licet regularem profeſſi eſſent Obſervantiam, ſubeſſent integre Miniſtro Generali, iiſdemque gauderent exemptionibus & privilegiis, quibus Fratres domus S. Michaelis de Monte prope Alcozerium: *Apoſtolicæ nobis*. V. Nonas Martii. Domus Muri veteris, Valentinæ diœceſis a Maria Lunæ, Aragonum Regina, ut diximus, conſtructa, a Superiorum Ordinis regimine exempta, & Sedi Apoſtolicæ immediate ſubjecta, ita eorumdem Superiorum viſitatione & correctione indigebat, ut neceſſarium duxerit Pontifex hoc anno illam Vicario Fratrum Regularis Obſervantiæ in integrum ſubiicere.

Conv. Rabidæ ſubeſt Generali.

Tom. 9. an. 1400. n. 15. & Tom. 11. anno 1437. n. 54.

Conv. Delſi. *Gonzag. in Prov. German. inſer. Conv. 12.*

XXXVIII. Delſum Auſtralis Hollandiæ pulchrum oppidum, magnum, potens, munitum, in quo olim floruit in Deum divoſque pietas, Cœnobium intra muros exædificauit Fratribus regularis Obſervantiæ hoc anno, Gonzaga teſte, vel potius anno MCCCCXLVI. uti Monum. MSS. provinciæ Colonien. recenſent. At cum hæreſes admitteret anno MDLXVI. deſivit in Iconomachiam, & in omnes Religioſos ſævitiam. Mulieres, imo viri veſtem muliebrem mentientes, arietum quaſſatione, ſacræ ædis fores effringentes, rapuerunt omnia, templum profanaverunt, altaria & imagines dejecerunt, Fratribus diſperſis. Regreſſos iterum profligarunt Geuzii anno MDLXXII. ſub menſem Junium, totum Cœnobium diruentes, & locum divino cultui dicatum, in forum porcorum commutantes. Dæmones ab hominibus exeuntes ingreſſi ſunt in porcos, eorum immunditiam diligentes: hic iſti mali genii in homines intrantes, opera eorum, locum ſacrum temerantes, porcorum adſignaverant fœtoribus.

XXXIX. Con-

Anno Christi	Nicolai V.	Friderici III. Imp.	Religionis Minorum anno 241.
1448.	anno 2.	anno 9.	

XXXIX. Confirmat ea quæ ſupra diximus de Conventu Regularis Obſervantiæ apud Athum Comitatus Hannoniæ, modicum ſed pulchrum, munitum & amœnum oppidulum, linteorum textura notiſſimum, Diploma Nicolai Pontificis, quo facultatem concedit, ut Eccleſia ex parte conſtructa poſſit per quemcumque Catholicum Antiſtitem conſecrari: *Sacræ &c.* Pridie Idus Martii. Conv. Athen.

XL. Mortua, uti diximus, beata Coleta Bochet Corbejenſi, nobilis vir Bernardus de Armaniaco, Comes Marchiæ, Perdriaci & Caſtri, miro devotionis affectu omnia ab illa vel noviter fundata, vel alias reformata Monaſteria tam Fratrum quam Sororum, ſua protegebat auctoritate, & quo poterat juvabat auxilio. Pleraque pro eiſdem hoc anno petiit & obtinuit à Pontifice: nimirum, ut confirmarentur omnia ab ea conſtituta circa regimen & reformationem Monaſteriorum: ne ſubderentur Fratribus regularis Obſervantiæ, a regimine Miniſtri Generalis exemptis, ſed ejuſdem Inſtituti viris, qui tamen eidem Miniſtro per omnia ſubeſſent: ut propter penuriam Virginum, quæ prudenter ſcirent reliquas gubernare, Viſitator Generalis poſſet diſpenſare cum iis, quæ defectum patiebantur natalium, & ſimiliter viros diſcretos, ac cordatos Laicos Minoritas, qui eiſdem inſerviebant, ad Sacerdotium promovere; & Petrum de Vallibus earumdem Sororum Viſitatorem Generalem à Generali Miniſtro inſtitutum, in officio confirmaret. Omnia liberaliter, variis emiſſis litteris, Pontifex indulſit, & honorifico Diplomate ipſum Bernardum munificum benefactorem, omnium horum Monaſteriorum Patronum, Protectorem & Defenſorem, ipſis deprecantibus, inſtituit. *Tome* 11. *anne* 1447. *n.* 41. Pontifex multa largitur Coletanis. Eorum Protector Comes Armaniacus.

XLI. Iſabella de Rhodis, Domina temporalis loci de Boyſſet, diœceſis ſancti Flori, prope pagum cœpit conſtruere Monaſterium pro duodecim Soribus Inſtituti beatæ Coletæ, eumque ad ſtatum perduxit, ut habitabile reddiderit prædicti numeri parti. Introductis aliquot, Iſabella deceſit, ædificio imperfecto. Rogavit itaque Comes Bernardus, Iſabellæ hæres, ut ex loco parum tuto & campeſtri, liceret alio Monaſterium transferre, & bona a fundatrice legata, in perpetuum uſum Monialium convertere. Cuncta Pontifex conceſſit: *Humillibus & honeſtis*, x. Kal. Novembris. Statuit etiam in ſuis dominiis, vel in diœceſi Lemovicenſi Monaſterium pro Coletaneis, propriis ſumptibus exædificare, & licentiam obtinuit. Quo vero Boyſſetanum tranſtulerit, & an ipſe aliud conſtruxerit, mihi incompertum. Monaſter. Boyſſet.

XLII. Diximus alias, Sorores Monaſterii de Vedano Ordinis ſancti Auguſtini urbis Mediolanenſis, prope portam novam, in duas abiiſſe factiones; unam, quæ ſanctæ Claræ Regulam profiteri, a Fratribus Regularis Obſervantiæ Cœnobii ſancti Angeli gubernari; aliam, quæ ſub priſtina vocatione & Regula ſancti Auguſtini perſeverare cupiebant. Henricus, tituli ſancti Clementis Cardinalis, tunc Archiepiſcopus Mediolanen. cui Eugenius Pontifex controverſiam dirimendam commiſit, exploratis omnium votis, comperit quadraginta duas tranſire voluiſſe ad Clariſſarum Inſtitutum, & tredecim dumtaxat ſub Auguſtiniano remanere. Decrevit itaque, ut diviſo Monaſterio in duas partes, una cum Eccleſia penes Auguſtinianas eſſet; reliqua & dimidium bonorum mobilium, librorum, paramentorum, aliorumque ad divinum officium & Eccleſiæ cultum ſpectantium penes Clariſſas. Diviſionem & judicium hoc Archiepiſcopi, pridem defuncti, rata voluit hoc anno Pontifex, aliaſque lites, quæ ex hac diviſione, & pecuniis a nobili muliere Antonia de Vicecomitibus quondam Franciſci Comitis Carma- *Tom.* 11. *anne* 1447. *n.* 93. Dirimitur controverſia Sororum Mediolanen. Monaſt. de Vedano.

maniolæ uxoris, pro conſtruendo ſacello & inſtituendo perpetuo Sacerdotio in Eccleſia prædicta conceſſis, provenerant, propria auctoritate ſopivit. Ex tribus vel quatuor prolixis inſtrumentis hujus controverſiæ, quorum præcipuum dabimus in Regeſto, anno MCCCCLIV. apparet Clariſſas adhuc non habuiſſe Eccleſian, ſed anguſtum Oratorium, audiebantque ſub nomine *Monialium Monaſterii novi ſanctæ Claræ*. Ea creverunt virtutis & ſanctitatis opinione, ſub perfectiſſima Obſervantia primæ Regulæ ſanctæ Claræ, abſque ulla terrenarum rerum poſſeſſione, ut nobiliſſimæ quæque Virgines Mediolanenſes ad eas ventitarint, & ad numerum pervenerint vigeſimum ultra centeſimum. Originem ſuæ mutationis a laxiori vita ad perfectiorem, & a mitiori Regula ſancti Auguſtini ad ſtrictiorem ſanctæ Claræ habuerunt a concionibus ſancti Bernardini, uti & Moniales Monaſterii ſanctæ Mariæ Cantalupi, quod diximus anno præcedenti. Omnium prima mutavit habitum Jacoba de Chivatis, prima etiam hujus novi Monaſterii Abbatiſſa, quod annis multis prudentiſſime & ſanctiſſime gubernavit. Spiritu ferunt inſignitam prophetico, & miracula patraſſe, atque inter hæc ſanaſſe filium cujuſdam viri nobilis de Caymis, morti propinquum. Genitor, in beneficii recepti memoriam, miraculum curavit in Eccleſia exteriori depingi, multiſque duravit annis, donec eo in loco erectum eſt ſacellum. In interiori Eccleſia conſpicitur ipſa Jacoba vetuſto delineata penicillo, caput radiis & diademate redimita, *Beatæque* nomen apud Moniales obtinuit. Multæ ejus reliquiæ reconduntur in pariete Eccleſiæ interioris, ubi & corpus jacet, loco tamen ignoto.

Num. 91. Prima quæ ſuſcepit habitum S. Claræ Jacoba de Chivatis.

XLIII. Inter alias floruerunt hic virtute conſpicuæ Sorores duæ, Hieronyma Seraphina, & Angela Catarina de Carcanis, neptes beati Michaelis de Carcano, quas ipſe hoc habitu donavit. Utraque Abbatiſſæ munere functa, inſignem ſuæ pietatis reliquit opinionem. Illarum corpora peculiari ſepulcro, uno condita loculo, habentur in veneratione. Angelæ Gabriellæ perfectiſſimæ ſanctæ Claræ ſectatrici, perſecutiones & moleſtias ſibi illatas faſtidienti, Chriſtus crucem bajulans apparuit, perſuaſitque, ut illa ſuam patienter perferret. In Eccleſia interiori depicta conſpicitur hæc apparitio. Soror Perpetua viſa eſt ſæpe in extaſim rapi, & aliquando ab Angelo floribus coronari. Sorori Mariæ humilitate illuſtri apparuit in culinæ miniſterio Chriſtus infantulus, & multa dona impertivit.

Hieronyma de Carcano. Angela de Carcano.

Angela Gabriella.

Perpetua Mediolanen. Maria Mediolanen.

XLIV. Monaſterii ſtructura peroptima eſt & magnifica; valetudinarium capaciſſimum, & pulchro ornatum ſacello Conceptionis beatæ Virginis Mariæ, quod Guillelmus ex Minorita Sagonenſis Epiſcopus conſecravit. Templum vero exterius & interius, anno MCCCCLXXI. ſub nominibus ſanctorum Claræ, Antonii, & Bernardini Deo dicatum, conſecravit Antonius Cataneus Epiſcopus Salonenſis, Stephani de Forolivio Archiepiſcopi Mediolanenſis ſuffraganeus. Infirmis miniſtrantur pharmaca a ſanctæ Coronæ Deputatis. Scribit Gonzaga, Ducem quemdam exercitus Franciſci I. Gallorum Regis, paulo antequam a Carolo V. ad Ticinum caperetur, gregario milite ſtipatum, voluiſſe in clauſtra Monaſterii, admoto ariete, ad portam perrumpere, ſed Abbatiſſam cum reliquis Sororibus, cruce præeunte, oſtio reſerato, ita hortante fratre Paulo Soncinate, viro clariſſimo, qui tunc aderat, obvias proceſſiſſe, earumque conſpectu Ducem ex equo ſemianimem delapſum, & reliquos milites, petitia humiliter venia, abſque ulla offenſa receſſiſſe.

Gonzag. in Prov. Mediolan. Monaſt. 1.

XLV. Monaſteriis omnibus in dominiis Ducis Sabaudiæ, ſub Regulari Obſervantia degentibus, varia concedit Pontifex privilegia, & Sorores ab omni-

Anno Christi	Nicolai V.	Friderici III. Imp.	Religionis Minorum anno
1448.	anno 2.	anno 9.	241.

omnibus liberat cenſuris, ſi quas forte incurrerant, propter incolatum in terris ſchiſmaticorum, Felici Anti-Papæ adhærentium.

XLVI. Ante annos octo in urbe Capuana Antonius Tobiæ & Blancuccia conſors in propriis ædibus Monaſterium *nominis Jeſu* conſtruxerunt & de ſuis bonis dotarunt; reſervato, vita durante, uſufructu & jurepatronatus, Archiepiſcopo conſentiente, & Miniſtro Fratrum Minorum provinciæ Terræ laboris acceptante. Introductis Monialibus, conſtituta eſt Abbatiſſa quædam Agneſella. Omnia hoc anno rata habuit Pontifex: *Apoſtolicæ*, XIII. Kalendas Auguſti. Monaſt. Capuanum.

XLVII. In civitate Piſtorienſi Maria de Florentia, Andrea, Catarina & Angela de Piſtorio, Tertii Ordinis ſectatrices, cohabitare, regularem domum inſtituere, & Superiorem ſibi præficere ut liceret, orantes exaudivit Pontifex, & hæc præſtandi facultatem illius urbis Epiſcopo dedit: *Piis fidelium*, Nonis Julii. Feciſſe autem Epiſcopum, & ipſam Antoniam eiſdem Miniſtram conſtituiſſe, habeo ex alio Diplomate hujus Pontificis anno Pontificatus VI. quo domum hanc, ita deprecante Antonia Miniſtra & reliquis Sororibus, ſubjicit regimini & curæ Miniſtræ Monaſterii ſancti Georgii Florentini, juxta formam & modum, quo eidem ſuberant Monaſteria Aretinum, & Pratenſe diœceſis Piſtorienſis. Monaſt. de Piſtorio.

XLVIII. Ante annos multos Petrus Comes Traſtamerii fundavit Fratribus Tertii Ordinis domum ſancti Spiritus *de Milide*, Mindonien. diœceſis, additis territorio & Eccleſia beatæ Mariæ de Baſadria. Donationem & conceſſionem approbarunt Henricus I. & Joannes II. Caſtellæ Reges. Confirmavit etiam hoc anno Nicolaus: *Apoſtolicæ*, XIV. Kalendas Julii. Dom. Miliden.

XLIX. Venturinus Epiſcopus Cremonenſis olim dederat Dominico de Moſcardis ejuſque ſociis, Fratribus Tertii Ordinis, Eccleſiam ſanctæ Mariæ de Vayrano, diœceſis Cremonen. & territorium contiguum, ut domum ſibi ædificarent, in qua ſub regulari viverent diſciplina. Donationi conſenſerunt Thomas de Penariis dictæ Eccleſiæ Rector & Bonaventura de Fruellis Clericus in eadem Eccleſia perpetuus beneficiatus, fructibus, dum viverent, ſibi reſervatis. Dom. de Vayrano.

L. Nobilis mulier Reugarda de Malateſtis Comitiſſa, relicta quondam Guidi Antonii, Urbini & Montis-feretri Comitis, domum & hortum contiguum, quæ a Patribus ſancti Auguſtini Monaſterii ſancti Ambroſii Montis ſancti Jacobi, Eugubinæ diœceſis, emerat, in domum religioſam adaptata donavit Nicolao Michilini Miniſtro & ſociis ejus, Fratribus prædicti Inſtituti. Dom. Montis S. Jacobi.

LI. Marina Antonia Pauli, Miniſtra, & Sorores Jacoba Ghilfutii, Maria Lazari de Bertis & Joanna Vagnanelli Tertiariæ Eugubinæ, titulo donationis inter vivos, dederunt Honofrio Antonii de Mondaino Miniſtro Fratrum ejuſdem Ordinis in oppido Gualdi, diœceſis Nucerinæ, domum, hortum & ciſternam in eadem urbe Eugubina, ut ſibi domum ædificarent ſub invocatione ſancti Antonii de Padua. Has donationes & fundationes hoc anno Pontifex approbavit. Dom. Eugubina.

LII. Eugenius anno XVI. Pontificatus datis litteris ad Joannem Epiſcopum Ferrarienſem, omnes Fratres & Sorores Tertii Ordinis in illa Civitate degentes, curæ & regimini ſubjecit Fratrum Regularis Obſervantiæ domus ſancti Spiritus extra muros Ferrarienſes. Chriſtophorus Peruſinus, alias eorumdem Fratrum & Sororum deputatus Miniſter, id male habuit, & cum ejuſdem eſſet Inſtituti, ſibi potius contendebat illorum regimen comitti. Nicolaus ratas voluit litteras Eugenii. Domum ſanctæ Mariæ Tertiarii Ferrarien. ſubjiciuntur Obſervantibus. Monaſt. Anconitan.

Monaſt. Civitatis Caſtelli.

novæ urbis Anconitanæ Sororum Tertii Ordinis magna pauperie depreſſam, liberam voluit ab omnibus exactionibus & gravaminibus, & Sorores Civitatis Caſtelli gaudere voluit omnibus privilegiis & gratiis, quibus gaudebant Peruſinæ.

LIII. Ad preces nobilis viri, Franciſci Foſcari Ducis Venetorum, conceſſit Abbatiſſæ & Sororibus Monaſterii ſancti Nicolai de Muriano, Torcellanæ diœceſis, omnes gratias, privilegia & indulta, quibus ex aliorum Pontificum benignitate gaudebat Monaſterium *Corporis Chriſti* Mantuanum. Deprecante Jacobo de Primaditiis Vicario Generali Ciſinontano, decrevit, ne regimen Abbatiſſarum Monaſteriorum ſibi ſubjectorum, ultra ſexennium protenderetur.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

Indic. ex Vatic.

» I. ITaliæ res ab obitu Philippi Mariæ Ducis Mediolanenſis adhuc fluctibus Martis agitabantur, Franciſco Sfortia defuncti genero, nunc pro Mediolanenſibus, nunc pro Venetis arma ferente, qui Ticinum per deditionem ſui juris fecit; cum interea Unio Eccleſiæ deſideratiſſima, ſublato ſchiſmate, diſponeretur. Summus Pontifex per annum plura noſtrum Ordinem concernentia benigne indulſit; & quidem in favorem fabricæ Conventus ſancti Fortunati Spoletani Indulgentiarum Theſauros aperuit: *Devotorum vota &c.* v. Idus Januarii, & xv. Kal. Februarii, Tertii Ordinis Fratribus Eugubinis, pro quibuſdam bonis breve expedivit: *Sacræ Religionis &c.* Circaque eleemoſynas, Oppidi Nurenburgenſis, aliud: *Ad ea &c.* xiii. Kalend. Februarii. Mechliniæ Urbis Archiepiſcopalis in Brabantia pulcherimæ & nitidæ, ſede ampli & ſupremi Conſilii claræ, Fratres & Parochi invicem contendebant; ad tollendas autem eas controverſias litteras expedivit: *Aſſiduas pro communi &c.* vi. Idus Februarii: & confirmatis litteris Eugenii IV. circa ædificium Piſanum: *Humilibus &c.* xv. Kalend. Martii; viii. Kal. ejuſdem in Villa Dolæ, nunc Urbe celeberrima, & egregie munita, ad fluvium Dubim, Burgundiæ Comitatus prima, Biſontinæ Diœceſis, Fratribus duo loca recipere poſſe indulſit: *Inter deſiderabilia &c.* iv. autem Nonas Martii, datis litteris: *Humilibus &c.* ad fratrem Philippum de Aſtorga circa Provincialatum Compoſtellanum; Sorores ſanctæ Mariæ Novæ Anconitanæ a ſubſidiis ſolvendis exemit: *Piæ vitæ &c.* ix. Kal. Aprilis. Lemovicis in Gallia poſſe Clariſſas Monaſterium conſtruere conceſſit: *Pia devotorum &c.* Kalendis Aprilis, & pridie nonas ejuſdem, exemptis Monaſteriis & Conventibus a beata Coleta conſtructis vel reformatis: *Regimini univerſalis &c.* xvii. Kal. Maii Fratribus de Obſervantia poſſe excipere ſacramentales confeſſiones indulſit per Breve tenoris ſequentis.

Vide ad annum 1372.

Dilectis filiis Vicariis Generali, ac Provincialibus Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ, ac quibuſcumque veſtri Ordinis & Obſervantiæ per vos deputatis & deputandis Confeſſoribus.

NICOLAUS PAPA V.

Dilecti filii. Salutem & Apoſtolicam Benedictionem.

Ex Bulla Mſſ. M

» II. *SCimus populos Civitatum, Terrarum & Locorum, apud quæ loca habetis, exemplo allectos & inductos religioſæ vitæ, quam Domino*

„ *mino concedente, ducitis, libenter ad confitendum vobis, & ſacratiſſimam*
„ *Communionem de manibus veſtris accipiendam confluere: Unde, ut illis ſa-*
„ *tisfacere valeatis, devotioni veſtræ audiendi in Confeſſionibus omnes qua-*
„ *rumcumque Diœceſum, & in illis extraneos ac forenſes, abſolvendi quoque*
„ *etiam in caſibus, quos Diœceſani Locorum, in quibus ad audiendum depu-*
„ *tati eſtis, duxerint concedendos: & in omni, præterquam in die Reſurre-*
„ *ctionis Domini, prædictam ſacratiſſimi Corporis Dominici Communionem*
„ *dandi, auctoritate Apoſtolica concedimus per præſentes. Datum Romæ*
„ *apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die* XV. *Aprilis* MCCCCLVIII.
„ *Pontificatus noſtri anno* II.

„ III. Inter Fratres Montis Regalis, Reatinæ Diœceſis, & Clerum
„ ſubortis litibus circa ſolutionem Canonicæ portionis, occurrit Pontifex
„ dato brevi: *Nuper ſiquidem &c.* XIII. Kal. Maii: & aliud expedivit pro
„ Fratribus Oppidi de Sluſa in Tornacenſi Diœceſi: *Sacræ Religionis &c.*
„ pridie Kal. ejuſdem Menſis. Nono Kal. Junii pro nonnullis ſupplicanti-
„ bus ſanctæ Luciæ de Fulginio, urbe Epiſcopali in Umbria ad Tineam flu-
„ vium interfluentem, Sanctimonialibus, rem beato Joanni de Capiſtrano
„ commiſit: *Exponi fecerunt &c.*

„ IV. Eugubii Civitatis Epiſcopalis antiquæ, ad Montis Apennini ra-
„ dices ſitæ, lanificio claræ, Parochi Eccleſiarum & Fratres invicem con-
„ tendebant; ſed tamdem convenerunt, Pontifexque acta probavit: *Ea,*
„ *quæ pro &c.* XIV. Kal. Julii. Civitatis Caſtellæ, Tiferni Tiberini, Ci-
„ vitatis Epiſcopalis in Umbria, antiquæ & in amena planitie ad Tiberim
„ fluvium ſitæ, Sororibus Tertii Ordinis S. P. Franciſci indultum eſt frui
„ privilegiis Sororum Peruſii: *Devotionis veſtræ &c.* pridie Nonas Augu-
„ ſti. Ebredunum, vulgo *Ambrun*, Civitas Archiepiſcopalis Galliæ Nar- *Ex Typogr. Ferr.*
„ bonenſis, intra Alpes Maritimas ad Durantium flumen, ſuper Saxo in
„ Valle, Montibus altis cincta, difficilis expugnatu, ex antiquis Cœno-
„ bium Fratrum habebat; quod bellorum cauſa deſtructum ſexaginta novem
„ ante annis, concedente Urbano Sexto, infra Civitatem & Parochiam
„ ſancti Marcellini in Ædibus quondam Arnulphi Salvati translatum, di-
„ citurque Domus Fratrum *Breuſoin* a loci, in quo eſt, nomine, hoc anno
„ Pontifex exemptionis privilegio donavit: *Humilibus &c.* XII. Kalend.
„ Septembris; & IX. Kal. ejuſdem pro Hoſpitale de Aravalte ſanctæ Cru-
„ cis, Fratrum Tertii Ordinis Narnienſium, nonnullas gratias indulſit:
„ *Devotarum &c.* Mariana C. E. in Corſica Inſula, quæ vitio pennæ alicubi
„ ſcribitur *Marana*, maxime apud Annaliſtam, diruta vetuſtate, Epiſcopi *Vide ad annum 1447. n. 24*
„ Sedem tenent Baſtitæ, Oppidi celebris, a quo in meridiem ſex milliari-
„ bus Italicis recedebat: porro Baſtitæ eſt Monaſterium Clariſſarum, quod
„ in diplomatibus Apoſtolicis dicitur de Mariana; ſicut & Epiſcopus appel-
„ latur Marianenſis: huic Monaſterio Pontifex nonnulla Privilegia con-
„ ceſſit: *Devotionis veſtræ &c.* Kal. Octobris; VI. vero Idus ejuſdem litte-
„ ras expedivit pro certis bonis Monaſteriorum de Bedeno, & ſanctæ Mariæ
„ de Angelis: *Apoſtolicæ Sedis &c.* & Idibus Didaco Sugherio in Provin-
„ cia Portugalliæ Conventum conſtruendi auctoritatem conceſſit: *Piis &c.*
„ Pro Mendicantibus autem & Minoritis de Monte-Falcone, Latinis *Ve-*
„ *ruca*, Oppido in Piceno (a quo Cœnobium ſancti Joannis de Saxo nun-
„ cupatum, ab ingenti Saxo Sylva veſtito, in cujus medio Fonticulus a
„ ſancto Franciſco auctore dictus, in quo conſtructum fuit) circa bona
„ nonnulla relicta Breve dedit: *In hoc &c.* XV. Kal. Novembris: X. Kal.

„ ejuſdem Miniſtro Generali conceſſit poſſe diſpenſare cum decem Monia-
„ libus, & decem Fratres Laicos ad Ordines promovere: *Apoſtolicæ Se-*
Wadd. ad ann. 1447. n. 79. „ *dis &c.* Voluit etiam Fratres Obſervantes reſtitui in loco de Arigliano,
„ Narbonenſis Diœceſis: *Ex debito &c.* edidit etiam Bullas de exemptio-
„ nibus conceſſis ab Eugenio IV. *Regimini univerſalis &c.* & pro refor-
„ matione Monialium beatæ Coletæ: *Inter curas &c.* Tamdem Nurimber-
„ gæ Cœnobium, quod anno proxime præterito per Obſervantes voluit
„ reformatum, hoc anno XIII. Kal. Februarii, Fratres illius Cœnobii vo-
„ luit poſſe prædicare, & Confeſſiones Sacramentales audire: *Sacræ Re-*
„ *ligionis &c.*

„ V. Hoc eodem anno Joannes Dux Opavienſis, & Hlupſicenſis, Fra-
„ tribus noſtris de Obſervantia *Hulpſitii*, hodie *Leobſchitii* (Civitas eſt in
„ Epiſcopatu Olomucenſi in Moravia) intra muros ad portam Grebnicen-
„ ſem, pro eorum incolatu locum deſignavit, in quo ſubinde Civitas Leob-
„ ſchicenſis ex communibus facultatibus Cœnobium cum ſua Eccleſia con-
„ ſtrui fecit, ut Reformatæ Provinciæ Boemiæ noviſſima monumenta docent.
„ Strigonium Archiepiſcopalis quondam Sedes in Hungaria ad Danubium
„ notiſſimum amnem, duodecim milliaribus regionis a Buda recedens,
„ Conventum habet Deiparæ Virgini Mariæ dicatum, & a Bela Rege IV.
Monum. M. SS. Prov. S. Salvatoris in Hung. „ fundatum; qui hoc anno Fratribus Regularis Obſervantiæ ab Illuſtriſſimo
„ & Reverendiſſimo Domino Joanne Cardinale tit. ſancti Angeli, ad inſtan-
„ tiam Illuſtriſſimi Domini Comitis Joannis de Unniade Gubernatoris in-
„ clyti Regni Hungariæ, Prælatorum, Baronum, ceterorumque Proce-
„ rum & Dinaſtarum, datus fuit ex commiſſione & mandato ſanctiſſimi
„ Domini Papæ Nicolai V. Executor vero fuit Illuſtriſſimus & Reverendiſ-
„ ſimus D. Dionyſius Archiepiſcopus Strigonienſis, S. R. E. Presbyter
„ Cardinalis tit. ſancti Cyriaci in Thermis.

ARGUMENTUM.

Schiſma Felicianum extinguitur, redeunte Amadeo Sabaudico ad eremum Ripaliæ. Qualem illic vitam egerit, diſcutitur. Novum inſtituitur examen miraculorum ſancti Bernardini. Pontifex deſtinatis Inquiſitoribus Joanne Capiſtrano & Jacobo Piceno, ſevere animadvertit in Fratricellos. Matthæus de Regio inquirit in hæreticos regni Neapolitani. Antonius eodem regno oriundus, ad varia regna deſtinatur. In congregatione generali Obſervantum inſtituitur ſecundo Vicarius Joannes Capiſtranus. Patres Conventuales ſua celebrant Comitia, & tentant Obſervantes ſub ſuam redigere poteſtatem. Moritur Antonius a Ruſconibus Miniſter, cui ſubſtituitur Vicaria auctoritate Angelus Peruſinus. Paula Princeps Mantuana pie decedit. Robertus a Licio cum laude prædicat, ſed paulatim a vita excidit religioſa. Inſtituuntur Epiſcopi. Propagatur Religio.

Tollitur ſchiſma Felicis V. I. SCHISMA Pontificium Felicis V. ex Duce Sabaudiæ & Eremita Ripaliæ electi adverſus Eugenium IV. deinde perſiſtentis contra Nicolaum V. hoc anno III. Idus Maii penitus ſublatum eſt, poſtquam Felix infelici culmine dignitatis potitus eſt annis novem, menſibus ſex, diebus ſeptem. Concordiæ præcipui auctores Fridericus Imperator, Carolus Gallorum, Alphonſus Aragonum, Henricus Anglorum Reges. Cedentis honori ita conſultum, ut primum a Pontifice locum, & perpetuam haberet in nonnullis

lis provinciis Apoſtolicæ Sedis legationem, aliis inſuper pactis conditionibus. Demum ille mundi pertæſus, ad priſtinam rediit ſolitudinem; ubi divinis meditationibus, piiſque actionibus jugiter intentus, reliquam vitam peregit ſanctiſſimam. Lauſanis deceſſit Idibus Januarii, anno MCCCCLI. vel ſequenti, honorifico conditus ſepulcro Ripaliæ, dein ab hæreticis violatus, ſub Emanuele Philiberto Taurinum ad Eccleſiam ſancti Joannis transfertur.

An fuerit Eremita Auguſtinianus?

II. Eremitæ Auguſtiniani Felicem hunc, ſive Amadeum, ſibi vendicare aggreſſi ſunt, Hieronymus Roman. & Bernardus Navarrus, tum quia Eremiticam vitam egiſſe, tum quia Decanum fuiſſe militum Jeſu Chriſti, ſive ſancti Mauritii Ordinis ſancti Auguſtini, Onuphrius Panvinus, & alii recenſent. At probe Joannes Marquez, & Thomas de Herrera ejuſdem Inſtituti viri ſpectatiſſimi, concedunt potius adſcribendum alicui Ordini militari ſub regula ſancti Auguſtini degenti, quam Fratribus Eremitis. Sed neque militaſſe ſub Auguſtini regula probabilius dicendum eſt, tum quia nulla tunc erat hujuſmodi militia Jeſu Chriſti, aut ſancti Mauritii ſub regula ſancti Auguſtini. Ordo militum Jeſu Chriſti primum a ſancto Dominico contra Albigenſes ſub veſte partim candida, partim nigra inſtitutus, iis hæreticis extinctis, deſiit in militiam ſpiritualem ſub nomine Fratrum & Sororum de pœnitentia ſancti Dominici, quorum Inſtitutum approbavit Innocentius VI. De his diſerte agit Bernardus Lucemburgicus, in libello de Ordinibus militaribus, & armorum militarium myſteriis. Militiam Jeſu Chriſti Mantuanam inchoavit Vincentius Gonzaga Dux, & approbavit Paulus V. Luſitanam Chriſti in atro amictu Dionyſius Rex, regulam ſancti Benedicti præſcribente Joanne XXII. Sancti Mauritii in Sabaudia militiam longe poſt Amadeum hunc Emanuel Philibertus exorſus eſt, quam Gregorius XIII. confirmavit ſub regula Ciſtercienſi. De his videri poſſunt Myræus, Menennius, Morigia, & ſi qui ſcripſerunt accurate de Ordinibus militaribus, ſed & ipſa confirmationum Diplomata Pontificia, quæ apud Cherubinum & alibi ſunt in promptu. Minime itaque audiendi ſunt Petrus Matthæus, & P. Beloyus, qui ad Amadeum hunc, originem Mauritianæ referunt militiæ, decepti *militum* nomine, quo Amadei ſocii nuncupabantur, & titulo vicinæ Eccleſiæ ſancti Mauritii, in qua ſacra curabant. Diſertius ſcribit Guillelmus Baldeſanus in hiſtoria ſacra Thebeæ Legionis, in ſex illis aulicis & conſociis, ſub nomine *Militum ſancti Mauritii* adumbraſſe Amadeum generoſam illam militiam Equitum ſancti Mauritii poſtea inſtituendam, & confirmandam a Gregorio XIII. deprecante Emanuele Philiberto.

Roman. cent. 11. Navar. l. 2. vitæ S. Nicol. Tolent. Marq. de orig. Erem. c. 7. §. 3. Herrer. in reſp. pacif. n. 586.

An militaverit ſub regula S. Auguſtini?

Matth. in hiſtor. Ludov. 11. l. 3. Beloyus de orig. equeſtr. c. 20.

Baldeſ. lib. 2. pag. 237.

Qualis ejus in eremo vivendi norma?

III. Nulla itaque hic Auguſtinianis jura, nihil ſuum in Felice, ſive Amadeo, licet expoſtulare. Errorem, in quem aliqui impegerant, breviter explicabo, & ſcrupulum illum nuncupationis *Auguſtinianæ* procul amovebo. Rem omnem ſub oculos pono, & ex probatiſſimis Monumentis ipſiuſque Amadei ſcriptis in compendium reduco. Amadeus in ſui Principatus auſpiciis ad ripam lacus Lemani, e regione Lauſannæ, tribus, quatuorve ſtadiis a Thononis oppido, loco amœniſſimo, ſilva, nemoribus, luxuriante prato, vinetis diſtincto, ædificaverat Monaſterium Canonicorum ſancti Auguſtini, vocatis primis incolis ex celeberrimo Auganenſi Cœnobio. Templum Deo ſacravit ſub titulo *ſancti Mauritii*, Sabaudiæ domus Patroni, non procul ab eo loco cum legione Thebæa martyrium perpeſſi. Deinde regia magnificentia domum ampliſſimam, aliquantulum diſſitam, foſſa, propugnaculis munitam adjunxit: in ea ſex manſiones capaciſſimas, totidem nobilibus viris excipiendis, ſeptimam auguſtiorem Principe dignam

Vide Amad. Pacif. pag. 16. & 17. & bullam ipſius Amad. 1. ann. Pontific. Gobellin. in comment. lib. 7.

Anno Christi	Nicolai V.	Friderici III. Imp.	Religionis Minorum anno
1449.	anno 3.	anno 10.	242.

gnam conſtruxit. Tædio humanarum rerum affectus, ſiue ſolitudinis quiete allectus, aut animæ excolendæ totus intentus (alias alii cauſas effingunt) illic ſibi decrevit a turbis receſſum, translato in Ludovicum filium Principatus regimine, reſervatis ſibi cauſis majoribus, pactiſque multis conditionibus, quas longum eſſet recenſere. Advocatis in ſolitariæ pacatæque vitæ conſortium Henrico Colomberio, Claudio Saxio, aliiſque quatuor viris nobilibus, Reipublicæ gubernandæ olim adminiſtris, quorum uxores jam pridem deceſſerant, & nemo non ſexageſimum annum attigerat, eo receſſit, novumque Eremiticæ vitæ genus ſibi ſociiſque conſtituit. Omnes equeſtris Ordinis milites fuerant, & ſæpe in bellis ordines duxerant, nec ſine gloria militaverant; quare in ipſa mutatione ſecularis habitus, ſub Amadeo Decano, & Magiſtro Sodalitii profeſſionem induerunt; & modo *Jeſu Chriſti milites*, ut qui eouſque ſeculo, nunc ſaniori conſilio Jeſu Chriſto militare decreverunt; modo & conſtantiori appellatione *ſancti Mauritii milites*, ab Eccleſia vicina, & loco incolatus appellari voluerunt. Veſtis omnibus erat talaris e panno rudiore, & villoſo, cinericii coloris, zona latiore præcincta, atque ad pedes demiſſa, pallium ejuſdem materiæ & coloris adſutum habebat capitium, baculum retortum, qualis priſcis Eremitis adpingi ſolet, manu geſtabant: promiſſa barba, & capilli intonſi venerandam reddebant canitiem. Crux aurea e collo ad pectus appenſa pietatem augebat; unicum illud nobilitatis ſignum apparebat, cetera demiſſionem paupertatemque ſpirabant.

Gobellin. citatus. Iterum. decad. 3. lib. 10. & dec. 4. lib. 1.

Amad. Pacif. p. 31. & 34.

Gobell. citat.

Gobellin. citat. Amad. Pacif. p. 31. Auctores infr. citandi. Vide Boterum in Amad. 8. lib. 3. & Maſſon. in Amad. 7.

IV. Sub hac vitæ norma delituit in Eremo Ripaliæ (ita a vicina lacus ripa nuncupata) annis quinque, videlicet a fine anni MCCCCXXXIV. uſque ad finem MCCCCXXXIX. quo Baſileenſes, Eugenio vero Pontifici adverſantes, hunc ſibi Papam delegerunt, & miſſis in Eremum Oratoribus perſuaſerunt, ut oblatam admitteret dignitatem. Aſſentientem, depoſitis chlamyde & capitio, quibus utebatur, ſolitis cæremoniis inaugurarunt, Pontificio more indutum, Cardinalis Arelatenſis, Epiſcopi, Prælati, Principes, & qui utriuſque ordinis Eccleſiaſtici & ſecularis aderant, ſolemni proceſſione ad Eccleſiam Monaſterii ſancti Mauritii, prope palatium in eadem ſolitudine, uti diximus, conſtitutam; deinde magno comitatu Baſileenſes deduxerunt, quo etiam abierunt conſocii milites, & in prima proceſſione ſolemni, deſignato eis peculiari loco, in ſuo illo eremitico habitu apparuerunt. Tandem poſt longas moleſtaſque altercationes, & pernicioſam Eccleſiæ ſciſſuram, hoc anno depoſito faſtu, ad priſtinam rediit ſolitudinem, ubi ſancte vixiſſe, & defunctum miraculis claruiſſe, non obſcuri ſcribunt Auctores.

Vid. ipſius Amad. tabulas apud Amad. Pacif. f. 27. Conc. Baſil. ſeſſion. 39. Seſſ. 40.

Eadem ſeſſ.

Æn. ſilv. epiſt. ad Joann. Segovien. Panvin. in Fel. V. Pingon. par. 2. de Jubil. Marian. cap. 24.

V. Hæc ſumma & compendiaria narratio Eremicolatus Amadei ex optimis fidiſſimiſque Monumentis (quippe ex ultimis ſui teſtamenti tabulis, ex ejus Bullis in illo Pontificatu emiſſis, ex commentariis & epiſtolis Æneæ Silvii, ſive Pii II. teſtis oculati, aliiſque ſcriptoribus, quos pridem Auctor libri inſcripti, *Amadeus Pacificus*, produxerat, & ex ſeſſ. 39. & 40. Concilii Baſileenſis fideliter extracta) palam & manifeſte oſtendit, quale illud fuerit vitæ genus horum militum in Eremo, qualis habitus, qualis converſatio. Cum religione Eremitarum ſancti Auguſtini nullum hic vinculum aut participatio; cum Canonicis regularibus illud ſolum commercium aut conſuetudo, quod ad Eccleſiam eorumdem prope palatium conſtitutam accedebant hi milites ad officium divinum audiendum, ad orationes & devotiones perſolvendas. Huc patebat liber acceſſus, & tenebantur Canonici ex ordinatione & diſpoſitione teſtamentaria Amadei eis in divinis miniſtrare.

VI. Ex

Anno Christi	Nicolai V.	Friderici III. Imp.	Religionis Minorum anno 242.
1449.	anno 3.	anno 10.	

VI. Ex his aperte deduco, non monaſticam ullam hos milites vitam prætuliſſe, ut recte animadvertit domeſticus ille hiſtoricus in Amadeo Pacifico, neque ordinem militarem profeſſos, quippe nulla eis præſcripta regula, vel ab ipſo Amadeo in primo ſeceſſu in Eremum, vel poſt aſſumptionem ad Pontificatum, vel ab alio Pontifice; etenim, uti diximus, Ordo militaris ſancti Mauritii recenter ſub Gregorio XIII. & regula Ciſtercien. tunc primum inſtitutus eſt: & certe neque ille numerus, neque ætas, neque habitus, aut delecta eremitica ſolitudo ordini militari conveniebat. Unde non immerito concludit ille auctor Amadei Pacifici, eos non monaſticam, ſed ſecularem vitam, non vulgari tamen pietate, coluiſſe. Marianus Florentinus illius temporis auctor, ſub Inſtituto Pœnitentum, & habitu Tertii Ordinis ſancti Franciſci vixiſſe ſcribit, & quidem non improbabiliter; quippe cui omnia ſupradicta concordant: color leucophæus, ſeu cinereus, qualem fuiſſe habitus Amadei & ſociorum, teſtantur prædictus hiſtoricus Amadei Pacifici, Lambertus Vanderbarchius in Amadeo VIII. auctor vitæ Joannis II. Regis Caſtellæ; & Petrus Mexia in Cæſaribus ſub Regula ſancti Franciſci vixiſſe conſcribit. Eremiticam vitam communiter tunc agebant hujuſmodi Tertii Ordinis profeſſores, crines & barbas nutriebant, capitium geſtabant, & baculum, uti paſſim in præcedentibus Tomis conſpicere licet. Zonam vel corrigiam ex ipſa Inſtituti formula, & Dionyſii Carthuſiani viri docti declaratione cingebant; atque, uti Concilium Baſileenſe diſerte de Amadeo teſtatur, in ſolitudine, in virtute continentiæ honeſte converſabantur, & virtutum Domino in ſpiritu humilitatis, ac ſimplici & humili habitu deſerviebant. Congruit etiam aſſertioni ſupradicti hiſtorici, ſcilicet quod religioſam, aut monaſticam vitam non ſit profeſſus, ſed ſecularem, etſi non prorſus ſecularem ſub non vulgari pietate; Etenim, uti aſſerit Carthuſianus citatus, *hic Tertii Ordinis ſecularium ſtatus eſt quodammodo medius inter ſtatum omnino ſecularem, & inter ſtatum Religioſum*. Atque hinc conciliandi, qui aliquando *Religioſum* vocant Amadeum, etſi hoc nomen latiſſimum ſit, & qui ſecularem fuiſſe affirmant. Quare autem *milites* hi nuncupentur, ſupra diximus; nimirum ex priſtinæ vitæ in ſeculo Inſtituto, retento in Eremo nomine, aut mutata in ſpiritualem militia. Si ergo alicui peculiari vitæ Inſtituto, huic certe Franciſcano hi milites ſunt adjudicandi.

Pag. 36.

Probabile eſt eum fuiſſe Tertii Ordinis S. Franciſci. Marian. citat.

Carthuſ. in reg. 3. ordin. art. 14. Seſſ. 39. & 40.

VII. Nicolaus Pontifex continuis interpellatus precibus Alphonſi Regis Aragonum & Siculorum, Regulorum & Principum Italiæ, & frequentibus motus miraculis, Bernardini Senenſis gloriæ conſulebat, mutatis pro rerum viciſſitudine Judicibus. Diximus Eugenium examen miraculorum commiſiſſe Nicolao ſancti Marcelli, Guillelmo ſancti Martini Presbyteris, & Alberto ſancti Euſtachii Diacono, Cardinalibus; deinde Nicolao & Alberto defunctis, Nicolaum Pontificem ſubſtituiſſe Joannem Epiſcopum Prænestinum Cardinalem Tarentinum, & Petrum ſanctæ Mariæ novæ Diaconum. Mox decedenti Joanni ſuffecit hoc anno Beſſarionem tituli duodecim Apoſtolorum Presbyterum Cardinalem: ſed & huic poſtea commiſſa Legatione Bononien. Franciſcum Epiſcopum Porruenſem S. R. E. Vicecancellarium. Deputationum hic offero inſtrumenta.

Novum fit examen miraculorum S. Bernardini. *Tomo* 11. *anno* 1445. *n.* 1. & 2.

Di-

Dilectis filiis, Beſſarioni tituli duodecim Apoſtolorum, & Guillelmo tituli ſancti Martini in Montibus Presbyteris, ac Petro ſanctæ Mariæ novæ Diacono, Cardinalibus &c.

Ex autograph. & ex lib. 24. Bullar. fol. 115.

VIII. *Cum fel. record. Eugenius Papa IV. prædeceſſor noſter, bonæ memoriæ Nicolao tituli ſancti Marcelli Presbytero, & Alberto ſancti Euſtachii Diacono, ac tibi Guillelmo tituli ſancti Martini in Montibus Presbytero, Cardinalibus, ſub* Datum Romæ *apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ* MCCCCXLV. XVII. *Kal. Martii, Pontificatus ſui anno* XV. *commiſſionem fecerit in hæc verba.* Sancta fidelium Mater Eccleſia, Chriſti Salvatoris noſtri Sponſa *&c. ut in Tom.* XI. *anno* MCCCCXLV. *num.* 2. *uſque ad* omni ſtudio & diligentia exequantur. *Et poſt factam commiſſionem prædictam, eiſdem prædeceſſori, ac ſancti Marcelli, & ſancti Euſtachii, Cardinalibus viventibus ſupradictis, religioſæ memoriæ frater Bernardinus novis continuis miraculis coruſcaverit, prout in dies coruſcare dicitur, Nos eamdem commiſſionem, prout a dicto prædeceſſore noſtro facta fuit bonæ memoriæ Joanni Epiſcopo Præneſtino Cardinali Tarentino, & vobis Guillelmo & Petro prædictis per litteras noſtras fecimus, prout in eiſdem litteris plenius continetur. Cum autem nuper dictus Joannes diem clauſerit extremum, Nos etiam omnia & ſingula, prout ſuperius enarrantur, circumſpectioni veſtræ Apoſtolica auctoritate committimus per præſentes; dantes quoque vobis & concedentes omnes & ſingulas facultates, quæ in ejuſdem prædeceſſoris ac in eiſdem noſtris litteris continentur. Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno &c.* MCCCCXLVIII. *pridie Kal. Februarii, anno* II.

Venerabili fratri, Franciſco Epiſcopo Portuenſi, S. R. E. Vicecancellario, & dilectis filiis Guillelmo tit. ſancti Martini in Montibus Presbytero, ac Petro ſanctæ Mariæ novæ Diacono, Cardinalibus &c.

Ex Archiv. ſuper. lib. 27. Bullar. fol. 183.

IX. *Dudum fel. record. Eugenius Papa IV. prædeceſſor noſter, bon. mem. Nicolao tit. ſancti Marcelli Presbytero, & Alberto ſancti Euſtachii Diacono, ac tibi Guillelmo tit. ſancti Martini in Montibus Presbytero, Cardinalibus, ſub* Datum Romæ apud ſanctum Petrum *anno* MCCCCXLV. XVII. *Kal. Maii, Pontificatus ſui anno* XV. *commiſſionem fecit in hæc verba:* Sancta fidelium mater Eccleſia, Chriſti Salvatoris noſtri ſponſa nos docet *&c. ut in Tom.* XI. *anno* MCCCCXLV. *num.* II. *uſque ad* omni ſtudio & diligentia exequantur. *Et poſt factam commiſſionem prædictam eiſdem prædeceſſori, ac ſancti Marcelli, & ſancti Euſtachii Cardinalibus viventibus ſupradictis, religioſæ memoriæ frater Bernardinus novis continuo miraculis coruſcaverit, prout in dies coruſcare dicitur, Nos eamdem commiſſionem, prout a dicto noſtro prædeceſſore facta fuit bon. mem. Joanni Epiſcopo Præneſtino Cardinali Tarentino, ac vobis Guillelmo & Petro prædictis per litteras noſtras fecimus, prout in eiſdem litteris latius continetur. Cum autem poſtmodum dictus Joannes diem ſuum clauſerit extremum, & loco ejuſdem Joannis venerabilem fratrem noſtrum Beſſarionem Epiſcopum Tuſculanum, tunc Baſilicæ XII. Apoſtolorum Presbyterum Cardinalem, per alias noſtras litteras ſubrogaverimus, & nuper ipſum Beſſarionem Epiſcopum in civitate noſtra Bononien. Sedis Apoſtolicæ Legatum conſtituerimus; Nos etiam omnia & ſingula, prout ſuperius enarrantur, circumſpectioni veſtræ, Apoſtolica auctoritate committimus per præſentes: dantes quoque vobis & concedentes omnes*

omnes & ſingulas facultates, quæ in ejuſdem prædeceſſoris, ac eiſdem noſtris litteris continentur. Datum Romæ apud S. Petrum anno &c. MCCCCXLIX. XVII. *Kal. Aprilis, anno* III.

X. Nicolaus reductis, uti diximus, ad Eccleſiæ unitatem & fidei concordiam ſchiſmaticis, ſtatuit etiam varia hæreticorum genera, quæ in Italia vigebant, vel convertere, vel conterere. Sæpe diximus miſſos Inquiſitores Minoritas contra peſtiferam luem Fratricellorum, eamque multoties repullulantem, toties ab iiſdem compreſſam. Præ reliquis in hac re laudabiliter omnem poſuerunt operam duo illi fidei athletæ, Joannes Capiſtranenſis & Jacobus Picenus, quorum egregia facinora non ſemel enarravimus. Hoc ipſo anno, dum Pontifex perciperet, peſtem hanc plurimum invaluiſſe in quibuſdam Caſtris Marchiæ Anconitanæ, ut ex ipſius Jacobi relatione indicavimus, utrumque cum plena miſit poteſtate, ut peſſima contagione liberaret. Egregie præſtiterunt, pœnitentibus ad fidem miſericorditer receptis; pertinacibus pleriſque igne conſumptis; oppidis Majoreti, Maſſacii, Podii, & Merculi malo hoc ſemine repurgatis. Fabriani alii cum ipſorum ludicro Papa combuſti, quo etiam ipſe Pontifex hoc anno pervenit, ubi per aliquale tempus hæſit, peſtiferum hoc germen penitus extirpaturus. In Tuſciam etiam luem hanc penetraſſe, & Florentiam infeciſſe ſcribit ſanctus Antoninus hujus temporis auctor: *Hæc peſtis*, inquit, *multum viguit in Marchia Anconitana, & longo tempore, nec Florentia fuit ab illa libera. Adhuc pullulat talis hæreſis, etſi multum debilitata ſit. Multi pertinaces in dicta opinione fuerunt combuſti anno Domini* MCCCCXLIX. *Fabriani & Florentiæ, & unus anno ſequenti.* Hæc ſola habet Antoninus, quæ ad rei hiſtoriam, ſeu hujus anni factum ſpectent, ſolumque hunc auctorem habet & producit Bzovius, & tamen conſtanter aſſerit, hujus rei actores fuiſſe Inquiſitores hæreticæ pravitatis, ex Ordine Prædicatorio aſſumptos. Nihil præclare actum vult Bzovius, niſi per Prædicatorii Ordinis ſectatores, neque in hæreticos quemquam inquirere, niſi Dominicanos. Præclariſſima & maxima ſane in hoc genere fecerunt Prædicatores, at multa fecerunt & alii: non illorum gloriæ accedit, quod injuſte aliis detrahitur. Ab Inquiſitionum in Italia partitione, hæ duæ provinciæ, Tuſciæ & Marchiæ Anconitanæ, Franciſcanis obvenerunt, ut videre eſt ſub Innocentio IV. & longo poſt hunc annum tempore apud eos perſeverarunt, imo & Tuſcia & alia loca adhuc perſeverant. Unde ergo habet Bzovius, ſui Inſtituti viros hoc anno iſta perpetraſſe? Ego alias dabo Capiſtrani ad Philippum Cardinalem, Pontificis fratrem, de hac Inquiſitione, & populorum abjuratione epiſtolam.

Capiſtran. & Jacob. Picen. deſtinantur contra Fratricellos. *Tom.* 10. *Anno* 1426. *n.* 5. *& ſeqq.* Egregie ſuo funguntur munere.

Papa acturus contra Fratricellos abit Fabrianum.

Antonin. 4. *part. Theolog. tit.* 11. *cap.* 7. §. 6.

Bzov. hoc anno num. 13. Corrigitur Bzovius.

Tom. 3. *an.* 1254. *n.* 7. *& ſeqq.*

XI. Hic obiter admonere licet ex occaſione hujus itineris Pontificii Fabrianum verſus, me diligentius ejus regiſtrum perquiſiviſſe, in eoque comperiſſe, ſub menſem Majum ex Urbe profectum, tamdem ſub Julium ex Fulgineo Aſſiſium dilapſum, atque ex anni concordia & circumſtantiis perſonarum, majorem & conſtantiorem mihi conciliaſſe fidem inſtrumentum illud Ducis Andriæ de viſo ab hoc Pontifice ſancti Franciſci corpore, quod in Tomo ſecundo produximus. Aſtorgius Cardinalis, cujus eſſe dicitur relatio, hoc anno XIII. Januarii creatus eſt tit. ſancti Euſebii, ex Archiepiſcopo Beneventano. Petrus de Noceto, qui Pontificem ad Eccleſiam ſubterraneam aſſociavit, eidem fuit a ſecretis, ut ex multis Pontificis tabulis, ſeu Brevibus mihi conſtat. Jacobus Laquedonenſis Epiſcopus, qui Duci retulit, quæ ab Aſtorgio moriente audivit, anno MCCCCLII. aſſumptus eſt ad illam Eccleſiam ex Canonico Beneventano, II. Nonas Auguſti, uti ha-

Vere vidit Nicolaus corpus ſancti Franciſci.

Anno 1230. *n.* 4.

betur in actis Conſiſtorialibus. Quo fit ut omnia optime cohæreant. De Cardinalis Aſtorgii pietate, & Ducis Andriæ virtute multoties loquebatur beatus Jacobus Picenus, & Ducem quotidie recitaſſe divinum officium, & multa pii Principis munia exercuiſſe narrabat. In regiſtro beati Joannis Capiſtrani exſcripta eſt epiſtola ejuſdem ad eumdem Ducem, quam aliquando cum aliis ejus litteris & operibus, Deo dante, dabimus in lucem, in qua eum maximopere a virtute, pietate & prudentia commendat.

B. Jacob. inſtituitur Vicarius Marchiæ.

XII. Jacobus autem Picenus, de quo prius loquebamur, gravibus his aliiſque Eccleſiæ obſequiis intentus, non poterat hoc anno multarum urbium, a quibus expetebatur prædicaturus, votis ſatisfacere, rogavitque Pontificem, per ſuas litteras hortantem ut ad Ferrarienſes, deinde ad Aſculanos tranſiret, liceret laboribus fracto, & annis gravi aliquantulum requieſcere. Indulſit libenter Pontifex; ſed curam demandavit Fratrum regularis Obſervantiæ provinciæ Picenæ & Vicarium inſtituit. Obierant ex illo Inſtituto multi, graſſante per illas ceteraſque Italiæ partes toto biennio horribili contagione: quibus ſupplendis, ut ſibi liceret ex aliis quibuſcumque provinciis Picenos Fratres revocare, & ſocietates ſive confraternitates duas inſignes, a ſe ſub nominibus ſanctorum Hieronymi & Franciſci apud Peruſinos & Aſculanos erectas, amplius ſtabilire, & gratiis a Sede Apoſtolica concedendis in majorem ſpem evehere, etiam impetravit. Reſcripta Pontificia penes me ſunt, aliæque tabellæ, quæ referunt in ea provincia toto hoc anno commoratum, multa tam Religioſis quam laicis præſtitiſſe beneficia.

Matth. Reginus Inquiſitor in regno Neapolitano. *Tomo* 10. *anno* 1428. *n.* 6. Et Commiſſarius in Curia Romana.

XIII. In regno Neapolitano, in civitatibus præſertim Beneventana, Sipontina, Tranenſi, Monopolitana & aliis exorta quædam hæreſis, *Novellorum Chriſtianorum* dicta, multos Chriſti fideles inficiebat. Volens itaque Pontifex tanto malo occurrere, Inquiſitorem inſtituit fr. Matthæum Reginum, Virum pium & doctum, de quo alias inſtitutus eſt ſermo, hoc tempore Fratrum regularis Obſervantiæ in Curia Romana Commiſſarium, alias etiam, uti Pontifex refert, in eodem regno Inquiſitorem.

Dilecto filio Matthæo de Regio, Ordinis Fratrum Minorum profeſſori, ac in partibus Ciſmontanis quoad Fratres de Obſervantia nuncupatos, in Romana Curia Commiſſario &c.

Ex lib. 25. bullar. fol. 93.

XIV. *Licet ex omnibus mundi partibus, quæ ſub Chriſtiana religione continentur, teneamur ex noſtri officii debito lethiferam peſtem hæreticæ pravitatis extirpare, in Italia tamen imminet hæc ſollicitudo propenſius, ubi eadem peſtis, propter temporum iniquitatem, in detrimentum fidei Catholicæ venenoſa germina effundit. Ad noſtram ſiquidem notitiam, non ſine gravi mentis amaritudine pervenit, ad præſens in regno Siciliæ, & præſertim in civitate Beneventana, Sipontina, Tranenſi, Monopolitana, & aliis quam pluribus terris & civitatibus plurimos hæreticos ſubreviſſe, qui vulgo* Chriſtiani novelli *appellantur, quorum contagione plurimi alii Chriſtifideles a fide debilitantur. Nos hujuſmodi contagiones, quibus grex Dominicus inficitur, & morbos propellere, cunctoſque populos a vera Chriſti religione devios, quantum nobis ex alto conceditur, ſummis affectibus cohibere cupientes, ac volentes tam lethali morbo ſalubriter providere, ac alias de probitatibus & virtutibus tuis plenam in Domino fiduciam obtinentes, ſperanteſque quod ea, quæ tibi committenda duxerimus, prudenter & fideliter, & cum exacta diligentia exequeris; te, quem, ſicut fide dignorum teſti-*

teſtimoniis accepimus, religionis & fidei ſinceritate, ac honeſtate morum, necnon litterarum ſcientia, aliarumque virtutum donis, illarum largitor Dominus inſignivit; conſiderantes deinde, quod ſuperioribus temporibus hujuſmodi officium Inquiſitionis cum laude & commendatione in dicto regno exercuiſti; uſque ad noſtrum beneplacitum in regno Siciliæ prædicto citra Farum, & præſertim in memoratis civitatibus Inquiſitorem hæreticæ pravitatis facimus, conſtituimus ac etiam deputamus: tibi per Apoſtolica ſcripta mandantes, ac in virtute ſanctæ obedientiæ injungentes, quatenus dictum Inquiſitionis officium per nos tuis impoſitum humeris, odio, timore, favore & amore omnibus poſtpoſitis, ſic fideliter & ſollicite per te vel alium ſeu alios exequaris, ut per tuam ſollicitudinis operam, damnatis & nefariis eorum erroribus de medio extirpatis, & ſentibus hujuſmodi penitus evulſis, in regno prædicto fidei ſinceritas vigeat, divinus cultus augeatur, & populus Chriſtianus in Dei cognitione, ac ſuæ ſalutis acquiſitione non decreſcat. Et inſuper volumus, ut in hujuſmodi Inquiſitionis officio procedas, tam ſecundum Indulgentias & privilegia Inquiſitoribus pravitatis ejuſdem a prædicta Sede deputatis, ſeu officio Inquiſitionis hujuſmodi ab eadem Sede conceſſa, quam etiam ſecundum Canonicas ſanctiones. Ut autem dictum officium a nobis tibi impenſum, liberius exequi poſſis ac valeas, mandamus omnibus & ſingulis locorum Ordinariis ac aliis quibuſcumque Eccleſiaſticis perſonis, cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, vel conditionis exiſtant, Religioſis quoque exemptis & non exemptis, quatenus in omnibus, quæ ad hujuſmodi officium pertinent, tibi faveant & aſſiſtant, & præſtent ac præſtari faciant favores, conſilia & auxilia opportuna: dantes & concedentes tibi liberam & plenariam poteſtatem dictos hæreticos inquirendi, ac legitimis ſuper iis ſervatis proceſſibus, procedendi, & pro rerum qualitate carceribus mancipandi, ac eos detinendi, pœniſque debitis afficiendi; necnon per cenſuram Eccleſiaſticam, & quævis alia Juris remedia, compeſcendi, invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis. Necnon omnia alia & ſingula, quæ in præmiſſis & circa ea quomodolibet neceſſaria vel opportuna fuerint, faciendi & exequendi, etiam cum privilegiis & indultis Apoſtolicis, quæ in caſibus hujuſmodi hæreſis ſuffragari poſſint, plenam & liberam, auctoritate prædicta, concedimus tenore præſentium facultatem. Non obſtantibus privilegiis, exemptionibus, & indultis, etiam quæ locorum Diœceſanis ſuper eo forſan, quod in ſuis civitatibus & diœceſibus ipſius pravitatis Inquiſitores ad hujuſmodi Inquiſitionis officium admittere non debeant vel teneantur; ac indulto per fel. rec. Eugenium Papam IV. prædeceſſorem noſtrum ipſis Diœceſanis, ſub diœceſi Tranen. pro tempore commorantibus conceſſo, in quo præſertim cavetur, ut nemo alius præterquam ejuſdem loci Diœceſanus dictos Chriſtianos novellos inquirere valeat, nec ipſi Chriſtiani novelli a quoquam alio ad judicium evocari poſſint, cujus tenorem de verbo ad verbum haberi volumus præſentibus pro ſufficienter expreſſo, & cui quoad hoc ſpecialiter & expreſſe derogamus, ſeu ſi quibuſvis aliis a Sede prædicta &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Fabriani, Camerinen. diœceſ. anno &c. MCCCCXLIX. *pridie Kalendis Septembris, anno* III.

XV. Fratrem Antonium Neapolitanum, de quo etiam alias locuti, delegavit ad partes Dalmatiæ, Ruſſiæ, Boſnæ, Croatiæ, Serviæ, Albaniæ, & Hungariæ vaſtiſſimarum regionum populis prædicaturum, traditis ad libitum cooperariis. Omnes illarum partium Superioribus his litteris commendat. Anton. Neapolitan. Prædicator Apoſtolicus in multis regnis.

Venerabilibus fratribus Archiepiſcopis & Epiſcopis, ac dilectis filiis aliarum Eccleſiarum Prælatis, necnon Clero & Populis in Dalmatiæ, Ruſſiæ, Boſnæ, Croatiæ, Serviæ, Albaniæ & Hungariæ provinciis &c.

Ibidem fol. 78.

XVI. *Licet ſupra vires arduis mens noſtra occupata negotiis, & curis exiſtat præpedita diverſis, inter ceteras tamen ſollicitudines noſtras illud ardentius affectamus, illudque toto pectore expoſcimus, ut Salvator noſter ſuam ſanctam univerſalem Eccleſiam, toto terrarum orbe diffuſam, in unitate perfecta, ſua miſeratione ſervare dignetur, populoſque ſui pretioſi ſanguinis aſperſione redemptos, præcipue ab ipſius Eccleſiæ unitate diviſos, ad ſemitam pacis & Eccleſiaſticæ unitatis adducere. Et cum nobis, licet immeritis, univerſorum Chriſtifidelium ſit cura commiſſa, prout ex Paſtorali noſtro officio obligamur & cogimur, totis viribus totiſque affectibus inſudantes, accuratiſſime procuramus viros vita probos, & ſacrarum litterarum doctrina peritos, ad ſpargendum ſemina verbi Dei, pro lucrifaciendo animas Redemptori noſtro, per orbem tranſmittere, ut errantes oues ad Domini ovile reducant. Cum igitur dilectus filius Antonius de Neapoli, Ordinis Minorum profeſſor, ut fide dignis teſtimoniis percepimus, vitæ honeſtæ ſit, ac doctrinæ claræ, & in prædicatione verbi Dei ſatis aptus, & pro reductione & doctrina populorum, ad ipſas veſtras partes noſtro conſenſu & juſſu venturus ſit cum quibuſdam ſociis ejuſdem Ordinis, quos ipſe eliget: Et quia tale officium exercendo, poſſet quandoque hoſpitio, aut victu indigere, ut poſt labores ſuos poſſit in Domino recreari, fraternitates & caritates veſtras requirimus & hortamur in Domino, per Apoſtolica ſcripta nihilominus mandantes, quatenus ſi idem Frater Antonius pro officio prædicationis hujuſmodi ad provincias, civitates, terras, caſtella, villas, & alia loca veſtra pervenerit, pio ipſum recipientes & pertractantes affectu, ipſi in neceſſitatibus ſuis auxiliemini & ſubveniatis; & verba vitæ ſalutaris prædicationis hujuſmodi, quæ coram veſtra devotione duxerit proponenda, ita devota mente & ſinceris cordibus admittatis, ut errantes & devii populi ſalutares & uberes fructus prædicationis ſuæ repertent, & cooperante Altiſſimo, ad viam veritatis aſpirent, & ſalus ipſorum, prout in Domino cupimus, proveniat animarum, veſque deinde noſtram & Sedis Apoſtolicæ benedictionem uberius conſequi valeatis: Datum Spoleti anno &c.* MCCCCXLIX. XII. *Kalendas Julii, anno* III.

Congregatio quarta generalis obſervant. Ciſmontan.

Monum. Ordinis. Marian. cap. 23. Marc. 3. p. lib. 3. cap. 32.

XVI. Jacobus Primaditius Vicarius Generalis Obſervantum hoc anno vocavit ad congregationem generalem præcipuos ſuæ familiæ Patres ad Conventum nemoris de Mugello, provinciæ Tuſciæ, ab urbe Florentia XIV. M. P. diſtantem. Eo invitaverat magnus ille Heros Coſmas Mediceus, huic Inſtituto addictiſſimus, qui ſumptus omnes liberaliſſime impendit, & toto Comitiorum tempore, vocatis etiam filiis, cum Fratribus permanſit. Primaditius Patres humillime rogavit, ut dimiſſis ſui regiminis ignorantiis, officium in alium transferrent. Collatis ſuffragiis ſub XVIII. diem Maii, non vero ſub feſtum Pentecoſtes, ut habent Marianus & Marcus, omnium conſpiratione electus eſt Vicarius Joannes Capiſtranenſis, alias hoc munere functus, & in rebus arduis verſatiſſimus. Ægre laborem hunc ſubiturum, & Patrum deſiderio prorſus reſtiturum Deus, cujus voluntati nemo poteſt reſiſtere, die præcedenti, dum inter ſacra myſteria felicem rerum exitum deprecaretur, præmonuerat, ne refragaretur. Paruit itaque jubenti Deo, & onus alias grave, homini præſertim annoſo, prædicationibus, functionibus publicis, gloriæ Bernardini ſui venerandiſſimi

Eligitur Vicarius Generalis Joannes Capiſtran.

mi commilitonis procurandæ penitus intento, humiliter ſubivit.

Inſignis multis titulis hæc congregatio.

XVIII. Celeberrima fuere hæc Comitia; tum optimi Herois Medicei præſentia & munificentia; tum frequentiſſimo populorum undique, maxime ex urbe Florentina, adventantium, concurſu; tum denique multitudine & dignitate graviſſimorum virorum ex ipſo Inſtituto congregatorum. Aderant, ultra Primaditium & Capiſtranum ſupradictos, Jacobus Picenus, Albertus Sartianenſis, Marcus Bononienſis, Nicolaus Auximanus, Damianus Patavinus, Baptiſta de Levanto, quem hoc anno inſtituit Capiſtranus Vicarium Provinciæ Orientalis, Seraphinus Cajetanus, Antonius Bitontinus, Michael Mediolanenſis, Antonius Vercellenſis, Jacobus de Dozello Bononienſis, Andreas e Sancto Gemino, Silveſter Senenſis, Joannes Pratenſis, Hieronymus de Stupha Florentinus. Hi omnes vita & doctrina clariſſimi, erant celeberrimi per univerſam Italiam concionatores. Fuerunt etiam alii, licet indocti, virtute tamen conſpicui: Julianus Cortonenſis, provinciæ Tuſciæ Vicarius, Gandulphus de Agrigento provinciæ Siciliæ Vicarius, & Hieronymus Agrigentinus ibidem Commiſſarius; Angelus de Civitella, Ludovicus Senenſis, & Joannes Riccius, qui ſupradictum Julianum in Vicariatu Tuſciæ præceſſerunt: Gaſpar, Benedictus, & Bartholomæus Florentini. Adfuit etiam Robertus Caracciolus a Licio, maximus ſui temporis prædicator, de quo paulo inferius, cujuſque mores & indolem alias deſcribemus. Hunc a rigore ſui Inſtituti paulatim ad molliora declinantem corripuit paterne Capiſtranus, & futuri caſus certo præmonuit.

Hoc anno n. 10. Pontifex Capiſtranum Generali commendat.

XIX. Facta electione, rebuſque neceſſariis inſtitutis, Capiſtranus obviam abiit Pontifici in Picenum, ut diximus, venienti, & Spoleti relatis quæ in Comitiis acta ſunt, Nicolaus ad Generalem Miniſtrum ſequens miſit Diploma.

Dilecto filio Antonio de Ruſconibus ſacræ Theologiæ Magiſtro, Ordinis Minorum Generali Miniſtro.

Ex regiſtro Capiſtrani fol. 1.

XX. *Dilecte fili, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Profecturus ad Capitulum dilectus filius frater Joannes de Capiſtrano, ad præſentiam noſtram ſe contulit, & ut nobis enunciavit, ſe Vicarium electum fore ac publicatum, ipſum, attenta ſuæ præſentis vitæ honeſtate ac religionis obſervantia, auctoritate noſtra confirmavimus, & pro confirmato haberi debere decernimus. Tu erga illum benigne fac, & grate ſuſcipias, ſibique favori & præſidio noſtro intuitu & ſuis benemeritis, eſſe velis in omnibus, quæ ad eum & ceteros de Obſervantia ſpectant, ſi nobis rem gratam cupis efficere, ac eumdem confirmes; nam quo illi te favorabiliorem præſtabis, eo nobis gratius futurum exiſtimes: Si vero contra fieret, quod non credimus, tanto uberiorem aſſiſtentiam & favorem conſequetur a nobis. Datum Spoleti die* XXIII. *Maii, Pontificatus noſtri anno* III.

Capitulum Generale 84. Florentiæ.

XXI. Spoleto abiit Florentiam Capiſtranus, quo etiam conceſſerant præcipui Patres Obſervantiæ. Illic enim Miniſter Generalis Antonius prædictus Comitia generalia Patrum Conventualium in Cœnobio ſanctæ Crucis indixerat pro feſto Pentecoſtes. Acta utriuſque Capituli perierunt. Soli ſupplicationi publicæ, ſeu proceſſioni Conventualium interfuerunt Obſervantes: ab aliis Comitiorum geſtis abſtinuerunt. Magna ſolemnitate peractum eſt publicum ſpectaculum, ducta ſupplicatione a prædicto Cœnobio

bio ad domum civicam, ubi Magiſtratus advenientes honorifice excepit, & ſuper gradus Palatii inter Miſſarum ſolemnia Vicarius Capiſtranus egregium habuit ſermonem. Audiebat eum populus tamquam virum Apoſtolicum: & tamquam e cœlo miſſum, cum e Conventu Nemoris in Urbem veniret, effuſa per aliquot milliaria extra urbem turba virorum, ac mulierum cum gaudio & auplauſu ſuſcepit. Eum libenter in Vicariatu Generalis Miniſter confirmavit, dato hoc inſtrumento.

In Chriſto ſibi cariſſimo fratri Joanni de Capiſtrano, frater Antonius de Ruſcouibus de Camis, ſacræ Theologiæ Magiſter, ac totis Ordinis Minorum Generalis Miniſter & ſervus, ſalutem & pacem in Domino ſempiternam.

Ex regeſt. Capiſtrani.

XXII. *Cum in congregatione Fratrum, qui* de Obſervantia *vulgariter nuncupantur, in loco Nemoris de Mugello celebrata, fueris per ipſos Fratres in eorum Vicarium in Ciſmontanis partibus electus, quam electionem ut confirmarem, fui a te & a pluribus ex ipſis, qui tecum aderant, humiliter & reverenter requiſitus. Ego itaque, ad quem ſpectat merita ſubditorum ponderare, electionem ipſam de te mihi cariſſimo filio rite, canonice & juridice factam atque celebratam, de conſilio tamen Venerabilium Patrum Miniſtrorum, multorumque aliorum vocalium in præſenti Capitulo generali Florentiæ celebrato anno Domini* MCCCCXLIX. *die* II. *Junii exiſtentium, accepto, approbo, atque confirmo, tibi vices meas & omnimodam poteſtatem atque facultatem committendo. Et ut tibi cedat ad meritum, mando tibi ad meritum obedientiæ ſalutaris, quatenus ipſam electionem in eorum Vicarium & Paſtorem, ut præmittitur, rite, juridiceque de te factam, omni contradictione ſemota, humiliter reverenterque ſuſcipias, ſuſceptamque cum omni diligentia ſtudeas exercere, ſecundum multiplicem gratiam a Domino tibi datam. Injungens inſuper omnibus & ſingulis Fratribus* de Obſervantia *vulgariter nuncupatis, cujuſcumque conditionis & gradus exiſtant, tuo regimini commiſſis, ut tibi vero meo Vicario per eamdem obedientiam ſalutarem teneantur firmiter obedire: exhortans te in Domino, ut ita ſollicite circa eorum regimen te habeas & caritative, quod ad ſæpedictorum Fratrum tua inſtitutio cedat profectum, animarum ſalutem, & Religionis augmentum, quos tibi, teque illis in Domino commendo. Vale in Chriſto Jeſu, & ora pro me. Datum Florentiæ tempore noſtri generalis Capituli ibidem celebrati anno, menſe, & die, qui ſupra.*

Cõfirmatur electio Capiſtrani. Agitur de reducendis Obſervãtibus ſub regimine Conventualium.

XXIII. Etſi tamen Capiſtranum prompte, juxta conſtitutiones Pontificias a nobis ſupra relatas, confirmaverit Miniſter Generalis; ægre nihilominus ferebat ipſe & Miniſtri Provinciales a ſe pedetentim divelli numeroſam, Principibus caram, populo acceptabilem, & multis titulis honorificam familiam. Nihil ergo intentatum reliquerunt, nihil non excogitarunt, ut ſibi eo ſubjectionis & unionis glutino compaginarent, quo non tam reſciſſum a corpore membrum, quam ejuſdem pars intima & capiti inhærens æſtimaretur. In bullam itaque Eugenianam, ſeparationis conſpicuam originem, modis omnibus invehuntur, & conantur labefactare. Inde facilior videbatur conatus, & titulus ſpecioſior, quod plerique ex ipſa familia id clam appeterent, & ſecretis ſuggeſtionibus hos ad aggrediendum urgerent. Illorum anteſignanus & inſtructor erat, de quo diximus, Robertus: qui, dum ſtrictioris vitæ paulatim tæderet, & fibulas laxaret diſciplinæ, impatienter

Aliqui Obſervãtes id appetunt. Præſertim Robertus de Licio.

fe-

ferebat moroſos correctores & integros Rectores, qui a recto tramite declinantem reducere ſatagebant. Accedebant alii ſimiles, ambitionis æſtu perciti, qui populi applauſum & gloriam ex doctis concionibus partam, in contemptum ducebant humilis Inſtituti, omnia in proprium commodum convertentes. Ne vero viderentur injuſte agere, aut a perfectioris vitæ propoſito reſilire, illudobtenderunt pietatis velamen, ſe velle genuino Sancti Franciſci ſucceſſori, Ordinis capiti proprie ſubeſſe, & germano ſolidoque vinculo, non commentitio & exili nimis, quale Eugenius excogitavit, corpori inhærere. Ita ab ipſo Inſtitutore Franciſco in ſua Regula præceptum contendebant, atque rigoroſe ita intelligenda verba illa dicebant: *Univerſi Fratres unum de Fratribus iſtius Religionis teneantur ſemper habere Generalem Miniſtrum & ſervum totius Fraternitatis, & ei teneantur firmiter obedire.* *Reg. 2. cap. 8.*

XXIV. Sic plerique *culices colant, & camelos deglutiunt*; in minimis religioſi, in magnis profuſi; inania ſuperſtitioſe curantes, ſeria temere negligentes: *Optimi ſcilicet æſtimatores rerum, qui magnam de minimis, parvam aut nullam de maximis curam gerant.* Hi in recentis diſciplinæ ſeveriore Inſtituto laxiorem vitam, & impunem affectantes diſſolutionem, *a modicis quidem delictis abſtinebant, magna autem mala alacriter committebant*: nam & reſtauratæ diſciplinæ novellum germen concutiebant, per viam hanc bene ambulantes conturbabant, in partes ducebant, ſenſum ſuum ſummi in terris Legislatoris judicio præferebant: *Majoribus major, minoribus minor opera noſtra & cura debetur, de quorum etiam contemptu juxta eamdem conſiderationem, gravior leviorve offenſa contrahitur. Cujus enim inter præceptores reverentior nobis imminebit auctoritas, ejus gravior formidanda erit offenſio, ac majoris cujuſque mandati tranſgreſſio damnabilior æſtimanda.* Non abſque noxa ſanctorum Inſtitutorum canones violantur, ſed majori culpa Apoſtolica contemnuntur præcepta. Pontificis major eſt auctoritas, per quem illi auctoritatem accipiunt: ſi revocare, ſi infirmare, ſi temperare velit, in ipſius eſt poteſtate. Verum eſt: *Non cuilibet hominum mutare fas eſt regulas ſanctorum Baſilii, Auguſtini, Benedicti*, adde Franciſci, *aliaſque authenticos canones, ſed ſolis diſpenſatoribus myſteriorum Dei: quia namque ab hominibus traditæ ſunt, etiam per hominum Rectores licite interdum innoxieque pro cauſis, perſonis, locis, & temporibus diſpenſantur.* Nec tamen diſpenſavit Eugenius in Primicerii obedientia, a Franciſco præſcripta, ſed ab eo derivari voluit auctoritatem in rigidiorem perfectioris obedientiæ exactorem. Plenam Miniſtro Generali reliquit in omnem Ordinem poteſtatem, ſed in hac familia, vel per ſe, vel per idoneum Miniſtrum exercendam.

Matth. 23. Multi circa tes graves negligentes circa leves ſuperſtitioſe diligentes. *Bern. lib. 4. de conſider. cap. 6. Chryſoſt. in cap. 23. Matth.*

Bernard. tract. de præcept. & diſpenſ. cap. 10.

An liceat diſpenſare vel quidpiã mutare in regulis Religionum. *Indict. cap. 3.*

XXV. Valde turbavit univerſam familiam horum Patrum, maxime Miniſtri Generalis, adverſus conatus, juſſitque Vicarius Capiſtranus, ut optimo in tribulationibus remedio, huic periculo Fratres omnes caverent, orationibus ſcilicet & jejuniis inſtantes, Deum deprecarentur, ne permitteret noxia iſta proſperari conſilia. Præ omnibus ferventiſſimæ oravit Franciſcus a Papia, ſive Ticinenſis, vir ſanctiſſimus, cujus vitam & geſta alias latius proſequemur. Apparuit ei Chriſtus, & mœrentem conſolatus, dixit: *ut quid propter iſta turbaris? cur tantopere commoveris? Cujus eſt hoc opus? cujus familia? nonne mea? Ego proſperabo & creſcere faciam in gentem magnam, quæ præ multitudine numerari non poterit. Quis e tot diverſiſque nationibus ſodalitium hoc coagmentavit? quis adeo brevi tempore tot contradicentibus multiplicavit? Ego feci: ego ab inimicis defendam. Qui vos conturbant*

Tribulationem averterunt Fratres orationibus. Maxime Franciſci Papienſis.

non

non facient impune : ab hac vita reſilientes pœnitebit , ſed perſeverantes bene habebunt ; pro deſertoribus alios ſubſtituam , qui eorum coronas ſuſtipiant .

XXVI. Oblata deinde myſterioſi artificii rota ad ſimilitudinem vaticinii Ezechielis , quæ mira velocitate , quocumque placebat , dirigebatur ; & in ictu oculi univerſi orbis partes pertingens , ad eos declinabat , quos mittens intendebat , & ſecundum dirigentis beneplacitum eos immutabat , vo-

Myſterioſa rota deſignatur Dei gratia .

voluntatemque quantumvis rebellem , emolliebat . Vere ſpiritus vitæ erat in rota . Ad ejus velocitatem , flexilitatem , virtutem & potentiam obſtupenti Franciſco , oraculo patefactum eſt myſterium: videlicet, rota illa deſignari Dei gratiam , quæ ad univerſum hominum genus extenditur pro arbitrio conferentis , & ſine mora , prout Deo lubet , pertinaciſſimas quaſque

Deo propitiando quam ſit neceſſaria humilitas .

conterit voluntates : *Hoc* , inquit , *benigno & miſericordi pro vobis , & contra veſtros inimicos utor inſtrumento ; miſſa hac rota , infuſa gratia perſequentium immuto mentes, perſeverantium confirmo voluntates , & quod vobis proſit , Rectoribus immitto conſilium . Attamen ut in veſtrum auxilium mittatur , & pro vobis operetur , neceſſe eſt ut & vos levem , ſed fortem armaturam induatis duplicis humilitatis . Primo , ut contriti & humiliati in conſpectu Dei, libenter ſubjiciamini Præpoſitis veſtris, & omni humanæ creaturæ propter eum , & oretis , velit ſuo adeſſe auxilio , ut quod elegiſtis vitæ genus, poſſitis obſervare : ſecundo , ne deſpiciatis minus perfectos , neque propter eorum remiſſiones , aut laxiorem vitam , vobis ipſis complaceatis , aut tamquam perfectioribus applaudatis ; ſed in timore & tremore multo veſtram ſalutem operemini , aliis miſellis compatientes . Hæc facientes paratam habebitis rotam in veſtrum adjutorium & præſidium .* Finito divino colloquio , ardenti & ignita facie e templo aſcendit Franciſcus, exclamans : *O ſancta humilitas! O ſancta humilitas ! quanta tua eſt virtus & potentia !*

XXVII. Revelationem hanc ab ipſo Franciſco Vicarius Generalis,qui orationem injunxit , accepit , & præcipuis Ordinis Patribus retexit , ut ſcirent qualiter ſe in hujuſmodi tribulationibus haberent , & quid ſubditis prudenter præſcriberent . Ipſe porro ad Pontificem abiit , ut caveret , ne quid

Capiſtran. apud Pontificem cauſam agit Obſervantum .

ei falſo ſuggereretur , aut ille prædeceſſoris conſtitutum labefactaret . Propitium invenit , & erga Obſervantiam ſtabiliendam propenſiſſimum , cujus commodo & feliciori augmento judicavit apprime idoneam ipſius Capiſtrani præfecturam . Repulit itaque adverſantium conatum circa univerſalem revocationem Bullæ Eugenianæ, nec quidquam in Italia obtinuerunt , licet in

Domus Obſervantum ſubjiciuntur in Caſtella Miniſtro .

partibus ultramontanis , favore quorumdam Principum, una vel altera provincia , præſertim Caſtellana , reſtitui ad priſtinum ſtatum , & Miniſtrorum obedientiam domus Obſervantum , nominatim civitatis Regiæ , paulo antea reformatam , impetrarint . Plurima arte & ſpecioſo prætextu germanioris obedientiæ rei ſeries expoſita eſt Pontifici , ut ex Bulla , quam ſubjungimus, aperte conſtabit , contra cujus narrationem Obſervantes tot objecerunt exceptiones , ut penitus fruſtranea fuerit & inanis .

Ad perpetuam rei memoriam .

Ex lib. 1. de Regul. fol. 291.

XXVIII. *SUper gregem Dominicum,noſtræ vigilantiæ divinitus creditum, intenti ſpeculatoris , prout nobis deſuper conceditur , exercentes officium , Chriſtifideles ſingulos , præſertim ſub jugo voluntariæ paupertatis regulari Obſervantiæ deditos , & providentiæ ſtudio gubernari cupimus , ut eis , quietis tranquillitatiſque concurrente præſidio, nihil ingeratur diſpendii , per quod humanæ ſenſualitatis comminato defluxu , a ſinceræ ipſorum retrahan-*

trahantur opinionis propoſito, ſed præſidentis ope refecti in extollendis divinæ majeſtatis officiis, fructus afferant jugiter ampliores. Sane dilecti filii Joannis de ſancta Anna Miniſtri Ordinis Fratrum Minorum provinciæ Caſtellæ, ſecundum morem dicti Ordinis, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod licet retroactis temporibus, etiam a principio & fundatione ejuſdem Ordinis citra, omnes & ſinguli in prædicta provincia conſiſtentium domorum & conventuum, & tam de Obſervantia nuncupati, quam etiam Conventuales Fratres, eorumque Cuſtodes, Guardiani, & alii domorum & Conventuum eorumdem Principales, ſub obedientia Miniſtri provinciæ prædictæ pro tempore exiſtentis fore conſueverunt, eſſeque debeant de præſenti: quia tamen fel. rec. Eugenius Papæ IV. prædeceſſor noſter ſiniſtra, ut veriſimiliter creditur, informatione circumventus, per ſuas certi tenoris litteras ſub plumbo, excommunicationis latæ ſententiæ pœna, quam contrafacientes ipſo facto incurrerent, ne aliqui Fratres Ordinis prædicti de Obſervantia hujuſmodi, Miniſtro prædictæ provinciæ pro tempore exiſtenti ex tunc in antea parere, ſed dumtaxat Vicariis Fratrum de ipſa Obſervantia obedire deberent, & etiam tenerentur, motu proprio decrevit & ordinavit, prout in ipſis litteris plenius continetur; nonnulli Conventus & Fratres prædicti Ordinis de Obſervantia ſimulate & contra eorum mentem & libertatem, ut ſententias, cenſuras & pœnas in litteris prædictis contentas incurrere evitarent, ex tunc Vicariis de Obſervantia hujuſmodi, non ſine ſuarum ſcrupulo conſcientiarum, obedierunt, prout etiam obediunt de præſenti. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, ſtatuta, ordinationes, & laudabiles conſuetudines Ordinis prælibati, laudabiliter & mature facta, ſecundum quæ Fratres, Cuſtodes, Guardiani & alii ſupradicti prædicto Miniſtro parere & obedire tenebantur, ab eorum editionis tempore laudabiliter obſervata fuerint, quodque veriſimiliter præſumendum non ſit, dictum prædeceſſorem per prædictas litteras, quamquam illæ motu proprio, ut præmittitur, emanaſſe noſcantur, non niſi ſiniſtra cauſante informatione, ſtatuta, conſuetudines & alia ſupradicta, ita & taliter ſine alia rationabili cauſa ſubſiſtente, quoad hoc tolli voluiſſe; pro parte dicti Miniſtri & nonnullorum Fratrum de Obſervantia hujuſmodi, ad ipſius Miniſtri, ut aſſerit, ſi id cum ſana conſcientia efficere valerent, obedientiam, una cum multis aliis ejuſdem Ordinis Fratribus ſe transferre volentibus, illorumque precibus ſuper hoc plurimum excitati, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſuper his opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui dictum Ordinem ejuſque profeſſores, ut ſub regulari habitu, ſine quovis animi ſeu conſcientiæ ſcrupulo, in humilitatis ſpiritu Altiſſimo jugiter famulenter, prout ex debito nobis injuncti Paſtoralis tenemur officii, noſtri partes miniſterii, quantum nobis ex alto permittitur, libenter adhibemus, cupientes ſuper his ſalubriter providere, ex nunc in antea perpetuis futuris temporibus obſervandum ſtatuimus & ordinamus, quod prædictus, & qui pro tempore fuerit, Miniſter dictæ provinciæ, omnia & ſingula Fratres, Conventus, domus, Eremitoria, aliaque religioſa loca dicti Ordinis, & ad illum legitime ſpectantia, ad ipſius obedientiam redire, ac ſub ea manere volentia, admittere & recipere; necnon ſi aliqua domus Ordinis & provinciæ prædictorum cum ejuſdem Miniſtri, ſeu ejus Vicarii & Cuſtodis conſenſu reformata, & conſequenter alicui ipſorum Fratrum de Obſervantia hujuſmodi data, ſive recommiſſa fuerit, utpote de domo Civitatis Regalis dicti Ordinis factum fuiſſe dignoſcitur, necnon & alia ejuſdem Ordinis loca, ſi eis forſan tradita fuerint, Miniſtro provinciæ hujuſmodi ſub excommunicationis pœna, quam contrafacientes ipſo facto incurrant, & a qua, præterquam in mortis articulo

conſtituti, niſi per Romanum Pontificem ſuper hac abſolutionis beneficium nequeant obtinere, per eos, qui domum de Civitate Regali, ac alia loca prædicta inhabitant, infra octo dierum ſpatium, poſtquam pro parte dicti Miniſtri requiſiti fuerint, omnino reſtituenda fore decernimus: diſtrictius inhibentes Fratribus de Obſervantia hujuſmodi, ne de cetero aliquam domum dictæ provinciæ capere ſive recipere quoquo modo præſumant; alioquin tam ipſi quam eorum in ea parte complices ac ſequaces & fautores, ac eis ſuper hoc præbentes auxilium, conſilium vel favorem, appellationibus quibuslibet poſtpoſitis, pœnæ ſubjaceant antedictæ: adjicientes ut omnes & ſinguli tam prædicti, quam alii Fratres dicti Ordinis, ad prædicti & pro tempore exiſtentis Miniſtri dictæ provinciæ obedientiam, a qua nullatenus retrocedere valeant, venire, ac in illa, etiam vita regulari, ſicut expedit, decenter obſervata, & illa propterea in aliquo nullatenus immutata, perpetuo remanere libere & licite valeant: quodque etiam præſenti noſtræ conceſſioni hujuſmodi per quamcumque aliam noſtram, vel ſucceſſorum noſtrorum conceſſionem, niſi de hac præſenti, ac omnium & ſingulorum in ea expreſſorum & contentorum tenoribus de verbo ad verbum ſpecialis, ſpecifica & expreſſa mentio facta fuerit, nullatenus derogari poſſe ſeu deberi, auctoritate Apoſtolica, de ſpeciali gratia concedimus atque decernimus per præſentes. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon omnibus illis, quæ idem prædeceſſor in prædictis litteris non obſtare voluit, dictique Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacumque firmitate alia roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo &c. noſtri ſtatuti, ordinationis, conſtitutionis, inhibitionis, adjectionis, conceſſionis & decreti infringere. Si quis &c. Datum Fabriani, Camerinen. diœc. anno &c. MCCCCXLIX. XIII. *Kal. Novembris, anno* III.

XXIX. Miniſter Generalis Antonius de Ruſconibus poſt Comitia generalia aliquanto hæſit tempore Florentiæ: ubi, cum aliquot ſimultates inter ipſum & Magiſtrum Franciſcum de Saona, poſtea ad ſummum Pontificatum evectum, Conventus ſanctæ Crucis Regentem, interceſſiſſent, eoque proceſſiſſent, ut in urbe Pratenſi exarſerint, & Saonenſis, ut declinaret imperantis poteſtatem, fugerit in domum conſanguineorum Magiſtri Guelphi de Alexandris ſibi amiciſſimi, incidit Antonius in febrim, ex qua tamdem deceſſit in feſto ſancti Laurentii, poſtquam Ordinem rexit annos ſex, non vero novem, uti ſcribit Rodulphus: ſepultus eſt ad gradus Altaris majoris ſub lapide marmoreo, hoc inciſo epitaphio.

Moritur Antonius de Ruſconibus Miniſter Generalis.

Rodulph. fol. 191.

> *Qui contempto Ruſconæ domus ſplendore, & quidquid humana gloria afferre poteſt, ad paupertatem in Ordine Minorum colendam ſe contulit, & ob ejus probitatem prudentiamque anno* XXXV. *Generalis optatus eſt Antonius, ſacræ Theologiæ doctiſſimus, Florentiæ celebrata frequenti ac generali Synodo, paulo poſt* IV. *Idus Auguſti Prati ad ſuperos evolavit anno* MCCCCXLIX.

Vir fuit, ultra nobilis generis decorem, multis titulis illuſtris, in Theologia doctiſſimus Magiſter, in declamando & concionando diſertiſſimus Orator, in litteris humanioribus, & Oratoribus operibus verſatiſſimus. Multa ex his, præſertim Lactantii Firmiani, notis & commentariis illuſtravit.

Subſtituitur Vicar. Angelus Petulinus.

XXX. Pontifex intellecta Antonii morte, Vicarium ſubſtituit Angelum Serpetrum Peruſinum, Ordinis procuratorem Generalem, qui vicaria poteſtate Ordinem gubernaret uſque ad proxima Comitia generalia. Inſtitutionis profero inſtrumentum.

Dile-

Dilecto filio Angelo de Peruſio Ordinis Fratrum Minorum, & Theologiæ profeſſori, ejuſdemque Ordinis Vicario Generali &c.

XXXI. *Religionis zelus, litterarum ſcientia &c. ſpem nobis indubiam pollicentur, quod ea, quæ tibi duxerimus committenda, cum ſumma dilegentia & prudentia fideliter exequeris. Cum itaque, ſicut accepimus, Generalatus officium Ordinis Fratrum Minorum, cui quondam Antonius Miniſter Generalis ejuſdem Ordinis, dum viveret, præſidebat, per ipſius Antonii obitum ſit Miniſtri Generalis regimine deſtitutum, Nos animadvertentes uberes fructus, quos idem Ordo in agro militantis Eccleſiæ, in propagationem religionis & fidei Catholicæ produxit hactenus & producit aſſidue, ac ad ea libenter paternis & ſalutaribus ſtudiis intendentes, quæ ipſius Ordinis, & ejus profeſſorum pacem, ſtatumque tranquillum, ac ſuarum concernunt ſalutem animarum, & propterea de perſona utili & idonea, quæ hanc intentionem noſtram exequi valeat, providere volentes; te, quem etiam doctrina & rerum experientia illuſtratum eſſe cognovimus, Vicarium Generalem prædicti Ordinis uſque ad Generale Capitulum ejuſdem Ordinis celebrandum inclusive, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium facimus, conſtituimus, & etiam deputamus: tibi dictum Ordinem, ac omnes & ſingulas perſonas & loca tam virorum quam mulierum ipſius Ordinis ubilibet conſiſtentia, juxta morem & ſtatuta ejuſdem Ordinis regendi & gubernandi &c. omniaque alia & ſingula faciendi &c. quæ pro obſervatione conſtitutionum ipſius Ordinis noveris expedire, & quæ Miniſtri Generales ejuſdem Ordinis, qui pro tempore fuerunt, de jure vel conſuetudine facere potuerunt, ſeu etiam debuerunt. Contradictores &c. mandantes omnibus & ſingulis Miniſtris, Cuſtodibus &c. ejuſdem Ordinis, ac Ordinis ſanctæ Claræ & ſancti Damiani, ac Minoriſſarum Sororibus, ut tibi pareant &c. Non obſtantibus conſtitutionibus Apoſtolicis &c. Tu igitur officium Vicariatus hujuſmodi prompta devotione ſuſcipiens, ac omni ambitione poſtpoſita, prout de te plenam in Domino fiduciam obtinemus, Deum præ oculis habens, ſic illud ſtudeas diligenter, & laudabiliter exercere, quod fructus exinde ſperati proveniant, tuque apud nos & Sedem Apoſtolicam valeas non immerito commendari. Datum Fabriani, Camerinen. dioc. anno &c.* MCCCCXLIX. VII. *Kal. Septembris, anno* III.

Ex lib. 5. bullar. fol. 160.

XXXII. Hoc anno ex humanis abiit Paula, Mantuana Princeps, Joannis Franciſci Gonzagæ, Mantuæ primi Marchionis conjux, fœmina lectiſſima, Malateſtæ, non Ateſtino, ut habent Rodulphus & Marianus, genere prognata. Hujus amorem erga Inſtitutum Franciſcanum variis argumentis, fundatis refectiſque Monaſteriis, jam demonſtravimus. Ea fuit pietate, vivente maritò, ut ter in hebdomada hoſpitalia inviſeret, infirmis ſerviret, ulcera curaret, pedes lavaret, peregrinos ſuſciperet; in ſupplicationibus publicis, maxime dum ſolemniter circumferretur ſanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum, nudis pedibus incederet; Religioſis ſua Inſtituta perfecte obſervantibus ſummopere faveret. Defuncto conjuge anno MCCCCXLIV. ſtatim compoſitis rebus, ad Monaſterium Corporis Chriſti, Ordinis ſanctæ Claræ, quod ipſa, uti diximus, ſub religioſiſſimo vitæ genere fundavit, ſe tranſtulit, ibique ſub habitu ſanctæ Claræ vitam vixit ſanctiſſimam. Nulla humilior, nulla ad ſerviendum promptior, nulla ad orandum conſtantior, nulla carnem ſeveriori macerabat pœnitentia. Paucis annis veteranas ſuperavit, & longum aliarum curſum brevi, ſed ardentiori conatu ſuperavit.

Moritur Paula Mantuana Princeps. Rodulph. fol. 147. Marian. c. 11. Doneſmon hiſtor. Mantuan. lib. 5. Marc. 3. p. l. 1. c. 40. Gonzag. in lib. conſtit. ſynodal. pag. 205.

Tomo 10. anno 1410. n. 26.

Admirabantur Sorores tantum vitæ rigorem in tenello corpore, deliciis & placidis viri affectibus aſſueto, eoque perveniſſe virtutis, ut quæ domi erant, & quæ ab exteris adveniebant, malorum remedium ab illius precibus reportarent. Moriens juſſit ut non aliter, quam in habitu ſanctæ Claræ ſepeliretur, abſque ambitioſa tumuli & inſcriptionis vanitate ad ſacrarii oſtium, ut tranſeuntium pedibus calcaretur, & Sacerdotum ad ſacra prodeuntium memoriæ commendaretur. Appoſitus eſt lapis rubei marmoris, & in ſacrario ejus imago conſpicitur, radiis & titulo *Beatæ* inſignita.

Calamitates Italiæ. *Platina & Ciaccon. in Nicol. V.*

XXXIII. Miſere lacerabatur hoc tempore Italia bellis inteſtinis, quibus extinguendis fruſtra omnem poſuit operam Nicolaus Pontifex, & peſtifera lue, qua per integrum biennium ubique fere ſæviente, ex multis pauci ſuperfuerunt. Frequentes etiam terræmotus & Solis eclipſis alia mala portentare videbantur. Divini verbi prædicatores, ut populum ad pœnitentiam excitarent, futuras minabantur calamitates, maxime vero Robertus de Licio, de quo paulo antea dixeramus, qui ſuis concionibus adeo populum Romanum movit, ut pueri paſſim fœminæque per urbem incederent, miſericordiam a Deo deprecantes. Res mira quanta fuerit hujus Viri in dicendo energia, quanti fieret per univerſam Italiam ejus doctrina, quantiſque eum viri docti cohoneſtaverint elogiis! Aliqua ſubjungam. Jacobus Philippus Bergomenſis, in doctrinis ſacris aſſerit doctiſſimum, notitia omnium eccleſiaſticorum dogmatum ſufficienter inſtructum, omnium prædicatorum, qui tunc erant, aut unquam fuerunt, magiſtrum & doctorem, illis temporibus ob clariſſimam & admirandam prædicationis gratiam ab omnibus Italis multo in pretio habitum. Raphael Volaterranus, poſtquam Bernardinum Senenſem, Joannem Capiſtranum, Jacobum Picenum, alioſque præclaros Ordinis concionatores laudaverat, in dicendo & declamando Robertum omnibus prætulit: *Nam*, ut ait, *adoleſcens admodum concionari cœperat tanta eloquentiæ morumque admiratione, ut omnes in eadem arte & pronunciationem & geſtus ejus imitari conarentur, proœmiandi, exclamandi, commiſerendi, digrediendi, epilogandi. Novus quaſi orator divini verbi modum ſeculo monſtravit. Trecentos perſuadendo ad hunc Ordinem deduxit* &c. Trithemius poſt multa encomia vocat, *declamatorem ſermonum celeberrimum, & univerſo Chriſtiano in orbe famoſum, qui verbo & exemplo multos ab iniquitate convertit.*

Pœnitentiæ avertendas docet Robertus a Licio.

Qualis concionator. *Bergom. lib. 15. ſuppleм. an. 1471*

Volater. lib. 22. Antropol.

Trithem. de ſcriptorib.

XXXIV. His adjungo ex ipſo facto comprobationem, exſcripta narratione ex Baptiſta Fulgoſo: *Robertus*, inquit, *Licienſis, qui Minorum Ordinem profitebatur, & qui ſine controverſia inter ſacrarum rerum concionatores ætate ſua principatum obtinebat, in patria ſua aperte oſtendit, quantas in dicendo pronunciatio vires haberet; rogatus enim a concive, ut ejus filio Sacerdoti quoſdam ſermones ex iis, quos eo anno ornatiores habuerat, dare vellet, cum ei morem geſſiſſet, poſteaquam pater filium eos retitantem audivit, arbitratus neque efficaces ad rem, neque ornatos eſſe, cum Roberto graviter queſtus eſt, ſe ab eo eluſum, quod non eos ſermones, quos ipſe antea ingenti laude ſua, ſingularique audientium attentione pronunciaverat, ſed alios deteriores dediſſet. Cui Robertus aliter ſatisfacere numquam potuit, niſi poſteaquam ipſe denuo eoſdem pronunciavit; egit enim ut amicus experimento intelligeret, ſermones ipſos eoſdem & in filio & in ſe ſemper fuiſſe: ſed veluti in muſicis idem carmen in diverſo inſtrumento magiſtroque, ſic eumdem ſermonem ab alio pronunciatum, varium etiam atque diverſum videri. Licienſis igitur ille, quod ex filio auditum vehementer damnarat, a Roberto cum denuo accepiſſet, mira delectatione affectus eſt.* Petrus Rodulphus:

Fulgoſ. de dictis factiſque memorab. lib. 18. cap. 10.

Pronunciatio quanti vim habeat in declamando.

Rodulph. fol. 332

Fuit

Fuit in concionando ita egregius, tantaque eloquentia & morum gravitate præditus, ut omnes eum imitari conarentur. Marcus Cynicus oratorem vocat vehementiſſimum, & ſine controverſia Theologorum principem. Alphonſus Dux Calabriæ, Ferdinandi Regis Siculi & Aragonii filius, cui Robertus erat a ſacris confeſſionibus & concionibus, appellabat concionatorum coronam, & Minorum tubam nobiliſſimam. Marianus Florentinus teſtatur, eum paſſim nuncupatum alterum Paulum Apoſtolum. *Cynic. in epiſt. dedicat. ad Beatricem Reginam.* *Marian. cap. 22.*

XXXV. Vir ſane fuit in hoc dicendi genere inſignis, per univerſam Italiam celeberrimus, & dum facta verbis reſpondebant, per omnes provincias valde proficuus, cumulatiſſimum reportans lucrum animarum. Sed dum ex populi reverentia & nobilium affectu ſe abundantius paſci, ad convivia vocari permiſit, & corpori blandiuſcule ſenſim indulſit, nec curavit, juxta Apoſtoli exemplum, corpus potius caſtigare & in ſervitutem redigere; cum aliis bene prædicaret, ipſe ad illicita defluxit. *Quod ſi Paulus hoc timuit, cum talis eſſet præceptor, & poſt prædicationem, & orbis terrarum ſuſceptum patrocinium formidavit, quidnam nos dicemus?* O quam neceſſaria prædicatoribus iſta ſolertiſſima in corpus animadverſio! quam eo majorem adhibere oportet, quo gravius inſtat periculum ex populi favoribus, & filiorum, quos gignunt, benevolentia. *Muros Hieruſalem coquorum princeps Nabuzardan deſtruit, quia virtutes animæ, dum non reſtringitur venter, perdit. Hinc eſt, quod Paulus contra Hieruſalem mœnia decertanti, vires coquorum principi, id eſt, ventri, ſubtrahebat, cum diceret: caſtigo corpus meum & ſervituti ſubjicio.* Lenocinante conſcientia, & blandiente voluptate, paulatim ad laxiora per minuta virtutis decrementa pervenit, non ſentiens particulatim ſerpentem perniciem, neque attendens quod *qui ſpernit modica, paulatim decidet.* Parum ei viſum eſt, Heroum beneficentiam admittere, ad prandium a benevolis vocari, auditorum donariola recipere: modicum videbatur, rigorem ſeverioris Inſtituti remittere, ad mitiores Rectores tranſire, ſub quibus licebat matronas ſpecie pietatis excipere, & liberius cum illis confabulationes protrahere. Parva hæc & modica judicavit, quæ alias abſque conſcientiæ gravi offenſione liceat perpetrare. Modica ſane ſunt, ſi in ſe conſiderentur, ſed multa ſunt; minora ſunt, ſed plura; minuta, ſed frequentia. *Altos gurgites fluminum parvæ, ſed innumeræ replent guttæ pluviarum. Et hoc agit ſentina latenter excreſcens, quod patenter procella ſæviens. Et minuta ſunt, quæ erumpunt in membris per ſcabiem vulnera, ſed cum multitudo eorum innumerabiliter occupat, ſic vitam corporis, ſicut unum grave inflictum pectori vulnus necat. Qui peccata minima devitare negligit, a ſtatu juſtitiæ, non quidem repente, ſed partibus totus cadit.* Ita Robertus paulatim per iſta modica a virtutis fervore tepeſcens, & minuta mala contemnens, tamdem ad eum ſtatum pervenit, quem alii palam enunciant. Sæpe recurret ejus memoria; per varia enim Principum obſequia, & prædicationis excellentiam tres obtinuit infulas Pontificias. Paulatim a virtute & fervore prædicandi decidit. *1. Cor. 9. 27. Chryſoſt. in hunc locum.* Prædicatores ut ſibi ipſis cavere debent. *Gregor. lib. 30. Mor. cap. 26. Eccl. 19. 1.* *Greg. 3. par. Paſtoral. admon. 34* *Volater. citat. & alii.*

XXXVI. Paucos invenio hujus anni Epiſcopos exMinoritis aſſumptos. Frater Alphonſus Pernas translatus eſt ab Epiſcopatu Almarien. in regno Granatæ tunc titulare, * ad Marochitanum in Africa VII. Idus Aprilis. Frater Jacobus Aurilia inſtitutus eſt Epiſcopus Caven. in regno Neapolitano, per ceſſionem Aſtorgii, tituli Sancti Euſebii Presbyteri Cardinalis, IV. Kal. Julii. Tyberiaden. in Galilæa, ſub Patriarcha Hieroſolymitano, frater Arnaldus de Queren. III. Nonas Julii. Archen. in regione Melitenæ Armeniæ minoris, frater Thomas, eodem die. Elſinen. in Hibernia, ſub Frat. Alphonſus Epiſcop. Marochitan. * *Vide an. 1447. n. 65.* Frat. Jacob. Caven. Fr. Arnald. Tyberiaden. Fr. Thomas Archen.

Fr. Cornel. Elfinen. * Alias *Oriculis*.

ſub Archiep. Tuamen. frater Cornelius Ocunlis, * translatus ab Eccleſia Imelacen. per translationem Guillelmi ab Elfinen. ad Imelacen. XIII. Kal. Novembris.

Conven. Montis Brandoni. *Gonza. in Prov. March. Conv. 5.*

XXXVII. Multiplicata ſunt valde hoc anno domicilia Obſervantum, maxime in Italia. Incolæ Caſtri Montis Prandoni Præſidentatus Farfenſis, diœceſis Aſculanæ, in gratiam ſui conterranei beati Jacobi, a Marchia nuncupati, impetrarunt a Nicolao Pontifice facultatem ædificandi Obſervantibus habitaculum: *Piis fidelium*. XI. Kal. Septembris. Et anno ſequenti multas eidem loco conceſſit Indulgentias, fideles hortatus, ut ſtructuram promoveant. Extructa eſt porro domus in jugulo delicioſi collis, ad primum a pago lapidem, ſub invocatione ſanctæ Mariæ Gratiarum. Locus eſt amœnus, contemplationi aptiſſimus, ampliſ hortis, pulchro conſitoque querceto inſtructus. In præcipuo Altari devote colitur imago beatæ Virginis Mariæ, miraculis glorioſa, quam ex Urbe religioſiſſime eo detulit prædictus Jacobus. Altera illic cum veneratione aſſervatur ejuſdem divæ Virginis & Chriſti Crucifixi effigies, quas ſecum idem Vir Dei ſolebat circumferre, quarumque intuitu Deus multa præſtat fidelibus beneficia. Ibi conſpiciuntur aliquæ ejus exuviæ, pauperculæ veſtes, libri, ſchedæ, diplomata Pontificia ad ipſum directa, ex quibus nos potiora exſcripſimus, & per hos noſtros Annales ſuis quæque locis diſtribuimus.

Conv. Carpi. *Tome 10. anno 1431. n. 20. Gonza. in Prov. Bononien. Conv. 12.*

XXXVIII. In Lombardia ciſpadana, non longe ab Apennini montis radice, ex altera fluminis Seciæ ripa, nobile eſt oppidum Carporum, Principatus olim illuſtriſſimæ & vetuſtæ gentis Piæ, de qua alias locuti ſumus. Albertus & Galaſſius de Piis, Domicelli dicti oppidi, fratres germani, hoc anno impetrarunt facultatem a Nicolao Pontifice ædificandi Cœnobium Fratribus Obſervantiæ prope Eccleſiam ſancti Nicolai, ad menſam Plebis ejuſdem oppidi ſpectantem, non procul inde ſitam: *Cognita devotionis*. III. Idus Octobris. Auguſte ſatis & pulchre ædificarunt: nunc oppidi muris circumſcribitur, oppido ob adventantium accolarum frequentiam aucto & dilatato, vallo & aggeribus munito. Eccleſiam conſecravit anno Domini MDXXII. Theodorus Pius Minorita Epiſcopus Monopolitanus. In ea jacent Vaſchera & Alexandrinus Epiſcopi Franciſcani, & beatus Stephanus Gallus Minorita, vir ſanctiſſimus, anno MCCCCLXXXIV. defunctus. Sumptuoſo ſepulcro non longe a Templi porta conditi ſunt Leonellus Pius Carpenſis Comes, hujus nominis primus, pater prænominatorum Alberti & Gallaſii fundatorum, & Leonellus II. genitor Rodulphi Pii Cardinalis Carpenſis, Ordinis Protectoris. Porro Albertus non ſolum Ordinem Minorum ſibi multis titulis devinxit, quod ſuis impenſis in prædicto Cœnobio Comitia generalia celebrari curaverit, quod commentarios doctiſſimorum Patrum Gratiani Brixienſis, & Pauli Suevi in Joannem Scotum, numerata pecunia prælo commiſerit, aliaque multa præſtiterit; verum etiam de univerſa Eccleſia bene meritum oſtendunt ejus graviſſima opera, præſertim ingenioſa Apologia adverſus Eraſmum Roterodamum. Obiit Pariſiis, ſepultuſque eſt in magno Minorum Cœnobio, cui æneum mauſoleum in chori medio erectum eſt.

Fr. Theodorus Epiſc. Monopolitan.

Tom. 7. an. 1338. n. 21. & ſeqq. Conv. S. Crucis Neapolit.

XXXIX. Alias diximus, Monaſterium ſanctæ Crucis Neapolitanum a Sancia Regina conſtructum, a Clariſſis propter bellorum pericula derelictum, converſum in uſum Fratrum Minorum. Hoc anno factum confirmavit Nicolaus V. qui reſtauratum affirmat a fratre Antonio Saſſono de Neapoli, regularis Obſervantiæ egregio concionatore, conſentientibus, primo Regina Eliſabetha, Renati Andegavenſis uxore, provinciæ Terræ la-

laboris Miniſtro, & Clariſſis Monaſterii Corporis Chriſti, ad quod Sorores ſanctæ Crucis incolæ tranſierunt; ſecundo Alphonſo Aragonio Rege, qui illud Cœnobium ſuo Regio ſacello applicavit: *Paſtoralis officii debitum*, v. Idus Februarii.

Conv. Trojæ. *Gonza. in Prov. S. Angeli Conv. 14.*

XL. In Apulia Daunia, civitas opulentiſſima fœcundo agro juxta latus Apennini, Troja, Comitatus titulo inſignis conſurgit, extra cujus muros erat Eccleſia beatæ Mariæ de Gratia. Prope hanc ædificare Cœnobium Obſervantum conſtituerunt Garcias de Gabaniellis Comes & civium communitas, accedente Epiſcopi conſenſu. Facultatem dedit hoc anno Nicolaus: *Cognita devotionis conſtantia*. IV. Kal. Novembris. Accommode conſtructum cura fratris Joannis de Monte Alcino, Vicario provinciæ ſancti Angeli, cui munus hoc injunxit Capiſtranus, ſcriptis hoc anno ex Fabriano litteris, IV. Novembris, & ſancto Bernardino ſacrum, deſtruxit Lautrechus Gallici exercitus contra Carolum V. Imperator. Reædificavit Senatus Populuſque Trojanus.

Conv. Ruben. *Idem in Provin. S. Nicol.*

XLI. Extra, ſed prope civitatem Rubenſem in Apulia, antiquus erat Minorum Conventus ſub titulo ſancti Angeli, incerto tempore & auctore extructus. Vetuſtate & bellorum injuriis deſtructum Gabriel Urſinus de Baucio, Venuſinorum Dux, hoc anno impetrata a Pontifice facultate, pro Obſervantibus reſtaurare aggreſſus eſt: *Piis fidelium*. VIII. Idus Julii. Commodum eſt habitaculum duodecim Religioſorum.

Conv. Senalongæ. *Idem in Provin. Tuſciæ Conv. 25.*

XLII. Prope Senalongam, non ignobile Etruriæ oppidum, vir devotus Marianus Senenſis, utriuſque Juris doctor, ad preces beati Joannis Capiſtrani, illac ex Capitulo Generali Romam tranſeuntis, Cœnobium pro duodecim Fratribus Obſervantiæ hoc anno conſtruxit, dedicavitque ſanctæ Mariæ de Monte-Balbino. Sed inter Sanctos relato beato Bernardino, & crebreſcente in territorio Senenſi & per Etruriam ejus devotione, ab ejus nomine cœpit appellari. Hic ſepultus eſt beatus Marcus Pecorarius, admirabili pietate, humilitate & caritate præditus.

B. Marcus Pecorarius.

Con. Levanti. *Idem in prov. Genuen. con. 6.*

XLIII. Levantini oppidi in ditione Genuenſi incolæ, circa hunc annum Conventum Obſervantum, ſub titulo Annunciationis Deiparæ Virginis Mariæ, ex publicis proventibus extruere cœperunt. Poſt aliquot annos nondum abſolutum acceptavit Baptiſta Talliacarne Vicarius Generalis, eique præfecit Michaelem Hiſpanum, Theologum inſignem, qui ad ſummum perduxit undecim Fratrum habitaculum.

Con. Tragoni. *Gonzag. in prov. Terræ lab. Conv. 10.*

XLIV. Univerſitati & populo Caſtri Tragoni, diœceſ. Cajacienſis in Campania, Pontifex facultatem conceſſit ædificandi Minoribus domicilium juxta Eccleſiam beatæ Mariæ Annunciatæ, data etiam alia Eccleſia adnexa beatæ Mariæ, intra Caſtri muros conſtituta; quarum juſpatronatus ad ipſam ſpectabat univerſitatem. Rei tamen examen commiſit Archiepiſcopo Roſſano, tunc in diœceſi Cajacien. reſidenti, & Epiſcopo Aliſano non longe diſtanti: *Piis fidelium votis. VIII. Idus Junii*. Hoc idem caſtrum eſſe quod vulgo vocant *Mons Draconis*, coniicio ex ſitu & diœceſi, & Eccleſiæ nomine, licet Cœnobii conſtructionem adſcribat Gonzaga poſt annos triginta, Principi Stuenorum, vulgo *de Stilliano*, Antonio Caraffæ prædicti caſtri Duci, impetrata ab univerſitate ſanctæ Mariæ Eccleſia, ad quam, uti dictum eſt, jure patronatus ſpectabat. Probabile eſt, propter aliquod obſtaculum, ad illud uſque tempus, ad annum ſcilicet MCCCCLXXX. dilatam fuiſſe ſtructuram. Locus eſt amœnus, octo Fratrum regul. Obſerv. incolatui peropportunus. Res mira hic accidit in comprobationem reverentiæ debitæ ſacris cœmeteriis, & Eccleſiaſticæ ſepulturæ. Occidit quidam illius caſtri in

Sacris cœmeteriis non interendi excommunicati.

in duello, cui Fratres, quod eo in ſtatu abſque confeſſione, aut contritionis indiciis obierit, intra ſuam Eccleſiam denegarunt ſepulturam. Egerunt tamen conſanguinei ſecreto cum uno aut altero ex Fratribus, ut clam noctu in templo humaretur. Turbata deinceps domo inſolito tumultu & horrendo ſtrepitu, maxime tempore nocturno, ita ut Religioſi non niſi bini, aut terni auderent incedere, Bernardinus Epiſcopus Capranienſis, qui forte illuc advenerat, Religioſorum miſertus, Pontificalia ſolemniter operatus, dormitorium & reliquam domum exorciſmis & aqua luſtrali ſacravit, & prædicti viri oſſa extra Eccleſiam in locum profanum abjecit; ſtatimque tantus fragor & ſtrepitus omnino ceſſavit.

Conv. Palatioli. XLV. Prior & Monachi Carthuſiani Cœnobii ſanctæ Crucis in Hieruſalem in agro Seſſoriano (quod nunc inhabitant Monachi Ciſtercienſes, & laudabiliter in diſciplina regulari & ſtructura, inſtituto adoleſcentum ſui Ordinis honorifico Collegio, reſtauravit vir doctus & prudens, D. Hilarion Rancatus, præclariſſimis in Urbe & in ſua religione functus officiis, noſter ſpectabilis amicus) conceſſerant Fratribus Obſervantiæ cœnobiolum devotum ſanctæ Mariæ de Palatiolo diœceſ. Tuſculanæ, II. M. P. ab urbe Albanenſi ſupra profundum, ſed viſu delectabilem, lacum Caſtri Gandulphi conſtructum. Conceſſionem & pacta quædam, præſertim de recipiendis infirmis, ſeu convaleſcentibus Carthuſianis, confirmavit hoc anno Nicolaus, non Martinus V. ut perperam ſcribit Gonzaga. *Sacra Ordinis veſtri*. V. Kal. Maii. Amœnum eſt & ſolitarium, duodecim vel plurium Fratrum habitaculum, eoque aliquando recreandi animi, & Curiæ turbas declinandi gratia ſeceſſi. Principes aliquot Columnenſis familiæ, Inſtituto & domui addictiſſimi, illic voluerunt ſepeliri, & Hieronymus Cardinalis Columnenſis, nunc Archiepiſcopus Bononien. cujus erga me benevolentiæ & beneficentiæ plurimum debeo, ædificavit ſibi contiguum palatium, patefacto ad Fratres aditu, quorum religioſa converſatione libenter fruebatur. „ Cum „ autem hoc cœnobium nimia vetuſtate ſemirutum minus commodam ſe„ dem inquilinis præberet; P. F. Joſeph Maria Fonſeca Eborenſis ad illud „ non modo reparandum, ſed etiam ingenti ſumptu amplificandum adjecit „ animum. Itaque interiorem Conventus aream, quod Clauſtrum appel„ lant, porticu marmoreis pilis, & fornicibus circum undique inſtructo „ ornandum curavit. Refecti a fundamentis parietes; Fratrum nova cubi„ cula ædificata, cum diverſoriis ad recipiendos advenas: ad quæ aditus „ commodior ut eſſet, novus pariter ordo Scalarum extructus eſt. Dor„ mitoria concamerata, & in quadrum deducta: quod ut fieret, confrago„ ſum montem, qui ex latere orientali imminet, a vertice ad planitiem „ uſque domus incidi neceſſe fuit. Recentes & meliores officinæ: oppor„ tunior, atque amplior locus bibliothecæ datus: Qua vero parte in ſubje„ ctum lacum deſpectus eſt, alia cubicula recens extructa, quæ Generalis „ Familiæ Præfectus, ejuſque adminiſtri inhabitarent, cum per autumni „ præſertim ferias in id cœnobium animi recreandi cauſa ſeſe recipiunt. „ Qua in pomarium itur, æquata ſoli ſuperficies, & in aream conformata: „ atque hinc in elegantem proſpectum binæ latiores deductæ ſemitæ, quas „ peramenæ arbores hinc inde tegunt: ipſum vero pomarium cingunt „ parietes pervalidi & craſſiſſimi, apteque ſequentes alios a Romanis anti„ quitus conditos, quorum ſubtus veſtigia detecta ſunt. Denique cœno„ bium non inſtauratum dixeris, ſed ab integro per partes ſingulas ædifica„ tum: idque tam provide & feliciter, ut eodem in loco anno MDCCXXXIII. „ qui hunc, quo ſcribimus, proxime antecedit, frequentiſſimo Patrum con-

Gonzag. in prov. Romam. Can. 16.

ADDITIO ALIORUM.

„ conventu Almæ obſervantis Romanæ Provinciæ comitia percommode „ celebrata ſint. Alia inſuper ad Templi reſtaurationem, & ornamentum „ magna providentia curat idem P. Joſephus, perficietque nimirum ju- „ vante Deo pro ſua in Ordinem Franciſcanum, cujus hoc tempore præfe- „ cturam gerit, eximia caritate, ſtudioque incredibili dignitatis ipſius am- „ plificandæ. „ Anno MDLXXVI. prope Conventum ad januæ dexteram antiquiſſimum cujuſdam Romani Conſulis ſepulcrum forte repertum eſt, in eoque theſaurus non aſpernandus. Eccleſia conſecrata eſt, incerto tamen Antiſtite.

Con. Montis-Rotundi. *Vide anno præced. num. 31.*

XLVI. Conceſſit denuo Pontifex hoc anno, uti & præcedenti, facultatem nobili viro Jacobo de Urſinis Domicello Romano, ac Univerſitati & populo Caſtri Montis Rotundi, Sabinenſis diœceſ. domum ædificandi pro Fratribus Minoribus provinciæ Romanæ prope Eccleſiam beatæ Mariæ extra muros prædicti Caſtri, alioque diplomate exhortatur fideles, ut piis largitionibus opus promoveant. Collatam domum hanc Patribus Conventualibus ſub Clemente VII. refert Petrus Rodulphus.

Rodulph. fol. 259.

Capiſtrano datur licentia 20. conventus admittendi.

XLVII. Cum ubique beatus Joannes Capiſtranus magno fœnore, animarum lucro, & ſui Ordinis incremento prædicaret, nec haberet ſufficientia domicilia adoleſcentibus, quos convertebat, recipiendis, Pontifex indulſit, ut viginti Cœnobia ædificare, vel ab aliis ædificanda admittere liceret: *Inter eccleſiaſticos Ordines*. Pridie Idus Octobris.

Con. Caſtri Odonit. *Tom. 10. vide an. 1433. n. 18. Gonzag. in prov S. Bonav. Con. 16 Foder. & Picquet. in hiſtor. ejuſd. prov & cuſtod. Arvernia.*

XLVIII. Sub hunc annum Conventum Caſtri-Odonis extruxiſſe Philippum a Vienna, Liſtenenſium Dominum, allectum precibus & religioſo exemplo Fratrum Montis-Lucii, Bituricen. diœceſ. ſub regulari Obſervantia viventium, ſcribit Gonzaga; ſed hujus Conventus & provinciæ ſancti Bonaventuræ, ad quam ſpectat, ſcriptores duo, Jacobus Fodereus, & Claudius Picquetus ejus conſtructionem, ſeu potius facultatem conſtruendi differunt uſque ad Pontificatum Pii II. imo & Fodereus adhuc amplius protrahit ad annum primum Pauli II. Quod conſtanter obiiciam, non habeo: profero tamen hujus anni, & Nicolai Pontificis diploma, quo Fratribus prædicti Cœnobii Montis-Lucii facultatem impertit, ut dictus nobilis vir Philippus, vel alii Chriſtifideles conſtruant eis domum regularem & oratorium in locis idoneis: *Pia Deo & Eccleſiæ deſideria*. XIV. Kal. Januarii. Forte ob aliquot impedimenta, quæ refert Fodereus, ad illud uſque tempus dilata eſt ſtructura, & conſtruendi facultas renovata per Pium & Paulum ſecundos. Ceterum ambitus loci eſt exiguus, etſi ſolida & elegans ſtructura. Et quamvis, graſſantibus undique in Gallia hæreticis, non modicam jacturam fecerit, ſuperſunt tamen integra ædificia. Ab illius conflagratione abſtinuerunt, vel fundatorum reverentia, vel pœnæ formidine. Verſus Foreſios ab eo patet exitus per acutiſſimos & præcelſos montes, qui eoſdem ab Arvernis dividunt. Ab occaſu vero, tranſactis quibuſdam viniferis collibus, viſitur ampliſſima illa & fœcundiſſima Alunoniæ regio, quam interſecat Elaver amnis. Hinc inde autem ſunt ſilvæ quædam abiegnæ, quæ e diverſo terram jejunam & infœcundam denotant. Et licet Fratres modica egeſtate vel inopia, ac nonnullarum rerum penuria ibidem aliquando afficiantur, non tamen tanta eſt, ut eam non poſſit religioſus ac generoſus animus ſufferre. Benefactrices habuit hoc Cœnobium Petronillam de Chaſſeron prædicti Philippi conjugem, & Joannam Prevoſtiam, Tertii Ordinis ſancti Franciſci virginem devotam: Aluminum fr. Bertrandum de Marillac, ſanguine, doctrina & prædicatione illuſtrem, demum Epiſcopum Redonen. in Britannia Aremorica.

Fr. Bertrand. Epiſcop. Redonen.

Tom. 4. an. 1257. num. 26. Conv. Metenſis.

XLIX. Dixi alias ex Gonzaga, duas fuiſſe in urbe Metenſi Minoritarum domos, neque tunc conſtitiſſe, quænam fuerit antiquior, ſub ſancti Franciſci ætatem conſtructa, quæve poſterior & penitus deſtructa. Hoc anno incidimus in diploma Vaticanum, quo Pontifex ſupprimit lites a Patribus Carmelitis & aliis excitatas contra ſtructuram *domus novæ ſancti Franciſci de Obſervantia*, ut loquitur Pontifex; contendebant enim non obſervatam menſuram cannarum, vel diſtantiæ proportionem a Pontificibus præſcriptam. Inſtantibus Magiſtro, Scabino, tredecim Juratis, & Rectoribus civitatis, ne ſtructura impediretur, & ſancte affirmantibus ſe per viros peritos menſos fuiſſe diſtantiam, & comperiſſe inter utramque domum Obſervantum & Carmelitarum cannas interceſſiſſe per directum centum & quindecim, & ducentas per viam communem, decrevit Pontifex ædificium compleri. Hæc itaque eſt illa domus, quæ poſtea, tranſeunte prima sanctorum Petri & Pauli appellata ad Obſervantes, deſtructa eſt vel in alios uſus converſa.

Conv. Inſulæ in Hibernia.

L. Nobili viro Finino, ſeu Florentio Odriſcol, Domicello Roſſenſi in Hibernia, Baltrinorii Domino, hoc anno Pontifex licentiam conceſſit cœnobium pro Fratribus Obſervantibus, per Vicarium Generalem ultramontanum regendis, conſtruendi ſub titulo sanctorum Joannis Baptiſtæ & Franciſci: *Cognita devotionis conſtantia.* XIV. Kal. Januarii. Conſtruxit porro illud, quod de Inſula, vulgo *Inifior Kain* appellant, in ipſo maritimi portus ingreſſu. Suppreſſum fuit per Anglos anno MDXXXVIII. in Dominica Palmarum. Integra tamen permanſit ſtructura, donec adventante claſſe Hiſpanica, & prope poſito præſidio, majori ex parte deſtructa eſt. Illic multa apparuiſſe divinæ vindictæ indicia in eos, qui irreverenter ſe geſſerunt erga hanc ædem, populi vicini commemorant. Eodem die, eodemque tenore verborum, facultatem etiam dedit Pontifex alteri viro nobili ejuſdem Hiberniæ regni, Donato Omahuna * Domicello, diœceſis Corcagenſis, ut in ſuo territorio pro eiſdem Obſervantibus in honorem beatæ Mariæ Virginis & ſancti Franciſci domum ædificaret. An fecerit, vel ubi, mihi incompertum.

Mon. MSS. Prov. Hiberniæ.

* *Al. Omarra.*

LI. Non parum etiam profecit hoc tempore Ordo ſanctæ Claræ, tum in Monaſteriorum numero, tum etiam, quod præcipuum eſt, in morum reformatione. Dominicus Cardinalis Firmanus, Ordinis Protector, nimiæ quorumdam Cœnobiorum, præſertim provinciæ ſancti Antonii, libertati & morum corruptelæ obſiſtere cupiens, auctoritate Apoſtolica, & ex ſui muneris ratione inſtituit viſitatorem & reformatorem omnium in Italia Clariſſarum fr. Franciſcum a Saxoferrato, regularis Obſervantiæ profeſſorem, data ei ampliſſima poteſtate, ſequenti diplomate contenta.

Franc. a Saxoferrato inſtituitur Clariſſarum reformator.

Dominicus miſeratione divina tituli ſanctæ Crucis in Hieruſalem ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyter Cardinalis Firmanus communiter nuncupatus, ac etiam ſacri Ordinis Minorum Protector indignus, Venerabili & religioſo viro Fratri Franciſco de Saxo-ferrato ejuſdem Ordinis de Obſervantia ſalutem, & ſinceram in Domino caritatem.

Ex autographo.

LII. *CUm in Regula & inſtitutione Ordinis ſanctæ Claræ ſtatutum ſit, Cardinalem, qui pro tempore dicti Ordinis Protector fuerit, Gubernatorem, Protectorem & Correctorem ipſius Ordinis eſſe, curamque & regimen ipſius & omnium Monaſteriorum ejuſdem, necnon & perſonarum in eis degentium habere, & ſub ejuſdem Cardinalis pro tempore guber-*

natio-

nationi, protectioni, & correctioni, a Sede Apoſtolica deputati, obedientia, cura & regimine Fratres & Moniales dicti Ordinis debeant permanere, cui teneantur firmiter obedire: & ipſe Cardinalis de eiſdem ſollicitudinem gerens & curam, Monaſteriis & perſonis degentibus in eis, tam per ſe quam per viros idoneos, quoties expedire videbitur, viſitationis officium impendere debeat. Nos igitur intelligentes quantum onus humeris noſtris impoſitum ſit, deſiderantes officio noſtro, quoad poſſumus, ſatisfacere; quoniam plurima Monaſteria dicti Ordinis ſanctæ Claræ reformatione indigere dicuntur, non valentes per nos ipſos viſitationis officium impendere, tibi prædicto fr. Franciſco, tam de mandato S. D. N. vivæ vocis oraculo nobis facto, quam auctoritate officii nobis commiſſi, tenore præſentium committimus & mandamus, quatenus ad quæcumque Monaſteria ſanctæ Claræ te conferas, & quæ reformatione indigere cognoveris, reformes; & præſertim ad Monaſteria provinciæ ſancti Antonii, corrigendo & reformando tam in capite quam in membris, quæ correctionis & reformationis officio noveris indigere; illarumque Monialium confeſſionem audiendo, & eas abſolvendo de omnibus & ſingulis delictis, cenſuris & excommunicationis ſententiis, quantum officii noſtri Pœnitentiariæ, cujus curam gerimus, ſe facultas extendit: necnon poſſis ad hoc diſcretos & idoneos ejuſdem Ordinis confeſſores, per te eligendos, dictis Monialibus conſtituere, & removere illos vel alios, prout tibi expedire videbitur: omnia alia faciendo, quæ ad pacem & quietem dictorum Monaſteriorum ſpectare proſpexeris. Si quæ autem difficilia occurrerint, quæ per te ipſum reformare non poteris, S. D. N. aut nobis ſignificare ſtudeas: conſtituentes te dictarum Monaſteriorum Viſitatorem & reformatorem, cum plena & omnimoda poteſtate & facultate, quam nos ipſi habemus, ut in eis ordines, ſtatuas & diſponas, prout ſecundum dictum Inſtitutum & regulas ſanctæ Claræ, & alia ſtatuta & ordinamenta dicti Ordinis videris expedire; dando etiam tibi facultatem mittendi ad Curiam Romanam pro hujuſmodi negotiis occurrentibus duos Fratres, illorum gratia expediendorum. Mandantes omnibus Fratribus & Monialibus dicti Ordinis in prædicta provincia exiſtentibus, in virtute ſanctæ obedientiæ, ut tibi in omnibus, tamquam nobis pareant & intendant: præſentibus a die datæ per decem & octo menſes tantummodo valituris. Mandantes inſuper tibi, ut de ſingulis per te geſtis & factis, per te ipſum vel litteras facias nobis notitiam pleniorem. In quorum fidem præſentes noſtras litteras tibi fieri fecimus, noſtrique rotundi ſigilli juſſimus impreſſione muniri. Datum Spoleti in domo noſtræ ſolitæ reſidentiæ die III. *Junii* MCCCCXLIX. *Pontificatus S. D. N. Nicolai divina providentia PP. V. anno* III.

LIII. Peruſinum Monaſterium ſanctæ Mariæ Montis-Lucis, hujus Franciſci opera, inſtanter apud Nicolaum Pontificem deprecante Magiſtratu, & cooperantibus Capiſtrano Vicario Generali, atque Antonio de Monte-Falco Vicario provinciæ ſancti Franciſci, hoc anno reformatum eſt, & a regimine Patrum Conventualium ad Obſervantes translatum. Quæ ad regulæ ſuæ normam vivere decreverunt, in Monaſterio perſeverarunt: aliæ ad alias domos Conventualium dimiſſæ ſunt. Ut harum ſupplerent numerum, & reliquas rite vivendi modum docerent, eo translatæ ſunt ex Monaſterio ſanctæ Luciæ Fulginatenſi Sorores viginti quatuor, die XXII. Decembris, inſtituta Abbatiſſa Margarita Sulmonenſi, fœmina religioſiſſima, una ex primis fundatricibus Monaſterii ſanctæ Luciæ, deſtinato confeſſario Joanne Lucenſi ex cœtu Obſervantum. Brevi tempore adeo crevit virtutis & diſciplinæ regularis opinione, ut inde prodierint pleræque, vel ad fun-

Monaſt. Montis-Lucii Peruſinum reformatur. *Chron. MSS. hujus Monaſt. Marian. cap. 23.*

Margarita Sulmonen. reformatrix.

danda, vel ad reformanda multa Monaſteria, Aretinum, Eugubinum, Biturgienſe, Montisfalcenſe, & alia.

Et Monaſterium Romanum ſanctorum Coſmæ & Damiani. *Chronolog. MSS. hujus Monaſt. Marian. citat.*

LIV. Poſt annos ferme duos, Margarita inde translata eſt in Urbem, cupientibus Romanis, ut quæ apud ſe erant, Monaſteria reformarentur, adjunctis duodecim ex Monaſterio prædicto Fulginatenſi. Actum eſt de reformatione Monaſteriorum ſancti Silveſtri, & ſancti Laurentii Panis-Pernæ, collocatis interim his religioſis virginibus in honeſtis ædibus Sororum Tertii Ordinis ſancti Franciſci ad Montem-Citorium; ſed cum multæ ſuperandæ eſſent difficultates, & libenter Monaſterium SS. Coſmæ & Damiani reformationem admitteret, illuc abductæ, in magnum numerum excreverunt, earum pietate multis nobilium Romanorum filiabus excitatis, ut ſtrictiſſimum vitæ genus ſub prima Regula ſanctæ Claræ hilariter ſubirent. Alias de hoc Monaſterio egi, & ſub Ordinis incunabula conſtructum dixi. Multæ religioſiſſimæ in eo tunc vixerunt Sorores, & poſt reformationem hæ recenſentur: Margarita prædicta reſtauratrix, frequentes paſſa extaſes, divinis meditationibus ſemper intenta, poſt laudatiſſimum ædis regimen, vita, uti alias dixi, ſancte perfuncta. Felix Peruſina ex illis duodecim una, Margaritam in officio ſequuta, quæ in moleſto languore Chriſtum meruit videre, & medicum habere ac conſolatorem. Angelina de Thermis Aprutina, Margaritæ ſocia gratiſſima, cui Chriſtus in die ſancti Thomæ revelavit, poſt triduum, uti evenit & illa Sororibus prædixit, in vigilia Nativitatis Dominicæ deceſſuram. Domitilla & Ludovica Peruſinæ ex illo numero duodeno, quarum prima fuit Abbatiſſa, & utraque perfectiſſima ſanctæ Claræ ſectatrix. Theodora nobilis virgo Romana, quæ Roberti Licienſis ſermonibus excita, patriam & parentes deſpiciens, petiit in dicto Fulginatenſi Monaſterio Deo conſecrari. Erat adhuc juvencula, cum Romam illæ duodecim mitterentur: at ubi adolevit, & egregie in virtute proficeret, huc tranſmiſſa eſt. Animam actura, Chriſtum vidit conſolatorem. Seraphina Romana, notæ ſanctitatis fœmina, de qua iterum dicemus; & Margarita Comitiſſa Venafri, alias a nobis commendata, quæ dum per Urbem iter faceret, ut in patriam abiret, rectura Monaſterium a ſuis filiis conſtructum, ibidem pie deceſſit.

Tom. 2. an. 1233. n. 37. & ſeq.

Margarita Sulmonen. reformatrix. *Tomo 10. anno 1425. n. 30.*

Felix Peruſina. Angelina de Thermis.

Domitilla Peruſina. Ludovica Peruſina. Theodora Romana.

Seraphina Romana. *Tomo 10. anno 1425. n. 31.*

LV. Sub hunc annum extructum Clariſſarum Monaſterium in urbe Catanenſi in Sicilia ab Antonio Paternione, Baronis Raguſæ fratre, approbante Aria de Avalos Epiſcopo, ſcribit Roccus Pirrus vir doctus, noſter amicus. Aliud refert ibi conditum ſub nomine *ſanctæ Mariæ Virginum* ad annum MCCXX. a Gualtero de Polena Catanenſi Antiſtite. De utroque Monaſterio agit Gonzaga, ſed ſecundi, quod *Montis Virginum* appellat, fundationis tempus & auctorem ignorari fatetur. Sorores ſub prima Regula ſanctæ Claræ religioſiſſime vivere affirmat, etſi a tempore Concilii Tridentini aliquos reditus in communi admiſerint. Primum inhabitant triginta Sorores, ſub regula Urbani IV.

Monaſter. Catanen.

Pirr. de Eccl. Catanen. ad hunc annum. Indic. ad 1220.

Monaſte. S. Mariæ Virginum. *Gonzag. in Prov. Sicil. Monaſt. 2. & 3.*

LVI. Blanca Maria de Vicecomitibus, Franciſci Sfortiæ conjux, & Communitas urbis Cremonenſis, cupientes Cœnobium Clariſsis conſtruere, rogarunt Nicolaum Pontificem, ut liceret Moniales paucas Ordinis ſancti Benedicti diſſolute viventes, a Monaſterio ſancti Salvati in alium locum idoneum transferre, ibique Clariſſas, a Fratribus Cœnobii ſancti Angeli extra muros Cremonenſes regularis Obſervantiæ regendas, conſtituere. An id expediret, examinandum commiſit Nicolaus hoc anno Abbati Monaſterii omnium Sanctorum extra eoſdem muros: *Pia devotorum*. III. Idus Decembris. Quin tunc ita fieret, fortaſsis aliquod fuit obſtaculum; nam

Mon. Cremonen.

hu-

Anno Christi	Nicolai V.	Friderici III. Imp.	Religionis Minorum anno 242.
1449.	anno 3.	anno 10.	

hujus Monaſterii conſtructionem differt Gonzaga ad annum MCCCCLV. Pontificatus Calixti III. primum. Titulum accepit *Corporis Chriſti*, primaſque magiſtras ex Monaſterio ejuſdem nominis Ferrarienſi. Adeo Sororum numero & diſciplina floret regulari, ut nulli ejuſdem Inſtituti cedat Monaſterio. Sub prima regula ſanctæ Claræ, abdicatis reditibus, omnique ſpreta rerum poſſeſsione, Virgines nobiliſsimæ Chriſto ſponſo jucunde famulantur. *Gonza. in Prov. Benem. Mon. 8.*

LVII. Leonora a Caſtella, Petri Manriquii, regno Legionenſi Præfecti, vulgo Hiſpanico *Adelantado*, piiſsima conjux, in oppido Amuſco, Palentinæ diœceſis, ſub hunc annum Monaſterium Clariſſarum conſtruxit, eoque transferendas filias duas curavit ex Monaſterio Aſtudilli; quibus ipſa genitrix aſſociari voluit, ſumpto eodem habitu poſt obitum mariti. Anno vero MCCCCLVIII. obtenta Calixti III. facultate, Parthenonem tranſtulit ad oppidum Calabazani IV. M. P. ab urbe Palentina, ubi ſub titulo *Dominæ noſtræ de Conſolatione*, domicilium poſuit inſigne ſexaginta Sororibus, ædeſque vicinas ſeptem Fratribus, ſacra miniſtraturis. Vigebat hic Monaſtica diſciplina, inſignis pietas, & perfecta norma vivendi. Longa oratione & vigiliis ſe præparabant ad ſacram ſynaxim, & integro ferme anno vel jejunio vel abſtinentia ſe macerabant. Hinc factum, ut ad alias inſtruendas vel reformandas evocarentur. Imo & Melitenſes, ſive ſancti Joannis Equites, conſtructi a ſe in urbe Zamorenſi Monaſterii Moniales a Lenora de Caſtella, fundatricis conſanguinea, curarunt edoceri. Poſt annos quatuordecim laudabilis magiſterii ad ſuas regreſſa, tamdem anno MDLXVIII. ſancto fine quievit. Monaſt. Amuſci. *Idem in Provin. Concept. Mon. 2. Monum. MSS. illius Prov.* Monaſt. Calabazani. Monaſt. Zamoren. Leonora de Caſtella.

LVIII. Multa illic pietate floruerunt: Catarina Gonzales, quæ in obſequiis Cœnobii occupata ſæpe viderat ſacram in Altari hoſtiam a Sacerdote elevari, licet aliquot intereſſent parietes. Ferdinando V. Caſtellæ Regi in oppido Duenas, extreme ex angina laboranti, ejus reliquiæ applicatæ extemporaneam contulerunt ſanitatem; duaſque Sorores ab eodem malo repente liberarunt. Mencia Avalos, cui Chriſti ex cruce pendentis imago dixit: *Pium me interpellas; tibi pius ero*. Catarina Manriquia, in cujus obitu audientibus univerſis Sororibus, Angeli concinuerunt partem potiorem Theodiæ *Te Deum laudamus &c.* a SS. Ambroſio & Auguſtino, ut fertur, compoſitæ: Catarina Queveda, quæ prophetiæ dono, & Anna ab Heredia, quæ frequenti afficiebatur extaſi: Agnes Manriquia de Cabrera, Eliſabetha de Buſtamanate, & aliæ. Fratris cujuſdam Laici, Balthaſſaris, qui in obſequio harum Sororum obierat, corpus poſt annos ab obitu quadraginta, incorruptum, omnino illæſum, & ſuaviter redolens in Eccleſia repertum eſt. Jacent in choro prædictus Petrus Manriquius, ejus filius Innicus, ſanctitatis opinionem adeptus, Alphonſus Manriquius Hiſpalenſis Archiepiſcopus, S. R. E. Cardinalis, & ſupremus in Hiſpania Inquiſitor. Utramque feſtivitatem Archangeli Michaelis ſolemniter celebrant, & ſupplicationes per clauſtrum inſtituunt Moniales, ob memoriam recepti beneficii eo tempore, quo turbæ illæ rebellium excitatæ ſunt contra Carolum V. Irruentes enim in clauſtra milites ſanctus Michael manifeſte ſuper murum apparens repulit, & pavitantes Virgines a tanto diſcrimine liberavit. Catarina Gonzales. Mencia Avalos. Catarina Manriquez. Catarina Queveda. Anna ab Heredia. Agnes Manriquia de Cabrera. Frat. Balthaſſar Laicus.

LIX. In villa Corbeyenſi, diœceſis Ambianenſis, viri aliquot nobiles & pii, congregatis ſumptibus, inchoarunt Monaſterium Clariſſarum. Sed cum ad proſecutionem operis, utique ſumptuoſi, non ſuppeterent facultates, Carolus Princeps ſecundo genitus Caroli VII. Regis Gallorum fabricam perficere decrevit. Aſſenſit hoc anno Pontifex, & jus patronatus Monaſt. Corbeyen.

ei-

eidem conceſsit: *Etſi cunctorum.* Pridie Kal. Julii. Conſervatores & Protectores Monaſterii Archiepiſcopum Rothomagen. & Tornacen. ac Bellovacen. Epiſcopos alio deputavit diplomate.

Domus S. Elzearii Januen.

LX. Etiam Tertii Ordinis, ſive de pœnitentia Inſtitutum hoc tempore in utroque ſexu & domiciliis multipliciter crevit. Sub Martino V. Pileus Archiepiſcopus Januenſis, & Rector Eccleſiæ parochialis ſancti Martini de Herchis conceſſerunt Eremitorium beati Elzearii extra muros urbis Antonio de Braida Pedemontano, & Joanni de Govono Albenſi pro ſua aliorumque ſex Fratrum Tertii Ordinis habitatione. Pie illic viventes auxerunt erga ſe populi devotionem, ita ut locus bene inſtructus capax eſſet plurium incolarum. Ut multiplicarentur, hoc anno Pontifex conceſsit ad preces Bartholomæi de Peruſio Viſitatoris & Patris principalis eorumdem.

Domus Corduben.

LXI. Extra muros urbis Cordubenſis Rodericus Martini, Tertii Ordinis profeſsor, in domo & poſſeſsionibus ſuis ædificavit domum regularem pro Fratribus iſtius Inſtituti, adjuncta Eccleſia in honorem beatæ Virginis Mariæ. Pontifex hoc anno, commiſso examine Abbati Monaſterii SS. Aciſcli & Victoriæ Corduben. exemit ab omni Epiſcopi juriſdictione.

Tome II. anno 1447. n. 94. Cogendi Tertiarii ad ſua tantū ſtatuta & regulam.

LXII. Diximus alias, Pontificem Nicolaum plurima privilegia Tertiariis conceſsiſse, atque inter reliqua auctoritatem condendi leges & ſtatuta, atque ad Capitulum generale convocandi. Hujus indulti virtute aliqui Superiores nimio zelo ducti, volebant ſuos ſubditos ad plura & arctiora compellere, quam ipſe ſtatus exigat, aut ſancti Franciſci Regula, vel Pontificum decreta præſcribant. Revocavit itaque hoc anno Nicolaus quidquid circa hujus Ordinis obſervantiam vel regulam, ultra ſancti Franciſci & Nicolai IV. vivendi formas, quoquo modo fuerat decretum.

Magdalena Perufina Miniſtra generalis.

LXIII. Erat hoc tempore Miniſtra Generalis ſuper ſequentia Monaſteria, ſanctæ Agnetis Perufinum, Paradiſi Civitatis Caſtelli, ſanctæ Eliſabethæ Aſſiſii, ſanctæ Urſulæ Florentinum, ſanctæ Mariæ Magdalenæ in Burgo ſancti Sepulcri, diœceſ. Civitatis Caſtelli, Magdalena de Peruſio, ad cujus preces Pontifex omnium harum domorum fundationes, & ſtatuta ſub Bonifacio IX. condita, ejuſque auctoritate confirmata per Franciſcum tit. ſanctæ Suſannæ Presbyterum Cardinalem, aliaque indulta & immunitates, rata voluit ac firma. Ad ejuſdem Magdalenæ preces exemit domos Perulinas ſanctæ Agnetis, & Vallis-fabricæ ab omnibus exactionibus & tributis. Sororibus de Pœnitentia domus Interamnen. alia indulſit, præſertim circa peccatorum remiſſionem.

Domus Sororum Majoris.

LXIV. In civitate Majoris in Campania, in agro Picentino, ad littus ſub montibus ſita, quidam Vinciguerra Lanarius, legum Doctor, ultimis ſuis tabulis conſtituit, ut ex bonis ſuis conderetur in idoneo & a ſe determinato loco domus religioſa pro mulieribus Tertii Ordinis, quæ in illa urbe verſabantur. An ita factum, dubito; lego enim in Vaticano inſtrumento, fratrem ejus Paulum, diminutis facultatibus, voluiſſe reliquam partem in alios uſus convertere. Lego etiam apud Gonzagam eadem in urbe Monaſterium quadraginta Sororibus ejuſdem Inſtituti opportunum ædificatum, non hujus, ſed Lucæ Stajuani medicinæ Doctoris expenſis. Earum anteſignana & primigenia Anna Mariconna ibidem elegantiſſimis claruit moribus & ſingulari pietate.

Gonzag. in prov. Princip. mon. 1.

Mon. Cubarum. *Gonzag. in prov. Caſtellæ mon. 12. Salazar. lib. 7. c. 11.*

LXV. Hoc anno D. P. ab oppido Cubarum, Toletanæ diœceſis, apparuit beata Virgo Maria cuidam puellæ Agneti, Alphonſi Martinez & Mariæ Sanchez filiæ, juſſitque ut populum moneret Dei iræ ſuperventuræ, eam-

eamque avertendam esse peccatorum pœnitentia, & templi in sui honorem celeri structura. Semel & iterum monitus, territusque virgunculæ brachiolo mire in hunc finem contorto, statuit populus, ordinata supplicatione, nudis pedibus illuc confluere. Denuo puellæ apparens sacratissima Dei Genitrix, ubi vellet Ecclesiam fabricari, fixa in terram cruce, quam e brachiis susceptit Agnetis, edocuit, relictis in loco arenoso pedum vestigiis. Commoti circumvicini populi frequentibus miraculis, ex arenæ inde collectæ contactu patratis, infra anni spatium templum construxerunt, addito *sanctæ Mariæ a Cruce* vocabulo, habito prius assensu Alphonsi Carrilli Archiepiscopi Toletani, qui præmiserat Vicarium Madritensem Illescarum Archipresbyterum, ut rei veritatem exploraret. Deinde piæ quædam fœminæ ex circumsitis pagis Cubas convenere, ubi, modica conducta domo, in communi viventes sub tertia regula sancti Francisci, contiguum huic Ecclesiæ Monasteriolum ædificarunt.

LXVI. Ab anno MCCCCLIX. illic habitarunt absque clausura, per pagos & oppida necessaria mendicantes, donec post annos quinquaginta, opera religiosissimæ Virginis Joannæ a Cruce, de cujus beatificatione nunc agitur in Curia, quarto voto clausuræ se solemniter obstrinxerunt. Voluntarium pro sui amore subeuntibus carcerem non defuit Deus, imo excitavit Franciscum Ximenium Toletanum Antistitem, ut illis adscriberet pingue beneficium Cubanum, copiosasque conferret eleemosyans. Erat tunc temporis nomen hujus sanctissimæ Sororis Joannæ per universam Hispaniam celeberrimum, quamobrem ex diversis partibus nobilissimi quique viri ad eam confluebant, & se suaque negotia ejus precibus commendabant. Ex his fuerunt Carolus V. & magnus ille exercitus Cæsariani Imperator Gondisalvus Fernandez a Corduba, qui Cœnobium magnis muneribus affecerunt. Inter ceteros longe emicuit pietas illustrium conjugum Petri Zapatæ Osorii, & Theresiæ a Cardenas, qui Sorores has plurimis beneficiis sunt prosequuti; & demum Theresia post viri obitum illis voluit adsociari. Sacellum præcipuum egregio opere construxit, in quo ad lævam sepulta est, & Cœnobium hæredem ex asse decrevit. Philippus etiam II. ut perficeretur ædificium, bonam pecuniæ summam adjecit. Egregium vere est sanctuarium, quo vel inviti a longinquis provinciis, tum beatæ Virginis Mariæ prodigiis, quæ peculiari codice fideliter excipiuntur, tum venerabilis Sororis Joannæ miraculis omne hominum genus attrahitur. De Joannæ vita & virtutibus suo tempore diffusius agemus. Joanna a Cruce.

LXVII. Sancius Episcopus Salmanticensis Sororibus ejusdem Ordinis domum & Ecclesiam, sub titulo sanctæ Elisabeth, Salmanticæ construxit. Auxit valde Agnes Suarez de Solis, una ex primis quas Episcopus introduxit, bonis paternis in hoc erogatis. Hoc anno petiit a Pontifice fundationis, & factorum confirmationem, facileque obtinuit, necnon Confessarii delectum, aliaque privilegia, intercedente Henrico, Principe Asturiarum, Joannis Castellæ & Legionis Regis primogenito. Parent hæ Religiosæ Episcopis Salmanticensibus. Monasterium S. Elisabeth Salmant.

LXVIII. Ludovicus Caffarellus provinciæ Januensis Minister, sacræ Theologiæ professor, dedit facultatem fratri Leoni de Alexandria viro pio, & caritatis operibus addicto, ut pauperibus & infirmis perpetuo inserviret in hospitali beatæ Mariæ de sancto Christophoro de Scario Januensi. Ita probe, diligenter & industrie se gessit, ut magnum inde reportarint egeni commodum, & domus emolumentum. Rogavit itaque Ludovicus Fulgosius Januensium Dux, cui Leo, testante Pontifice, erat summe dilectus, ut perpe- Fr. Leo Alexandrin. præficitur hospitali Januen.

petuo juberetur huic miniſterio incumbere, eique conferretur regimen, adminiſtratio & poſſeſſio prædicti hoſpitalis, dum viveret. Votis Pontifex aſſenſit.

Varia privilegia. LXIX. Monaſterii beatæ Mariæ de campo Martio Veronenſis Sororibus Pontifex indulſit, ne ulla ſolverent vectigalia; ab omnibus liberavit exactionibus, litteraſque Eugenii IV. & aliorum de hac re Pontificum confirmavit. Hoc tempore ſacellum beatæ Mariæ de Jeſu in Eccleſia Conventus ſancti Franciſci Hieracenſis, de quo alias diximus, extruxit nobilis mulier Catarina de Arenis, relicta quondam Joannis Comitis Hieracen. & abunde pro duplici Sacerdotio dotavit. Ut Monialibus ſanctæ Mariæ de Cantalupo Mediolanen. quæ ab Inſtituto ſancti Auguſtini ad ſanctæ Claræ tranſierunt, de quibus ſuperius dictum eſt, Fratres Conventus ſancti Angeli aſſiſterent, & Sacramenta miniſtrarent, omnino Pontifex præcepit: *Quoniam juxta paſtoralem.* Die VIII. Octobris.

Tom. 7. an. 1332. n. 11.

An. 1447. n. 93.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

Cum ad initium hujus anni habeat accuratiorem a Waddingo narrationem Schiſmatis extincti, & vitæ Felicis Antipapæ; ipſam a P. Meliſſano repetitam expungimus.

„ I. Mediolani tumultu populari exorto, & in eo occiſis Magiſtratibus, inter conſulendum quem in Principem admitterent; „ etenim nonnulli Alphonſum Aragonum, alii Carolum Franciæ Reges, „ alii Ducem Sabaudum, & alii Venetos proponebant: tamdem exhor- „ tationibus Gaſparis de Vicomercato omnes acquieſcentes, Franciſcum „ Sfortiam delegerunt in Ducem: qui vocatus adiuit, & maximo honore „ exceptus in Solio collocatus fuit.

„ II. Summus Pontifex Tertii Ordinis Confratribus Civitatis Cordubæ „ in Betica ad citeriorem Bætis fluvii ripam, pro quadam domo expedito „ brevi: *Devotorum &c.* IV. Idus Januarii, XII. Kal. Februarii Sororibus „ Sanctæ Mariæ Magdalenæ Peruſinis, ut erigerent Oratoria licentiam „ impertiit: *Conſuevit Sedes &c.* & V. Kal. ejuſdem, de eleemoſynis re- „ lictis Fratribus Aſſilienſibus per breve: *Quæ pro perſonarum &c.* III. au- „ tem Idus ejuſdem circa juriſdictionem Monaſterii Beatæ Mariæ de Cam- „ po Martio Veronæ, Venetorum urbis, ad Atheſim Fluvium Epiſcopalis „ clariſſimæ dato brevi: *Sacræ Religionis &c.* Cum ad Caracram, ſeu Ca- „ racam, vel Cluſionem, aut Taraphas, vulgo Hiſpano *Guadalaxara*, „ quod ad petroſum Fluvium ſit; etenim *Guadalaxar* rivum lapidoſum ſi- „ gnificat; Eremitorium Fratrum eſſet ſub titulo Sancti Benedicti, Tole- „ tana in Diœceſi, pro eo literas: *Votis Chriſti &c.* X. Kal. Martii expe- „ divit; porro *Guadalaxara* Oppidum a Matrito in ortum novem milliari- „ bus regionis recedit, ac V. Kal. ejuſdem confirmatis privilegiis Sororum „ Tertii Ordinis: *Ex paternæ &c.* pro iiſdem Sororibus ut excitaretur Mo- „ naſterium in Civitate Amalphitana, Regni Neapoli in Agro Picentino „ nobiliſſima & antiquiſſima, juxta littus maris Inferi, ſeu Tyrrheni, cir- „ ca medium oræ Amalphitanæ ſita, benigniter indulſit: *A Supremo &c.* „ XVII. Kal. Aprilis. Hanc Civitatem volebat Alexander VI. pro Butillo „ Nepote; in eaque inventum eſſe pyxidis nauticæ, ſive magnetis Halo- „ ſcopi vſum ſcripſit Bertius.

De Conventu Spalatenſi lege Waddingum ab ipſo Meliſſano citatum ad annum ſequentem.

Judic. ex Vatic.

P. Bertius in deſcriptione Regni Neap. fol. 406.

„ III. In proximo celebranda cum eſſet Congregatio Generalis in Pro- „ vincia Tuſciæ, eam per Apoſtolica ſcripta prævenit: *Intelleximus de pro- „ximo &c.* VII. Idus Aprilis, & VI. Idus ejuſdem conceſſa Indulgentia „ pro feſto Aſſumptionis Conventui, ſeu Eccleſiæ Conventus Caſtri Mon- „ tis Rotundi in Sabinenſi Diœceſi: *Dum præcelſa &c.* ſtructuram Mona-

ſte-

„ ſterii ſanctæ Eliſabeth in Urbe Salamantina, academia publica nobili,
„ approbavit: *Ea, quæ pro &c.* Pridie Kal. Maii Fratrem Joannem ad Epi-
„ ſcopatum Almaricenſem, ſeu Almerienſem aſſumpſit, ad quem anno *Wadding. ad an. 1434. n. 5.*
„ MCCCCXXXIV. promotus fuerat ab Eugenio IV. Frater Petrus Aſtingen-
„ ſis Sacræ Theologiæ Doctor. Almeria vero eſt Civitas Epiſcopalis in
„ Regno Murciæ, & maritima ſtatio, quæ latinis dicitur *Abdera*, ſeu
„ *Adra*, vel *Urgi*, ſeu *Urigia* in Archiepiſcopio Granatenſi. Decimo Kal.
„ Junii honorificas literas ad Capitulum Generale, quod Florentiæ iis
„ diebus celebrabatur, expedivit: *Dilecti Filii: Cupientes &c.* Interamna
„ interim, vulgo *Terni*, Civitas Umbriæ Epiſcopalis, ad Narem Fluvium
„ interfluentem in planitie inter amnis memorati cornua, quæ res nomen
„ attulit Urbi, antiquiſſima, & Narniæ propinqua, Monaſterium Sororum
„ Tertii Ordinis cum haberet, iis eligendi ſibi Confeſſarios facultatem
„ dedit: *Provenit ex veſtræ &c.* VIII. Kal. præfati menſis, ac III. Kal.
„ ejuſdem devotis Fratribus Tertii Ordinis Antonio, & Joanni poſſe inco-
„ lere quamdam Eccleſiam Genuæ indulſit: *Ex Paternæ &c.*
„ IV. Rupellæ Civitatis ad Oceanum in Diœceſi Xantonenſi Fratres
„ Minoritæ a Summo Pontifice licentiam obtinuerunt oſtendendi Populo
„ Sanguinem Jeſu Chriſti: *Exhibita nobis &c.* pridie Idus Auguſti: IX. Kal.
„ Septembris conceſſis nonnullis privilegiis Sororibus Tertii Ordinis Sa-
„ lamantinis: *Devotionis veſtræ &c.*, & XIV. Kal. Octobris ipſis tertii
„ Ordinis Fratribus, vt viverent ſecundum Statuta a ſe ipſis condita:
„ *Romanus Pontifex &c.* Sorores ejuſdem præfati Ordinis in Weſtphalia
„ in Clauſtris recluſas voluit: *Ut in æternæ &c.* IV. Kal. Decembris. Porro
„ Weſthphalia, ſeu Weſtphalia regio, vetus Cheruſcorum Sedes, quos
„ Carolus Magnus primus devicit, & Chriſtiana Religione imbui juſſit, *P. Bertius in deſcript. weſtphal. fol. 228.*
„ Epiſcopatuſque inſtituit Monaſterienſem, Onasburgenſem, Paderbo-
„ nenſem, & Myndenſem, habet ab ortu Viſurgim fluvium, ad meridiem
„ Haſſiæ Montes, quos Ptolomeus obnoxios vocat: Eſt autem omnis regio
„ ſatis frugifera, pomis, nucibus, glandibuſque abundat, quibus porci
„ ſaginantur, Principum menſis ob pernas delicatiores expetiti, fertilior
„ eſt circa Suſatum, & Hammonem, fertiliſſima ad Paderbonam, & Lup-
„ piam: ad Amiſiam vero quibuſdam locis deſerta. In hac igitur regione
„ Sororibus Tertii Ordinis clauſuram Pontifex indixit, vt dicebamus.
„ Breve expedivit: *Injunctum nobis &c.* IV. Kal. Januarii, pro fabrica
„ Monaſterii Monialium Valentinenſium Sanctiſſimæ Trinitatis ac pariter
„ aliud: *Sacræ Religionis &c.* pro conſtructione Eccleſiæ Conventus Bo-
„ lonienſis in Diœceſi Morinenſi: Bolonia, quæ Latinis *Bajonia*, & *Bavo-* *Taſſin. George part. 2. fol. 12.*
„ *nia*, nonnullis *Geſſoriacum*, vulgo appellatur Bolonia ad Mare, Civitas
„ Flandriæ ad Oceanum, bipartita ſedet in colle & plano, centum quin-
„ quaginta paſſibus ab invicem partibus ſejunctis: Statio ibi maritima, ex
„ qua cum Claſſe Cæſar in Britanniam transfretavit. Carolus Calvus titulo
„ Comitatus inſignivit: at hunc honorem non Civitati, ſed noſtræ Dominæ
„ Beatæ Virgini Mariæ de Bolonia detulit Ludovicus XI. Henricus VIII.
„ Angliæ Rex occupavit armis, & poſtea reſtituit Henrico II. Franciæ Re-
„ gi, media tamen ſumma octingentorum millia ſcutorum: erigitur tam-
„ dem in Epiſcopatum loco Terovennæ deletæ, & ſubjicitur Archiepiſcopo
„ Remenſi, cum antea Morinenſis eſſet Diœceſis: In Suburbiis igitur, *Wad. ad anno 1447. n. 79.*
„ ſeu inferiore parte hujus Civitatis Philippus Bonus fundum dedit Con-
„ ventui ædificando pro Fratribus de Obſervantia, ut notavit Annaliſta
„ ex Gonzaga, & hoc anno Pontifex pro conſtructione Eccleſiæ illius Con-

„ ventus Indulgentias elargitus eſt, ut innuebamus, ac idem fecit pro Ec-
„ cleſia S. Eliſabeth Salmanticæ: *Splendor Paternæ &c.*

„ V. In Monaſterio ſanctorum Coſmæ & Damiani de Urbe Ludovica
Ludovica Virgo. „ Peruſina Virgo, perfectiſſima Divæ Claræ ſectatrix, ſanctiſſime vixit, &
Bajard. ex Mon. M. SS. illius Mon. „ obiit hoc anno MCCCCXLIX. In Monaſterio vero ſanctæ Mariæ de Pie-
„ tate Oppidi Majoris, in Provincia Principatus, pietate ſingulari, ac
„ elegantiſſimis moribus claruit Soror Anna Maricona, omnium illius loci
„ Sororum Tertiariarum Anteſignana, & Primiceria. Sed in Pago Cuba-
B. M. Virg. apparet Agneti. *Gonz. p. 2. de Mon. 1. Prov. princip. fol. 374.* „ no, Toletanæ Diœceſis beatiſſima Virgo Maria cuidam tredecim annorum
„ Juvenculæ Agneti nomine, Alphonſi cujuſdam Martinez, & Mariæ
„ Sanchez ejus Conjugis filiæ, porcorum gregi invigilanti apparuit hoc
„ anno MCCCCXLIX., mandavitque dicere Cubanis, ſi a Divino imminente flagello evadere cuperent, ad Deum per juſtam erratorum pœnitentiam redirent: Præceptum tantæ Majeſtatis exequuta eſt innocens Virgo, ſed nihil profecit: quamobrem beatiſſima Virgo Juvenculæ ſecundo, ac tertio apparens idem mandavit; hæc vero ſecundo, ac tertio fideliter obediens, incolis ſibi commiſſa annunciavit, qui tamen increduli noluerunt audire: quamobrem quarto ſanctiſſima Dei Genitrix eidem ſe prodidit, apprehenſumque illius policem ad ſupremam brachii partem contraxit, juſſitque ſua mandata repetere incredulæ genti: obtemperavit Agnes, & Cubani, ut ita contractam viderunt, commoveri cæperunt: ac aſcito Parocho, poſt abſolutum Sacrificium, aqua luſtrali aſperſi, omnes nudis pedibus, ſaccisque pœnitentium more induti, cum maxima devotione, lacrymarumque profuſione, proceſſionaliter, ductrice puella, congreſſi ſunt, donec ad locum, in quo ſanctiſſima Deipara ſe illi manifeſtaverat, perveniſſent: dum ibi aliquantulum ſubſiſterent, illis relictis cœpit prædicta Agnes feſtino incedere greſſu: Et cum a Proceſſionis Directore, qui Crucem in apparitionis loco figendam deferebat, interrogaretur, quo procederet, reſpondit ad beatam Virginem properare, ex aere ſe vocantem, nemine tamen eorum quidquam videnti, aut audienti; at ille impoſita eidem Cruce ſilenter dimiſit: a qua Regina Cœli acceptam propria manu defixit, Juvenculæque injunxit dicere Cubanis, ut ſibi Eccleſiam eodem in loco ſub titulo ſanctæ Mariæ de Cruce, erigi curarent. Illis igitur ad locum perventis, & Crux humi defixa, & amborum beatæ Virginis pedum veſtigia apparuerunt: quæ, cum humillime venerati eſſent, plures infirmos a diverſis languoribus, contactu arenæ inde collectæ, miraculoſe liberarunt, & Eccleſiæ ædificandæ ſe accinxerunt. Præerat Eccleſiæ Toletanæ tunc Illuſtriſſimus Alphonſus Carillus, penes quem ex officio collato auctoritas novæ erigendæ Eccleſiæ erat. Ad eum ut impetrarent Cubani cum acceſſiſſent, Illeſcarum Archipresbytero, atque Matritenſi Vicario Carillus præcepit, ut pergeret ad locum, inveſtigaretque de narratorum veritate, & quidquid inveniret, certo referret: ut ergo ab Archipresbytero Antiſtes mirabilia Dei, & ejus ſanctiſſimæ Genitricis audiſſet, conſtruendæ illius Eccleſiæ facultatem impertitus eſt. Cubani vero ex propriis facultatibus, & adventitiis eleemoſynis (undique enim accurrebant gentes, miraculaque in dies fiebant, & Populi pro hujuſmodi fabrica pias elargitiones faciebant) infra annum illam feliciſſime conſtruxerunt: Agnes ad eam Conventulum coædificari curavit, in quo ſub habitu Sororum Tertii Ordinis S. P. Franciſci, cum pluribus aliis ejuſdem ſervoris Virginibus, & Viduis, uſque ad ſupremum vitæ halitum ſanctiſſime perſeveravit.

Monaſter. Cubanum.

AR-

Anno Christi	Nicolai V.	Friderici III. Imp.	Religionis Minorum anno 243.
1450.	anno 4.	anno 11.	

ARGUMENTUM.

In ſolemniſſima Jubilæi & Pentecoſtes celebritate canonizatur ſanctus Bernardinus. Ingenti Fratrum concurſu habita ſunt Ordinis Comitia, in quibus electus Generalis Miniſter Angelus Serpetrius Peruſinus. Moriuntur Joannes Mauberti Vicarius generalis Ultramontanus, & Albertus Sartianenſis, vir præclariſſimus. Beatus Didacus Complutenſis in Urbe ſuæ ſanctitatis exhibet indicia. Referuntur Epiſcopi, & facta vel refecta Cœnobia.

I. INDIXERAT hoc anno Nicolaus ſacram Jubilæi celebritatem, recurrente anno quinquagenario. Ampliſſimis Indulgentiis invitavit ad Urbem omnium gentium nationes, ut gravioribus ſoluti noxiis, ad ſacra Apoſtolorum limina, aliorumque Sanctorum memorias, Deum propitiarent, pacem in orbe Chriſtiano, & victoriam contra Eccleſiæ hoſtes impetrarent. Convenerat ex omnibus partibus infinita pene hominum multitudo, & Religioſorum ingens numerus. Soli Minoritæ erant ter mille octingenti, alii ſupra quinque millia recenſent. Joannes Capiſtranus totus intentus canonizationi ſancti Bernardini, qui Senis eidem apparuerat, & laboris impenſi gratias reddiderat, poſtquam tertio & quarto diligentiſſime examinata ſunt ſancti Viri miracula, & poſtremo per Angeli Epiſcopi Aſculani, a Pontifice Senas & Aquilam amandati, exactiſſimam inquiſitionem comprobata, tamdem obtinuit IX. Maii, ut in publico conſiſtorio decerneretur de referendo in catalogum Sanctorum, quod & ſe facturum ſub menſem Octobrem anni proxime præteriti Pontifex in oppido Fabriani promiſit Capiſtrano, & beato Jacobo Piceno, ut ipſe Capiſtranus refert in epiſtola encyclica, qua præcipuos Ordinis Patres, præſertim Obſervantes, monet, ut tantæ adſint feſtivitati, & Comitiis interſint in Conventu Aracœli, pro electione Generalis Miniſtri. Multa etiam oratione, continuaque Dei interpellatione huic operi canonizationis incumbebat Franciſcus a Papia, qui demum per revelationem accepit ſe exauditum. Præparatis itaque magnifice rebus, & ſplendido apparatu poſito ingenti theatro in Baſilica ſancti Petri, ipſa ſolemniſſima Pentecoſtes feſtivitate. IX. Kal. Junij, non X. Kal. Octobr. uti habet Ciaconus, eum Nicolaus Pontifex Cœlitibus adnumeravit. Canonizationis Bullam hic exhibeo.

Indicitur Jubilæum.

Pomerium in ſermon. S. Bernard. Robert. a Licio in ſermon. de eodem c. 3.

Canonizatur S. Bern.

Ciacon. in Nicol. V.

NICOLAUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI.
Ad perpetuam rei memoriam.

II. *MIſericordias Domini in æternum nos cantare debere Propheta admonet, dicens*: Miſericordias Domini in æternum cantabo. *Magna & inenarrabilia ſunt profecto opera miſericordiæ Dei, quibus jugiter in ſalutem humani generis, ſe ejuſdem miſerationis ſinus effundit: quæ ſi quis ab initio creati hominis recenſere voluerit, non tantum hominum linguæ, ſed, ſi quæ illis ſunt, non ſufficerent Angelorum. Quam inenarrabile eſt, quod cum hominem* creaſſet ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, *quodque particeps eſſe poſſet felicitatis æternæ, in unam cœleſtem civitatem adſcribendus conſortiis Angelorum, ſi datæ ſibi divinitus legis non contempſiſſet imperium!*

Pſal. 88. 1. Bulla ejus canonizationis.

Magna Dei erga homines miſericordia.

Gen. 1. 26.

Non paſſa eſt divina clementia ipſum penitus interire, ſed pro temporum diverſitate non deſtitit congruentes exhibere medicinas, quibus a lege Domini aberrans in ſalutis ſemitam traheretur; nunc Angelos deſtinando, qui divinam patefacerent voluntatem, ſuaderent quæ juſta ſunt, quæ ſancta ſunt, & ad implendum divinum beneplacitum adiuvarent; nunc mittendo Patriarchas, gratiæ ſuæ ſpiritu repletos, qui exemplo ſui cæteros inſtruerent ad ſalutem; nunc divinos Prophetas, qui Spiritu ſuo ſancto illuminati, non tantum ejus temporis divina beneficia humano generi commemorarent, ſed etiam futura prædicerent: & illud maxime, quo nihil poteſt inter opera divinæ miſerationis ſublimius excogitari, quod Dei Filius in ſua perſona naturam noſtræ mortalitatis aſſumeret, & adimpleret ea per myſterium paſſionis & mortis ſuæ, quibus a Diaboli poteſtate, & peccatorum vinculis ſolverentur. Hæc facta ſunt per illam immenſiſſimam profunditatem, & abyſſum impenetrabilem miſericordiæ Dei. Quæ nos, qui Chriſtum induimus, & ipſius ſumus Baptiſmate conſecrati, per ſingulos dies commemorantes, tenemur, cum corde noſtro, ſpe, fide & charitate viventes, ſacrificium immolare, cum per miniſterium Sacerdotum illius ſalutaris hoſtiæ, qua peccatum mundi hujus abluitur, ſacrificium indefinenter offertur. Hæc inenarrabilia ſunt, & vix poſſunt, niſi exigua quadam & tenuiſſima ex parte cogitari. Verum ſi quis cogitationem extenderit in divina beneficia, quæ, poſt Domini noſtri Jeſu Chriſti aſcenſionem ad cælos, humano generi exhibita ſunt, quis illa non dicam dinumerare, ſed, quamvis potens eloquio, minima ex parte enarrare ſufficiat? Quis non ſtupeat tantam vocationem humani generis per Apoſtolicam tubam pauciſſimorum hominum, a Dei Filio Jeſu Chriſto Domino noſtro in univerſum orbem terrarum deſtinatorum, Evangelicam veritatem humanis auribus intonantium? quorum prædicatione factum eſt, ut nihil terrenum, nihil ignium, nihilque corporeum, nihil denique quod corporis ſenſus attingit, pro Deo colendum eſſe homines putent? quodque a vetere, ſeu carnali vita tam ineſtimabilis multitudo in novam & ſpiritualem vitam tranſlata eſt, ut perſuaſa ſit humano generi, in ipſis qui Evangelio crediderunt, continentia uſque ad tenuiſſimum victum panis & aquæ? & quod majus eſt, non ſolum quotidiana, ſed per continuos plures dies perpetuata jejunia? quod caſtitas uſque ad conjugii proliſque contemptum? quod patientia uſque ad cruces ſummaſque neglectas? quod liberalitas uſque ad patrimonia diſtributa pauperibus? quod denique totius hujus mundi aſpernatio uſque ad deſiderium mortis intenditur? Hæc in plurimis, qui Chriſti Evangelio credidere, impleta ſunt, & quotidie videmus impleri; cum terrarum ubique videamus, ubi floret Chriſti religio, ſacra Cœnobia viris mulieribuſque referta, qui ſeipſos Omnipotenti Deo ſacras victimas immolarunt; cum videamus innumerabiles fere ſanctiſſimos & devotiſſimos ſacerdotio fungentes, ſuo miniſterio id implere conari, ut ab hac carnali vita in ſpiritualem tranſeant, & a ſeculi hujus concupiſcentiis immaculati illæſique permaneant: cum ex innumerabili multitudine populi, pars non exigua per Evangelii ſemitam tranſire conatur, implendo mandata cæleſtia, quantum ſinit mortalis infirmitas. Hæc facta ſunt divina providentia per humanitatem doctrinamque Chriſti, per ipſius paſſionem & mortem; per Apoſtolorum itinera, per Martyrum contumelias, cruces, ſanguinem, mortem; per Sanctorum prædicabilem vitam, atque in his univerſis, digna rebus tantis atque virtutibus pro temporum oportunitate miracula. Quanta vero eſt illa divina miſeratio, quod decurſu temporum, multorum frigeſcente caritate, illam penitus non ſinit extingui, ſed continue Eccleſiam ſuam per miniſterium electorum ſuorum renovare, & multiplicare non ceſſat, uni-

Quam efficax Evangelica prædicatio.

Multiplicata ubique cœnobia.

Matt. 24. 12.

unicuique temporì electos quoſdam quaſi primos magni gregis arietes, & quaſi alteros Apoſtolos deſtinando, qui Evangelii ſemitam fere obliteratam, & pene corruentem, & vitæ exemplo & doctrinæ verbis innovarent, tantæ perfectionis in ſe exemplaria jacientes, quæ poſtea innumerabiles fere, divino Spiritu illorum corda tangente, facillime ſequerentur? Hoc factum eſt per miſericordiam Dei ſuperioribus temporibus, & fere ubique terrarum; ſed noviſſimis diebus divina ſe miſeratio exuberanter effudit, cum in multorum cordibus frigeſcente caritate, ſacram religionem, quæ ab Evangelicæ perfectionis ſemita aberrare videbatur, digno dignata eſt igne ſuccendere, ut videamus pleraſque ſacras Religiones ita renovatas, & ita divino igne ſuccenſas, ut, niſi ingrati eſſe velimus, divinæ beniſicentiæ immenſis gratias referamus, quod ad excolendam vineam ſuam, etiam hac noviſſima hora, operarios deſtinare non ceſſat. Quamplures videmus in hoc miniſterium deſtinatos; ſed temporum noſtrorum præcipuus, & magnus inter electos fuit vir iſte ſanctiſſimus, propter quem celeberrimus iſte conventus agitur, ſanctus Bernardinus, vir ab ipſis cunabulis perfectioni Evangelicæ conſeratus: qui in vineam Domini cultor & operarius deſignatus, injunctum ſibi opus indeſinenter exercuit; qui ſe incontaminatum ab hujus ſeculi contaminatione cuſtodiens, primum in ſe ipſo jugum Chriſti ſuave complexus eſt, & adeo vitæ exemplo & ſacra prædicatione profecit, ut fere per omnem Italiam renovaverit Evangelium Chriſti: ubique ſine offendiculo ſcandaloque pertranſiens, & quantum fieri potuit, ſemper Deo & hominibus placens. Non eſt hujus loci, propter anguſtiam temporis, ſingulas ſuas divinas, & fere innumerabiles recenſere virtutes: nam tanta Omnipotentis Dei atteſtatione munitur, ut humana laude non egeat. Tanta etenim in ſanctitatis ſuæ teſtimonium coruſcavere miracula, ut etiam ſi qui ſint miniſtri Satanæ, qui ejus cuperent detrahere ſanctitati, tantis viſis ſignis atque portentis, penitus obmuteſcant: & qui beneficia Dei, tempori noſtro exhibita recognoſcunt, agant uberes gratias tantæ ſanctitatis auctori, videntes in hoc glorioſiſſimo viro renovari, quod de unigenito Dei Filio dictum eſt: Venient ad te, qui detrahebant tibi, & adorabunt veſtigia pedum tuorum. *Tanta enim tempore ſanctæ memoriæ prædeceſſoris noſtri Eugenii Papæ IV. increbuere miracula, ut ſæpe per plurimos timoratos & religioſos viros, necnon litteris multorum Principum, & præcipue cariſſimi in Chriſto filii noſtri Alphonſi Aragonum Regis illuſtris, & Senenſium & Aquilanorum populorum precibus, litteris & nuntiis pulſatus ſit, ut tanta & tam divina miracula quotidie coruſcantia diligenter mandaret inquiri, ut, veritate comperta, tanto viro gloriam, quam jam divina teſtificatione in triumphante Eccleſia obtinebat in cœlis, in militante non negaret in terris. Fecit quod rei gravitas & magnitudo poſcebat; &, quod alias Sedes Apoſtolica obſervare conſuevit, commiſit tribus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, qui duos venerabiles Epiſcopos delegantes, veritatem tantæ rei inquiri cum omni gravitate mandarent: qui exactis aliquot menſibus, ad Sedem Apoſtolicam revertentes, quæ invenerunt, fideliſſime retulerunt. Cum autem idem prædeceſſor noſter, rerum veritate perſpecta, pulſantium precibus ſatisfacere cogitaret, vocante Deo, de hac miſeriarum valle ſubtractus eſt. Nos qui non meritis noſtris, ſed divina dignatione, illi in onere & honore ſucceſſimus, fuimus per eoſdem, quos ſupra retulimus, ſæpiſſime requiſiti, ut quod prædeceſſor noſter, impediente morte, non fecerat, impleremus. Nos rei gravitatem & magnitudinem attendentes, deliberavimus mature & graviſſime procedendum. Propterea tribus ex venerabilibus Fratribus noſtris S.R.E. Cardinalibus commiſimus, ut duos venerabiles Epiſcopos eligerent, quos denuo pro inquirenda ve-*

In Dei populo Duces præcellentes.

E quorum numero Bernardinus.

Miracula ejus multa & magna.

Iſai. 60. 14.

ſæpe examinata.

veritate delegarent, ut duplici inquiſitione informati, rem audacius ageremus. Miſerunt, ſicut injunxeramus, duos venerabiles Epiſcopos, qui eorum quæ invenerant, in ſcriptis notitiam reportantes, fideliſſime ſingula retulerunt, per omnia conformiter referentes his, qui tempore prædeceſſoris noſtri fuerant deſtinati; ſed multo plura clariſſima miracula reportarunt, quæ poſt priorum regreſſum fuerant perpetrata. Nos non ea inquiſitione contenti, etiam tertio deſtinare decrevimus: propterea duos alios venerabiles Epiſcopos juſſimus proficiſci; qui profecti poſt menſes aliquos rediere, uberrima & fideliſſima atteſtatione referentes, tanta dietim innovari & coruſcare miracula, quod ſi ſingula recenſenda eſſent, vix poſſent magnis libris includi, & ex omnibus quædam majora & inſigniora retulerunt. Nos poſtea etiam Senas mittendum eſſe cenſuimus; miſimuſque venerabilem fratrem noſtrum Angelum Epiſcopum Eſculanum, qui poſt aliquot menſes reverſus, coruſcantem divinam gratiam in miraculorum perpetratione, ſub veriſſima & fideliſſima atteſtatione recenſuit: quem etiam voluimus Aquilam proficiſci, ut etiam reportaret, ſi in tanti viri ſanctitatis atteſtationem perſeveranter divina miracula coruſcarent. Qui reverſus, prioribus a nobis deſtinatis conformia reportavit; & inſuper magna & ſtupenda, quæ poſtmodum contigerant, retulit, quæ non in angulis, ſed publice & in conſpectu multitudinis fuerant perpetrata. Nos his compertis, ne Spiritui ſancto reſiſtere videremur, qui per os Propheticum Laudari Deum in Sanctis ſuis *jubet; piis & devotis poſtulantium precibus condeſcendere cogitavimus, fecimuſque per venerabiles fratres noſtros S. R. E. Cardinales per nos deputatos, omnia per nuntios reportata, in ſecreto Conſiſtorio noſtro diligenter particulariterque referri, quæ per Conſiſtorium examinata ſunt: ſed propter gravitatem rei viſum eſt in aliud Conſiſtorium differri, ut tempore medio quilibet Cardinalis in domo ſua poſſet illa diligentius intueri; & in ſecundo Conſiſtorio ſcrutatis omnium votis, in eamdem ſententiam convenerunt, tantam eſſe evidentiam & numerum miraculorum, necnon de vitæ ipſius ſanctimonia, ac fidei integritate tam clarum tamque evidens teſtimonium, ut in tanti viri canonizationem animis concorditer ſua vota depromerent: quorum ſecuti judicium, tunc canonizandum eſſe decrevimus. Verum, ut res cum majori gravitate procederet, juſſimus in capella majori Palatii noſtri Apoſtolici apud ſanctum Petrum, Prælatorum omnium, qui in Curia eſſent, fieri congregationem; ipſiſque ibidem poſitis, una cum venerabilibus Fratribus noſtris propoſuimus rem hanc, omnia recenſentes, quæ uſque in horam illam in hujuſmodi materia fuiſſent actitata, & ſingulorum vota ſcrutata ſunt: qui in eamdem ſententiam devenerunt, in quam venerabiles fratres noſtri ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales in Conſiſtorio ſecreto convenerant. Poſtea in Conſiſtorio generali re propoſita, quod in Conſiſtorio ſecreto per nos decretum fuerat, publice decrevimus faciendum, hoc eſt, tanti viri canonizationem in Eccleſia Principis Apoſtolorum hac die Pentecoſtes per nos celebrari debere. Nos igitur, qui huc hodie convenimus, ut in conſpectu tantæ multitudinis ſanctitati tanti viri teſtimonium perhibeamus, aſſumimus illud Dominicum verbum, quod ſuis imitatoribus dixit.* Ubi ego ſum, illic & miniſter meus erit. *Miniſtravit vir iſte ſanctiſſimus Chriſto, & ſecutus eſt Chriſtum. Miniſtravit Chriſto, cum ſe laqueis ſeculi exuens,* & deponens veterem hominem cum actibus ſuis, & induens novum, qui ſecundum Deum creatus eſt, in juſtitia & ſanctitate veritatis, *jugum leve ſanctæ Religionis amplexus eſt. Miniſtravit Chriſto, cum in ſancta religione proficiens, dietim majora virtutum divinarum augmenta capiebat, præcipue humilitatis Chriſti imitator effectus, pauper ſpiritu & dives gratia. Miniſtravit Chriſto, cum multis exem-*

Pſal. 150. 1.

Etiam in Cardinalium Conſiſtorio.

Et in generali Prælatorum conſeſſu.

Decernitur canonizatio.

Joan. 12. 26.

Coloſſ. 3. 8.

D. Bernardini laudes.

exemplo vitæ ad ſalutem profecit æternam. Miniſtravit Chriſto, cum membris Chriſti, hoc eſt fidelibus Chriſti, pabulum doctrinæ cæleſtis indeſinenter exhibuit, plurimas Deo lucrifaciens animas, quas a Diaboli & ſeculi laqueis exuebat. Miniſtravit Chriſto, cum per civitates provinciaſque ſeminans verbum Dei, populorum catervas, antiquis odiis diſſidentes, omni cordium rancore depoſito, in caritatem mutuam revocabat. Miniſtravit Chriſto, cum in pluribus locis mores in laſciviam vergentes & diutius antiquatos, verbi divini prædicatione dimovit, exhortans tam viros quam mulieres ſervare pudicitiam, reliquoſque laudabiles mores, ſine quibus nemo vere poteſt eſſe Chriſtianus. Miniſtravit Chriſto, cum nominis ſui per omnem Italiam celebritate vigente, in eadem, quam primo aſſumpſerat, humilitate permanſit. Miniſtravit Chriſto, cum verbum Dei indefeſſe prædicare non deſtitit. Miniſtravit Chriſto, cum ſe vocante ad æternam requiem, nec mori timuit, nec vivere recuſavit. Ergo quia non poteſt veritas ipſa mentiri, quæ eſt unigenitus Dei filius, qui per os carnis aſſumptæ locutus eſt, dicens: Qui mihi miniſtrat, me ſequatur: & ubi ego ſum, illic & miniſter meus erit, *cum ſciamus hunc ſanctum virum miniſtraſſe Chriſto, & ipſum fuiſſe ſecutum uſque ad conſummationem vitæ, minime dubitare permittimur, quin potius certiſſimum tenere debemus, quod ubi eſt Chriſtus Dei Filius, ſit etiam miniſter ſuus ſanctus Bernardinus. Ergo quia cum Chriſto ſunt omnes Sancti ejus; de Omnipotentis Dei miſericordia, qui non deſerit Eccleſiam ſuam, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, ac venerabilium fratrum noſtrorum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium ad id accedente conſenſu, decernimus, declaramus, & ordinamus, ſanctum Bernardinum inter Sanctos Dei ab univerſa Eccleſia debere deputari, & Sanctum haberi, & tamquam Sanctum honorari & coli, ipſumque canonizamus, & pro canonizato haberi volumus: mandantes, feſtum ipſius in numero Sanctorum Confeſſorum non Pontificum debere collocari, & ei officium Confeſſorum non Pontificum decantari. Inſuper omnibus vere pœnitentibus & confeſſis, qui in die feſti ſui, Eccleſiam, in qua ſanctum corpus ſuum requieſcit, devote viſitaverint, & ad ornatum ſive fabricam dictæ Eccleſiæ manus porrexerint adjutrices, ſeptem annos, & totidem quadragenas de injunctis eis pœnitentiis miſericorditer in Domino relaxamus: præſentibus perpetuis temporibus duraturis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conſtitutionis, declarationis, ordinationis, voluntatis, mandati, canonizationis, & relaxationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Datum Romæ in Baſilica principis Apoſtolorum, anno Incarnationis Dominicæ* MCCCCL. IX. *Kalend. Junii, Pontificatus noſtri anno* IV.

Joan. 12. 26.

III. Bullam hanc canonizationis ſuopte ingenio compilaſſe, & propria manu primitus exaraſſe Nicolaum Pontificem, monetur in regeſto Capiſtrani, & in principio operum ſancti Bernardini; ubi etiam præfigitur diſtincta relatio totius facti, & brevis epitome vitæ, geſtorumque mirabilium, quam hic excribo.

Epitome canonizationis & geſtorum S. Bernard.

Excelſus Dominus Deus noſter, Rex Regum & Dominus Dominantium, ab initio ſeculi humilia reſpicens, humanum genus exaltando, & alta faſtigia ſuperborum ſpirituum deprimens, æqua lance juſtiſſimi cruciatus, ſuis ordinatiſſimis temporum ſucceſſibus, omnia libravit in pondere, numero & menſura, de nihilo cuncta producens in eſſe, hominem, quem ad ſuam imaginem & ſimilitudinem de limo terræ plaſmavit, vitæ ſpiraculum tribuens, ſuper omnia opera ſua conſtituit, gloria tantæ dignitatis attollens, ut ubi cum ſuis

An-

Angelicis ſpiritibus regnat ipſe, ſuos etiam cultores honorificentia ſupereffluente coronet, & ſui glorioſiſſimi nominis præcones electos ab æterno, ſecum decreverit triumphaliter exaltare; veræ fidei orthodoxæ lumen revelans primitus ſanctis Patriarchis, deinde Prophetis, & in temporis plenitudine deſcendens hypoſtatice Filius Dei Jeſus Chriſtus, Verbum æternum a patre genitum, caro factum, ut homines Deos faceret, Deus homo factus eſt, ſigna potenter innovans, & ſapienter immutans mirabilia, ſua ferventiſſima caritate, mortem patiens, ut ſui pretioſiſſimi ſanguinis commercio hominem, ſua culpa deperditum repararet, pacificans per ſanguinem crucis ejus, ſive quæ in cœlis, ſive quæ in terris ſunt. Noviſſime diebus noſtris jubar quoddam mirifici ſplendoris & refulgentis luminis, ad gloriam ſui nominis efficacius propalandam eduxit in lucem; Sanctum videlicet Bernardinum, de Senis cognomento, Ordinis Fratrum Minorum ſacræ Religionis beati Franciſci ab adoleſcentia ſua cultorem, & diligentiſſimum obſervatorem, quoad promptam obedientiam, hilarem paupertatem, & nitidiſſimam caſtitatem, imo, ut conjecturari licite poteſt ex diſcurſu ſuæ converſationis & vita, integerrimam virginitatem. Hunc virum nobilibus ortum parentibus, religione Chriſtiana verum Dei cultorem, nullis oblatis honoribus, nullis dignitatibus Eccleſiaſticis, vel ſecularibus abſtrahere valuit pompa favorabilis auræ mundialis ab aſperitate & rigore obſervantiæ regularis. Sprevit equidem & parvipendit ſuæ proſapiæ militaria inſignia, nec ſe dignum Pontificali inſula reputavit, cum trina vice fuerit ad Epiſcopalem dignitatem inſtantiſſime poſtulatus: qui potius Domino Jeſu Chriſto humiliter famulari diſponens, cuncta terrena deſpiciens, carnem cum Chriſto cruci affigens, continue macerabat jejuniis, vigiliis, diſciplinis, continuis laboribus & ſollicitudinibus orationum, lectionum, meditationum, contemplationum, & ceterorum bonorum operum; non ſibi ſoli vivere, ſed aliis proficere, zelo domus Dei, animarum ſalutem ſitiens, noctes ducebat inſomnes, ſacrarum ſcripturarum lucidiſſimas enucleans veritates, in ampliſſimis voluminibus relinquens poſteris dignam ſuorum bonorum laborum memoriam, & fructus divini nominis gloriæ plenos, doctrinæ ſalutiferæ ubertate fœcundos pariter & facundos, mellitos ſermones ordinans & utiliſſimos Tractatus componens, lucida veritate conſpicuos & præclaros. Tanta namque ſui eloquii ſuavitate in ſuis prædicationibus populos attrahebat, & demulcebat auditores dulcedine verbi Dei, quod deſidioſos & inteſtinos hoſtes & diſcordes animos ad concordiam & pacem, non quam mundus dat, ſed ad pacem Dei, quæ exuperat omnem ſenſum, amicabiliter revocabat. Uſurarios a voragine cupiditatis retrahens, ad reſtitutionem injuſte quæſitorum prudentiſſime inducebat; diſſolutos & vagos utriuſque generis peccatores ad veram pœnitentiam revocabat; & ad perfectionis culmen ſacrarum Religionum plurimos doctrina pariter & exemplis ſalutiferis, ac ſanis conſiliis animabat, & effectualiter adducebat: plurimas etiam ædificari fecit & conſtrui Eccleſias & loca Deo dicata ad divinum cultum ampliandum, Apoſtolico favente præſidio: Hoſpitalia, Monaſteria, & pia loca, piaſque ac miſerabiles perſonas multiformiter adjuvando relevavit, erexit atque provexit. Italicas regiones luſtravit & provincias, adeo quod ubi cultu veræ fidei vacua prius cenſebatur, ſuis prædicationibus illuſtrata religio præfulgeat limpide Chriſtiana; & abjectis carnis illecebris, impietateque depulſa, ac ſecularibus deſideriis abnegatis, in non parvo numero mares & mulieres elegerint tum in Ordine Fratrum Minorum, tum in Ordine ſanctæ Claræ, vel etiam in Ordine pœnitentum, qui dicitur Tertius Ordo, a beato Franciſco primitus inſtitutus, & ſe voto aſtrinxerint, & quotidie ſe aſtringant, ſobrie & juſte & pie Altiſſi-

tiſſimo reddere perpetuum famulatum; & omnem, quantum in ſe fuit, populum, qui prius erat in caligine tenebrarum, luminoſum redderet, Deo acceptum, & bonorum operum ſectatorem. Ut autem ad profectum Chriſtiani populi ſanctitas hujus divini præconis eluceſceret, multis eumdem adhuc militantem in terris Altiſſimus inſignivit prodigiis, & pluribus poſt ejus felicem tranſitum effecit miraculis clariorem; nedum in Aquila civitate magnifica, quam, Domino diſponente, pro ſui jam lapſi corpuſculi dormitione ultima præelegit, verum etiam innumerabilibus mundi climatibus, veridica fama proclamante, & fide dignis teſtibus referentibus, quotidianis divinis beneficiis, ſuis glorioſis meritis invocatis, reficitur populus Chriſtianus: cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, pauperes evangelizantur; & beati, qui non ſcandalizantur in Chriſtum Jeſum Dominum noſtrum. Nos itaque pro tot & tantis divinis munificentiis & donis & largitatibus, noſtra ætate tam copioſe tamque abundanter impenſis, etſi non quales & quantas debemus, ſaltem quales & quantas valemus, gratias agimus bonorum omnium largitori, quod diebus noſtris ad confirmationem Catholicæ fidei, ad confuſionem hæreticæ pravitatis, ad extirpationem ſchiſmatum, ad exaltationem integerrimi ſtatus, unionis & obedientiæ ſacroſanctæ Sedis Apoſtolicæ, Eccleſiæque Romanæ copioſiſſimam utilitatem, & firmam ſpem ſalutis & gloriæ omnium verorum Chriſtifidelium, necnon & ad provocationem omnium infidelium Judæorum & quorumlibet Paganorum, ut cognita ex prædictis luce veræ fidei, ad Chriſti gremium currant pro æterna gloria capeſſenda, qui eſt lux vera, illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum ſqualidum & horrendum, dignatus eſt talia operari ex meritis ſui fideliſſimi cultoris, & bajuli ſui nominis glorioſi ſancti Bernardini præfati: cujus laude, digna memoria, coruſcante tot miraculis, inſignis & prodigiis atque portentis crebreſcentibus, acclamantibus undique populis, & petentibus ejus canonizationem: tamdem ad inſtantiſſimam ſupplicationem & requiſitionem Illuſtris D. D. Alphonſi Regis Aragonum, necnon nobilium Oratorum civitatum Senarum & Aquilæ, ac nonnullorum aliorum Principum, Comitatuum atque municipiorum, fel. rec. Eugenius Papa IV. tribus S. R. E. Cardinalibus, videlicet tunc Capuano, Andegavenſi, & de Albertis, quo decedente, ſanctæ Mariæ novæ, loco ejuſdem de Albertis, commiſit examinandam vitam, obitum & miracula: qui Domini Cardinales ex diſpoſitione ejuſdem fel. rec. Eugenii ſuos Commiſſarios deputarunt, Reverendos videlicet Epiſcopos Aquilanum & Pennenſem: qui omni exquiſita diligentia ſuum officium exequentes, ſolemnem proceſſum ediderunt, præſentaveruntque eiſdem Præſuli & Cardinalibus antedictis. Sublatis de medio poſtmodum præfato Eugenio & Capuano, ad majorem elucidationem præfatæ cauſæ, ut ſuum, prout dignum erat, lætum conſequeretur effectum, loco Capuani ſanctiſſimus Dominus noſter Nicolaus Papa V. ſucceſſor eiuſdem Eugenii ſubſtituit Reverendiſſimum Dominum Cardinalem Tarentinum, deſtinavitque Reverendos Dominos ſubdelegatos eorumdem Cardinalium Epiſcopos Urbinatem & Pennenſem: qui etiam ſolemniorem compoſuerunt proceſſum, & ultra miracula primi proceſſus multo excellentiora miracula repererunt, & præfatis Papæ & Cardinalibus retulerunt. Quibus accuratiſſime diſcuſſis & ruminutis, eorum conſcientiæ viſum eſt, obnoxios eſſe Deo, ſi quem tantis miraculis Altiſſimus illuſtrabat, dignis præconiis & laudibus in terris attollere denegarent: diſtulerunt attamen pro aliquo temporis intervallo, ad omnem ſcrupulum auferendum de mentibus quorumcumque, propter perniciоſiſſimum ſchiſma, quod ſupererat. Quo etiam præfatus prædeceſſor canonizationem eamdem retardavit. Denique a

multiplicibus Oratoribus Catholicorum Principum, & frequentibus litteris, continuatis ſupplicationibus excitatus, ſublato etiam ex hac luce Tarentino præfato, loco ejus Nicolaus præfatus ſubrogavit Reverendiſſimum B. Epiſcopum Cardinalem Tuſculanum, Nicenum primitus appellatum; deditque inſuper in mandatis cum ſubdelegatione præfatorum Cardinalium, Tuſculani videlicet, Andegaven. & ſanctæ Mariæ novæ, Reverendo D. Angelo Epiſcopo Eſculano, ut ad civitatem Senarum, Aquilanam, & alias civitates & loca, perſonaliter ſe conferret, prout ſibi commodius videbatur, & omni exacta & rigida diligentia perquireret, & inveſtigaret omni vigilanti ſtudio, ac ingenio perſpicaci, totum vitæ curſum ab origine, & ſucceſſive uſque ad ultimum vitæ terminum, geſta, mores & actus ejuſdem ſancti Bernardini: Quo juſſa Papæ & præfatorum Cardinalium ſollicitius & accuratius exequente, redditaque ab Altiſſimo tranquilla pace, extirpatoque radicitus ſchiſmate antedicto, viſiſque tribus rigoroſiſſimis proceſſibus antedictis, proclamantibus undique ſonoroſis precibus ſupplicantium pro canonizatione præfata: Cupientes rem tanti ponderis cum omni puritate ac debita ſolemnitate proſequi, ne a vulgaribus forſan de negligentia notarentur, examinationem ſcripturarum, proceſſuum & miraculorum prædictorum antefato Tuſculano, in magnifica Bononienſi civitate Legatione pro Sancta Romana Eccleſia digne fungente, & Reverendiſſimo Domino F. Cardinali Epiſcopo Portuenſi, Reverendiſſimis Dominis Guillelmo tit. ſancti Martini in Montibus Presbytero, & Petro ſanctæ Mariæ novæ Diacono Cardinalibus, idem Papa Nicolaus diligenti animo commendavit: qui in hujuſmodi negotio rite & canonice procedentes, vitam hujus ſancti viri, ejuſque præclara merita & innumerabilia miracula, omni luce clariora, omnique impugnatione ſecura, primitus in ſecreto Conſiſtorio iteratis vicibus retulerunt. Denique in publico Conſiſtorio per egregium I. V. Doctorem Dominum Joannem de Baroncellis, Advocatum Conſiſtorialem, alta & intelligibili voce ad æternam rei memoriam palam fecit idem Nicolaus Papa recitari; e quibus nonnulla his præſentibus litteris inſeruntur, quaſi ex multis pauca collecta, ne tædium pariat intuentibus ſcriptura prolixa. Quibus omnibus hilari mente diſcuſſis, & ob devotionem tantorum divinorum beneficiorum, inundantibus lacrymis, profuſoque vultu, piæ mentis ad Altiſſimum Regem Regum, & Dominum Dominantium Jeſum Chriſtum oculos dirigens, Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, Patriarcharum, Metropolitanorum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum & plurimorum aliorum Prælatorum conſilio pariter & aſſenſu, auctoritate Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, ſummus Pontifex antedictus hunc ſanctum, beatumque virum catalogo Sanctorum Confeſſorum adſcripſit: mandans omnibus & ſingulis Prælatis, ceteriſque Chriſtifidelibus univerſis, ut ejuſdem ſancti Bernardini feſtum XIII. *Kal. Junii, die videlicet ſui tranſitus* MCCCCXLIV. *annis ſingulis celebrent, & a ſuis ſubditis faciant ſolemniter celebrari. Canonizatio autem facta fuit anno* MCCCCL. IX. *Kal. Junii, Pontificatus ejuſdem anno* IV. *& ad excitandum fidelium mentes ad majorem devotionem, quaſi quibuſdam allectivis muneribus, remiſſionibus ſcilicet peccatorum, & indulgentiis invitans, ut exinde reddantur divinæ gratiæ aptiores: Et ut ad venerabile ejuſdem Sancti pignus eo ardentius ipſorum Chriſtifidelium confluat multitudo, & celebrius ejuſdem Sancti Confeſſoris feſtivitas excolatur, omnibus vere pœnitentibus & confeſſis, qui cum devotione & reverentia illuc in eodem feſto acceſſerint annuatim, ubi ejuſdem Sancti corpus honorifice requieſcit, ejus ſuffragia petituri; de omnipotentis Dei miſericordia, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſus, ſeptem*

annos,

annos, & totidem quadragenas de injunctis eis pœnitentiis misericorditer relaxavit.

IV. Aliam adjungo ex Auguſtino Datho, illius temporis docto ſcriptore, & ſpectatore hujus ſolemnitatis, narrationem, necnon inſignis trophæi Senenſium, quo ſui concivis & venerandi Magiſtri honori congratulati ſunt: *Interea*, inquit, *cum major in dies Chriſtianorum turba Romam contenderet ad Jubilæi celebritatem, facta jam ubique per omnem Italiam diligentiſſima de Bernardini vita perſcrutatione, atque omnifariam exquiſita, Pontifex Nicolaus una cum multorum Patrum, & Cardinalium omnium, ac ſacrorum Antiſtitum cœtu, ad tanti Cœlitis illuſtrandum gloriam accingitur: nam cum & perfectæ ſanctitatis opera præceſſiſſent, eluxiſſentque tum in vita, tum etiam poſt mortem multi generis miracula & virtutes, dignus judicatus eſt Bernardinus Senenſis, qui in catalogo Sanctorum, quos ſtatuit ac probat Eccleſia, conſeretur. Itaque, cum infinita quædam omnium ex longinquis nationibus Chriſtianorum, ac remotiſſimis fidelium populis turba conveniſſet, adeſſentque Senenſium & Aquilanorum Legati, eum innumerabilis & convenarum frequentia quaſi ad tam præclarum & glorioſum ſpectaculum divinitus convocata circumſtaret, ſummo Pontifice miniſtrante, Bernardini ſanctitas Catholicæ Eccleſiæ & Apoſtolicæ Sedis auctoritate tum declarata tum etiam comprobata eſt. Idque incredibili non ſolum Patrum conſenſu, ſed etiam circumſtantium favore factum eſt, ut omnes una voce, & miro quodam ardore illius meritæ & admirabilem gloriam prædicarent. Nihil prætermiſſum eſt ad legitimam comprobationem: cœtus pro inſtituto habitus eſt, initum a Patribus ſolemne concilium, Baſilica Apoſtolorum honorifice parata eſt, inque ejus medio altior thalamus atque admirabilis conſtitutus eſt, ſervatæ cæremoniæ omnes, legalia perſoluta donaria: aderat inviſa ante illa tempora Fratrum Minorum turba, qui tunc Romæ habendi cœtus gratia convenerant. Laudata luculenta oratione a ſummo Pontifice Bernardini vita eſt, præclara & inaudita acta ſolemnia, ſacrorum ritus nulla ex parte non cumulatiſſime exactus, luminaria plura comparata, quam quæ ejuſmodi in rebus conjectari poſſint, Senenſibus & Aquilanis large illa in primis ſuppeditantibus: pullorum oblata munuſcula, paria turturum & columbarum, aurati vini cadi, & libamina conſimilia adhibita, & affatim reliqua, quæ ad id ſacrum miniſterium deferri ſolent. Numquam actum eſt ea in re, ut plerique ajebant, aut largius aut ſplendidius. Sed infinita vis hominum, & omnium pene gentium incredibilis multitudo, quæ denſa premebatur, quæ vias, quæ tecta, quæ proximas vineas & culta loca, quæ propugnacula & muros complebant, ut numeroſa circumſpectantium agmina etiam metiri animo difficillimum eſſet. Hæc cum facta ſunt, ubique fidelium gentium hujus Cœlitis ſanctitas celebrata eſt. Ad venerandam autem Bernardini comprobationem, tum apud finitimos populos, tum in externis etiam civitatibus, ac longinquis regionibus præclara ſunt acta ſolemnia. Senenſes in primis tanto munere uſque adeo lætati ſunt, ut ſit excogitare quam explicare longe facilius; quippe extructis præ palatii foribus ſublimioribus tabulatis, quorum altitudo erat pene cubitorum quinque, latitudo autem cubitorum circiter viginti: ſtratis pontibus aulæa ſuſpenſa ſunt, & ornata omnia ſerico & purpura, circumſedilia pari ornamento: in medio ara poſita, quæ gemmato auro & argento fulgebat: plateæ omnes, omnia angiporta, areæ omnes hedera virebant, lauro, buxo, ac feſta fronde ſerti flores, ſparſi junci, atque corymbi, adjecta velaria, & coronæ ſuſpenſæ, civitatem omnem, templa & ſacras ædes exornabant: in quadriviis & compitis erecta altaria: omnia præclaris ſignis & tabulis niteſcebant. Ubique Bernardini aut egre-*

Datus lib. 2. Hiſtor. Senen.
Alia hujus celebritatis narratio.

Senenſium applauſus.

gie picta, aut artificiose exculpta conspiciebatur imago. Utriusque sexus cives, non juniores solum, sed cujuscumque etiam ætatis homines pro se quisque ad gloriosum celebrandum solemne accingebantur. Ac propter excelsum turrim supra sacellum haud longe a prætorio, prealta tabulata surgebant, strata magnifice. Eorum erat fere stadii unius altitudo, in quibus spectaculum admirabile, beatorum concilia, ac piorum sedes agerentur, ac surgebat quidam humo ad ea usque tabulata magno artificio summæ tenuitatis, quo ad elevatum pavimentum admirabilis patebat ascensus. Viæ omnes inumbratæ erant proceris ac defixis arboribus. Varia ubique spectacula, & ludicra signa oculis subjiciebantur. His igitur ita solemniter instructis, ac redeuntibus Legatis Roma, indictis feriis, festivitas, summa omnium civium ac subditorum lætitia, ac magno populi plausu, celebrata est. Et primo quidem die, Clero universo in majori Basilica advocato, frequenti cœnobitarum & Sacerdotum cujuscumque ordinis multitudine, collata crucis imagine, ac purpureo velo prævio, omnes veluti instructo agmine ad forum processerunt. Extremo loco accitus Pontifex, splendida amictus atque interniteute auro veste, sub sericeo umbraculo gestabat sacra manu, aliisque Patribus congredientibus, magna subinde civium corona, & virorum ac mulierum concitante turba, qui hymnos læte personantes, cum ascendissent tabulatorum fastigia, vespertinam laudem concinuerunt, Bernardini memoriam recensentes. Postero autem die, eodem ordine ac majori apparatu, præclara celebrata sunt sacrificiorum solemnia, in quibus plurima funalium vis lucebat. Atque id fuit certe mirandum, quod ex præparato habitaculo, revelatis aulæis, cœlestis domicilii species subito comparuit, sonitu citharæ, fidis, tibiæ, symphoniæ, fistulæ, & pene omnis generis musici organi, & suavissimo hominum concentu, micantibus undique igneis radiis, alius alium cœlitem repræsentabant. Tum ab assistente Beatorum choro per ferri artificium, quod prædiximus, qui Bernardini personam gerebat, magno aspectantium stupore sublatus est, & humo in cœlestem sedem receptus. Fervebat pietate populus, & omnes intentis animis grates persolvebant Deo, Bernardinum canentes: cujus viventis quidem doctrina, mortui sanctitas omnium animos ad religionis amorem accenderet. Erat per eam diem tum civium, tum peregrinorum concursus admirabilis: sed, quod omnes vehementer admirati sunt, ex arbore, quæ in media area defixa erat, dum Pontifex Eucharistiam attolleret, repente prodiit innumera radiorum igniscentium vis; & alii in objectos parietes dum verberant, incensi resiliunt; alii dum sursum evolant, intuentium aciem frustrabant. Fragor simul & lux candens aspectantes stupere cogebat, nec ea humano artificio, sed divino potius miraculo fieri putabantur. Id ipsum & prima face noctis itidem factum est, turribus & templorum pinnaculis collucentibus, & passim ubique magnis ignibus omnia collustrantibus; tibiarum moduli, tubarum clangor, reboantium tympanorum mugitus, cymbalis accedentibus, & fistulis plurimis, ingentis æris sonitus, omnia lætitia complebant & plausu. Perraro visum multis seculis tantæ jucunditatis spectaculum. Sequenti post die supplicationes factæ tanto Cleri & populi cœtu, tanto rerum omnium nitore, ac splendidissimo apparatu, tanta omnium procedentium caritate & devotione, ut nihil supra aut dici aut cogitari possit. Quarto insuper die, eadem pene celebritate in Ecclesia Minorum sacra solemni ritu, & res divina facta est, cum & Magistratus omnes & cunctus populus interesset. Itaque sacratissimo Jubilei anno, frequentissimo Christianorum confluxu VIII. *Kal. Junias Bernardini sanctitas comprobata est; Idibus mensis ejusdem in urbe Sena ejus comprobationis veneranda solemnitas anno* VI. *post ejus mortem: quod etsi cogitaverat Eugenius IV. mors tamen*

enem peremit ejus conſilium, & a Nicolao V. id omne abſolutum eſt, quo eodem fere tempore Rex Alphonſus pacem cum Florentinis fecit. Refert hic auctor in oratione, quam de laudibus Bernardini ad Senenſes habuit, ſe compoſuiſſe lectiones, quas in Eccleſia Cathedrali legebant in feſto ejuſdem Divi, eaſque approbatas fuiſſe a Pio II. In eis brevi compendio totam vitam compilavit. Habentur in fine ejuſdem orationis.

V. Æneas Silvius concivis, qui poſtea Pius II. hoc ipſo tempore libellum ſcripſit de viris illuſtribus ſui temporis; refertque ibi tunc habita fuiſſe duo Conſiſtoria pro ſancti Bernardini canonizatione, & ſuorum Senenſium erga ſanctiſſimum Virum miram propenſionem eo proceſſiſſe, ut cum aſinus, quem, Aquilam profecturus, duxit, & aliquando feſſus ſolebat aſcendere, quique libros ejus deferebat, Senas remeaſſet, a mulieribus depilatus eſt; adeo ob illius memoriam aliquid ſuum habere cupiebant. Ejus ocularia Philippus Dux Mediolanenſis ſibi tranſmitti curavit, nam dolorem patiebatur oculorum. Atque ſane canonizatio hæc omnes Italiæ urbes & pagos incredibili lætitia affecit, ita ut nullus, quantumlibet exiguus, in tota Italia pagus eſſet, ubi non præ ſpiritali exultatione proceſſio fieret, & ejus dies feſtus celeberrime coleretur. Principes Gonzagæ in urbe Mantuana gratæ memoriæ indicia exhibuerunt ſacræ & ſalutaris ab eo receptæ doctrinæ, extructo protinus in ejus honorem pulchro ſacello, aliiſque in urbibus ſpecioſiſſima templa, Fratrum & Sororum Cœnobia ejus nomini dicata. Debebat profecto Italia omnem hanc gratiam Bernardino, quam per annos quadraginta, conſtanter monendo, prædicando, docendo, caſtigando, a pleriſque malis liberavit, a vitiis repurgavit, perniciosiſſimas illas factiones Guelpham & Gibellinam, Italiæ peſtem, maxima ex parte extinxit, & omnibus bene beateque vivendi viam oſtendit.

Sylv. lib. MSS.

Senenſium erga Bernardinum propenſio.

Omnium populorum congratulatio.

Donesm. in hiſtor. Mantua l. 5.

VI. Extra Italiam ad alias regiones profectum aliqui ſcribunt, & Antonius Sanderus ex archivo Monaſterii Brugenſis eum in Flandriam perrexiſſe affirmat, Brugiſque aliquandiu moratum, verbum Dei prædicando, ad emendationem vitæ negotiatores exteros illic degentes perduxiſſe, in eoque Conventu puteum benedixiſſe, ex cujus aqua bibentes, certam adverſus febres antidotum percipere olim ſolebant, quod alias a nobis indicatum eſt. Ego profecto apud nullum ex tot illius vitæ ſcriptoribus egreſſus ex Italia veſtigium reperio. Et quidem ſanctus Vincentius Ferrerius ſe prædicatorem & Magiſtrum ultramontanis provinciis datum, Bernardinum Italiæ, ſuo declaravit vaticinio. Præterquam quod ipſe non ſemel in lugubri illo planctu, quem emiſit in obitu Vincentii, videatur innuere ſe ſemper intra Italiæ fines continuiſſe.

Sander. in Hagiolog. Fland. pag. 51.

An Bernardinus extra Italiam prædicaverit.

Tom. 1. An. 1233. num. 40.

Tom. 10. Ann. 1418. n. 34.

Tom. 11. Ann. 1442. n. 13.

VII. Aliquot ejus diſcipulos, virtutum & imitatores recitat Æneas Sylvius citatus, ſed plures Robertus a Lycio: qui poſt canonizationis celebritatem, & ſancti Viri encomia ab ipſo Pontifice prolata, inſignem concionem habuit ad populum. In eo enim ſermone, quem provectiori ætate (in eo namque agit de ſancto Bonaventura a Sixto IV. canonizato) & ſub infula Pontificia exaravit, ita ſcribit de Bernardini in dicendo efficacia & fructu: *Prædicavit enim cum admirabili animarum fructu, adeo quod omnes Italiæ civitates, & majores, & minores, & mediocres pro majori parte ſua doctrina reduxit ad Chriſtum. Ipſe peccatores convertit. Ipſe uſuras extinxit. Ipſe multos habitum Religionis induit. Ipſe Fratrum de Obſervantia loca & Monaſteria conſtrui fecit. Ipſe diſcordantes ad pacem reduxit. Ipſe ad feſta colenda populos traxit. Ipſe denique cunctos mares ac mulieres, ut Deum timerent, amarent, allexit. Teſtantur hæc omnia præcla-*

Bernardini diſcipuli & prædicationis fructus.

Roberti citat. c. 3. & 2.

clariſſimæ inclytæque Italiæ urbes: Roma, Sena, Peruſia, Florentia, Bononia, Ferraria, Venetia, Padua, Verona, Vincentia, Brixia, Mediolanum, Janua, & aliæ quam plures. In quibus ita efficaciter ſeminavit verba vitæ, ut uſque in præſentem diem adhuc guſtentur fructus prædicationum ſuarum. Quinimo & ſi qui poſt ipſum in officio prædicandi clari ſunt habiti, ut Fratres Joannes de Capiſtrano, Jacobus de Marchia, Matthæus de Sicilia, Antonius de Bitonto, Andreas de S. Gemino, Joannes de Prato, Jacobus de Donzelis de Bononia, Herculanus de Peruſio, Franciſcus de Trevio, Sylveſter de Senis, Antonius de Arimino, Michael de Mediolano, Bartholomæus de Tano, Antonius de Vercellis, Seraphinus de Caeta, Cherubinus de Spoleto, Franciſcus de Spoleto, Hieronymus de Florentia, Dominicus de Leoneſſa, Jacobus de Gallio, omnes Fratres Minores, in hoc genere dicendi famoſiſſimi, & quicumque alii etiam de aliis Ordinibus Mendicantium, pro majori parte conati ſunt imitari modum & regulam atque ſtylum ſancti Bernardini. Adhuc & multi ex his ſermones illius populis pronunciarunt, qui fructus uberrimos produxerunt. Ego etiam, qui Bernardino, etſi incompoſite, tamen non ſine devotione præcipua iſta refero, omnem Italiam luſtravi, prædicavique quadraginta annis Evangelium Jeſu Chriſti, Bernardinum habui in ſtylo pronunciandi, necnon ſcribendi, patrem & præceptorem. Et licet illum non viderim, legi tamen ſermones amæniſſimos, quos compilavit. Prædicavi & illos quandoque, licet poſtmodum alios ego confecerim.

Prædicatores famoſiſſimi.

VIII. Ex Bernardini diſcipulis iſtos a Pontifice, urbibus & proceribus deprecantibus, deſignatos hoc anno in Quadrageſima prædicatores invenio in regiſtro Capiſtrani. In Urbe ad Baſilicam ſancti Petri, Robertum prædictum de Licio; Florentiæ ad ſanctam Reparatam, Antonium de Bitonto; Senis, Silveſtrum ab ea urbe cognominatum; Aquilæ, Marcum Bononienſem; Ferrariæ, Joannem de Prato; Perufii, Antonium Ariminenſem; Bononiæ, Andream de ſancto Gemino. „ Andreas de Biliis „ Mediolanenſis Eremita Auguſtinianus, vir doctus, inter multa, quæ reli„ quit poſteris Opera, etiam ſcripſit libros duos de inſtitutis diſcipulis ex „ doctrina fratris Bernardini de Senis Ordinis minorum. Incipit Opus. „ *Forſan quidem ego nequaquam.*

IX. Hæc habui, quæ de vita, geſtis, obitu, gloria Bernardini, ſuis locis diſtincta, recenſerem. De inſigni templo, & contiguo Cœnobio ab Aquilanis in ejus honorem conſtructo: de ſolemni corporis translatione, & nobiliſſimo cultu, agemus ſuo loco. Claudo hæc brevi Apoſtrophe illius ſeculi & urbis applauſu, qua eruditus ille Poeta a nobis alias citatus, carmen ſuum de Bernardini miraculis abſolvit.

Anno 1472.

Tom. II. Anno 1444. n. 18.

Felices, talem qui progenuere parentes,
Felix & patria eſt, felicia tempora, fato
Digno ſuo; ſed longe terra beatior illa eſt,
Quæ ſancti tegit oſſa viri, ſervatque ſepulcro.
Hæc igitur Rex ille hominum, pariterque Deorum
Chriſtus, ab intactæ quondam qui Virginis alvo
Proſiluit, tetrumque Erebum ſpoliavit opimis
Exuviis, ſuperique plagas aſcendit Olympi,
Chriſticolis veneranda dedit, morituraque nullo
Tempore, perpetuum ſed quæ celebrentur in ævum.

Hoc an. n. 1. Capitulum generale 85. Romæ

X. Ad hanc canonizationem immenſa illa multitudo Fratrum, quam ſupra dixi, concurrerat, & habita ſunt totius Ordinis comitia generalia ad Aram-

Aram-cœli, convenientibus ibidem etiam Patribus Conventualibus, qui nullam in Urbe domum habebant, præter hoſpitium, vel receptaculum Procuratoris Ordinis ad ædem ſancti Salvatoris in Undis. Pontifex Nicolaus ſubſidium tulit bis mille aureorum, adhibitis aliis multis ſuæ benevolentiæ indiciis. Ipſo etiam Præſidente, die XXIV. Maii, electus eſt in Miniſtrum Generalem, communibus omnium ſuffragiis, Angelus Serpetri Peruſinus, Procurator & Vicarius Generalis Ordinis, ſacræ Theologiæ Magiſter, vir bonus & doctus, longa rerum gerendarum experientia notiſſimus. Statim poſt electionem Joannem Capiſtranum in officio Vicariatus Generalis confirmavit, ampliſſimam eidem, & Vicario Ultramontano tribuens ſuper familiam regularis Obſervantiæ poteſtatem. Non interfuit his comitiis Ultramontanus, longa infirmitate gravatus, ex qua hoc anno die XXIV. Auguſti, in Conventu Athenſi in Hannonia deceſſit. Ejus cum laude meminit Arnoldus de Raiſſe, in ſuo auctario ad Natales Sanctorum Belgii Joannis Molani; & hoc illius Epitaphium exſcripſit: *Hic jacet ſacræ regularis Obſervantiæ Ordinis Fratrum Minorum profeſſor & amator præcipuus, frater Joannes Pieroche, alias de Mauberto, qui per multa temporum curricula extitit Fratrum nuncupatorum vulgariter* de Obſervantia, *in pluribus partibus & provinciis Director & Vicarius, ſuæ vitæ diem complevit vigeſima quarta Auguſti, anno Domini milleſimo quadrigenteſimo quinquageſimo*: Addit etiam eum ibidem in magna haberi veneratione; quippe qui non ſine ſanctitatis opinione e vivis abierit. Valde errat circa hujus viri ætatem & officii tempus Petrus Rodulphus, cum à Franciſco de Savona Generali Miniſtro eum poſt annum MCCCCLXVII. inſtitutum Vicarium familiæ Ultramontanæ recenſet.

Eligitur Generalis Miniſter Angelus Peruſinus.

Moritur Joan. Mauberti.

Raiſſe ad diem 24. Aug.

Rodulf. fol. 244.

XI. Eodem menſe, celebri Aſſumptionis Virgineæ feſtivitate, ad cælos evolavit beatus Albertus Sartianenſis, cujus præclaras animi dotes, & glorioſiſſimos pro Eccleſia Catholica & fidei propagatione labores, per varios annos diſtribuimus. Mediolanenſem fuiſſe ſcripſit Henricus Willottus, ſequuti ſunt Rodulphus, & Poſſevinus. Nos Etruſcum ex probatis diximus auctoribus, & veſtuto ejus vitæ compendio. Adſtipulatur Leander Albertus in ſua Italiæ deſcriptione, & regione Tuſciæ, dum Sartianum, vel Sarteanum, oppidum, a quo Alberto cognomen adhæſit, *Alberto ex Minorum Ordine maximo concionatore inclytum* appellat. Et Blondus: *Ultra Cluſium*, inquit, *Sartianum eſt oppidum, Alberto Minorita, divinorum dogmatum prædicatore inſigni, ornatiſſimum*. A tempore quidem, quo prædicandi munus, Superiore jubente, ſuſcepit, numquam ab opere ceſſavit, perpetuo inſtituto contra nefarios bello, vehementi ardore inſequens vitia, nequicquam timens a facie potentis. Hinc multoties vitæ diſcrimen, & Procerum offenſiones incurrit. Franciſcum Sfortiam, poſtea Mediolanenſium Ducem, ejuſque aulicos, ob quædam indigne facta acriter ex ſuggeſto reprehendit, cui proinde mortem minitantes, imo & illaturos ſatellites Sfortia cohibuit, dicens: *Nolite offendere juſte redarguentem: ſuo enim fungitur officio*.

Item Albertus Sartianen.

Willot. de ſcriptor. Ord. Miner. Rodul. fol. 72. Poſſevin. in Appar. Marian. lib. 24. Marcus lib. 3. c. 35. Leander Albert. Blondus in Etruria.

Intrepidus & proficuus concionator.

XII. Mirum in modum omnes ejus prædicationem extollunt. Doctis & indoctis gratam & fructuoſam affirmant, & proinde ſummo deſiderio per univerſas Civitates omne genus hominum ad audiendum confluxiſſe. Mediolani aliquando convenerant ſexaginta millia hominum, & alibi plura. Invidebat Dæmon, & populum variis artibus ab audiendo deterrebat. Semel immiſſo cervo cornupeta, frequentiſſimum turbabat cœtum, ſed ex ſuggeſto Vir Dei ſedavit, monens malum genium ſub cervi forma turbas has mi-

Dæmonis detegit inſidias.

miſcuiſſe; deinde larvatum dæmonem ſolo abegit imperio. Sanctiſſimis documentis immaculatam conjunxit vitam & opera ſanctiſſima, quibus Orientales multos ad fidem convertit, pleroſque ad unitatem Eccleſiæ a ſchiſmate revocavit, incredibilem multitudinem ab errore retraxit, & plurimos Religioſorum cœtibus adjunxit. Suo Inſtituto multa acquiſivit domicilia, præſertim in Candia, Capha, Conſtantinopoli, aliiſque locis, per quæ in duplici, quam retulimus, legatione pertranſiit. In concionibus ſanctum Jeſu nomen exaltabat, Bernardinum Senenſem imitatus, cujus diſcipulus erat, & cultor præcipuus. Tot præclaris meritis radiantem ejus animam vidit beatus Joannes Capiſtranus in cœlos aſcendentem, dum in Conventu Burgi ſancti Sepulcri Fratribus pleriſque in menſa aſſideret. Erecta enim hilari & radianti in cœlum facie, jucunda voce exclamare cœpit. *O me, Patres, video animam cujuſdam fratris noſtri in cælum evolare; En ſpecioſa vadit; en properat pulcherrima.* Idque fixo in altum obtutu ſæpe repetebat. Inde ad orationem profectus, cælitus percepit animam fuiſſe Sartianenſis, tunc ab ergaſtulo corporis ſolutam. Sepultus eſt in Cœnobio ſancti Angeli, ubi poſt mortem miraculis coruſcavit. Multa & præclara reliquit ſui ingenii monumenta, quæ penes me ſunt, aliquando, Deo auſpice, in lucem proditura.

Ejus animam videt Capiſtranus in cœlum aſcendere.

XIII. Joannes Capiſtranus ingenti illa exoneratus cura, quæ annis ſex continuo premebat, canonizationis ſancti Bernardini, ſe totum addixit Fratrum miniſterio, & provinciis ſibi commiſſis oculata fide perluſtrandis. Sed antequam ex Urbe recederet, publicam iniit diſputationem cum Gamaliele Hebræo, Synagogæ Romanæ Magiſtro: quem tanta dexteritate, & veritatis Chriſtianæ claritate conſtrinxit, ut non ſolum ipſe, verum & alii quadraginta Judæi Chriſti fidem amplexi, ſacris aquis voluerint intingi. Inde ad omnes ferme Italiæ regiones profectus, multa ubique correxit, ſanci vit, ſtabilivit. Urbes & oppida pertranſiit benefaciendo, prædicando, miris operibus & ſignis doctrinam confirmando. Civitates, quas præteribat, & populi, ad quos non poterat divertere, miſſis litteris & Oratoribus viris primariis, rogabant, vt ad biduum, vel per diem unum, vel ſaltem per horam ſui conſpectu & doctrina dignaretur conſolari. Tenerrimo hujuſmodi affectu plenæ litteræ aliquot ad manus meas venere, in quibus perſpicio, virum Deo & hominibus carum, mira quadam conſenſione ardentius hoc anno ab omnibus expetitum, quaſi occulto quodam præſagio divinarent, non amplius viſuros. Annus hic fuit in Italia poſtremus; etenim, deprecante per internuncios Friderico Imperatore, miſſus eſt anno ſequenti in Germaniam, Huſſitis reſtiturus, & rem Catholicam in vaſtiſſimis regionibus conſolidaturus. Admirabilia ſunt, quæ inceſſanter operatus eſt in Boemia, Moravia, Auſtria, Hungaria, Polonia, & pleriſque Germaniæ provinciis. Omnia ſuis locis, ſi Deo placuerit, referemus.

Capiſtranus Hæbreos Romæ convincit & convertit.

Multa egregia præſtitit hoc poſtremo anno in Italia.

XIV. Comitiis generalibus, & ſancti Bernardini canonizationi ſupra relatis adfuit ſanctus Didacus Complutenſis, cujus vitæ primordia, & geſta aliquot alias præmiſimus. Socium hujus itineris & peregrinationis Romanæ habuit Alphonſum a Caſtro, hominem religioſum ac pium. In longo & moleſto itinere, non minus ac ſi in Monaſteriis ageret, perfecte ſui Ordinis inſtituta ac regulam ſervabat. Erant tunc viæ difficiles, & hominum multitudine, qui in Urbem confluebant, obſtructæ, hoſpitia peregrinis plena, commeatus difficilis, & paſſim multa rerum inopia; ſed Didaco & ſocio, qui ſpem omnem in Deo collocaverant, omnia Dei virtute ſuppetebant. Tanta inerat Didaco gratia in omni opere & ſermone, ut facile hominum demul-

S. Didacus venit hoc anno Romam. *Tom. 11. Ann. 1441. n. 12. & ſeqq. Galeſin. c. 12. Marc. lib. 5. c. 4. Zena l. 1. c. 15.*

mulceret animos, facile ſibi paterent hoſpitia. Ut in Conventum Ara-cæli pervenit, animum cœleſtibus donis cœpit exſaturare, ſacra loca perluſtrare, peccata expiare, veniam profuſis lacrymis poſtulare, Chriſti ſanctiſſimo corpori communicare.

XV. Accidit ut in tanta Fratrum multitudine plurimi, partim propter itineris incommoda, partim propter rerum penuriam, alii propter hoſpitii anguſtias, alii propter aeris intemperiem, in varias inciderint infirmitates. Alphonſum etiam Didaci ſocium grauis morbus per tres menſes afflixit. Huic malo aliud acceſſit; quamuis enim Pontifex diligenter curaverat, ne annona & victui neceſſaria deeſſent, nihilominus in tanto ex univerſo orbe hominum concurſu, non levem Urbs paſſa eſt commeatus preſſuram. Interim Didacus omnem cariſſimo ſocio opem ferre, indigentiam levare, humiliter inſervire, nullum pietatis officium prætermittere. Ejus virtute & caritate perſpecta, ædis Præfectus valetudinarii curam injunxit, digne judicans omnium ſaluti præficiendum, qui ſumma inter omnes pietate polleret. Libenter obſecutus, tanta diligentia & caritate peregit officium, ut omnibus præſto eſſet, nulli die noctuve deeſſet; tantaque induſt ia infirmorum providit neceſſitatibus, ut dum alibi res deficerent, hic abundarent. Magnum hoc ægrotorum & totius Conventus per frequentes pingueſque eleemoſynas ſubſidium, & ſecundi clauſtri ciſternam, ejus diligentia, ut ajunt, fabricatam, omnes beati Didaci virtuti, & apud Deum interceſſioni acceptum ferebant, & tamquam hominem Deo gratiſſimum ſuſpiciebant.

Præficitur valetudinario.

Solicite proſpicit omnibus & abunde.

XVI. Decurſis tribus vel quatuor menſibus in pio hoc miniſterio, ſocio jam incolumi, ſtatuit cum eodem in Hiſpaniam reverti. In regreſſu non minus quam in acceſſu omnia redundabant, & prope Viterbium in vico, quem *Abbatiam* vocant, certatim accolæ victum per dies novem ibidem hærenti miniſtrarunt. Hiſpalim tamdem poſt varias itineris moleſtias pervenit; ubi Vicarium provinciæ Caſtellæ rogavit, ut ad domum aliquam religioſam & ſolitariam deſtinaret. Miſit ille ad devotiſſimum, & a turbis remotum Saliceti cœnobiolum, de quo alias egimus diffuſius; ubi conſueta pœnitentiæ exercitia, quorum adhuc ibidem recens memoria, annis aliquot peregit, donec ad Complutenſem Conventum, quod ſuo tempore dicemus, tranſlatus eſt.

Regreditur in Hiſpaniam.

Tom. 8. *anno* 1376. *n.* 18.

XVII. Qui ſequuntur, hoc anno inſtituti ſunt Epiſcopi. Sebaſten. ſub Patriarcha Hieroſolymitano, fr. Petrus Legerus, xv. Kal. Junii. Senaſcopolenſis in mari Pontico, fr. Georgius de Regibus, per obitum Joannis, Nonis Junii. Tyburtinus in Latio, immediate ſubjectus Pontifici Romano, fr. Laurentius, per obitum Nicolai, vi. Kal. Auguſti. Murianen. vel Marianen. ſub ſede quarta Apamia, & Patriarcha Antiocheno, fr. Durandus Sapelli Sac. Theologiæ profeſſor, per obitum Dionyſii, viii. Idus Novembris. Ebronen. ſub Patriarcha Hieroſolymitano, fr. Alvarus de Luna Sac. Theologiæ profeſſor, v. Kal. Decemb. Ex quodam hujus anni diplomate Nicolai circa rem teſtamentariam habeo, a Martino V. fuiſſe creatum Epiſcopum Montis-Albani in Gallia ſub Archiep. Toloſano, fr. Bernardum Sac. Theologiæ profeſſorem, ante hunc defunctum, eumque ſimul cum Jordano Epiſcopo Albanenſi, tunc in regno Boemiæ Legato, miſſum Sedis Apoſtolicæ Nuntium ad prædictum regnum, & inde ad alias partes: *Ad ea ex Apoſtolicæ*. ix. Kal. Decembris. Hunc omiſit Claudius Roberti.

Fr. Petrus Epiſc. Sebaſten.

Fr. Georg. Senaſcopolen.

Fr. Lauren. Tybur.

Fr. Durand. Murianen.

Fr. Alvar. Ebronen.

Fr. Bernar. Montis-Albani.

XVIII. Recenſeo quæ hoc anno vel facta vel refecta ſunt Fratrum & Sororum Cœnobia. Extra Verularum (urbs eſt in Latio) mœnia, prope

Con. Verulan.

Gonz. in Prov. Romanæ Con. 11.

portam civitatis extruxerat ſub annum MCXXVII. Lætus Epiſcopus Monaſterium Monialium Ordinis ſancti Benedicti, & vicinam Eccleſiam conſecravit die XXII. Auguſti ſub nomine ſancti Martini. Ea eſt rerum humanarum miſera conditio, ut omnia prolabantur in pejus, & ſuo pondere ferantur in ruinam. Paulatim laxatis moribus, eo pervenerunt miſeriæ Moniales, ut neque unde vivere poſſent tres dumtaxat, quæ ſupererant, haberent, neque qui dare vellet propter famam turpiter maculatam. Rogarunt ergo Cives, ut Monaſterium Fratribus Obſervantibus, populo proficuis, concederetur. Indulſit Pontifex, ea tamen lege, ut illis tribus incolis habitaculum & victui neceſſaria traderentur: *Sacræ religionis*. III. Kal. Februarii. Prædictis Monialibus vita functis, bona quæ ſuperfuerunt, converſa ſunt in beneficium Eccleſiæ & Conventus. Extant adhuc primæ fabricæ duæ humiles cellulæ vimine contextæ, & calce delinitæ, in quarum una hoc anno per aliquot dies requievit beatus Joannes Capiſtranus, cujus pallium illic ſervant Fratres, morbis pellendis opportunum.

Con Caſſiæ.

Idem in Prov. S. Franc. Con. 26.

XIX. Circa hunc annum aliud obtinuerunt Obſervantes domicilium in cujuſdam monticuli ſupercilio, M. P. ab oppido Caſſia in Umbria, quod flumine Corvo, ex Coriti montis altiſſimi radicibus orto, alluitur. Ædificavit Communitas & populus ſub titulo *ſanctæ Mariæ de Gratiis*. Tirocinio juvenum provinciæ ſancti Franciſci commode propter aeris temperiem & loci ſolitudinem inſervit. Eodem ferme tempore conſtructa eſt domus *ſanctæ Mariæ de Valcenegia* ad ſecundum lapidem ab oppido Montechii in Piceno. Communibus ædificatum facultatibus inhabitarunt aliquoto tempore Patres Clareni, demum ceſſit Obſervantibus. Paucos habet incolas, ut commodius excipi poſſint hoſpites, qui domum Lauretanam inviſunt, aut ex Etruria Romam proficiſcuntur.

Con. Montechii.

Idem in Prov. Marc. Con. 38.

Con. Burginovi. *Idem in Prov. Bonon. Con. 13.*

XX. Hoc anno, die XVII. Octobris vir nobilis, Lazarus Arcelius, Valtidonenſis Comes, Cœnobiolum ſancto Bernardino ſacrum, non longe ab oppido Burgo-novo, diœceſis Placentinæ in Italia, ſuis ſumptibus cœpit ædificare. Brevi tempore abſolvit duodecim Religioſis opportunum. Produxit hæc domus viros illuſtres R. P. N. de Valle, Franciſci Lycheti ingenioſum auditorem, Provinciæ Bononienſis Miniſtrum, procuratorem Ordinis, & demum Commiſſarium generalem Ciſmontanæ familiæ; Aloyſium Puteum, virum doctiſſimum, totius Ordinis Generalem Miniſtrum; ejus germanum Fratrem Archangelum Pannoſum, vulgo Italico *lo ſtracciato*, ita a lacero & ſegmentitio habitu, quem ex paupertatis zelo geſtabat, cognominatum, Hebraicæ linguæ peritiſſimum, Joannis Pici Mirandulani Comitis ſtudioſum & defenſorem.

Tom. 10. anno 1427. n. 26. & tom. 6. an. 1303. n. 16.

Con. Benevent.

XXI. De urbis Beneventanæ in regno Neapolitano Obſervantum cœnobio alias dixi ſub Martino Pontifice, qui facultatem dedit Epiſcopo Amerino, ut Clariſſarum Monaſterium extra urbem incultum, Fratribus regularis Obſervantiæ daret. Id tunc minime factum, apparet ex diplomate Nicolai, quo hoc anno concedit ad inſtantiam Capituli Beneventani, ut ſupreſſo Ordine ſancti Benedicti in Monaſterio ſancti Lupi urbis Beneventanæ, domus conferatur Fratribus Obſervantibus: *Inter cetera*. III. Kal. Maii. Sed neque hoc actum, nam tamdem conceſſum eſt, quod antea negabatur, Monaſterium vel Benedictinarum, quod *ſancti Deodati* nuncupabatur, vel Clariſſarum, quod *ſancti Laurentii*. Contingua ferme erant hæc Monaſteria, ut notavi, ubi admonui confundi hæc duo Monaſteria. Datum autem unum ex his hoc anno Minoritis ſcribit Gonzaga, non vero illud ſancti Lupi Monachorum cœnobium intra urbem, quod hoc anno Nicolaus conceſſit.

Gonz. in Prov. Terræ Laboris Con. 30.

XXII. Hu-

XXII. Hujus anni partus eſt Conventus Gravinæ, haud longe ab urbe extructus communibus civium facultatibus. Prius nomen ſortitus eſt *beatæ Mariæ de Pace*, ſed cum anno MCCCCLXXXIII. ubique per Italiam ſæva graſſaretur peſtis, & nuncupato voto Gravinenſes ſancto Sebaſtiano pulchrum poſuiſſent Sacellum, communemque cladem evaſiſſent; ob accepti beneficii memoriam cœpit domus tota a ſancti Sebaſtiani nomine appellari. Sixtus IV. ita petentibus civibus, incolatum Obſervantibus confirmavit, dum alii contenderent ſubintrare *

Con. Gravinæ. *acm in Prov. S. Nicol. Con. 17.*

* *Conventus Hydruntini fundationem hic narrare ex Annaliſtæ Monitis ad ann. 1499. n. 15. veteris editionis, prætermiſimus, cum ibidem tamquam in proprio loco referatur.*

XXIII. Franciſcus Dandulus Venetus, beato Joanni Capiſtrano familiaris & amicus, hoc anno per epiſtolam a Candia miſſam ei ſignificavit, quanta omnium gratulatione & lætitia auditum ſit de ſancti Bernardini canonizatione, cui jam ponebant aras & ſacella. Scripſit inſuper, Cylei cives ſummopere cupere, ut reformaretur Conventus ſancti Franciſci, in illa urbe præcipuus, & tranſiret ad Obſervantes, etſi aliqua retineret annua legata, ſine quibus difficulter vitam tranſigerent inter Græcos Schiſmaticos, Fratribus Latinis parum addictos, & Optimates Latini potiori anni parte in ſuis villis ſolerent ruſticari. Hujus aliorumque heroum induſtria tamdem ita factum; ceſſitque in magnum commodum Obſervantum, qui frequenter illuc appellunt in itinere Hieroſolymitano. Conventum ferunt ab exordio Religionis inchoatum ab ipſo Inſtitutore Franciſco, dum ad Sultanum Babyloniæ, & expeditionem Damiatæ proficiſceretur, & opus abſolviſſe Petrum & Franciſcum a Gradanico germanos fratres, qui poſtea relicto ſeculo, ſua nomina Fratribus dederunt.

Con. Cylei. *Idem in Prov. Candiæ Con. 1.*

XXIV. Prope Gnoſſum ejuſdem inſulæ vrbem, Titi Apoſtoli Pauli diſcipuli Epiſcopatu, optimi marmoris ſodina, & Minotauri labyrintho celebrem, fr. Demetrius a Mithylene laicus, vir induſtrius, ex piorum Gnoſſenſium eleemoſynis domum circa hunc annum ſub titulo *ſanctæ Mariæ de Angelis* fabricavit. Hic etiam hoſpitio excipiuntur plerumque Fratres, qui Hieroſolymam proficiſcuntur, vel inde recedunt.

Con. Gnoſſi. *Inàid. Con. 4.*

XXV. Franciſcus Sicarra, Agellanorum Comes, hoc anno non procul ab Agello, Calabriæ urbe, cœnobiolum in Dei honorem, ſub invocatione ſancti Franciſci, conſtruxit. Sixtus IV. ad Eccleſiam ſtatutis diebus iiſque multis infra anni circulum, amplas conceſſit indulgentias. Hic ſepultus eſt vir pius fr. Martinus Beretranus laicus, de cujus virtute & ſpiritu prophetico alias diffuſius agemus.

Con. Agelli. *Idem in Prov. Calabr. Con. 4.* Martin. Beretran.

XXVI. In alia Calabriæ civitate Stillenſi, doctiſſimi Cardinalis Guillelmi Syrleti natalibus illuſtri, circa hoc tempus dicitur conſtructum Cœnobium ſancti Franciſci Patrum Conventualium, in pulcherrima planitie, hortis & viridariis amœniſſima extra civitatem. Præ foribus templi amplum eſt forum, in quo ſub menſem Auguſtum publicæ nundinæ celebrantur. Floruerunt hic aliquot docti viri, inter quos Magiſter Thomas Cardamaccius, per multos annos publicus in Academia Patavina profeſſor. Spectat hæc ædes ad Cuſtodiam Cutronenſem.

Con. Stillenſis. Thom. Cardamaccius.

XXVII. Eiſdem Patribus provinciæ Siciliæ & Cuſtodiæ Drepanenſis, hoc anno data eſt domus altera apud Mineum * adjuncta Eccleſia, ſive capella beatæ Mariæ de Jeſu. Deinde Bartholomæus de Mineo Canonicus Syracuſanus teſtamento legavit pinguem facultatem, ut in loco illius capellæ extrueretur Eccleſia, ſub titulo ſancti Laurentii. Procurantibus Gerardo provinciæ Siciliæ Miniſtro, & Franciſco de Eugubio Ordinis Procuratore, ut hæc admitterent Fratres, Pontifex indulſit: *Piis &c.* IV. Idus Novembris. Jacet hic fr. Joannes Baptiſta Taluna inſignis Aſtrologus.

Con. Minei. * *Aliis* Menam.

Joan. Baptiſta Taluna.

Con. Pienſæ.

XXVIII. Circa hoc tempus fundatus eſt Conventus alter eorumdem Patrum Conventualium in provincia Tuſciæ & Cuſtodia Cluſina, in urbe Pienſæ, ita a Pio II. qui in civitatem erexit, appellata, prius dicta Corſignanum. Ut Fratres commode ali poſſint, univerſitas urbis in ipſa fundatione eam condidit legem, ut ex ſingulis vineis tempore vindemiarum penderetur Fratribus unum vini ſtarium, & panem darent cives oſtiatim diebus Mercurii & Sabbatinis. Frigeſcente caritate, ad magnam devenerunt pauci incolæ paupertatem. Locus & amœnus & jucundi aſpectus, objecto ad meridiem Amiata monte, viſu gratiſſimo. Ex gente Piccolominea præcipuos habuit benefactores, quorum aliqui ibidem ſepulti: Æneas Silvius, qui Pius II. fecit conſtrui ciſternam.

Con. Montis ſcutuli.

XXIX. Incerti temporis habent locum alterum in provincia Bononienſi, & Cuſtodia Forolivienſi, dictum Montis-Scutuli, diœceſis Ariminen. In latere templi depicta eſt imago ſancti Bernardini, & ſubſcriptus annus MCCCCLVI. Eccleſia invocationem habet ſancti Simeonis, & prius habebat curam animarum, ſub titulo ſimplicis Rectoriæ. Hac in aliud oppidi templum tranſlata, fanum conceſſum eſt Fratribus, ut ſibi adjungerent habitaculum. In Ara majori vetuſtam habet picturam referentem beatam Virginem offerentem, & ſanctum Simeonem accipientem in ulnas Jeſum infantulum, opus Bitini celebris pictoris.

Tom. 4. an. 1256. n. 47. & tom. 5. ann. 1292. n. 23. Con. Ariminen. *Vide de hac Eccleſia coment. Pii II. lib. 1.*

XXX. Egi alias diffuſius de inſigni eorumdem Patrum Conventu Ariminenſi, ad eaſdem provinciam & cuſtodiam ſpectante, & dixi Eccleſiam, quam nunc habent, cœnobio & incolatu longe poſteriorem fuiſſe a Sigiſmundo Pandulpho Malateſta fabricatam. Hoc anno abſolutam docet hoc numiſma æreum tunc excuſum, quo templi facies & tholus ex una parte, & fundatoris effigies ex altera exprimitur. Illud e Muſæo Franciſci Gualdi, Equitis Ariminenſis acceptum, hic lectori exhibeo.

Andreas Roſſi ſcalpebat

Tom. 9. an. 1399. n. 17. Con. S. Elpidii.

XXXI. Dixi etiam ſuo loco, eoſdem Patres habuiſſe Conventum extra oppidum ſancti Elpidii, diœceſis & Cuſtodiæ Firmanæ, in provincia Marchiæ, illumque tranſlatum poſtea ad oppidi meditullium. Hoc anno hujus tranſlationis facultas conceſſa eſt. Do diploma in Regeſto, ex quo tranſlationis cauſa & conditiones percipiet lector, & quibus nominibus utrumque domicilium, vetuſtum & novum diſtinguebatur: *Ex Apoſtolicæ ſervitutis.* IV. Idus Novembris.

XXXII. Vicarius Obſervantum provinciæ Turoniæ obtinuit a Pontifice hoc anno facultatem, ut Conventum a nobili viro Joachimo Veluyre & Margarita conjuge in uno ex duobus oppidis ſuis, Pictavienſis diœceſis ædificandum admitteret: *Promptum & benevolum.* Kalend. Iunii. An vero ædificaverint, non comperio. Gonzaga ſex Cœnobiorum Cuſtodiæ Pictavienſis nomina dumtaxat recenſet: quid ſi fortaſſis hoc ex illis unum ſit?

Con. Denonil.

XXXIII. Hoc anno ſumpſit exordium domus Obſervantum in oppido Do-

Donionii, diœceſis Æduenſis in Gallia, procurante fr. Stephano Charelonio, Conventus Montis-Lucii alumno, ex prædicto oppido oriundo. Fundum conceſſerunt Guicharda Marcelangia & Joannes Mocandi. Pontificis aſſenſum impetravit Agnes Duciſſa Borbonia, data Bulla anno præterito, die v. Aprilis. Sumptus contulerunt & prima jecerunt fundamenta die trigeſima Martii hujus anni Philippus de Vienna, Dominus de *l'Iſlenois*, & Perreta, ſeu Petronilla Chaſeronia conjux. Ita ſcribunt Jacobus Fodereus in deſcriptione hujus Conventus, & Claudius Roberti in ſua Gallia Chriſtiana. Franciſcus Gonzaga, & Claudius Picquet his nobilibus fundatoribus tribuunt tantum reſtaurationem ædificii, cum temporis decurſu minaretur ruinam. At certe non adeo ſera Philippi ætas, ut Conventum hoc anno inchoatum, poſt multos annos veſtutate collabentem reſtitueret, quem ipſi Gonzaga & Picquetus, imo & Pontifex Nicolaus in diplomate anni præteriti faciunt Cœnobij Caſtri Odonenſis hoc tempore conſtructi fundatorem. Eccleſia eſt exigua, quam adornat Mauſoleum magnificum clariſſimæ Dominæ Ludovicæ ab Ambaſia. Præter clauſtrum concinnum, & viridarium fructiferum, nihil eſt notatu dignum. Circumvicinum agrum ſaltuoſum & ſilveſtrem omni ex parte, præſertim verſus Æduos & Matiſconas, claudunt denſæ ſilvæ, hominibus imperviæ.

Foder. in Cuſtod. Arveniæ.

Robert. de Epiſc. Æduen. n. 76.

Gonz. in Prov. S. Bon. Con. 27. Picquet de hoc Conventu.

XXXIV. Ultra Conventum ſancti Franciſci, de quo alias diximus, erat prope urbem Guadalfagiaræ, Toletanæ diœceſis, Eremitorium ſancti Benedicti, trium vel quatuor Minoritarum habitaculum. Eremitis & gubernatore deſtitutum Alphonſus Archiepiſcopus Toletanus donaverat fr. Benedicto Guadalfagiarenſi Ordinis Minorum, ſed Ordinis ſancti Benedicti Abbati Commendatario. Hic reparavit, & inhabitavit ſimul cum fr. Didaco Tellos etiam Minorita, obtentis ab Antonio de Ruſconibus Generali Miniſtro quibuſdam exemptionibus & privilegiis. Omnia confirmiata voluit hoc anno Pontifex, adjudicato in perpetuum Eremitorio, poſt Benedicti obitum, Conventui Guadalfagiaræ & Cuſtodiæ Toletanæ: *Votis Chriſtifidelium*. x. Kal. Martii. Quid tamdem de hoc Eremitorio actum, non invenio. Suſpicor ad alios vſus applicatum, quando Conventus tranſiit ad Obſervantes.

Tom. 9. an. 1397. n. 13.

Guadalfagiaræ eremitorium.

Fr. Benedict. Guadalfag. Minorita Ord. S. Benedict. Commendatarius.

XXXV. Male habuit incolas oppidi civitatis Regiæ in Hiſpania, Toletanæ diœceſis, provinciæ Caſtellæ, Joannem de ſancta Anna, & Patres Conventuales revocaſſe ad ſuam obedientiam Conventum ſancti Franciſci ejuſdem oppidi, ab Obſervantibus reformatum, de qua re Nicolai Pontificis diploma produximus anno præcedenti. Rogarunt itaque hoc anno Rectores, Prætores, & Gubernatores, ut domum alteram, ſiue Eremitorium intra, vel extra urbem liceret Obſervantibus conſtruere. Pontifex annuit: *Pils fidelium votis*. xi. Kal. Decembris. An ita factum ſit, ignoro; neque enim aliud nunc extat hujus novi Cœnobii veſtigium. Probabile eſt, quod tranſeunte iterum prima domo in Obſervantum poteſtatem, ſecunda, ſi quæ fuit, in alios uſus abierit.

Eremitorium civitatis Regiæ.

Num. 18.

XXXVI. Curavit etiam Ludovicus de Sala, ſive de Saya, Cuſtos Fratrum regularis Obſervantiæ, Cuſtodiæ *citra Portus* nuncupatæ, ejuſdem provinciæ Caſtellæ, moleſtias declinaturus Patrum Conventualium & aliorum, ut Pontifex confirmaret omnes erectiones & fundationes Conventuum, ſive Eremitoriorum, infra diſtrictum dictæ provinciæ conſiſtentium, uſibus Obſervantum deputatorum. Omnia & ſingula confirmandi & ſtabiliendi auctoritatem commiſit Pontifex Abbati Monaſterii ſancti Zoyli de Carione, Palentinæ diœceſis: *Inter ceteros*, iii. Non. Decembris.

XXXVII. Im-

Anno Christi	Nicolai V.	Friderici III. Imp.	Religionis Minorum anno 343.
1450.	anno 4.	anno 11.	

Con. Flaviobrigen. *Gonz. in Prov. Cantabr. Con. 2. & 3.*

XXXVII. Impetraverat Ludovicus ab Eugenio IV. licentiam ædificandi domum P. M. ab insigni oppido Flaviobrigæ, vulgo *Bilbao*, in acclivi quodam loco, sed nemeroso, amœno, atque saluberrimo, prope antiquam ædiculam sancto Mammeti sacram. Id factum hoc anno communibus oppidanorum facultatibus. Cum vero ægre ferrent Flaviobrigenses tantam distantiam, & viciniores cuperent Fratres, obtinuerunt a Sixto IV. anno MCCCCLXXV. facultatem, ut ad locum oppido propinquiorem transferrent; ea tamen lege, ut conservata prima Ecclesia sancti Mammetis, singulis diebus Dominicis per aliquem ex Fratribus sacra fierent. Valde se opposuerunt huic translationi Sacerdotes seculares, sed frustra: ita enim Fratribus adlaborarunt Primores oppidi, præsertim Joannes Saez de Arbolanche, qui fundum contulit, & sacellum præcipuum atque aliud a latere dextro cohærens extruxit, ut brevi pulchrum præpararint domicilium ex adversa parte fluminis, oppido adlabentis, loco amœno & saluberrimo. Domum communiter incolunt quadraginta & plures Religiosi, & gymnasium ibi habetur Theologicum. In sacello Virgineæ Conceptionis peregrinus quidam incognitus, coram Christi Salvatoris effigie genuflexus, manibus complicatis, ex pestilentia decessit anno MDXXX. eodemque corporis situ exanimis inventus est ex insperato ab ædituo. Corpus post annos quadraginta, incorruptum & illæsum inventum est, atque inde in veneratione habetur. Jacet hic venerabilis Pater Ortesius, cujus meritis multi a variis infirmitatibus liberati sunt. Mota lite circa pendendam quartam funeralem, lata est sententia Romæ anno MDV. qua Fratres ab omni hujusmodi pensione declarantur immunes.

Barros de Asia decade 1. c. 3. Insula lignorum quando detecta.

XXXVIII. Henricus Infans Portugalliæ, Dux Visensis, Covillanii Dominus, & Christi militiæ Magister, Joannis Primi Lusitanorum Regis filius, Princeps illustris, qui multis navibus exploratoriis subinde in annos dimissis, primus Indiæ Orientalis navigationi animum adjecit, circa annum MCCCCXX. Speculatoribus & Ducibus Joanne Gondisalvo, & Tristano Vazio, insulam lignorum, Hispanice *dela Madera* in mari Oceano, Lusitano imperio adjunxit. Proceris arboribus, dumetis, arbustis, tribulisque inviam, undique incultam, excolendam & incolendam Principis dono acceperant ipsi exploratores; quorum industria, intra paucos annos, populo & habitaculo frequens, & rerum omnium, maxime saccari, evasit feracissima. Illuc advocati aliquot regularis Observantiæ Fratres provinciæ Portugalliæ, unum posuerunt ibi domicilium, sive Eremitorium. Alterum in propinqua insula sanctæ Mariæ, tunc Ulyssiponen. diœcesis, nulla prius obtenta Sedis Apostolicæ licentia. Hoc anno veniam erroris petierunt, & obtinuerunt, adjudicatis eorum usui in perpetuum domiciliis: *Injunctum &c.* IV. Kal. Maii. Qui Canarias inhabitabant Fratres, propter propinquitatem, & commodum in Lignea insula commercium, rerumque omnium abundantiam, rogarunt ut illic liceret domum extruere, Vicariæ Canariensi subjectam. Pontifex annuit hoc anno dato diplomate: *Dum ad præclara.* IV. Idus Decembris. Sed occupata prius insula per Fratres Lusitanos, extructoque ibi Cœnobio, haud fuit facile Canariensibus in tenui illo rerum principio secundum adjicere. Tria sunt in illa insula Fratrum domicilia, alterum Monialium sanctæ Claræ. Præcipua & multorum Fratrum capax est domus urbis Funchalii, cujus præfectus in comitiis provinciæ Portugalliæ reliquarum trium Commissarius instituitur. Vivunt religiose & commode satis ibidem Fratres, & ex inde vocati sunt primi incolæ Conventus *de Enxobregas*, Ulyssipone celeberrimi, ab Alphonso quinto constructi.

Gonz. in Prov. Portug. Con. 23.

Con. Funchalii.

XXXIX. In

XXXIX. In provincia Boſnæ Argentinæ vir pius Michael Oſtoides, qui & *Pauper*, ob ſummam, qua in Chriſti pauperes ferebatur devotionem, paſſim vocabatur, prope urbem Viſochii Cœnobium ſancto Nicolao ſacrum conſtruxit. Templum anguſtulum cum Fratres dilataſſent, Turcæ funditus everterunt, ſed ſoluta pecunia, reædificari permiſerunt. Haud longe ab hoc Conventu alterius apparent ruinæ, a Patarenis hæreticis, poſt trucidatos Fratres deſtructi. Sæpe a Chriſtianis noctu conſpiciuntur ſuper rudera candelæ accenſæ. Con. Viſochii. *Idem in Prov. Boſnæ Argent. Cen. 8.*

XL. Cives & populus urbis Spalatenſis in Dalmatia hoc anno Pontifici ſuum expreſſerunt deſiderium habendi penes ſe quoſdam ex familia Obſervantum, rogaruntque ut ſibi liceret eiſdem domicilium conſtruere prope Eccleſiam ſanctæ Mariæ de Palude, extra & prope muros conſiſtentem, ſpectantem tamen ad Monaſterium ſancti Stephani Ordinis ſancti Benedicti, cujus tunc erat Commendatarius Beſſarion Cardinalis Epiſcopus Tuſculanus. Petitioni ſubſcripſit Pontifex: *Pia devotorum*. VII. Idus Februarii. Conſentiente etiam Beſſarione, Cœnobium ædificatum eſt loco munitiſſimo, ſub illo titulo ſanctæ Mariæ de Palude, ſed e regione habet inexpugnabile quoddam Turcarum caſtrum, ex quo quotidie prodeunt ad finitimæ gentis injurias. Con. Spalaten. *Idem in Prov. Dalmat. Con. 14.*

XLI. In provincia Hiberniæ Guillelmus Iragillich, quem alias diximus aliquas paſſum moleſtias circa Provincialatum, hoc anno ſub titulo Vicarii (puto Obſervantum) ſimul cum Patribus Cuſtodiæ Nennachtenſis, rogavit Pontificem vt liceret pro fidelium conſolatione, & divini cultus augmento, Conventum aliquem pro Fratribus regul. Obſervantiæ extruere vel admittere in provincia Tuamen. in uno ex tribus Epiſcopatibus Aladen. Akaden. vel Elphinen. invicem convicinis, in quibus nullum tunc erat ejuſdem Ordinis domicilium. Indulſit Pontifex, commiſſa auctoritate Decano Tuamen: *Ad uberes*. IX. Kal. Maii. Ubi autem ſit hæc domus conſtructa, non conſtat. Scio in urbe Elphinenſi unam extitiſſe, & ex illius ruinis Pſeudo-Epiſcopum profanam extruxiſſe. Aliud de hoc Conventu non reperio. In diœceſi Aladenſi M. P. ab urbe alterum fuit Cœnobium de Moighin, cujus relationem in tempora traſmittimus poſteriora. *Tom. 11. an. 1446. n. 19.* Con. Elphinen.

XLII. In oppido Concenſi, Palentinæ diœceſis, ſub hunc annum conſtructum eſt a nobili Heroina Maria a Velaſco Monaſterium Sororum Ordinis ſanctæ Claræ ſub regula Urbani IV. & ſancto Bernardino dicatum. Quadraginta Sororum capaci adhæſit poſt aliquot annos *ſanctæ Claræ* appellatio. Religioſiſſime ibi vivitur, & devote ſatis divinum ſolvitur officium. Pleræque hic deceſſerunt, non inani pietatis opinione illuſtres: Maria a Montalvo, cujus oſſa poſt plurimos annos ſuaviſſimum ſpirant odorem, & pulveres ex ejus ſepulcro collecti multos febricitantes priſtinæ reſtituerunt ſaluti. Joanna de Guevarra prima Abbatiſſa, quæ integros dies noctesque orabat, omnibus excellens virtutibus. Catarina de Guevarra, quæ cum die Annunciationis beatæ Mariæ Virginis in cubiculo quieſceret, vocata eſt a venerabili muliere, veſte candida circumamicta ut exiret. Non prius egreſſa, quam fulgur totum cubiculum inflammaret, inflammatum in cineres abiret. Alias dum animam anno MDLXI. ſanctiſſime efflaret, egregium & mirabile lumen fulſit in habitaculo. Catarina de Salazar, ardentiſſima objurgatrix vitiorum, & prudentiſſima correctrix Sororum, jejuniis rigidiſſimis, præſertim diei Veneris, & continuis orationibus aſſueta. Ultimum emiſſura ſpiritum, dum occultus hoſtis negotium faceſſeret, in genua erecta in lecto, audacter ei exprobrabat viles inſidias & turpem imbecilli- Mon. Concenſe. *Gonz. in Prov. Concept. Mon. 9.* Maria a Montalvo. Joanna de Guevarra. Catarina de Guevarra. Catarina de Salazar.

Franciſca de Guevarra.

cillitatem. Deceſſit anno MDLXXVI. Franciſca de Guevarra caritate erga infirmas inſignis, cujus in hac re pietatis multa narrantur argumenta. Invita ad Monaſterii Præfecturam aſſumpta, impenſe Dominum rogavit, ut ſi illud Abbatiſſæ munus animæ curandæ non expediret, cito ab illo quomodolibet, etiam per mortis compendium, liberaret. Ante duos menſes anno MDLXXXIII. carnis ergaſtulum, & violenter injuncti muneris curas dereliquit.

Mencia Velez.

Mencia Velez de Cœlis, a variis periculis mirabiliter erepta, in cujus morte auditi ſunt concentus Angelici, & Cœnobii campana nullo movente perſonuit.

Catarina a S. Paulo.

Catarina a ſancto Paulo, rarum manſuetudinis in graviſſimis injuriis exemplum, miri candoris & raræ innocentiæ virgo, quam nullo unquam lethali crimine irretitam Confeſſarii deprædicabant. Obiit anno MDLXVIII. & poſt annos viginti & ſeptem aperto ſepulcro, corpus & veſtimenta apparuerunt illæſa. Ab ignis incendio in manifeſtis periculis domus hæc ſæpe divinitus liberata eſt, quod tantæ Virginum pietati, & multiplici tribuendum videtur virtuti.

XLIII. In ſuburbio Brigantino in Germania extabat hoc tempore Monaſterium Talbachenſe ad Thalium, in quo Sorores Tertii Ordinis religioſe vivebant. Et in urbe Florentia ante hunc annum aliud ejuſdem Inſtituti fuiſſe domicilium ſub vocabulo ſancti Hieronymi, etſi communiter a ſancto Gregorio Sorores nuncuparentur, mihi conſtat ex Nicolai diplomate, quo concedit facultatem, ut aliquæ ex inde prodirent, quæ ſimul cum aliis Tertiariis oppidum Caſtillionis Aretini habitantibus, conjunctis facultatibus, in eodem oppido Monaſterium conſtruerent. Ita factum, remanente priori Monaſterio Florentino ſancti Georgii, & tranſeunte ad Caſtillioneum ſancti Hieronymi appellatione. Primas illas fundatrices ſuis nominibus Pontifex compellat: *Pia vota fidelium*. IX. Decembris. Utrumque Monaſterium eſt inſigne, multarum Sororum capax; Florentinum habet centum, alterum quinquaginta.

Mon. Talbachen. *Bruſch. de Monaſt. Germ.*

Mon. Florentin. S. Georgii.

Gonz. in Prov. Tuſciæ Mon. 10. & 11.

Mon. Caſtillionis.

XLIV. Extra urbem Laudenſem in Lombardia Fratres Tertii Ordinis, ſive de Pœnitentia, Eccleſiam ſanctæ Mariæ de Poyano, ſive de Pizzighitono Montisbelli vetuſtam & ruinoſam refecerunt, & continguam adjecerunt domum, nobilibus de Buſnate, Eccleſiæ patronis, jus ſuum in Fratres transferentibus. Jacobus de Cartiraga Miniſter petiit hoc anno, ut Pontifex facta rata vellet & firma, & clericatum in dicta Eccleſia fundatum juberet extingui, inque religioſæ domus uſus converti. Annuit poſtulatis Pontifex: *Immenſa*. IV. Non. Junii. Domus hæc adhuc perſiſtit, & recenſetur in ſerie Cœnobiorum provinciæ Mediolani, vel Lombardiæ prædicti Tertii Inſtituti.

Domus Lauden.

XLV. In oppido Valderarum, diœceſis Legionen. impetraverunt ab Epiſcopo & Capitulo Legionen. Eremitorium ſancti Juliani, & contiguum ædificaverunt Cœnobium, cui vir nobilis Alphonſus de Melgar amplas adjunxit poſſeſſiones. Poſt aliquot ſui incolatus annos propter aliquas cauſas mutarunt Inſtitutum, & tranſivit domus cum ſuis reditibus in poteſtatem Patrum Dominicanorum. Tranſlationem probarunt Epiſcopus & Capitulum, & Nicolaus V. hoc anno emiſſo diplomate.

Dom. Valderarum.

Vide Lopez 3. par. hiſt. Prædic. l. 2. c. 41.

XLVI. Varia hoc anno conceſſit Pontifex Fratrum & Sororum Monaſteriis privilegia. Sacro Aſſiſiati, in quo ſancti Franciſci corpus requieſcit, firma & ſtabilia voluit omnia & ſingula privilegia, immunitates, exemptiones & gratias, ab omnibus ſuis prædeceſſoribus, quorum aliquot ſuis nominibus recenſet, conceſſa. Diploma Gregorii XI. datum Avenione, Pontificatus anno V. quo jubet Judices ordinarios in ſecularibus & ſpiritualibus civi-

Privilegia.

civitatis Aſſiſii, ut in cauſis & litigiis, quæ ex legatis & teſtamentis oriuntur circa res relictas in uſum Eccleſiæ vel Fratrum prædicti Conventus, ſimpliciter & de plano, abſque ſtrepitu & figura judicii infra duos menſes poſt exhibita publica inſtrumenta & legitima documenta debito fine decidant, confirmatum vult, & ad majorem ejuſdem diplomatis obſervationem alia ſuperaddit. Conventibus ſive Eremitoriis regul. Obſervantiæ, Cuſtodiæ Toletanæ, eaſdem facultates & immunitates, libertates & gratias concedit, quas alii Pontifices prædeceſſores conceſſerant, ſive in ſpecie ſive in genere, Cuſtodiæ Hiſpalenſis domibus ſive Eremitoriis. Fratribus Conventus ſancti Franciſci Senenſis licentiam tribuit, ut novam Eccleſiam in honorem ſancti Bernardini inchoatam perficere, & per aliquem Catholicum Antiſtitem dedicari & conſecrari procurent.

XLVII. Fratribus Tertii Ordinis, civitatis & diœceſis Leodien. in communitate & regulari Obſervantia viventibus, repetito diplomate, quæ circa habitus diſcrimen a Tertiariis ſecularibus, circa capitula celebranda, & Miniſtri Generalis electionem alias præſcripſit, confirmavit. Deinde eorum Ordinem a Sede Apoſtolica approbatum, aliarumque more Religionum privilegiis & exemptionibus gaudere. Sorores Tertii Ordinis Monaſterii ſanctæ Agnetis Viterbienſis, pauperes & ex mendicitate viventes, a ſolvendis gabellis & pedagiis, maxime de iis rebus, quæ victui & veſtitui ſunt neceſſariæ, declarat immunes.

Tom. 11. ann. 1447. n. 94.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

» I. MEmorabilis hic annus eſt morte Amuratis Turcarum Imperatoris, qui Varnenſi victoria elatus, diruto muro Hexanſilo in Iſthmo Corinthiaco, devincere non potuit ſuarum virium immanitate Georgium, quem Turcæ dicunt *Scanderbech*, filium Joannis Caſtrioti, cujus opera Croja cum aliis populis Albaniæ, ſuæ tyrannidis jugum excuſſerant; unde rabie & mœrore confectus, in Pruſſia Bithyniæ Urbe, in qua Sedes Imperatorum erat, vitam finiit anno ſuæ Tyrannidis trigeſimo. Succeſſit nihilominus ei Mahometus Secundus, ſuo Genitore pejor.

Degl. cit. fol. 444.

P. Bertius in deſcript. Imperii Turcici fol. 537.

» II. Reperio Summum Pontificem varia expediſſe hoc anno Diplomata: pro quadam lite vertente inter Moniales Montis-Lucis, & ſancti Pauli, Peruſinæ Diœceſis, dato brevi: *Humilibus ſupplicum &c.* pridie nonas Januarii; eodem die per aliud: *Sacræ Religionis &c.* Clariſſas ſanctæ Luciæ Fulginii a ſolutione gabellarum exemit. Fratribus noſtris Antuerpienſibus hoc anno locum mutare conceſſit; pariter etiam pro conſecratione Calicum, benedictioneque aliorum Paramentorum Eccleſiaſticorum nonnulla indulſit: *Veſtris &c.* XIX. Kal. Februarii. Per hæc tempora noſtris Fratribus nonnulli Ordinariorum, maxime in Hiſpania, juriſdictionem in eos exercere affectantes, erant infeſti: ſed & Ordinis ipſius nonnulli, prætextu quarumdam exemptionum, vel privilegiorum, ſubjectionis jugum excuti nitebantur: at contra utroſque Apoſtolicum diploma expeditum fuit.

Diplomata pro Fratribus & Monialibus. *Indic. ex Vatic.*

Antuerpienſis Urbis & Conventus integram notitiam habes a Wadding. Tom. 11. ſub annum 1447. n. 82. Diploma habes in Regeſto.

» III. Datis literis Nicolaus ad Epiſcopum Aſſiſienſem pro platea exiſtente ante Eccleſiam S. P. Franciſci: *Pils Fidelium &c.* XVII. Kal. Februarii, X. Kal. ejuſdem Sanctimonialibus Montis-Lucis, ſanctæ Mariæ Angelorum, & ſancti Petri Peruſinis, necnon ſancti Pauli de Favarone plures gratias conceſſit; quemadmodum Sorores Tertii Ordinis ſanctæ

Alia Diplomata. *Indic. ex Vatic.*

Agnetis Viterbien. a gabellis & pedagiis abſolvit: *Sinceræ &c.* VII. Kal. Martii: quo die litteras expedivit: *Romanæ &c.* circa nonnulla bona Conventus ſancti Franciſci de Tuſcanella, Oppido haud ignobili, Viterbienſis diœceſis, a cujus Cathedrali quatuordecim milliaribus diſtat. Nonis Junii: fr. Rodericum ad Inſulas Tæneatopolenſes evexit: *Divina diſponente &c.* & pridie Idus ejuſdem Fratribus Nuncio de Lachenſis, & Antonio de Sanctis conceſſa habitatione cujuſdam Eremitorii in Provincia Siciliæ: *Admonet nos &c.* XI. Kal. Septembris data Indulgentia pro fabrica, & Conventu Caſtri Montis Brandonii, Farfenſis diœceſis: *Ante Thronum &c.* cujus Cœnobii nullibi memoriam vidi * IV. Kal. Octobris Fratrem Laurentium Pugiol Epiſcopum Caltelinenſem creavit: *Apoſtolatus &c.* ac Durandum electum pro Eccleſia Murianenſi: *Apoſtolatus officium &c.* octavo Idus Novembris; ſeptimo Idus ejuſdem a reſidentia abſolvit: *Sinceræ devotionis &c.* & fratri Bernardo Antiſtiti Montis Albani, Suffraganeo Archiepiſcopi Toloſani, ſcripſit: *Ad ea ex Apoſtolicæ &c.* IX. Kal. Decembris.

* *Vidiſſet, ſi legiſſet Waddingum ad annum 1449. n. 37. ubi ſatis de eodem Conventu.*

IV. Per hæc tempora verò in Italia florebat Frater Dominicus a Padua vir magnæ ſanctitatis, & non vulgariter doctus, qui egregie concionatus in Urbibus Italiæ famoſioribus, ſuis ſerviditſimis exhortationibus, complures ad pœnitentiam revocavit: ſcripſit nonnulla opuſcula ſui animi teſtes, inter quæ ſunt meditationes vitæ Chriſti, cui ſuam vitam conformari maxime ſtudebat: Arthurus in Martyrologio Franciſcano ejus meminit ſub Idibus Auguſti. Gregorius pariter Papienſis, ſeu a Ticino, in quo humilitas maxime, & pietas ſplendebant: cujus Corpus Spoleti in Umbria jacet, teſte Thoma Mantuano. Joannes etiam Rodriquez, vulgo *dal Padror*, Regni Galliciæ in Hiſpania Oppido non ignobili ortus, & Provinciæ ſancti Jacobi alumnus, in Joannis Caſtellæ Regis aula a juventute inſtructus, ob inſignem poeticæ artis, & hiſtoricæ peritiam Regi per quam carus, ejus Poeta & Hiſtoricus renunciatus eſt: aulicis amoribus implexus, macie ſui ſocii, inter procos pertinaciſſimi, inſanis affectibus inter Hiſpanos celeberrimi, miſera morte perterritus, & artificioſe a regia pediſſequa deluſus; Mundi pertæſus, in ſeque reverſus, Minorum ſubiit inſtitutum in Patria, ubi conceſſis facultatibus Cœnobio conſtruendo, vitam duxit religioſiſſimam. Scripſit lingua vernacula de Nobilitate, de Inferno, ſive de intolerabili pœna Amoris, opus metricum; Carmina varia: ejus vitam ſcripſit Argotes de Molina, agens de Nobilitate Betica. Joannes Schificus, Natione Siculus, patria Moacenſis, omni virtutum genere, præcipue vero in Deum, & proximum caritate præditus, innumeris miraculis decorari meruit: obiit vero ſanctiſſime in Conventu ſanctæ Mariæ de Jeſu Cataniæ, ſexto Provinciæ Siciliæ, clarebat anno MCCCCL. ejuſque meminit Arthurus in Martyrologio. Dominicus Januenſis, de quo ex Gonzaga ita ſcribit Illuſtriſſimus Paulus Britius Epiſcopus Albenſis. Dominicus Januenſis, tamquam aurum in fornace a Deo probatus, & ab Angelo Sathanæ inſtar Pauli colaphizatus eſt: mira erat hujus viri pietas, ſumma caritas, ſimplex innocentia; ſed illi jugiter cum Dæmone certandum erat, ita ut nec intra ipſius Miſſæ Sacrificia a vexatione ceſſaretur, donec beati Franciſci Papienſis contactu hoſtis abire juſſus eſt; quare Dominicus referendis Deo gratiis indefeſſus, concionibus habendis plurimos Chriſto lucrifecit: D. Bernardini Provinciam, cujus conſtituendæ auctor fuerat, ſub Commiſſarii nomine adminiſtravit. Floruit anno MCCCCL. vitæ illuſtris,

Thom. Mant. in Catal. SS. & BB. Ordinis.

Biblioth. Vir. Illuſtr. Ord. Min. fol. 212.

Argotes lib. 2. fol. 272.

Fr. Joannes Schificus miraculis clarus.

Britius lib. 3. de Viris Illuſtribus fol. 318.

ſtris, ſed poſt mortem ſignis illuſtrior. Galterius de Marchia Tertii Ordinis alumnus, Eremiticæ vitæ cultor eximius, abſtinentia, humilitate, & oratione inſignis, floreba t in Piceno hoc anno, quinto Kalendas Aprilis, ut in arbore Sanctorum Tertiariorum habetur. Antonius a ſeptem Caſtris dictus, Tertii Ordinis S. P. Franciſci, ſub anno MCCCCL. ad ripam Danubii, ſub petiarum faucibus devotum tugurium pro ſe ſuiſque aſſeclis conſtituerat; in eoque aliquot annis rigidam vitam in humilitate, & ſolitudine tranſegerat, quando ſeveriorem in Fratrum Minorum Auſtriæ Conventu vivendi diſciplinam tentavit: Ad ſuos Kelhamenſes reverſurus, ab inimicis Fidei in odium Chriſti, crudeliter in via trucidatus eſt, ut habent illius Conventus acurata Monumenta; licet hujus rei adeo ſpecificam notitiam Gonzaga habuiſſe videatur.

Fr. Antonius a ſeptem Caſtris ex Tertio Ordine.

Occiditur in odium fidei. Chron. M. SS. Prov. Bavariæ.

V. Cuneum Civitatem in Pedemontana regione, cujus pluries mentionem habuimus in hoc opere, applicuit hoc anno venerandus Frater & excellens Prædicator Verbi Dei Frater Apolonius de Blanchis Placentinus Ordinis ſancti Franciſci de Obſervantia; qui primum ibidem in Templo Dominæ Noſtræ de Boſco nuncupatæ, ſecundo in Eccleſia nova ſancti Franciſci ad Portam Cadralii, in qua hoc tempore cœperant Eccleſiaſtica munia exerceri (translatum enim ab vna in alteram partem odæum fuerat) concionabatur tam pie atque ferventer, ut ipſa Cuneenſium Chronica de illo dicat, eum concionatum fuiſſe cum eleganti audacia a Feſto omnium Sanctorum uſque ad Epiphaniam Domini; capillos mortuos, fictam ideſt virorum & mulierum cæſariem, taxillos, aleas, tabularios, ſcacherios, ideſt latrunculorum tabulas, machagnoſque mulierum, ideſt earum ornamenta, in viridario Fratrum comburi, plurimaſque vanitates a civibus feciſſe deponi. Plures juvenes eo prædicante illecebras exoſi, ſeculo renunciantes, Minoriticam vitam amplexati, arctiori Obſervantiæ, eumdem imitantes, nomen dedere, atque vitam: Eremitarum Tertii Ordinis S. P. Franciſci locum ſanctæ Mariæ Angelorum, & ædes, de quibus alibi diximus, ijs ad primæ regulæ vota prudenter allectis, ſuæ obſervantiæ in domum conſtituit, in iiſque transfugas mundi educabat: Illinc tandem recedens cum maxima laude, ſecumque Tyrones, quos ad ſacram Minorum Militiam adſcripſerat ducens, Romam verſus direxit iter: ac inde in Lombardiam regrediens, Bobium appulit, Civitatem Epiſcopalem Liguriæ, intra Apennini montes in Valle ad Trebiam flumen, medio itinere inter Placentiam & Dertonam; itemque mediam inter Ticinum, & Genuam; Si per montes ire libet, XXXV. M. P. hinc inde recedentem, ditionis Ducatus Mediolanenſis: appulſus igitur Bobium, ut dicebamus, lethali infirmitate oppreſſus, pie ſancteque vitam finivit: & ibidem quieſcens, pro Beato a Populis veneratur.

Fr. Apolonius de Blanchis Cuneum attingit, & ibidem habet conciones.

Ad an. 1434.

Bobii obiit.

VI. Annæ Cypriæ, Sabaudiæ Duciſſæ, & Dominæ Burgheti, & Villæ-Franchæ, Conjugis Ludovici, commendabilis pietas, & ſtudioſa religio in Deum & glorioſiſſimam Virginem Matrem Mariam, necnon in Seraphicum Patrem devotio, in conſtructione, fundatione, atque dotatione Capellæ perpulchræ ſuper Pontem Cognini, prope Civitatem Chamberii, hoc anno occurrit; quam, cum verbis extollere, ut par eſt, non valeamus, ipſius fundationis, ac dotationis publicum inſtrumentum, ad excitandam in poſteris dignam æmulationem, proferimus, tenoris, qui ſequitur.

In Nomine Domini. Amen. Anna de Cypro, Duciſſa Sabaudiæ, Do-

„ *minaque Burgheti, & Villæ-Franchæ, univerſis & ſingulis ſerie præ-*
„ *ſentium fieri volumus manifeſtum: cum nos ex innata nobis clementia, di-*
„ *vinoque ſuffragante auxilio, ac ſingulari devotione, quam ad beatam glo-*
„ *rioſamque Virginem Mariam a noſtræ juventutis annis jugiter habuimus,*
„ *& dietim ferventius habere debemus, Capellam beatæ Mariæ de Cogni-*
„ *no, ſupra Pontem Cognini, prope Villam noſtram Chamberiaci ſituatam,*
„ *ob honorem & reverentiam ipſius beatæ Mariæ Virginis, Divinique*
„ *cultus in eadem celebrandi accrementum, denuo mirifice & ſumptuoſe*
„ *conſtrui fecerimus; & volentes Capellam ipſam ad Divinum cultum, no-*
„ *ſtræque devotionis, & mentis conceptam dedicare, ac de ſufficienti dota-*
„ *tione, & fundatione inibi providere; ut perinde divinus cultus, & alia*
„ *Miſſarum ſolemnia, ut infra declaratur, ad ſalutem animarum, pro qui-*
„ *bus Deum devote imploramus, per bene dilectos Oratores noſtros Guardia-*
„ *num, & ceteros fratres Religioſos Ordinis beati Franciſci, Conventus*
„ *Chamberiaci, quibus hujuſmodi onus, de eorum beneplacito & conſenſu*
„ *imponimus, perpetuo fieri valeat, & jugiter continuari...*

„ *Iis igitur, & aliis pluribus bonis reſpectibus, ſalutem animarum*
„ *concernentibus, devotionemque noſtram ſingularem ad hæc inducentibus,*
„ *ex noſtra certa ſcientia, proprioque motu noſtro, ac devotione ſingulari;*
„ *etiam de auctoritate & beneplacito Illuſtriſſimi Domini mei metuendiſ-*
„ *ſimi, Domini Ludovici Ducis Sabaudiæ, ipſam Capellam noſtram beatæ*
„ *Mariæ ſupra prædictum Pontem Cognini, ut præmittitur, conſtructam,*
„ *pro nobis, & noſtris hæredibus, & ſucceſſoribus univerſis, in perpetuum*
„ *dotamus & fundamus, & dotatam eſſe volumus de quinquaginta flore-*
„ *nis parvi ponderis ad rationem duodecim denariorum groſſorum bonæ mo-*
„ *netæ nunc currentis pro ſingulo floreno, per ipſos Fratres & Conventum*
„ *de cetero ſingulis annis, pro ſervitio divino per eos in eadem Capella cele-*
„ *brando, levandos, percipiendos, & in ſuos uſus convertendos; videlicet*
„ *de, & ſuper Caſtellania noſtra Burgheti, ac omnibus reditibus, victua-*
„ *libus, preyſiis, obventionibus, & ceteris quibuſcumque emolumentis ſuis;*
„ *& hoc donec, & quouſque hujuſmodi dotationem in bonis reditibus allo-*
„ *dialibus, ad tantum annualiter correſpondentibus, duxerimus tranſmu-*
„ *tandum, & quam pro ſecuritate ipſorum Fratrum facere diſpoſuimus,*
„ *quamprimum ipſi reditus allodiales commode reperiri poterunt venales;*
„ *& pro qua quidem dotatione ipſi Fratres prædicti Conventus, ac eorum*
„ *illi in ipſo Conventu, perpetuo teneantur, & ſint adſtricti, pariter &*
„ *obligati ad Miſſas decantandas, & alia divina obſequia in ipſa Capella, ut*
„ *infra declaratur, de cetero fienda, prout, & in hunc, qui ſequitur, modum.*

„ *In primis, volumus, inſtituimus & ordinamus de cetero in perpe-*
„ *tuum ſingulis diebus in dicta Capella noſtra Cognini decantari per unum*
„ *ex dictis Fratribus prædicti Conventus, alteri Fratri ſeu Novitio aſſo-*
„ *ciatum, unam Miſſam de beata Virgine Maria, devote, ac ſubmiſſa*
„ *voce, & in fine ipſius teneatur dicere:* Salve Regina &c. *cum Verſeto,*
„ *& Oratione:* Concede nos &c. *& hoc ad intentionem, & ſingularem*
„ *devotionem noſtram.*

„ *Item, etiam volumus, inſtituimus, & ordinamus in perpetuum,*
„ *quod ſingulis Vigiliis, & diebus Feſtivitatum beatæ Mariæ Virginis,*
„ *totius anni, teneantur & debeant ſex Fratres ad minus dicti Ordinis,*
„ *ad ipſam noſtram Capellam perſonaliter adire, & ibidem decantare Veſpe-*
„ *ras, & Miſſam alta voce cum ſolemnitatibus opportunis; & hoc ad inten-*
„ *tionem, & ſingularem devotionem noſtram.*

Item,

„ *Item, ſimiliter fieri inſtituimus & ordinamus, quod ſex Fratres prædicti Conventus teneantur & debeant perſonaliter adire prædictam Capellam noſtram Cognini, & ibidem Veſperas, & Miſſam alta voce devote decantare cum Solemnitatibus opportunis; videlicet in vigiliis & Feſtivitatum diebus Nativitatis, & Reſurrectionis Domini noſtri Jeſu Chriſti, Pentecoſtes, omnium Sanctorum, & in die craſtina pro Defunctis: & hoc pro ſalute Animarum felicis memoriæ Sereniſſimi Domini Principis Genitoris mei metuendiſſimi Regis Janus, Sereniſſimæque Dominæ, & Genitricis noſtræ Dominæ Charlotæ de Borbonio Reginæ Cypri; ac Reverendiſſimi in Chriſto Patris Avunculi noſtri honorandi, D. Hugonis de Luſigniano Cardinalis Cypri, quorum Animas poſſideat Paradiſus; & in fine cujuslibet Miſſarum dictarum Feſtivitatum teneantur dicere ipſi Fratres alta voce*: Salve Regina &c. *cum Verſeto, & Oratione*: Concede nos &c. *& die in craſtina omnium Sanctorum dicent Miſſam alta voce pro Defunctis cum Solemnitate; & in fine Miſſæ dicent*: De profundis &c. *faciendo commemorationem ſpecialem, & generalem cum Oratione*: Fidelium &c. *ad intentionem & devotionem noſtram.*

„ *Item, ulterius volumus & ordinamus, quod Frater, qui Miſſam quotidianam de B. M. Virgine in dicta Capella noſtra Cognini decantabit, teneatur & debeat dicere in qualibet Miſſa Orationem communem pro Defunctis, videlicet, quamdiu in hoc ſeculo perſiſtemus: poſt vero noſtri deceſſum, dicatur perpetuo loco ipſius Orationis alia Oratio*: Quæſumus pro tua pietate, miſerere animæ famulæ tuæ &c. *& quod tertia Oratio*: Deus, qui caritatis dona per gratiam ſancti Spiritus &c. *dicenda, intelligatur pro proſperitate, corporeaque ſoſpitate Illuſtriſſimi Principis, Domini mei metuendiſſimi, Domini Ludovici Ducis Sabaudiæ; necnon & illorum Liberorum noſtrorum, quos Deus Omnipotens in hoc ſeculo longeve perſeverare dignetur.*

„ *Quas quidem hujuſmodi inſtitutionem, diſpoſitionem & ordinationem noſtras, præfati Fratres & Religioſi, videlicet frater Franciſcus Buffetti, modernus Guardianus, Magiſter Bartholomæus Cuelli in ſacra pagina Magiſter, Joannes Girardi, Joannes de Cruce, Hugo de Acugena, Nicodus Cudiliacti, Percevallus Vaſſini, pro ſe & aliis Fratribus dicti Conventus Chamberienſis, ac ipſorum in dicto Conventu Succeſſoribus, in præſentia Reverendi in Chriſto Patris, Confeſſoris noſtri cariſſimi, fratris Thomæ de Sur, Archiepiſcopi Tharſenſis, necnon fratris Petri Fabri ejus ſervitoris, prædicti Ordinis ſancti Franciſci, cum omni humilitate & reverentia acceptarunt; offerentes ſe illa, prout ſuperius deſcribuntur, & juxta noſtræ devotionis & mentis conceptum, votivæ executioni demandare; necnon luminare tantum in eadem Capella ad prædicta divina obſequia neceſſarium, mediante perceptione prædictæ donationis, eorum ſumptibus miniſtrare: & nos & Succeſſores noſtri ipſam Capellam de Calice, Caſulis, & aliis indumentis neceſſariis tenebimur fulcire, & eam fulcitam debite manutenere, noſtris & noſtrorum ſumptibus & expenſis: & ita, quod ipſi Fratres teneantur die craſtina Feſtivitatis Aſſumptionis beatæ Mariæ Virginis dictum divinum Officium in ipſa Capella inchoare, & illud perpetuo continuare, prout ſuperius eſt declaratum. Mandantes propterea, & expreſſe præcipientes Caſtellano noſtri Burgheti, præſenti & futuro, ſub pœna noſtræ indignationis, & ulterius centum librarum fortium per eum, pro vice qualibet (ſi non paruerit) committenda, & nobis applicanda, quatenus prædictos quinquaginta florenos annuales, deinceps ſingulis annis, vi-*

Fr. Thomas de Sur ex Ord. Archiepiſ. Tharſenſis ejus Confeſſarius.

„ *videlicet, medietatem in quolibet Feſto beati Andreæ, & aliam medietatem*
„ *in quolibet Feſto Nativitatis beati Joannis Baptiſtæ, de, & ſuper dictis*
„ *preyſiis, victualibus, obventionibus & ceteris emolumentis prædicti Ca-*
„ *ſtellaniæ officii, eiſdem Guardiano & Conventui; in manibus tamen Si-*
„ *monis Treſſordi eorum Procuratoris, ſeu alterius per eos ad hæc deputan-*
„ *di; libret, ſolvat, & realiter vice noſtra expediat: ſicque de illis,*
„ *quacumque perendinatione poſtpoſita, realem & debitam aſſequi valeant*
„ *ſolutionem: & hoc quouſque de alia tutiori aſſignatione eiſdem Fratribus*
„ *fuerit debite proviſum. Prima tamen ſolutione dictorum viginti quinque*
„ *florenorum in proximo Feſto ſancti Andreæ inchoante; recipiendo tamen per*
„ *ipſum Caſtellanum a dictis Guardiano & Procuratore in prima ſolutione,*
„ *cum copia præſentium, litteram opportunam de confeſſione & recepta; in*
„ *aliis autem ſequentibus ſolutionibus litteram dumtaxat de quittatione op-*
„ *portunam; & nos ipſos quinquaginta florenos annuales, quos ſic ſolverit,*
„ *eidem per Præſidentem, & Magiſtros Computorum noſtrorum præcipimus*
„ *indifficiliter allocari. Datum Chamberiaci die* XIV. *Menſis Auguſti an-*
„ *no* MCCCCL.

FABRI

Per Dominam, præſentibus Dominis Joanne Dño Bariati, Mareſcallo Sabaudiæ. Jacobo Valiſpergia Præſidente Chamberiaci. Petro de Montone. Guillelmo de Viriaco Magiſtro Hoſpitii.

„ Habet ex hoc Inſtrumento Lector notitiam fratris Thomæ de Sur
„ Archiepiſcopi Tharſenſis, qui erat a ſacris Confeſſionibus hujus Heroinæ
„ Annæ Cypriæ, ſicut & aliorum nonnullorum Magiſtrorum in Sacra Pagi-
„ na, quorum nullibi legitur in noſtris annalibus; nam hic Petrus Fabri eſt
„ alter ab eo, de quo agit Waddingus ad annum MCCCCXIX. num. I. ille
„ ſiquidem erat Inquiſitor Hæreticæ pravitatis: Puto autem ambos ejuſdem
„ familiæ fuiſſe.

ARGUMENTUM.

Joannes Capiſtranus, Friderico Imperatore deprecante, mittitur in Germaniam, ubi honorifice receptus, patratiſque miraculis proficiſcitur in Boemiam. Converſis plurimis Huſſitis, hoſtem experitur acerrimum Joannem Rochyzanam. Laudabiliter operantem Nicolaus Pontifex plurimo proſequitur favore. Sancti Bernardini cultus promovetur. Moriuntur Matthæus Agrigentinas, Herculanus de Piagale, Paulus Capitonius. Eugenius Somma magna cum poteſtate amandatur in Albaniam, & vicinas regiones. Obſervantes Ultramontani celebratis Comitiis Vicarium eligunt Theodoricum de Auriga. Creantur Epiſcopi, multiplicantur domicilia.

Joan. Capiſtranus mittitur in Germaniam.

I. FRIDERICUS Imperator, miſſis ad Pontificem Nicolaum legatis, de graviſſimis Imperii rebus acturis, oravit ad ſe mitti Joannem Capiſtranenſem, virum æque doctum ac ſanctum: cujus fama longe lateque diffuſa magnam indidit ſpem, illius præſentia & conſilio felicius poſſe terminari varias Principum controverſias, & facilius ejus doctrina ac ſanctitate reſtituendam fidem Orthodoxam Boemis, viciniſque Provinciis, in quibus denuo magno impetu repullulabat hæreſis pernicioſa Huſſitarum. Inter le-

ga-

gatos potiſſimus Æneas Sylvius (paulo antea a Tergeſtino ad Senenſem Epiſcopatum translatus, & poſtea ad Cardinalatum, ac ſummum Pontificatum evectus) hoc a Pontifice, Alberto Auſtriæ Duce, Cæſaris fratre auxiliante, impetravit ſub hujus anni principium. Errat Bzovius, qui anno præcedenti miſſum Capiſtranum affirmat; etenim non niſi ſub menſem Aprilis hujus anni, & poſt peractas apud Venetos Quadrageſimæ conciones, in Germaniam receſſit.

Comment. Pii II. lib. 1. Cochl. de rebus Huſſit. l. 10. Chron. Saxon. MSS. Bzov. an. 1450. n. 14.

II. Accepta itaque benedictione Apoſtolica, & Commiſſarii Pontificii generaliſque Inquiſitoris poteſtate, ut ſuſceptum onus facilius ſubiret & felicius perageret, Aſſiſium abiit, ſanctiſſimæ Virginis opem eo loco imploraturus, in quo ipſius inſtitutor Franciſcus, ejuſdem Deiparæ meritis concepit ac peperit ſpiritum Evangelicæ veritatis. Supplicatione peracta, poſtquam e loco paululum progreſſus eſt, a ſummo cœlo egreſſio ejus ad inſignem magnamque hanc miſſionem probari viſa eſt; luce namque mirifica circumfuſus, uſque ad medium milliare totus radiis coruſcans proceſſit; ita præmonſtrante Deo, lucem Evangelicam ad longinquas illas nationes doctrinæ virtute, & vitæ ſanctimonia copioſe delaturum. Hinc per Lombardiam & Marchiam Tarviſinam profectus, virtute indutus ex alto, ubique per obvias civitates & oppida cumulatiſſimo fructu prædicabat, fidem verbo perhibente potentiſſima gratia ſanitatum.

Acta ejus MSS. a Sociis collecta. Marian. lib. 5. c. 25.

Ejus iter a magno incipit ſplédore.

III. In agro Brixienſi apud pratum Albuinum cum ſuis conſodalibus biduo commorantem, tanta excepit circumvenitque hominum multitudo, ut ultra viginti millia numerarentur in campis, quæ abeuntem dimittere noluerunt, donec prædicantem audirent, & benedicentem viderent. Concionatus ille de peccatis per pœnitentiam delendis, tanta dixit virtute, ut ad ingentem planctum totam excitarit concionem, oportueritque per aliquod temporis intervallum ſermonem retinere, donec flere & ejulare deſiſterent. E ſuggeſtu deſcendens, ductus ad multitudinem languentium, ultra viginti perfecte ſanavit, & ad propria lætos exultanteſque dimiſit.

Et gratia miraculorum.

Quæ fecit in agro Brixienſi.

IV. Præeunte fama, ingenti populi magiſtratuſque applauſu exceptus eſt in ipſa urbe Brixienſi; ſed cum prædicare vellet, nec tantam multitudinem, non ſolum ex oppidis vicinis, verum etiam ex agro Cremonenſi, Mediolanenſi & Bergomenſi illuc confluentem, capere poſſet ampliſſima urbis platea, ad campum apertum extra portam ſanctæ Apolloniæ progredi oportuit. Convenerunt ultra centum viginti quinque millia auditorum, ſive potius majori ex parte inſpectorum, quibus ſufficiebat ſaltem a longe vidiſſe, vel prætereuntis veſtem attigiſſe. Multi tecta aſcendebant domorum, alii e muris editiſque locis proſpiciebant, quidam ramis inſiliebant arborum: & licet multi corruentibus muris, vel fractis arboribus graviori caſu decideriut, nullus tamen damnum ſenſit ex ruina. Similiter exceptus eſt a Vincentinis, Veronenſibus, Patavinis, & Mantuanis: apud quos plurima patravit miracula, a publicis notariis diligenter conſcripta.

Quæ in ipſa urbe Brixienſi.

Et in aliis civitatibus.

V. Veneti ſummopere cupientes hominem videre, & docentem audire, impetrarunt a Pontifice, ut quadrageſimales conciones apud ipſos haberet. Avidiſſime dicentem auſcultabant nobiles & plebeii: & quocumque ibat, turmatim ſequebantur, crebriſque miraculis coruſcantem digne venerabantur. Peracto Paſchate, communi omnium dolore abiit. Dux Mediolanenſis Franciſcus Sforția, Inſubres & Ligures ſummis votis contendebant ipſum audire, unicum putantes fore remedium tot calamitatum, quas ex Principum populorumque diſſidio patiebantur. Obtinuerunt itaque has a Pontifice litteras, ſed ſero, & obinde forte conceſſas, ut illorum precibus

Concionatur Venetiis.

Inſubres & Ligures eum ſibi mitti poſtulant.

bus videretur acquieſcere, licet ipſe hominem in Germaniam deſtinarit, & ſub hoc tempus lin itinere longe proceſſerit. Eas damus ex ipſo autographo.

Dilecto filio Joanni de Capiſtrano Ordinis Minorum.

VI. *Dilecte fili, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cum nobilis vir dilectus filius Franciſcus Sforcia Dux Mediolani, ac populus Mediolanenſis, totaque Liguria ex ore tuo Dei verbum audire deſideret, quod nobis admodum placuit audiviſſe, cum indubie ſperemus populos illos, tuis prædicationibus & monitis imbutos, viam ſalutis electuros eſſe; caritatem tuam hortamur in Domino, ut poſtpoſitis omnibus, te ad iter quamprimum dirigas; nam cum tempus quadrageſimale elapſum ſit, nulla te occupatio detinere poteſt, ut credimus, quæ mentem tuam a tam ſalubri opere poſſit avertere. Datum Romæ, apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die* x. *Maii* MCCCCLI. *Pontificatus noſtri anno* V.

Pergit in Germaniam cum ſociis duodecim.

VII. Ille autem ſub menſem Aprilis, aſſumptis ſociis duodecim, Gabriele Veronenſe, poſtea S. R. E. Cardinale, Hieronymo Mediolanenſi, Nicolao de Fara, Petro Supronienſi, Bernardo Mutinenſi, Chriſtophoro de Varilio Sacerdotibus, viris religioſis & doctis; Bernardo de Neapoli, Paulo Ferrarienſi, Joanne de Campio, Michaele Peruſino, Ambroſio Aquilano, Joanne Auſtriaco, probatiſſimæ vitæ laicis, Germanicum iter aggreſſus, doctrina & miraculis illuſtravit potiorem partem Marchiæ Tarviſinæ & Fori-Julii. Tranſiturus fluvium Silianum prope Tarviſium, cum inhumanus portitor abſque naulo trajicere nollet, paululum a ſociorum conſpectu ſe ſubtraxit oraturus; dein ſancti Bernardini habitum ſacculo eductum, ſuper aquas extendit. Res mira! ſtatim aquæ minui, & vada præbere cœperunt, ita ut vix medium tibiæ attigerint; poſitiſque in oppoſita ripa Capiſtrano, ſociis, & aſino, qui ſarcinulas ferebat, ad priſtinam menſuram in altum excreverunt.

Profundum flumen pedes pertranſit.

Item aliud pallio inſidens. *Bonfin. l. 8. dec. 3.*

VIII. Similiter in hac ipſa peregrinatione, voraciſſimum Padi flumen trajeciſſe, narrat his verbis Antonius Bonfinius: *Nicolaus Pontifex Maximus, ſtudiorum parens, & Catholicæ plebis paſtor pientiſſimus, cum Pannoniis admodum, Miſiiſque timeret, quibus amiſſis jam de Chriſtiana Republica actum aſſerebatur, Joannem Capiſtranum, e Samnitibus editum, ac Divi Franciſci ſacris initiatum, præterea virum ſanctiſſimum, & ad excitandos populos, dicendi copia & vitæ probitate nimis idoneum, in Alemannos, Hungaros, Poloneſque miſerat, qui ad ſalutarem expeditionem ſacris declamationibus hortaretur. Hic, nec minore quidem ſanctitate præditum, Jacobum Picentem ejuſdem Collegii Sacerdotem, ſibi adſcivit ſocium: qui in ſacra peregrinatione cum Padum ambo trajicere vellent, & a portitore pertinaciſſime repellerentur, quia interdicta e divo dogmate pecunia carerent, quam pro naulo darent, in diffuſum ſuper undas pallium cum comitibus conſedere, & velut quadam naufragii tabula in ripam alteram, non ſine avari ſtupore portitoris, divina ope tuto translati ſunt.* In eo erraſſe videtur Bonfinius, quod hujus peregrinationis comitem tribuat Jacobum Picenum; neque enim cum Capiſtrano in Germaniam deſcendit. Fortaſſis per aliquot dies ſe ſocium adjunxit, & in Lombardiam Tranſpadanam aſſociavit.

Obvios populos miraculis illuſtrat.

IX. Porro Capiſtranus obvios quoſque populos pertranſivit benefaciendo. Ad Capriolum, frequens Lombardiæ Tranſpadanæ oppidum, die XV. Aprilis, adoleſcentem viginti annis a nativitate mutum, ut loqueretur, ſur-

ſurdum ut audiret, & claudum ut ambularet, effecit. In Portu Gruario, antiquis *Portus Romatinus*, Fori-Julii oppido, die ultima Aprilis, ſideratum unum, paraliticum alterum, & fœminam crure uno longiore claudicantem ſanavit. In propinquo caſtro ſancti Viti, ejuſdem provinciæ non ignobili oppido, die I. Maii, mulierem a nativitate ſideratam, claudos tres germanos Fratres, duos ſurdos & mutos, ſalute donavit. Die IV. ejuſdem menſis, in urbe Utinenſi celebratis comitiis Obſervantum, provinciæ ſancti Antonii, attractorum quatuor membra rectificavit, fœminam membris omnibus captam, alteram per biennium elinguem, tertiam emortuum pedem oneroſe trahentem, curavit. In eadem civitate die ſequenti claudis quatuordecim greſſum, mutis duobus loquelam, duobus itidem podagroſis ſalutem, impertivit; unius retortum pedem rectificavit, tres attractis membris conſolidavit, uno oculo cæcum Illuminavit, a nativitate ſurdam & mutam ſanavit; retorti oris & colli fœminam ad perfectam corporis ſtructuram reduxit. Die X. Maii, ad Auſtriam Fori-Juliam, anno integro uſu membrorum deſtitutum, claudos tres, unum brachii dextri uſu deſtitutum, alterum annis multis ſurdum, ſanitati reſtituit. Die XI. in oppido Glemonæ mulierem annis duodecim ſurdam; die XII. in clauſtro Minorum mutos & ſurdos tres, totidem podagroſos, cæcum unum, ſideratum alterum, claudos ſex, attracti colli & brachii unum, manu ſiniſtra ſideratum alterum; die XIII. ibidem claudos & podagroſos tres, ſurdos ſeptem, fœminam humi repentem elinguem, juvenculum duodennem a nativitate cæcum; die XV. in villa Pundaſeliæ mutum unum, puellam cæcam, tertium claudum, alioſque quamplures varie affectos, perfecte ſanavit.

X. Die XVIII. in vigilia ſancti Bernardini, Villaci, quod Carinthiorum primum occurrerat oppidum, obviam procedente univerſo populo, ſumma lætitia exceptus. Ibi tunc graſſabatur mira quædam ægritudo, lues palabunda & præceps, qua repente correpti, viribus & virtute deſtituti, corruebant velut emortui. Poſt concionem Latine habitam, & per interpretem repetitam, ex his languentibus quatuordecim in grabatis & lectis coram ſe poſitos, e profundo lethargo ad priſtinum ſtatum reduxit, duos cæcos illuminavit, ſurdum fecit audire, podagroſum unum a dolore liberavit, contractos duos, pedeſque in crucis modum tranſverſos habentes, exultantes propriiſque greſſibus recte incedentes ad propria remiſit. Die ſequenti, ſancti Bernardini natalitiis ſacro, Vicarium matricis Eccleſiæ, nervis ex parte ſideratum, per dies multos divinis miniſteriis ineptum, proprio reſtituit vigori; aliaque multa prodigioſa ibidem operatus eſt, quæ ob inundantem populum adnotari non poterant. Summa veneratione tamquam Dei Apoſtolum catervatim venerantes ita opprimebant, ut noctu oportuerit clam abire. Strasburgi cæcis duobus viſum, ſurdo auditum, ſiderato ſalutem impetravit; ſanguinis fluxu pene mortuam, & quemdam renibus vehementer dolentem, ſanos effecit.

XI. Tot prodigiorum per omnes partes præeunte rumore, adeo Viri ſanctiſſimi per vicinas regiones crevit opinio, ut undique turmatim confluxerint populi, totas ſe effuderint in occurſum civitates; & paſſim per Carinthiam, Styriam, & Auſtriam magiſtratus & clerus, publica ſupplicatione ornatiſſime procedentes, obviam prodierint, cantantes: *Benedictus qui venit in nomine Domini*, & tamquam e cælo miſſum devotiſſime venerantes. Pridie Kalendas Julii ad Civitatem Novam pervenientem, honorificentiſſime exceperunt Fridericus Imperator, Ladislaus Hungariæ & Boemiæ Rex, Imperii Dynaſtæ, & Aulici præcipui. Die ſequenti legatio-

Plin. l. 3. c. 18.

Ab Imperatore, Rege, & Principibus excepeus.

tionem ſuam Cæſari expoſuit, tertio Viſitationis beatæ Virginis Mariæ ad templum Minorum ſermonem habuit de triplici ſtatu incipientium, proficientium & perfectorum, innumerabili concurrente hominum multitudine. Ibidem multos curavit variis morbis affectos; nam quotidie poſt Miſſarum ſacrificium, offerebant ei male habentes, quos ille de fidei ſymbolo interrogatos, & qui neſciebant, edoctos, manu tangens, & hæc verba magno affectu pronuncians: *Super ægros manus imponent, & bene habebunt*, perfecte ſanabat. Quadraginta plures hic a variis infirmitatibus liberavit. Haud facile dictu eſt, quam ingentes gratias Rex Romanorum & populus Deo perſolvebant. Quadam die ad ſecretum Cæſaris colloquium admiſſus, modeſta reprehenſione, ſed libera voce, eum convenit propter publicam, quam cum Judæis exercebat, fœnerationem, aliaque propoſuit non infructuoſe.

Divinitus monitus pergit in Boemiam.

XII. His diebus plus ſolito inſtantiſſime orationi vacans, rogavit Deum, ut viam ejus dirigeret, ſuumque beneplacitum aperiret, an penes Cæſarem permaneret, an ad aberrantes Boemorum, vicinaſque gentes proficiſceretur. Divinitus reſponſum, ad Boemos abeundum. Petita Imperatoris licentia, ſignificatum eſt, Viennenſes inſtanter egiſſe ut ad ipſos mitteretur, quorum votis ut annueret, Cæſar obtinuit. Abeuntem per octo milliaria frequentiſſima proſequuta eſt turba populorum, & præ Viennæ mœnibus exceperunt Doctores ac Magiſtri cum univerſa ſtudentium cohorte, quibus in tanta lætitia, viſa eſt univerſæ Germaniæ oriri lux nova & gaudium ineffabile. Mox ad munus Apoſtolicum ſe accinxit, & in Eccleſia Minorum primum habuit ſermonem, aſſumpto themate: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, &c.* & die ſequenti ſecundum in Eccleſia Cathedrali ſancti Stephani, propoſito argumento *A, A, A Domine Deus, neſcio loqui, quia puer ſum*; adeoque mire peroravit, interprete ſacerdote ſeculari Joanne, ut Academiæ Magiſtros, totumque cœtum in admirationem rapuerit. Prorſus ſtupenda hic fecit & docuit. Franciſcus Gonzaga multa miracula ab eo hic patrata affirmat; ſocii majora particulatim enarrant. Ajunt, ab ingreſſu Civitatis Novæ, uſque ad diem Pentecoſtes ſexaginta tres e variis morbis fuiſſe liberatos; illo autem ſolemniſſimo die ingentem numerum languentium in templo & præ foribus Minorum conveniſſe, ut liberarentur ab infirmitatibus ſuis. At ille, licet publice benedixerit & ſolitam adhibuerit virtutem, nullum ſanavit. Contriſtatis ex inſperato ſucceſſu ſociis in fervore ſpiritus dixit: *Modicæ fidei, quare dubitatis? craſtina die videbitis gloriam Dei, & nulla ætas nullusque ſexus excludetur a beneficentia divina*. Ita porro factum eſt. Sequenti mane poſt habitam concionem abiit ad ingentem illam languentium multitudinem, & ſola benedictione plurimos ſanavit. Mirum erat & jucundum videre tot tantiſque malis obſtrictos exultantes, huc illuc diſcurrentes, invicem congratulantes & magnificantes Deum, qui talem poteſtatem dedit hominibus.

Prius abit Viennam.

Jacob. 1. 17.

Jerem. 1. 6.

Ubi multa patrat miracula.

Gonz. in Prov. Auſtriæ in princ.

XIII. Eo ipſo die adduxerunt ei parentes puellam quindennem, animam agentem, de cujus ſepultura magis quam de reſtauranda ſalute agebatur: cui Vir Dei in ſpiritus fervore dixit: *Surge filia, & redi in domum tuam*. Et illa tamquam e profundo ſomno excitata protinus ſurrexit, morbo omni depulſo, & gratias agens ſuo benefactori, lætabunda regreſſa eſt cum parentibus in domum ſuam. Trimula infantula, quæ in agro Viennenſi ſabbato decidit in altum puteum, & per triduum uſque ad diem Lunæ ſub aquis ſuffocata remanſit, a Catarina genitrice & Laurentio fratre Viennam mor-

mortua in feretro perducta, ſola benedictione ſancti Viri a longe obtenta (nec enim propius ob multitudinis circumdantis preſſuram poterant accedere) ſtatim cæpit oſcitari, & perlata in ſacellum ſancti Bernardini, ex integro revixit. Curiæ etiam Viennenſis Cancellarium toto ventre & pectore fœde tumeſcentem perfecta donavit ſalute. Mercatoris filium mutum ter juſſit Jeſus nomen proferre, &, tamquam ſi nullo prius teneretur impedimento, obſecutus, deinceps perfecta utebatur loquela. Vir quidam coram Officiali Viennenſi uxorem ſuam adulterii incuſabat, & improborum teſtimoniis probare volebat, infantulum recens natum ſuum non eſſe. In ambigua & difficilis probationis controverſia conſulendum duxit Officialis Capiſtranum, vocatiſque coram eo viro, & conjuge infantulum bajulante, rem omnem propoſuit. Vir Dei, amotis ambagibus, ipſum puerulum bimeſtrem interrogavit, quiſnam eſſet Pater ejus? At infans Germanice effatus, clara voce adſtantem Patrem ſuum nuncupavit. Miro hoc judicio ſtupefactus & placatus uterque conjux, magnam pecuniæ ſummam projecerunt ad pedes ejus, quam ille Officiali partim pauperibus, partim reſarciendæ Eccleſiæ credidit diſtribuendam.

XIV. Tot tantiſque prodigiis obſtupefacti Magiſtri Viennenſes, effuſim hominem commendabant a pietate, doctrina, vitaque per omnia conſimili; licet (uti ſolet ubique) non defuerint æmuli livore tabeſcentes, qui tantam miraculorum copiam captandæ potius inanis gloriæ, quam confirmandæ doctrinæ, aut erudiendis populis adaptari muſſitabant. Sed ſanctiſſimi Viri famam offuſcare non poterant, concurrentibus undique populis, applaudentibus Magiſtris, commendantibus Romanorum, & Boemorum Regibus: qui Viennam venientem ſtatim proſequuti, frequenter prædicantem audierunt, & ad ſecreta ſeriaque conſilia paſſim evocabant. Tantus erat concurſus populorum, ut nulla poſſet Eccleſia circumſcribi; opuſque fuit in ampliſſimis plateis apertiſque campis prædicare: ubi aliquando ultra centum millia ejus ſermonem præſtolabantur. Piis & fervidis concionibus omnes commovit, ut diligentius animas ſuas curarent, fœminas ut vana & laſciva miſſa facerent ornamenta, mercatores ut uſuras & lucra iniqua contemnerent, adoleſcentes ut prorſus mundo valedicerent. Ex his plurimos per alias religiones diſpertivit, ſuæ reſtitutæ tamen Obſervantiæ quinquaginta adjudicavit. His educandis Fridericus Imperator indulſit, ut quem vellet, in urbe locum deligeret. Placuit ſancti Theobaldi humile ſororum aliquot tertii Ordinis receptaculum, in ſuburbio prope mœnia conſtitutum. His itaque alio cum facultatibus ſuis decentius translatis, die XXII. Julii, Cæſaris impenſis, concurrente etiam populi adjutorio, initium accepit domus Obſervantum, in qua tirones commiſit educandos Michaeli Siculo Guardiano, & Hieronymo Mediolanenſi Vicario, juvenum inſtructori. Horum exemplo allecti multi Baccalaurei, aliquot Magiſtri, & plerique Viri docti, ſua nomina dederunt, ita ut brevi ad numerum excreverit centenarium, & poſt aliquot annos ad ducenteſimum. Locum hunc ſub Carolo V. Imperatore diruerunt Turcæ in obſidione Viennenſi. Translati itaque Fratres a Ferdinando I. in ipſam urbem, collato fundo a Senatu Viennenſi.

Non tamen abſque aliorum invidia.

Ingens populorum concurſus & fructus.

Extruit Viennæ ſuorum domicilium.

Ubi multi Minoribus adſcripti.

Gonz. in Prov. Auſtr. Cen. 1.

XV. Nicolaus Tellus de Fara Capiſtranenſis, qui Virum ſanctiſſimum in Germaniam aſſociavit, & mirabilium iſtorum operum magna ex parte fuit teſtis oculatus, rudi, etſi ſincero ſtylo cuncta per compendium ſcripſit conſodalibus provinciæ Etruriæ, miſſa epiſtola ſequenti.

Reverendis in Chriſto Patribus Fr. Ludovico de Senis Vicario, Guardianis, ceteriſque Fratribus Provinciæ Tuſciæ: Fr. Nicolaus de Fara de Capiſtrano, Minorum minimus, ſalutem plurimam dicit in Domino.

SI valetis, bene eſt, nos omnes valemus. Jubet ipſa veſtra ſingularis benevolentia, colendiſſimi Patres, ut pro meo officio certiores vos efficere debeam de rebus magnis, ſtupendis & admirandis, quas excelſus Deus noſter quotidie per ſanctum Seniorem noſtrum operatur; ut cognoſcatis, quam ipſe Optimus Deus dives ſit in omnes, quam miſericors, pius & clemens, quam liberaliſſimus & munificentiſſimus maximorum munerum largitor noviſſime diebus iſtis inveniatur, non ſolum apud Italos, ſed etiam apud Alemannos, Moldavos, Boemos, & Hungaros; quam ut noſtram in primis, ac omnem Chriſtianam Religionem inexplicabilibus miraculis, ſignis & prodigiis ornet, decoret & illuſtret. Id enim etſi libenter facio pro communi omnium lætitia, tamen quia rem grandem & perdifficilem aggredi videor, non poſſum non vereri, imo, ut verum fatear, incredibiliter erubeſco, tantam rei majeſtatem nuda & exili oratione complecti. Quippe bujuſce rei tanta eſt magnitudo, ut illa quidem non litteras, ſed libellum permagnum requirere videatur. Quod cum frequenter ipſe mente revolvo, magis magiſque moleſtia afficior, & præſertim cum id nulla verborum dignitate, nulloque eloquentiæ ſplendore a me poſſe tractari facile cenſeam; quandoquidem nulla prorſus eſt in me dicendi facultas, neque otium, quod rei magnitudo poſtulat, præſtatur. Veruntamen cum eruditiſſimos viros extemporarie dicentes ſæpe numero longe ab ornatu verborum ſententiarumque evagari viderim, harum litterarum inſcientiam minus moleſte fero, meamque in dicendo ruſticitatem, otium, quod non datur, & ipſa rei magnitudo non parum excuſabit. Sed quid verbis inſiſto multis? indigetne hoc tam magnificum, tam excellens, tamque illuſtre opus verborum pompa, oratoriis adjumentis? cum illud non humanitus, ſed divinitus fuiſſe profectum nemo dubitet; nam profecto tanta eſt ejus munificentia & gloria, ut ſi etiam nudo eloquio explicetur, ſemper & a præſentibus & poſteris ejus ſit colenda venerandaque memoria; tunc enim res geſta perpolitis verbis adornari ſolet, quando per ſe ipſa parva eſt. Mihi autem offertur dicendi campus non modo ornatiſſimus, ſed ampliſſimus, ita ut difficilius ſit rem omnem veram exprimere, quam ad ornandam orationem meam aliquid ficti addere, quo uberior, luculentior, illuſtriorque videatur. Et ne nimis ſermo protrahatur, de re ipſa dicere incipiam. Non vereor, optimi Patres, ſi omnia magnifica geſta ex deceſſu Venetiarum uſque ad ingreſſum Alemanniæ vobis enarrare voluero, longiorem me eſſe ſermonem habiturum; ſed cum illis plenas jam vos habere aures perſuadeam, non ad illa, ſed ad ea, quæ in Alemannia acta ſunt, meum ſermonem convertam. Proficiſcentibus nobis, Reverendi Patres, ad has Alemanniæ partes, ut quædam Apoſtolica admonita abſolveremus, quamprimum omnis populus commotus eſt, & tamquam a Spiritu ſancto inflammatus & edoctus, tanta cum honorificentia ſanctum Seniorem noſtrum amplexus eſt, ut vel nullos vel paucos ex Italia in hanc patriam ingreſſos, majori honore aut triumpho ſuſceptos

Honorifice recipitur in Germania Capiſtranus.

fuiſſe, omnium ſit ſententia. Magnificavit enim illum Dominus Deus noſter apud Alemannos, Moldavos, Boemos & Hungaros multis miraculis, ſignis & prodigiis; & ita magnificavit, ut jam non homo mortalis, ſed tamquam cæleſtis Angelus a cunctis ſumma cum veneratione habeatur, extollatur, ac præ-

prædicetur. Currunt equidem omnes fere populi Alemannorum, Boemorum, Moldavorum & Hungarorum poſt eum; & tamquam amentes præ nimia devotione effecti, non modo ducentis & trecentis milliaribus remoti, ſed etiam quadringentis & quingentis proficiſcuntur. Occurrunt illi ornatiſſimæ proceſſiones cum crucibus, reliquiis, vexillis, luminaribus, ſuaviſſimiſque hymnis & canticis; pulſantur campanæ & organa, ornantur viæ herbis & ſuaviſſimis floribus: & beatum ſe quiſque putat, qui illius veſtimenti fimbriam tangere & oſculari poteſt. Quid dicam de confluentibus undique populis ad contemplandum ipſum communem Patrem tamquam cæleſte oraculum: Cum etiam nonnumquam centum millia, nonnumquam centum quinquaginta millia hominum conſpiciamus, ut taceam ſacratiſſimam illam diem corporis Chriſti, qua creditur procul dubio hac in inclyta urbe Viennenſi trecenta millia hominum fuiſſe? Interſunt etiam prædicationi nonnumquam ſexaginta millia, nonnumquam octuaginta millia, nonnumquam centum millia; quamquam ſi omnes intelligere & audire poſſent, nullus inveniretur campus qui illos capere poſſet præ hominum nimia frequentia & magnitudine. Quid de infirmorum multitudine dicam, cum aliquando tria millia, aliquando quatuor millia, & quinque millia ſint pariter expectantes ab ipſo Patre benedici, ac illius meritis & interceſſione optimam valetudinem adipiſci? Clamant ſæpenumero omnes ad Deum omnipotentem, invocant miſericordiam & clementiam, implorant gratiam tam magnis, crebris infractiſque vocibus, ut non modo tenera, ſed etiam marmorea corda mollirentur. Provocant enim aliquando communem Patrem ad tam incredibilem planctum, ut præ nimia lacrymarum affluentia ſemivivus videatur. Quis iſtorum populorum ſummam devotionem & fidem explicare poſſet, cum omnis locus apud quem moram trahimus, dies & noctes multitudine copioſa circumvalletur? Non equidem famem, non ſitim, neque pro lecto frigidam timent habere humum: eſt enim eorum fides adeo magna, ut fateatur communis ipſe Pater, ſe fidem numquam inveniſſe majorem. Audent etiam & mortuos deferre, ut ceteros variis etiam infirmitatum generibus affectos ſilentio præteream; non enim fervor & devotio decreſcit, ſed continue creſcit & augmentatur. Numquam enim a tempore Apoſtolorum uſque in hodiernum diem, tanta populorum commotio audita eſt. Hæc aſſertio non ſolum eſt mea, ſed omnium illorum qui longe ſunt me doctiores, quorum ſcientiæ plurimum adhæreo, immo magnopere laudo & commendo. Sed quorſus pergo? Video, colendiſſimi Patres, longo me ſermone deduci, ſi omnia geſta per ſeriem texere voluero. Verum, quia nullum fere otium relinquitur, ad miraculorum pelagus accedamus, ut uberes fructus ſancti Senioris noſtri, quam præſtantes, quam divini ſint, intelligamus. Tantum itaque loca ubi miracula facta ſunt, & miraculorum numerum explicemus. Relicta Italia, optimi Patres, ſumma cum gloria & Dei magnificentia, tranſeuntibuſque nobis apud Pontiam villam, Plurima patrat miracula. *quidem permagnam, in confinibus Italiæ ſitam, quædam puella cæca viſum, quidam mutus & ſurdus loquelam & auditum, quædam clauda greſſus recuperavit. Sed qua laude proſequar, quæ geſta Villaci ſunt, ubi ultra triginta miracula excellentiſſima facta fuiſſe duorum dierum numero, nemo inficiatur? ibi enim cæci vident, claudi ambulant, ſurdi audiunt, & muti loquuntur. Illud tamen memoria dignum eſt, quod quatuordecim in ſedibus delati, contracti manibus & pedibus, immobileſque omnino, per ſe domum propriis pedibus abierunt ſani & incolumes, laudantes & magnificantes Deum. Quid de oppido Domini Epiſcopi Gurgienſis dicam, cum ibidem duodecim miracula geſta fuiſſe nemo dubitet? Quid Friſacum, Judiburgam,*

atque

atque nonnulla oppida loquar, in quibus Dominus multa ſigna oſtendit, quorum nullum ſcribere valuimus propter ſummam hominum frequentiam & feſtinum diſceſſum? Nec minori laude commemoranda eſſe videntur ſexaginta quatuor miracula facta in Civitate nova, octo dierum numero, ubi Illuſtriſſimum Romanorum Regem invenimus. Præter hæc omnia, illud ſumma laude, gloria & magnificentia celebrandum eſt, quod viginti octo dierum numero, quibus uſque nunc hic Viennæ fuimus, ducenta jam miracula fuiſſe geſta nemo non vidit. Quid ſecundam feriam Pentecoſtes loquar, qua viginti infirmos ſanos & incolumes abeuntes conſpeximus, prædicente Patre Dominica Pentecoſtes? Eodem namque die cum nullum miraculum apparuiſſet, his verbis communis Pater uſus eſt: Ecce totus ipſe feſſus ſum, & nihil hodie factum. *Ego vero reſpondi:* Nulla te, Pater, teneat admiratio, voluit forte Dominus tuam patientiam experiri; *omnes enim nos in ſummam admirationem veneramus, eo quod propter dici ſolemnitatem multa ſigna videre ſperabamus; Ille vero increpans incredulitatem noſtram, ſic ait:* O homines modicæ fidei, quid ſuſpicamini? craſtina quidem die videbitis gloriam & magnificentiam magni Dei: non dubitetis. *O vox aurea! O verbum Propheticum, non humana conjectura, ſed cœlitus profectum! Die autem ſequenti, ut prædixi, viginti miracula, ut ipſe nobi prædixerat, noſtris oculis vidimus, & noſtris manibus contrectavimus. Quotidie nova miracula videmus: jam unum libellum confeci ex miraculis geſtis. Tota Hungaria uſque ad fines Turcarum commota eſt, ut taceam omnem Alemanniam, Boemiam & Moldaviam; eſt enim hujuſcemodi commotio res inaudita. Tantus eſt fœtor, ut niſi a vento opprimeretur, qui continue hac in urbe regnat, ut facile mihi perſuadeam, hanc inclytam urbem non potuiſſe epidimiam evadere, ſed a continuo vento omnis fœtor expellitur. Numerus infirmorum eſt jam inenarrabilis, qui ita undique confluunt, ac ſi ad Jubileum profiſcerentur; ducenta enim miracula facta eſſe non parum eſt in viginti octo dierum ſpatio hic Viennæ, & jam ſunt trecenta viginti miracula, quæ in Alemannia noſtris manibus annotavimus: ut taceam multa, quæ ſcribere nequivimus. Silendum nequaquam videtur, quid Deus operatus fuerit ad confirmationem iſtorum miraculorum hiſce diebus. Quidam Baro, cum nullo pacto hæc miracula vera eſſe credere vellet, convertit ſe ad canem ſuum cæcum, & ait:* Tunc credam miracula, quæ referuntur, eſſe vera, quando iſte meus canis viſum aſſequetur. *O res mirabilis & ſtupenda! ſubito his verbis dictis, aperti ſunt oculi canis, & ipſe cæcus effectus eſt. Quidam etiam alius detractor & incredulus, cum contra iſta miracula diceret, gravi morte correptus eſt. Quidam alius a cane eſt interfectus; quidam alius a curru oppreſſus, cum miracula iſta repellere conarentur; iſta enim ſunt ſigna pergrandium rerum futurarum. Quid igitur magnificentius? quid præſtantius? quid admirabilius? quid divinius dici, audiri, intelligi, excogitarique poſſet? Magna & ſtupenda in Italia, ſuperiore tempore geſta fuiſſe non inficior, ſed ſi conſideretur diligenter tam paruus dierum numerus, quibus hæc facta ſunt, profecto iſtorum miraculorum magnitudo ceteris præſtat, reportatque ſibi nomen inclytum & glorioſum. Cantate itaque, Patres & Fratres mei colendiſſimi, canticum novum, cantate Domino omnis terra, jubilate & exultate, & cum Alemannis, Boemis, Moldavinis & Hungaris iterum atque iterum cantate & dicite:* Benedictus qui venit in nomine Domini, *ſicut ipſi dicunt, cum ei obviam veniunt, & agite gratias immortales Optimo Deo noſtro: pro ſancto Seniori noſtro in primis, ac pro omnibus ejus ſociis inceſſanter orate. Et quia communis Pater divina revelatione eſt certificatus, ut verſus Boemiam*

Et deridens divinitus corripitur.

Item alii.

de-

debeat proficiſci ad extirpandas illas ſceleſtas hæreſes, quibus plurimi ſunt alligati, ea de re illuc cito noſtros greſſus dirigemus; dicit enim nos præſto fore viſuros mirabiliora & præſtantiora, quam uſquam nunc acta ſint; decrevit namque numquam redire in Italiam, niſi ex præcepto ſanctiſſimi Domini Papæ cogatur. Præterea volo vos certiores fieri de his, quæ in modum prophetícum idem Pater noſter protulit: Si qui fratrum per litteras Apoſtolicas operam dederint, ut in Italiam redeam, judicium Dei non effugient, ſi tam magnum Dei honorem, & animarum fructum impedierint. *Quare, optimi mei Patres, rogo vos magnopere, ut nullam operam penitus detis, ut ipſe ad Italiam cogatur reverti. Conſtruuntur inſuper multæ Eccleſiæ & Capellæ in honorem ſancti Patris noſtri Bernardini, quem quidem ſanctus Senior ita magnificavit & magnificat, ut mirabile dictu ſit. Omnem miraculorum ſuorum gloriam ſancto Bernardino attribuit; vult enim ut omnia ſubſtentacula dimiſſa ab infirmis ſanatis, ponantur & appendantur in circuitu Capellæ ſancti Bernardini; & aliud addam: nulla eſt religio Obſervantium vel Conventualium, quæ non cupiat benedictionem Patris accipere. Multi infirmi de Obſervantia ſancti Dominici ſunt mirifice valetudinem aſſequuti; Principes & Barones, ceterique nobiles non minori devotione & veneratione Patrem amplectuntur, quam ceteri infirmi. Et ut jam finem dicendi faciam, ſi quæ hic errata ſunt, Patres, pro ſingularibus ſtudiis veſtris, atque illuſtriſſimis moribus munificentiſſime dimittetis. Vos vero interim & corporis, & quod præſtantius eſt, animæ bonæ valetudini operam dabitis, mei profecto ſemper memores in orationibus veſtris, qua quidem re nihil gratius, nihil mihi jucundius poteſt obtingere. Valete in Chriſto Jeſu, & pro me iterum orate. Ex inclyta urbe Viennenſi* XXIV. *Julii* MCCCCLI.

XVI. Juvat etiam Joannis Cochlæi viri piiſſimi teſtimonium de hac miſſione, populorum applauſu, & mirandis Viri ſancti operibus iſthic attexere: *Fuit*, inquit, *Joannes natione Italus, patria Aprutinus, non longe ab Aquila urbe oriundus, magiſter in Theologia, & Juris utriuſque Doctor, qui ad prædicandum verbum Dei ſingulari gratia præditus, magno cum fructu in plurimis regnis & Provinciis populo verba ſalutis annunciavit, extra Italiam ubique interprete uſus. Mira profecto res, ut vir* LXVI. *annos natus, tantum itineris facere, tantum laboris ferre, tantum vocis & ſpiritus in debili, macilento & exhauſto corpuſculo poſſet habere. Nam qui eum Norimbergæ viderunt, affirmabant hominem fuiſſe corpore puſillum, aridum, exhauſtum, ſola cute, neruiſque & oſſibus compactum; lætum tamen, & in labore fortem ac ſtrenuum, ſine intermiſſione ſingulis diebus prædicantem, atque altas materias profundaſque ſententias declarantem. Vitæ ejus inſtitutum in hunc modum fuiſſe deſcribunt. Veſtitus dormire, ante lucem ſurgere; Matutinum, Laudes, Primam & Tertiam orare; divina deinde celebrare: his peractis, ad populum latine ſermonem pronunciare, & eum poſtea per interpretem populo exponere; finito ſermone ad cœnobium ſui Ordinis redire; Sexta & Nona completis, infirmos viſere, diu apud eos morari, manus omnibus imponere: Birretum ſancti Bernardini, & in linteo cruorem, quem illi mortuo e naribus fluxiſſe ferunt, ſingulis ægrotantibus admovere, precari ſupplex pro omnibus. Exin cœnare, deinde his, qui ad ſe accedebant, audientiam præbere; mox Veſperas dicere, & iis completis ad ægrotos reverti, atque cum his uſque ad noctem ſe exercere: demum Completorio, & aliis delectis precibus expletis, corpus quieti dare, quod ſane tempus minimum erat, & ſomno ferme nihil, ad reviſendos ſacræ ſcripturæ codices, puſillum temporis furari. Ingens profecto, & per divinam gratiam infatigabilis in modico illo corpore vir-*

Cochl. de reb. Huſſit. l. 10. Quale vitæ genus Capiſtrani in Germania.

virtus regnabat, quam nec labor, nec ætas frangere potuit. Et talis erat ejus pronunciatio, ut etiam non intelligentes ad lacrymas & vitæ emendationem provocaret. Missus a Pontifice in Germaniam, ut Nuncius & Commissarius Apostolicus, atque ut Generalis hæreticorum Inquisitor, per Carinthiam & Stiriam venit in Austriam, tanta cum populi reverentia ac veneratione, ut Sacerdotes cum plebe, cum veluti Legatum Sedis Apostolicæ, cum Sanctorum Reliquiis obviam procedentes, susceperint: & plane illud in eo complerent, quod Paulus ad Galatas scribit, dicens: Sicut Angelum Dei, excepistis me. *Galat. 4. 14*

XVII. Porro sub Julii finem, impetrata a Cæsare venia ad Boemos, quorum salutem sitiebat, transmigrandi, regni Metropolim urbem Pragensem penetrare non potuit, accessum prohibente Joanne de Rochizana pseudo-Antistite, Hussitarum patrono, & Georgio Podiebracio urbis Gubernatore, hæreticorum Antesignano. Imperator timens, ne quid mali ab hæreticis inferretur, eum multiplicatis litteris, regni Proceribus, maxime Ulrico Maynardi de Rosamberga, partium Catholicarum propugnatori, commendavit. Præcluso aditu in Boemiam, eique insidiantibus hæreticis, & quod vi non poterant propter satellites Cæsareos, qui usquequaque conducebant, quibus poterant artibus, ubique adversantibus, transivit in Moraviam. Olmutium, illius provinciæ urbem præcipuam, sub æstatem pervenisse, testatur Miechovius, ubi quodam die Dominico, (sicut omnium fuit judicium) ejus prædicationibus centum millia personarum interfuerunt. In illa regione multos per Dei gratiam ad Ecclesiæ unitatem reduxit, quemadmodum testatur ipsemet epistola ad Universitatem Viennensem, inquiens: *Postquam Moraviam sum ingressus, præstantissimi Magistri & Doctores, ut debui, semper pro viribus contra Boemorum damnatas hæreses egi, neque minis, neque aliquo timore unquam a prædicationis officio defiiti, sed palam locutus, omni quo valui studio, ad repellendam illorum damnatam opinionem, qui dicunt, necessarium esse ad salutem sub utraque specie communicare, me contuli. Quo factum est, ut non solum multi Barones, Nobiles, sed & Sacerdotes ad plusquam quatuor millia meis in manibus Hussitarum errores abjuraverint, præter multos alios conversos, qui sub ipsorum Baronum conversorum dominio degunt.*

Non potuit in Boemiam penetrare.

Abit Olmutium.

Miechov. tom. 2. l. 4. c. 59. Cochl. cit.

XVIII. Et vere ita scripsisse mihi compertum est ex registro Vicariatus generalis sancti Viri, quod ex archivo Capistranensi accepi: in quo per singulos dies adnotavit ejus secretarius nomina, cognomina, qualitatem & statum omnium, qui hæreses quasque abjuraverunt, designatis etiam urbibus, locis, & testibus ipsius abjurationis. Numerantur quidem ultra undecim millia usque ad mensem Maii anni sequentis. Incepit a Bruna, Moraviæ urbe notissima, ubi prima die Augusti ad communionem Ecclesiæ admisit Moraviæ Camerarium, de quo ita ex transumpto publico Notarii refertur in regesto. *Magnificus Dominus Benedictus, vulgariter nuncupatus Benessio, Baro in Marchionatu Moraviæ, ejusdemque provinciæ Camerarius, confessus est coram populorum multitudine copiosa, assistente Reverendiss. Dom. G. Episcopo Nicopolen. dignissimo, & suffraganeo Reverendiss. Patris & Dom. Episcopi Olomucensis, & recognovit se adhæsisse superstitioni Boemorum & erroribus Hussitarum, credendo, favendo & defendendo eorum hæreses in scissuram unitatis sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, & in rebellionem obedientiæ, & perversionem ritus Ecclesiastici in communione sub utraque specie, & quandoque in deducendo gentes armorum in subsidium eorumdem Boemorum, & in offensionem Catholicorum, & se in prædictis errasse, & super iis corde contrito & hu-*

Multos ab Hussitarum erroribus reducit.

& humiliato abſolutionem & pœnitentiam requiſivit publice & palam in platea publica Brunenſi, genuflexus coram R. P. fratre Joanne de Capiſtrano hæreticæ pravitatis Inquiſitore, & prædictas & omnes alias hæreſes, quocumque alio nomine cenſeantur, abjuravit, & poſtea in camera reſidentiæ ejuſdem R. P. fratris Joannis promiſit & juravit ad ſancta Dei Evangelia, corporaliter manu tactis ſcripturis, ſe deinceps perpetuo ſervaturum ſanctam, illibatam, & immaculatam fidem Catholicam, quam ſacroſancta Romana Eccleſia tenet, prædicat & docet, & promiſit ſe perpetuo victurum ſub obedientia, devotione & reverentia ejuſdem Sanctæ matris Eccleſiæ. Supradictus autem R. P. frater Joannes, recepto juramento ab antefato Barone, abſolvit eum auctoritate ſanctiſſimi Domini noſtri Nicolai Papæ V. præſentibus &c. & paulo poſt ejuſdem Baronis conjugem, conſanguineos, & univerſam familiam copioſam ſatis, communioni fidelium aggregavit.

XIX. Alterius nobilis viri ſeu Baronis in hac eadem provincia converſionem ita Æneas Sylvius recenſet: *In hac provincia Moraviæ Barones ferme omnes Huſſitarum labe infecti ſunt. Hic cum verbum Dei prædicaret Joannes Capiſtranus, & in errores Huſſitarum vehementius inveheretur, Baronis non parvi nominis, quem Ezernaboram vocant, ſecuta converſio eſt, qui relicta priore perfidia, cum duobus millibus ſubditorum veritatem Romanæ Sedis amplexus eſt: filius ejus, doctrina & moribus clarus, non diu poſtea Olomucenſis Eccleſiæ pontificatum obtinuit. Ea eſt unica civitas Moravorum Epiſcopalis.* De hac eadem Eccleſia iſti adoleſcenti tradita alibi loquens Sylvius, ita ſcribit: *Eccleſia Olomucenſis ſub Calixto vacans, Prothaſio nobili adoleſcenti, & litteris apprime erudito, quem Canonici petierunt, commiſſa eſt. Nam quamvis pater ejus olim Eccleſiam perſequeretur, Huſſitarum labe infectus, prædicante tamen in Moravia Joanne Capiſtrano, ſummi nominis Theologo, cum omni familia ſua hæreſim abjuraverat, ex perſecutore religionis tutor effectus.*

Sylv. in Europa. c. 23.

Idem l. de moribus Germ.

XX. Porro ſingulis ſuæ reconciliationis inſtrumentum dabat hujus tenoris, mutatis quibuſdam juxta perſonarum & hæreſum qualitatem.

Univerſis & ſingulis Chriſtifidelibus, tam Prælatis quam ſubditis, Eccleſiaſticis & temporalibus, ad quos præſentium ſeries pervenerit, frater Joannes de Capiſtrano Ordinis Minorum minimus, & indignus hæreticæ pravitatis Inquiſitor ex inſtitutione & commiſſione ſanctiſſimi D. N. Nicolai Papæ V. ad ſuperiores commendationem humilem & devotam, & ad reliquos omnes ſalutem & pacem in Domino ſempiternam.

Formula reconciliationis hæreticorum.

NOveritis per præſentes, qualiter N. N. præſtito prius juramento, corporaliter manu tactis ſcripturis ſacris, abjuravit & abnegavit omnes hæreſes Wicleffiſtarum, & Huſſitarum, & aliorum quorumcumque hæreſiarcharum, & hæreticorum, quibus per annos plurimos adhæſit, promittens ad ſancta Dei Evangelia, toto tempore vitæ ſuæ ſtare mandatis Eccleſiæ, vivere ſub obedientia Sedis Apoſtolicæ, & ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ. Quamobrem, quia ſponte venit, auctoritate ejuſdem ſanctiſſimi D. N. Nicolai Papæ V. & officii mihi commiſſi, impoſita ſibi pœnitentia ſalutari, abſolvi eum ab omni excommunicatione, & ab omnibus cenſuris Eccleſiaſticis, quas prædictis de cauſis incurrerat, & reſtitui eum ad honores, dignitates, officia, beneficia, ſtatus & gradus, quæ & quos prius obtinuerat, & pia benignitate recepi eumdem ad unionem, reincorporationem, reintegrationem, & reconciliationem cum unico myſtico Chriſti corpore, & unica ſacroſancta Romana & uni-

verſali Eccleſia Catholica militante, recepique ipſum ad participationem omnium bonorum & meritorum totius populi Chriſtiani, pro quanto juſte, Catholice, & recte vixerit. Unde ad fidem & teſtimonium prædictorum has præſentes litteras ſolito pendente ſigillo munitas fieri juſſi, meaque propria manu ſubſignavi. Commendans eum omnibus & ſingulis Chriſtifidelibus in viſceribus caritatis, mandanſque nihilominus ſub Eccleſiaſticis cenſuris, ne prædictis ex cauſis quiſquam eidem N. moleſtiam aliquam inferre præſumat. Datum &c.

Ingens animatũ fructus in Moravia. *Conv. in Prov. Boem. Cent. 2.*

XXI. Brunæ hæſit uſque ad XV. Auguſti, ſuis conſodalibus habitaculum poſuit ſub nomine ſancti Bernardini, reconciliavitque ultra mille ſexcentas perſonas: die XVI. in Viſcia aliquot abſolvit. Die XVIII. pervenit Olomutium, ubi uſque ad quintum Septembris permanſit, ingentemque aliquot millium multitudinem ad Eccleſiæ unionem reduxit. Regreſſus Brunam in vigilia Nativitatis Virgineæ, copioſam meſſem in horrea Domini coacervavit uſque ad diem ſancti Franciſci. Die ſequenti, Octobris quinta, in villa Draſoph XI. M. a Bruna, & die decimo ac ſequentibus in Egburga alios coadunavit. A die XVIII. in Cronaro, præſente Dom. Ulrico viro Principe, Catholicorum, uti dixi, patrono, multos nobiles, populares innumeros ad viam veritatis reduxit, donec Egram pervenit VII. Decembris in vigilia Conceptionis beatæ Virginis Mariæ, ubi uſque ad initium Februarii anni ſequentis, magno Catholicorum incremento perſeveravit. In Friberch die XXIV. Februarii, & in civitate Miſſinenſi a die XVIII. Martii, & a XXV. ejuſdem menſis uſque ad principium Junii in civitate Pontenſi regni Boemiæ miro fructu eumdem ſubiiſſe laborem comperio, multis millibus ad caſtra Catholicorum tranſmiſſis, & fidelium gregi aggregatis.

Hæreticorum infaniæ, & ſpurcitiæ.

XXII. Incredibile porro videtur, homines rationales in tot inſanias, putidas hæreſes, & ſpurciſſima deliramenta, quot in reconciliationum tabulis leguntur, abiiſſe; aut Boemos, hæreticos Taboritas, Wicleffiſtas, Huſſitas, Jacobellianos, aliaſque hujuſmodi inferni furias adeo crudeliter & inhumane in Orthodoxos ſævire potuiſſe, ut omnem adinvenerint pœnam, & horribilia excogitarint tormenta contra eos, qui in illorum non conſpiraverint inſaniam: & maxime communionem ſub utraque ſpecie, verbo & facto non commendarint, & communicantes ſub una dumtaxat ſpecie tamquam hæreticos non condemnarint. Ex his plurima horret animus in memoriam revocare, præſertim jam ab aliis recenſita. Quales illæ hæreſes & ſpurcitiæ Adamitarum, quorum plurimos ad fidei veritatem Capiſtranus reduxit, qui ab auctore Gallo ſutore Boemo, & Maria ſpecioſa pellice in inſula parva VI. M. P. ab illa infami civitate Taboritarum, & fætida Huſſitarum aliorumque errorum ſentina, anno MCCCCXXII. originem ſumpſerunt? Mares & fœminæ nudi incedebant, æmulantes Adamum in ſtatu innocentiæ, a quo nomen ſumpſerunt. Publice & promiſcue coibant: nulla nemini ſui copiam negabat, communeque erat illud veluti ex ſcriptura patrocinium: *Omni petenti te, tribue.*

Secta Adamitarum.

Luc. 6. 30.

Indecens ſanguinis adminiſtratio.

XXIII. Quales illæ profuſiones Chriſti ſanguinis? quam contemptibilis & indigna ſacri Calicis adminiſtratio infantulis, infirmis, & omni hominum conditioni? Innumeri referuntur horrendi caſus profuſi Sanguinis ſacroſancti in confeſſionibus plebanorum & Sacerdotum, qui ab Huſſitis retrocedebant. Calices ingentes plenos conſecrabant, & poſt plenum hauſtum, reliquum adſtantibus etiam infantulis lactentibus cochleari diſtribuebant, quorum plerique eructantes reddebant. Plebanus in Bracocino conſtrictus a Præfecto arcis, qui uxorem & familiam ſanguini volebat communicare, craterem magnum

gnum conſecravit, ſed dum adorandum elevaret, tremulis brachiis (erat enim ſeptuagenarius & paralyticus) magnam ſanguinis partem evertit ſuper caput & humeros ſuos; deinde indignatione commotus, verſus ad Præfecti conjugem: *Propter te, reverenda bellua, hæc mihi*, inquit, *acciderunt: ſume in malam rem, quod reliquum eſt*; & effudit ſuperſtitem ſanguinem in faciem & pectus ejus. Sacerdotes in Cremaczit Hoſtiæ ſacræ particulam Calici non immittebant; pro defunctis non orabant, dicentes, Angelum Apoc. 10. qui pede dextro mare, & ſiniſtro terram calcabat, juraſſe per Viventem in ſecula ſeculorum, quia tempus amplius non erat. Parum referre dicebant, quod in communione laicali pars Sanguinis efflueret, aut e cochleari ſtillaret in terram, quia etiam Chriſtus, dum pendebat in cruce, magnam ſui Cruoris partem in terram emiſit. Solam aquam abſque benedictione aut chriſmate, aut ablutionis verbis ad baptiſmum adhibebant; Extremæ-unctionis ſacramentum contemnebant; caſus reſervatos non admittebant, cenſuras Eccleſiaſticas deſpiciebant.

XXIV. Multa hujuſmodi hæreſum moſtra Vir ſanctus a pleriſque locis & oppidis, continuis prædicationibus, & frequenti catecheſi prudenter eliminavit, Fideique puritatem invexit. Male hæc habuerunt hæreticorum caput, Rochyzanam. Scriptis itaque Praga litteris, traditæ Moravis aliiſque gentibus doctrinæ, & condemnatæ Boemorum conſuetudinis, Capiſtranum in hunc modum expoſtulavit. Rochyzana Capiſtrano inviſus.

Honorabili & religioſo viro fratri Joanni Capiſtrano &c.

OPtans te in Chriſto ſapere, intelligere, & noviſſima providere, Confrater in Chriſto dilecte, optavi diu & nunc faciem tuam videre, phiſonomiam tuam inſpicere, ſi forte ex ore tuo aliquid conſolationis acciperem pacis & ſalutis. Sed repreſſus viarum periculis & infirmitatibus corporis, optatum depoſui. Cupiens autem ſcripta ſaltem tua inſpicere, & ſi aliquid pacis & ſalutis haberent, grato animo acceptare: quod ore volui, manu ſcribo cum omni, qua decet, reverentia & honore. Quid eſt, Confrater in Chriſto dilecte, quod, ut audio, non ceſſis, heu! omni timore Dei poſtpoſito, Dei populum, gentem ſcilicet Boemorum maledicere, ipſum hæreticare, & damnare, caritatem in populo extinguere, odia & contentiones provocare, propter ſanctiſſimam communionem Calicis in populo ab Eccleſia Dei editam, a ſacroſancto Baſileenſi Concilio, tunc in Spiritu ſancto congregato, Eccleſiam Dei univerſalem repræſentante, auctoritate Chriſti & Eccleſiæ veræ ſponſæ ſuæ, ipſi populo, ut præfertur, commendatam, ut patet in compactatis dicti Concilii cum Boemis? Quam quidem communionem Salvator noſter in ſua Cœna ultima inſtituit, dum Corpus ſuum & Sanguinem ſub ſpecie panis & vini diſcipulis dedit, & eis dixit: Hoc facite in meam commemorationem, *per verbum imperativi modi* facite, *hoc ſcilicet quod ego feci. Cujus teſtis eſt Apoſtolus in Epiſtola ad Corinthios dicens*: Ego enim accepi a Domino, quod & tradidi vobis; *ubi docuit ipſos Corinthios communionem ſub utraque ſpecie, ut patet in decurſu illius epiſtolæ. Quam quidem epiſtolam habet Eccleſia per orbem terrarum tamquam veram. Teſtis etiam hujus inſtitutionis eſt Eccleſia primitiva, quæ eam accipiens, uſque ad nos multo tempore ſic communicavit, ut teſtatur in decreto ſuo Conſtantienſe Concilium, quod & plurimi affirmant Doctores Eccleſiæ. Videtur confirmari cum revelatione de te & tuis conſentaneis verifice illud dictum Apoſtoli ad Galatas*: Sunt aliqui, qui vos conturbant, *o Boemi, & volunt convertere a viis Chriſti; & quidem ſtatim* 1. Cor. 11. 24. *Ibid.* 23. *Galat.* 5. 12.

Galat. 1. 9. *ita advertit* : Sed licet nos, vel Angelus de cœlo evangelizaverit vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema ſit. *Et ad majorem confirmationem dicti ſui hoc idem repetit ſtatim inferius, & ſcribit* : Notum enim vobis facio Evangelium, quod evangelizatum eſt a me, quia non eſt ſecundum hominem; neque enim illud ego ab homine accepi, neque didici, ſed per revelationem Jeſu Chriſti. *Penſanda ſunt dicta Apoſtoli, & orandus eſt Deus ſincero corde, ut faciat vobiſcum miſericordiam ſuam. Aperi ergo oculos tuos, Confrater, & quid facis, quid prædicas, & quomodo hæreticas, & maledicis Boemos, & intellige, & noviſſima tua provide; jam enim Parca ſtat in foribus, volens te trahere ante tribunal ſummi Judicis cuncta videntis, ubi redditurus es rationem de ſingulis dictis & operibus tuis. Poſt hæc omnia vive, vale feliciter & beate, Confrater in Chriſto dilecte: & ſi quid inveniſti rectius iſtis, candidius imperti: ſi non, his utere recte; & ſi quid in hoc opere indignum aut piarum aurium offenſivum ſcripſerim, quod tamen non intendi, parce precor mihi.*

Joannes Rocheſanus Magiſter licet indignus.

XXV. Religioſe ſed conſtanter & viriliter reſpondit Capiſtranus, ſe morem Boemorum multis de cauſis comdemnare, ſed inde maxime quod Calicis ſumptionem ſaluti neceſſariam exiſtimabant. Manifeſte autem eos decipi, ſe probaturum obtulit ubicumque placeret. Rochyzana minime auſus litterario aggredi certamine, fraudibus voluit opprimere; vel oblato publico diſputationis congreſſu, ſi renueret, infamare; aut accedentem doloſe trucidare. Hoc itaque miſit invitatorium.

Venerabili viro, fratri religioſo, Joanni de Capiſtrano ſibi in Chriſto dilecto, cujuſvis boni affectum cum obſequio in Chriſto famulandi.

Invitat eum ad publicum certamen.

Fama diſcurrente, frequenter audimus, in eo, quem de Spiritus ſancti gratia Fideles conceperunt, pio fervore perſiſtere, & adverſus hoſtes Eccleſiaſticæ diſciplinæ indeficientis animi viribus dimicare. Hinc eſt, Frater in Domino dilecte, & quamquam facie mihi ignotus extiteris, opere autem, fama, & ſcripto quodam veſtro intentionem (ut autumo) veſtri animi rimari, ut poſſibile eſt, valeo & cognoſco. Audiens namque percipio quod communionem ſacroſanctam ſpecie ſub utraque laicalem ad populum deteſtamini, vulgus ab eadem modis, quibus valetis, exquiſite abducendo. Et cum in ſacroſancto Concilio Baſileenſi, Spiritu Domini legitime congregato, longo tempore in eodem humeros ad fereudum laborem ſuppoſuerim, pro ipſius ſacri Calicis defenſa ſcripturas legis, Doctorum & Canonum allegando, rationibus & argumentis deducendo; adhuc zelo veritatis prætactæ inflammatus, Jeſu Chriſto duce, vobiſcum, Frater dilecte, pro præfata ſancti Calicis communione ad plebes, ſcriptaris ſacris, Doctorum ſanctorum ſententiis, Canonum deductionibus & rationibus, gaudens & lætus volo habere collationem, ut ſic oppoſitis juxta ſe poſitis, quid ſit veritatis ſæpe dictæ, & plebium ſalutis, clarius eluceſcat. Qua de re, dilecte in Chriſto, ad prætactum actum attentandum & perficiendum, ex tribus civitatibus, in Trebonia ſcilicet Moravienſi, Broda Theutonicali, ſive Pellitz Monaſterio, unum locum eligendo, mihi ſcripto veſtro placeat inſinuare, ut & ego paratus exiſtens, tempore certo & loco in eodem comparere poſſim ad prætactam collationem conſumandam. Nec ullus periclitationis pavor veſtrum aſcendat in cor; quoniam intendo gratia divina, ſeculari quoque brachio ſuffultus, tutiſſimos, imo & ſufficientiſſimos, veſtra pro tuenda

da vita, ſalvos conductus fideliſſime ordinare. Peto humiliter litterarum reſponſum nuncium per præſentem. Datum Pragæ Sabbato ante feſtum Exaltationis ſanctæ Crucis, anno MCCCCLI.

XXVI. Impigre reſpondit Capiſtranus, doloſæ epiſtolæ ambiguos ſenſus retexens. Ad congreſſum ſe paratum dixit, modo locus ſecurus, tempus opportunum, & interventuris ſalvus conductus adhiberetur. Ecce reſponſum. Admittit Capiſtranus congreſſum.

Venerabili Magiſtro Joanni de Rokyzan, in Fidei veritate tamquam patri præcolendo. Jeſus Chriſtus.

VEnerande Magiſter, cum ferventi animo ad æternam gloriam capeſſendam, in Chriſto Jeſu gratiam ſalutarem, & pacem in Domino ſempiternam.

Tuas honeſtas, quales alii non dixerunt, hodie, duobus Epiſcopis, pluribuſque magnificis ac præſtantiſſimis viris præſentibus, litteras accepi: quibus, frater, incognitum te virum, compoſitum ac moraliter ornatum intueor complacentia ſpeciali. Scribis etenim: Fama diſcurrente frequenter audiviſſe in eo, quem de Spiritus ſancti gratia Fideles conceperunt, pio fervore perſiſtere, & adverſus hoſtes Eccleſiaſticæ diſciplinæ indeficientis animi viribus dimicare. *Ex quibus quidem verbis clare percipere nequeo, quos Fideles, quoſve hoſtes Eccleſiaſticæ diſciplinæ palam intendas efferre. Si hoſtes Eccleſiaſticæ diſciplinæ noſtros Catholicos, ſub una tantum ſpecie Euchariſtiæ ſacramentum ſemel in anno, juxta Eccleſiaſticam traditionem ſumentes, appellas; non hoſtes, ſed veros Catholicos Eccleſiaſticæ diſciplinæ cognoſcas. Si autem tibi adhærentes, ſub utraque ſpecie communicantes, Fideles dicis, adverſus hoſtes Eccleſiaſticæ diſciplinæ indeficientis animi viribus dimicare; patet expreſſiſſime, ipſos non obſervare Eccleſiaſticam diſciplinam; niſi tunicam inconſutilem ipſius Redemptoris Domini noſtri Jeſu Chriſti ſcindere dividereque præſumas; quod nec ipſi ſatellites, qui eumdem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum impie & iniquiſſime crucis patibulo affixerunt, Spiritu ſancto prohibente, attentare ſunt auſi. Una eſt enim ſponſa Chriſti electa,* Cant. 6. 8. *columba immaculata, ſancta mater Eccleſia Catholica: Unum corpus myſticum Domini noſtri Jeſu Chriſti, cujus caput ipſe eſt myſteriale & inviſibile, qui Petrum ſubſtituit, dicens:* Tu vocaberis Cephas, *& caput miniſteriale* Joan. 1. 42. *& viſibile totius Eccleſiæ militantis: cui principalem, ſuper omnem terrarum orbem, Sedem in Urbe locavit; nedum ante paſſionem ſuam, dicens:* Tu es Petrus, Matth. 16. 18. *& poſt reſurrectionem:* Paſce, paſce, paſce; Joan. 21. 15. *ſed etiam per annos poſt eam triumphaliſſimam aſcenſionem Petro Romam exeunti apparuit, cui interroganti,* Domine quo vadis? *reſpondit.* Vado Romam iterum crucifigi, *Romæque crucifixus remanſit Petrus, de quibus alias. Quod in Concilio ſacroſancto Baſileenſi humeros ſuppoſueris ad labores, rimatus ſum, & diſcuſſi, & ſæpe vidi, necnon & poſt tuum diſceſſum decretum ſacri Baſileenſis Concilii in tali cauſa declaratum, quod authentica deciſione te ſuſcepiſſe indubitanter autumo. Quid autem ſit veritatis, quidve ſalutis neceſſario obſervandum, & ibidem, & in decreto ſacri Conſtantienſis Concilii te ſæpenumero puto legiſſe. Collationem autem tecum habendam, prompto animo, hilarique vultu, ac læto corde affectuoſiſſime opto, pariter & ſollicito. De loco vero, die, modo, & perſonis interventuris in actu, oro te, ut patrem amandum, in Chriſti veritate colendum, non te pigeat aliquos ex tuis interim deſtinare, cum quibus tractare poſſim, & concludere de prædictis. Veni*

Ambr. in Auxent. de Baſil. non tradend. tom. 5. Vide Baron. an. 69. num. 3.

enim

enim de longe ſatis ab urbe Roma & ultra, circuiens uſque Olomucium. Locus eſt igitur determinandus communis, idoneus, accommodus, & ſecurus pro quibuſcumque adventuris in actu, in quo, divinæ ſapientiæ irradiante fulgore, manifeſta fiat & clara notitia veritatis, & via ſalutis cunctis Chriſti fidelibus illuceſcat. Immortales inſuper tibi gratias ago, tamquam Patri in Chriſto colendo, juxta Catholicam veritatem, ſub debita obedientia, & humili reverentia, & devotione ſanctiſſimi Domini noſtri Papæ Nicolai V. & ſacroſanctæ Romanæ & univerſalis Catholicæ Eccleſiæ militantis, quod ſalvos conductus pro tuenda noſtra vita te fideliſſime ordinaturum inſinuas. Quamobrem me tibi obnoxium de tua grata oblatione cognoſco, pias ad Altiſſimum preces offerens, ut tuam mentem clara luce aſpergat, tuoſque collegas & ſequaces illuminet una mecum, & cum aliis Catholicis Chriſtianis, faciatque ſe mercedem communem ad impertiendum nobis gloriam ſempiternam. Amen. Ex Bruna, xx. die Septembris anno MCCCCLI.

Rochyzana agit doleſe.

XXVII. His inter Capiſtranum & Rochyzanam ultro citroque datis, omnes boni ſperabant colloquium inter eos futurum, & ab eodem congreſſu pacem regni ſecuturam. Nihil minus evenit. Quamquam enim Rochyzana, Joanne Perſteinio & Wenceslao Boskovitzio interpretibus, locum diſputationi Cruminoviam, tempus autem feſtum ſanctorum Simonis ac Judæ Apoſtolorum deſignaſſet, adeoque congreſſum ambire videretur; tamen ubi primum accepit, Capiſtranum libenti animo venturum, &, quaſi de victoria præſumeret, nonnullas propoſitiones ad diſputandum proponentem, tunc demum reſiliit, atque Georgio Podiebracio auctor fuit, qui ediceret, ne alicubi locorum Capiſtranus venturus reciperetur, ſed ab omnibus tamquam publicus hoſtis excluderetur vitareturque, ſi forte Cruminoviam pergeret. Roſenbergius primus fuit, qui periculi Capiſtranum admonuit. Ergo is locum diſputationi deſignatum adire recuſavit. Hic Rochyzana apud ſuos triumphabundus, in abſentem invectus, convitiis plenas litteras in Capiſtranum vulgavit, quibus famam illius & exiſtimationem deprimeret.

Hæretici criminantur.

XXVIII. Ab Authoritate Rochyzanæ Joannes Borotinius, primus complicum, virulentum calamum in innocentem ſtrinxit, maledicamque linguam exeruit, imponens & ſugillans, quaſi ſibi prophetiæ ſpiritum arrogaret, quaſi auctoritatem Concilii Baſileenſis deprimeret, quod Compactata negaret fuiſſe conceſſa, quodque communionem ſub utraque ſpecie damnaret. Faciebat, vt eam Procerum partem, quæ Compactata affirmabat, in odium Capiſtrani concitaret. Tam Rochyzanæ quam Borotinii extant amarulentæ in Capiſtranum litteræ, in quibus eum per contemptum & probri vice vocabant, *Monachum melancholicum*, *hypocritam*, *ſeductorem populi*, *turbatorem pacis*, *perfidum*, *hæreticum*, *contemptorem Conciliorum*, *prævaricatorem Evangelii* &c. ut his criminationibus famam & auctoritatem illius elevarent; verebantur enim permaxime ne, ſi eum intactum dimitterent, omnes illum promiſcue ſequerentur. Ubique enim plurimos ab illorum ſequela retraxit: quocumque ibat, omnes ad eum feſtinabant, ut vel fimbriam veſtimentorum tangerent: ægrotos vel ſola oratione, vel tactu, aut crucis ſigno perſanabat: ab ea curationum gratia tantam apud omnes famam acquiſivit, ut ſacerdotes cum plebe, uti ſupra ex Cochlæo retulimus, velut Legatum Sedis Apoſtolicæ, aut Angelum e cœlo delapſum, cum reliquiis Sanctorum obviam procedentes, exceperint.

Supra num. 16.

XXIX. Non poterant iſta ferre hæretici. Quamobrem criminatorias in eum vulgabant, & Proceres ſolicitabant, qui hominem laceſſerent. Ex his

his Joannes Tavvatzovius, Marchionatus Moraviæ Capitaneus generalis, datis ad eum litteris contumelia plenis, *seductorem fidelium, qui venenum aspidum pulchro sub colore propinaret, quique populum ab Evangelica veritate averteret*, appellavit. Respondit criminatoribus Capistranus acutis ac eruditis epistolis, quibus & criminationes dilucide diluit, & argumenta undique pro confirmatione errorum petita, doctissime dissolvit.

XXX. Scripsit præterea Georgio Podiebracio, atque ut salvum conductum sibi ad congressum cum hæreticis properanti concederet, postulavit; deinde Egram ad Comitium regni sese contulit, ibique pro convertendis erronibus plurima tentavit. Inter quæ Joannem Rochyzanam prolixa scriptione officii admonuit; cumque is a calumniis non abstineret, Apologiam pro veritate dogmatum, proque innocentia sua ad regni Proceres contra pseudo-Archiepiscopum exaravit. Exemplar do litterarum.

XXXI. *Credo, Magnifici ac præclarissimi Barones, ceterique nobiles & famosi inclyti regni Boemiæ, pro summa justitia & æquitate, quæ in vobis plurimum lucere debet, vos non admirari, aut molestè ferre, quinimo lætari vehementer, & in rem gratissimam accipere, si modo his meis litteris contra nonnullos insilentes garrulatores, imo verius nefarios obtrectatores me agere, & scandere visuri estis.* Et post multa: *Si qui autem cum Compactatis se excusare voluerint, legant libellum ad Rochyzanam destinatum, ubi diffusè habetur declaratio non solum Compactatorum, sed & omnium vanarum suarum opinionum, quibus populos allicere conatur ad communicandum sub utraque specie, vi vel precibus vel falsissimis suasionibus: qui quidem libellus si diligenter a vestris Magnificentiis examinatus & perlectus fuerit, facile intelligetis, Compactata esse magis in dedecus & confusionem Rokyzanæ, quam in laudem & defensionem; quorum quidem Compactatorum numquam ipse extiterit observator, sed perfidissimus persecutor. Compactata namque non omnibus concedunt indifferenter communicare sub utraque specie, sed conditionatim & distincte, ut clare in illis apparet. Licentiam quidem permiserunt servatis servandis, sed quantum servata sint, quæ in Compactatis continentur, vos ipsos in testes adduco. Ad reliqua vero, quæ in me Rohyzana mugit, falsè quidem, noster libellus sufficientissime respondet; quamquam nimis grave mihi esset ad singula, quæ stulti & malevoli contra me dicunt, respondere, & permaxime ad quasdam litteras per totam Boemiam divulgatas, quas, nescio qui perditi homines, & mendaces mihi adscribunt. In quibus dicitur, quod ego me jactaverim habere spiritum Prophetiæ, & multa alia, quæ (ut vulgo dicitur)* * *os furni non diceret; quæ profecto, Deo teste, numquam a me aut prolata, aut dicta, aut scripta fuerunt. Sed animadvertant mei obtrectatores, me tantum eorum susurrationes æstimare, quantum lutum, quod pedibus calco. Satis mihi est a sapientibus commendari, satis etiam mihi est, quod mea opera in manibus peritissimorum virorum versentur, qui multo melius de mea doctrina valent, quam Rokyzana, judicare: qui si totum populum Christianum, & Catholicum sub zelo existentem maledicere & hæreticare non erubescit, omnes inimicos suos appellans, multo magis Joannem de Capistrano; cui si omnes sapientes benedicunt, pro levitate & stultitia existimabitur, si unus iniquus ac stultus senex maledixerit. Non sunt improborum calumniæ ab iis æstimandæ, qui pro veritate, fide, religione, pro justitia, pro virtutibus plantandis, proque vitiis extirpandis certant. Quisque pro suo arbitrio in alium dicere potest, si placet: satis mihi est quod infamiam, quam in me conjecit Rokyzana, tota Italia, Flandria, Francia, Burgundia, Alemannia, in quibus jam* XXXVI. *annos continuo evan-*

* *Idiotissimus Italicus pro iis qui stulta, & insana proferunt.*

evangelizavi, refellant; ut taceam Angliam, Hiſpaniam, Portugalliam, Cathaloniam, Dalmatiam, Poloniam, Hungariam; quibus quidem regnis ac Regibus & Principibus eorumdem, ſi non facie, fama ſaltem notus ſum. O Rokyzana hominum infeliciſſime! Dicis tu me profugum, ſeductorem & Antichriſtum, qui notus ſum omnibus. O Magnifici & excellentes Barones! Rokyzana eſt oculatior toto populo Catholico, ac omnibus Univerſitatibus ſtudiorum infraſcriptis? Putat ſe doctiorem & oculatiorem Academia Romana, Neapolitana, Senarum, Peruſii, Florentiæ, Ferrariæ, Bononiæ, Paduæ, Papiæ? in quibus quidem per tot annorum curricula verbum Dei prædicavi, in quibus mea doctrina non hæreticata, non damnata, ſed laudata & approbata eſt. Ut ſilentio præteream multas clariſſimas urbes, in quarum ſingulis non pauciores ſunt Doctores, & doctiſſimi viri, quam in qualibet Univerſitate de prædictis &c.

XXXII. Hæc Capiſtranus Baronibus, & alia hujus generis multa in defenſionem veræ fidei, & ſuæ innocentiæ ad varias ſcripſit perſonas ſub finem hujus anni, & principium ſequentis; per multos enim menſes confligendum fuit cum tot Fidei ſacroſanctæ hoſtibus, ſuique inverecundis detractatoribus. Epiſtolam hanc poſtremam ſcripſit ex oppido Pontenſi, quo adveniſſe ſub menſem Maii enarravimus. Quam vero male habuerit, quod neque illæ, neque aliæ ab eo miſſæ litteræ legerentur in regni comitiis, & qualiter Georgium Podiebracium ſui officii monuerit, anno ſequenti commodius dicemus.

XXXIII. Totam hanc cum Rochyzana concertationem, & indefeſſum Capiſtrani ſtudium circa Boemos ab errore retrahendos, breviter his verbis enarravit Joannes Dubravius, Olomucenſis Antiſtes. *Optimam ea tempeſtate famam in concionibus ad populum faciendis Joannes Capiſtranus, natione Italus, profeſſione Franciſcanus Minorum Ordinis obtinuit: ſumma homini dicendi facultas, incredibilis memoria, vitæ ſanctitas rara, mirumque ſtudium in vitiis inſectandis & corrigendis erroribus. Hunc allegare Boemis, qui cuncta apud illos exploraret, quique concionibus ſuis devios in viam reduceret, Pontifici Romano ſumme placuit. Ante ille tamen in Moraviam divertit, manſitque Olomucii apud ſodales ſuos haud parvo tempore, docens populum tanta celebritate frequentem, ut illum vel capaciſſimum templum non caperet, ſed neceſſe habuerit in foro ſermocinari, duobus ſemper aſſiſtentibus interpretibus, altero Boemo, altero Germano, qui ea, quæ Latine diceret, vernacula lingua pronunciarent. Dicebat autem contra Rokyzanum, communionem utriuſque ſpeciei, quod ad idiotas attinet, non eſſe ex veritate præcepti Evangelici, nec licere cuiquam ritum, ab Eccleſia cum bona ratione introductum, auſu temerario mutare. Quæ audiens Venceslaus a Boſcovieze, inter Proceres Moraviæ magnæ auctoritatis, vale Huſſitis dicto, rurſus veritatem Romanæ Sedis cum duobus ſubditorum millibus amplexus eſt. Hujus poſtea filius nomine Prothaſius omnibus ad unum ſuffragiis Pontifex Olomucenſis declaratus fuit. Rochyzanus irritatus tam multa apud Moravos Capiſtranum poſſe, ut ipſos quoque Proceres, quo velit, ſermonibus ſuis ducat & impellat, ad diſputationem eum provocat, definitis certis quibuſdam locis ſibi valde idoneis. Contra Capiſtranus Olomucium illum aut Brunam invitabat, tamquam ad civitates utrique accomodatiſſimas. Illo tergiverſante, iter in Boemiam tetendit, venitque Crumloviam, Procerum Roſenſium oppidum, & inde mox abiit, ubi percepit, litteras a Georgio Gubernatore ad Ulricum Roſenſem eſſe ſcriptas, ne oppido reciperetur. Ceterum a regiis civitatibus Peſſina, Ponte, Cadana cupidiſſime honorificentiſſimeque fuit exceptus, & pro ſanctio*

Dubrav. lib. 29. hiſtor. Boem. in princ.

anctio ab omnibus viris probis habitus, quoniam ſancta inculpataque & diceret & faceret. Ergo cum aliter illi Rohezanus nocere haud poſſet, ad calumnias converſus, profeſſionem monachi ei quaſi probrum obiectabat, hypocritam, ſeductoremque populi, & pacis interturbatorem appellabat. Ipſe interim Pragæ, fretus potentia Gubernatoris, auctoritatem ſibi Archiepiſcopi inter ſuos omni modo uſurpabat.

XXXIV. Audiens autem Nicolaus Pontifex quales quantoſque labores ferebat Capiſtranus pro Eccleſia ſancta Dei, magnas largitus eſt indulgentias iis, qui concionibus aut ſacris illius operibus intereſſent, amplamque conceſſit poteſtatem circa eos, qui ejurata hæreſi ad unitatem Catholicæ Eccleſiæ redirent. Profero diploma. Pontifex Capiſtrani doctrinam & facta populis commendat.

Dilecto filio Joanni de Capiſtrano, Ordinis Fratrum Minorum Profeſſori &c.

Cum intellexerimus te in regno Boemiæ, & Marchionatu Moraviæ, ac partibus illis adiacentibus, divino tibi aſſiſtente ſpiritu, ſermonibus ac prædicationibus ad populum vigilanter inſudare, & utiliter proficere; ut univerſorum Chriſtifidelium, qui ad te pro audiendo verbo Dei confluunt, augeatur devotio, & dono cæleſtis gratiæ uberius ſe conſpiciant refertos: devotioni tuæ, omnibus & ſingulis Chriſtifidelibus, quos prædicationibus tuis, celebrationi Miſſarum, ac divinis officiis pro tempore intereſſe contigerit, quoties tibi videtur expedire, de Omnipotentis Dei miſericordia, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum, atque noſtra auctoritate, vere pœnitentibus & confeſſis, tres annos & totidem quadragenas, de injunctis eis pœnitentiis miſericorditer relaxandi, illoſque eiſdem concedendi & pronunciandi; necnon ut omnes & ſingulas utriuſque ſexus perſonas, quæ ſub utraque ſpecie communicarunt, ac alias erroribus, hæreſi & ſuperſtitione involuti, a ritu & unitate ſanctæ Romanæ Eccleſiæ receſſerunt, ſi apertis intelligentiæ oculis, ac per ſacram ſcripturam & doctrinam tuam illuminati, de tenebris ad lucem veritatis, prædictis erroribus, hæreſi & ſuperſtitione relictis, coram te conciliari, uniri & incorporari voluerint Eccleſiæ Romanæ hujuſmodi & Sedi Apoſtolicæ, a quibuſcumque excommunicationum, ſuſpenſionum & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, etiam hæreſis, in eos tam a jure quam ab homine promulgatis, quoties opus fuerit, in foro conſcientiæ dumtaxat, auctoritate noſtra abſolvendi in forma Eccleſiæ conſueta; & cum ſingulis perſonis eiſdem, & præſertim ſpiritualibus vel regularibus ſuper irregularitate, ſi quam hujuſmodi ſententiis & pœnis ligati, celebrando divina, vel immiſcendo ſe illis, non tamen in contemptum Clavium, contraxerunt; quodque in ſuſceptis per eas ordinibus, ipſis tamen per te prius ad tempus, de quo tibi videbitur, ab illorum executione ſuſpenſis, miniſtrare libere & licite valeant, eadem auctoritate diſpenſandi: Denique ab eiſdem perſonis inhabilitatis & infamiæ maculam ſive notam, per ipſos, præmiſſorum occaſione, contractam, dicta auctoritate abolendi, necnon eaſdem perſonas ad honorem, famam & ſtatum priſtinum, in quibus, antequam præmiſſa contingerent, erant, plenarie & integre reſtituendi & reponendi, plenam & liberam, tenore præſentium concedimus facultatem. Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLI. *v. Kal. Novembris, Pontificatus noſtri anno quinto.* Ex ipſo authographo.

XXXV. Caſimirus Poloniæ Rex, audiens mirabilia quæ de Capiſtrano referebantur, & quanta obſtinatione ei aditum in ſuam Metropolim præclu- Rex Poloniæ Capiſtranū in ſuum evocat regnum.

cluſerint Boemi, ad meſſem ſpiritualem in ſuis ditionibus, ſcriptis his litteris, invitavit.

Caſimirus Dei gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lituaniæ, & hæres Ruſſiæ: Venerabili & egregio viro, Domino Joanni de Capiſtrano, Ordinis Fratrum Minorum, Patri noſtro ſingulariter cariſſimo.

VEnerabilis & egregie Vir, Pater noſter ſingulariter cariſſime. Splendorem ſuum Princeps Regum terræ abunde in nos, & nationes Slavorum effudiſſe cognoſcitur, dum pro gentis Boemicæ reductione, quæ in regionem diſſimilitudinis abiens, varia hæreſum dogmata ſectabatur, te virum olim ſibi cognitum & probatum, divina mente & ſtupendis operibus inſignem, tranſmiſit. Gaudet ob id omnis Aquilonaris plaga, & glorioſo Deo cum ſummo Pontifice, Vicario ſuo terreſtri, gratias habet, & quidem ingentes, quod de ſalute populi ſui ſollicitus, pro drachma decima, & ove centeſima recuperanda, ſingulare provideat remedium. Senſiſti quidem & expertus es ſceleratas Boemorum mentes, concepto & hauſto falſarum doctrinarum veneno, Catholicæ fidei puritatem perſequutas eſſe. Et primum, regno ſuo quondam nobili, multiplicibus cladibus obruto, & tandem proſtrato, vicinis regionibus bella intuliſſe, templa ſuccenſa, virgines ſtupratas, miniſtros & ſervos Dei occiſos cognoviſti. Tentarunt plures Principes orbis, ſectam adeo deteſtabilem armis obruere, ſed caſſi fuerunt multorum conatus, & crebro ſequebatur occulto Dei judicio Catholicorum clades aut fuga. Tibi gentis prædictæ reductio ſervata eſt. Tibi uni ex alto conceſſum, quod pluribus fuit negatum. Succumbet precibus & meritis tuis Analech, & ſuperbiſſimus proſternetur Golias; populus quoque Domini exercituum liberatus, ſalvabitur. Tu autem, Pater mi, gentis illius reductione, quantum fas erit, expedita, ingredi & viſere regnum noſtrum Poloniæ non graveris, ſed per nos rogatus, declina paululum, & nos filium tuum devotum, precor, & per miſericordiam Dei obteſtor, ne prætereas. Eſt nobis regnum Poloniæ tenaci fide Catholicam religionem obſervans. Eſt & Ducatus Lituaniæ, cujus populos genitor noſter clariſſimæ memoriæ Uladislaus, Poloniæ Rex Chriſtianiſſimus, ab idolorum cultura ad unius veri Dei agnitionem reduxit. Utriuſque dominii noſtri populus magnopere te geſtit videre, & tuam præſentiam ſummo deſiderio & ſumma prece exoptat. Sunt præterea nobis terræ Ruſſiæ latiſſimæ, quæ etſi Fidem profiteantur Chriſtianam, in ſectam tamen Græcorum dudum pertractæ ſunt, & illorum ritum pertractant atque cuſtodiunt. Nec tanto tempore, quod earum lapſum, & ab Eccleſia Latina ſciſſionem ſecutum eſt, a caligine cæremoniarum ſuarum (quamvis in pluribus Conciliis multi fuiſſent interpoſiti labores) poterant abſtrahi aut avelli. Hi omnes uno ſpiritu te interpellant, ut non deſpicias viſitare illos, ut aggregari in ſinum unitatis Eccleſiæ ſanctæ Dei per te poſſint. Extant multi, qui ſola fama tui nominis pelleti, renunciare veteri ſectæ & ritui, & ingredi viam, quam monſtraveris, repromittunt. Si te Boemorum ſollicitat reductio, ut pro illorum ſalute omnes adverſitates & pericula ſubire dulce fuerit, multo magis Ruthenarum te moveat devotio. Nam etſi utraque gens caligine erroris velata ſit, Ruthenorum tamen facilioren reductionem tibi ex multis reſpectibus perſuadeas: quoniam natio boni cupida eſt, ſimplex, rudis, & omnis mundanæ doctrinæ expers, quæ errores ſuos debili oppoſitione tuetur, nec illos niſi conſuetudo quædam, & ingenitus illius ritus amor, in quo nutriti ſunt, recognoſcere ſummi Pontificis auctoritatem, & unitatem fidei vetat. Diſſolves tamen omnes hos nodos, & uno

uno ſole operum & meritorum tuorum, inveteratam diſſipabis & ſecabis caliginem. Veniat Caritati tuæ in mentem Apoſtolorum, quorum veſtigia imitaris, exemplum & forma, quorum nonnulli plures luſtrarunt regiones, ſerendo veritatem Evangelii, & doctrinam Chriſti ut aliquos lucrifacerent. Tu certus quodammodo de præmio laborum tuorum, venire pro ſalute multorum populorum, quorum converſio ex te pendet, non faſtidias: cogita quantas animas inferes cælo, ſi adveneris, quantas detineri a Sathana permittes, ſi venire differas. Accingere igitur, Vir optime, ad negotium iſtud, ad quod te vox multarum nationum vocat, ad quod & nos tuam Caritatem precibus noſtris invitamus. Perſuadet hoc Caritati tuæ profeſſio tua, perſuadet zelus animarum, compellit amor fidei, & caritas; Deus ipſe reſidens in excelſis mandat & imperat. Profeſto ſancti Michaelis proximo, tam regni noſtri Poloniæ, quam Ducatus Magni Lituaniæ Prælati & Barones Parlamentum celebraturi ſunt, res arduas & magni momenti, quæ bellum aut pacem ſecum trahunt, diſcuſſuri. Precamur te, ut Omnipotentem Deum ſingulari prece orare velis, ut gratia Spiritus ſancti corda Prælatorum & Baronum noſtrorum viſitet, eorumque mentes & corda conciliet, ut concordi & unanimi voto negotia Regni & Ducatus ordinent, conficiant & decernant. Datum in Grodek feria III. in vigilia Nativitatis ſanctæ Mariæ, Anno Domini milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo primo.

XXXVI. Hæc hujus anni virtutis & ſermonis Capiſtrani fuere exordia in Germania; neque tamen oblitus eſt ſui Ordinis in Italia. Plurimum cupiebat Bernardini Senenſis, ſui magiſtri & conſodalis honorem magnificari, corpus proprio templo reponi, & a reſtitutæ diſciplinæ profeſſoribus cuſtodiri. Scripſit itaque epiſtolam, quam adnecto, ad Magiſtratum & cives Aquilanos, ut Capitulum anno ſequenti ab Obſervantibus celebrandum, permitterent in paupere cœnobiolo ſancti Juliani extra urbem, ejuſdem diſciplinæ hominibus condito, celebrare, quod devoti viri contendebant convocari debere apud Patres Conventuales, utpote quibus capacior erat habitatio, & major ad ſingula opportunitas. Adjunxit etiam ut Bernardino templum conſtruerent, cujus virtuti & ſanctitati omnia, quæ patraverat in Germania & Moravia, tribuebat miracula.

Sui Ordinis & S. Bernardini honorem Capiſtranus commendat Aquilanis.

Magnificis & præſtantiſſimis Dominis, & Camerario inclitæ civitatis Aquilæ, ſuis benefactoribus ſingulariſſimis &c.

XXXVII. *Magnifici & Excellentes Domini, benefactoreſque mei devotiſſimi, humili ac debita commendatione præmiſſa. Etſi magno quodam locorum intervallo a veſtris Magnificentiis disjunctus ſim, vehemens tamen ac incredibilis amor erga vos meus numquam recedit: ad quod quidem etſi caritatis ordo me invitat, non deeſt tamen veterata illa & indiſſolubilis veſtra erga me benevolentia, ad incitandum & provocandum me ad vos amandum & colendum. Accedit etiam optimus & paratiſſimus veſter animus, quem vos habere certior factus ſum in noſtræ Congregationis celebrandæ ſubventionem & præſidium, uti ſuperiori tempore a veſtris Magnificentiis requiſiveram; quod quidem tanta lætitia & jucunditate me affecit, ut difficile dictu ſit, quandoquidem ita meas preces magnifeciſtis, ut in nulla re noſtræ Congregationi neceſſaria deeſſe polliciti ſitis liberali quodam animo. Pro qua quidem re non agam vobis gratias nunc, ſed ſemper ſum habiturus; uberiores tamen referam poſt ipſum veſtram magnificam pollicitationem perſolutam. In præſentia autem, tantum veſtras Magnificentias plurimum rogabo, ut non moleſte feratis Fratres conſolari quoad loci determina-*

tionem ; ſignificatum eſt enim mihi, Fratribus magis placere , ut generale Capitulum in loco noſtro devoto ſancti Juliani , quam in Conventu celebretur , multis ac variis rationibus , quas hic volo fore tacendas , cum illæ planæ & notæ vobis ſint omnes ; illam enim unam memoraſſe ſat erit , quæ a vulgo dici ſolet : Malo in paupertate in propriis , quam in divitiis in alienis laribus degere . *Sed cum ſciam, mores noſtræ pauperculæ familiæ vos minime ignorare , nolo vos aliter monere , niſi ut meo intuitu velitis Fratrum voluntati ſatisfacere , ut cogniſcant in hac re abſentiam meam illis non eſſe moleſtam , quos Aquilam ego advocavi pro Sancti noſtri novelli Bernardini laude , & veſtræ urbis ſpirituali conſolatione , ſperans & ego intereſſe . Sed quoniam majus bonum minori præſtare debet & antecellere , priſtinas meas cogitationes me mutare oportet , cum hæc ſit voluntas Dei ; ut & Boemis , qui ab obedientia ſanctæ Romanæ Eccleſiæ receſſerunt , verbum Dei evangelizem , ad eripiendos illos a Sathanæ faucibus , quibus quotidie præda fiunt . Illorum quidem multa millia a Diaboli ſervitute liberavimus , divina gratia opitulante , & ſi peracta magna per ſeſe ſunt , majora tamen & præſtantiora gerenda contendo ; adeſt enim magnus & excelſus Deus ſuis admirandis & ſtupendiſſimis operibus ; adeſt , & mirum in modum ſuffragatur patronus veſter ſanctus Bernardinus ſuis excellentiſſimis meritis : cujus ſacrum pignus Magnificentiis veſtris commendo non mediocriter , ut , ſicuti ſæpe numero vos admonui , non permittatis ab omnibus indiſtincte videri ; nam eo erit devotius , quo rarius monſtrabitur , ut dici ſolet* : Omne rarum , carum . *Quoad mihi facultas fuit , illum magnificavi non modo apud Italos , ſed apud Alemannos , Hungaros & Boemos , ſcilicet fideles : quis enim narrare queat capellas & Eccleſias , quæ ad ipſius Sancti honorificentiam conſtructæ ſunt , poſtquam e Roma diſceſſi ? Et vos Magnifici Aquilani mei , qui ejus corpus ſacrum poſſidetis , ubi illud tenetis ? Clauditur in parva capella , & a pluribus tangitur , quod auro indui debuiſſet , & pulcherrima nova Eccleſia adornari & cooperiri ; ut qui in toto Orbe urbem magnificam & glorioſam facit & notam , magnificetur & honoretur a vobis , quibus tantum ſplendorem & decus attulit , quantum totus mundus hac noſtra ætate non meruit habere . Quod cum ita ſit , Magnificentias veſtras ſummis precibus hortatas eſſe velim , ut erectis animis ad ædificandam Eccleſiam tam glorioſo patrono veſtro jam operam dare non craſtinemini ; ad quam quidem etſi veſtra ſponte concitati vos eſſe debetis , meæ tamen preces etiam ſuffragentur , moveantque veſtras Magnificentias ad tam laudabile , tam ſalutiferum tamque ſanctum opus aggrediendum , quod ſit non ſolum vobis , ſed veſtris poſteris omnibus ad memoriam ſempiternam . Uſque in hodiernum diem ſeptingenta miracula , quæ Omnipotens Deus populis oſtendere dignatus eſt , mei ſocii adnotaverunt , poſtquam iter verſus has ultramontanas partes direximus , ut taceam infinita alia , quæ vel ſcribi non potuerunt ob nimiam hominum frequentiam , vel ignorata fuerunt , nulla facta examinatione . Hæc pauca volui veſtris Magnificentiis ſcribere , non ad meam laudem , ſed ut gratias immenſas Domino agentes mecum dicatis* : Non nobis Domine non nobis, ſed nomini tuo da gloriam . *Intelligatis merito quidem conſtruendam a vobis eſſe novam Eccleſiam in ſancti Bernardini honorem, qui tot miracula , & ſtupenda in populo Dei facit ſigna & prodigia , ac tam immortali nomine Aquilanam urbem ornat , decorat , & illuſtrat . Valete in Chriſto Jeſu , & Sancti novelli Bernardini memores eſtote ; ac me amate , ut conſueviſtis , qui vos diligo & colo . Ex Egburga* x. *Octobris* MCCCCLI.

V. M. D. inutilis ſervus & orator Fr. Joannes de Capiſtrano manu propria me ſubſcripſi .

XXXVIII.

XXXVIII. Antequam Capiſtranus hanc ſcriberet epiſtolam, ſuas dederant Aquilani ad Pontificem litteras, quibus ſuum expoſuerunt deſiderium de condendo Bernardini reliquiis templo, addendoque cœnobio Fratrum regularis Obſervantiæ. Votis libenter annuit Nicolaus, hoc emiſſo diplomate.

Dilectis filiis civitatis Aquilanæ, &c.

Inter cetera deſiderabilia cordis noſtri, illud præcipue intenſis deſideriis affectamus, ut ubique majeſtas Altiſſimi collaudetur in benedictionibus gratiarum, ſuique glorioſi nominis cultus amplietur, & ad horum promotionem eo libentius humilibus ſupplicum votis annuimus, quo ſane religionis illiuſque obſervantiæ augmentum exinde cognoſcimus provenire. Cum itaque, ſicut exhibita nobis nuper pro parte veſtra petitio continebat, vos pie recenſentes, quod intra muros veſtræ civitatis Aquilanæ nulla ſit domus Ordinis Fratrum Minorum regularis Obſervantiæ, & attente conſiderantes, quot & quam ſaluberrimos fructus Fratres Ordinis & Obſervantiæ hujuſmodi, ex ipſorum exemplari vita ac ſalutaribus prædicationibus in Dei Eccleſia continue afferunt, ob ſingularem devotionem, quam geritis ad dictum Ordinem, tum ob merita glorioſiſſimi Confeſſoris ſancti Bernardini, cujus ſacratiſſimæ reliquiæ in Eccleſia domus ſancti Franciſci dicti Ordinis infra eamdem civitatem conſiſtunt, & reconditæ habentur, ut dictæ reliquiæ eo in majoribus veneratione & devotione habeantur, voſque & ceteri Chriſtifideles dictæ civitatis exemplis & prædicationibus prædictis, eo magis proficere valeatis ad ſalutem; unam domum cum Eccleſia, campanili, campana, cœmeterio, dormitorio, hortis, hortalitiis & aliis neceſſariis officinis, pro uſu & habitatione quorumdam ex Fratribus Ordinis & obſervantiæ prædictorum, ex veſtris ac aliorum fidelium piis eleemoſynis, ſub vocabulo dicti Sancti, in aliquo congruo & honeſto loco præfatæ civitatis, & præſertim in domo ſeu Eccleſia ſancti Thomæ, Hoſpitalis ſancti Joannis Hieroſolimitani, ſi illa vobis concedatur, fundari & conſtrui, & ad illam, poſtquam fundata & conſtructa fuerit, præfatas reliquias transferri, & inibi honorifice recondi, ſummopere deſideratis. Nos igitur, tam ad dictum Sanctum, quem aliorum Sanctorum numero & cathalogo aggregandum deſcribendumque duximus, quam etiam ad præfatum Ordinem ſingularem gerentes devotionis affectum, ac veſtrum pium & laudabile deſiderium hujuſmodi in Domino plurimum commendantes, veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, vobis in aliquo loco congruo & honeſto civitatis, de quo videbitur vobis, & dilectis filiis Jacobo de Marchia prædictorum Ordinis & obſervantiæ profeſſori, ſeu Vicario provinciæ Aprutinæ juxta morem ipſius Ordinis, ſeu, pro illa data ſufficienti recompenſa, in domo vel Eccleſia ſancti Thomæ præfata, & ſi illa vobis alias canonice concedatur, unam domum cum Eccleſia, campanili, campana, cœmeterio, dormitorio, hortis, hortalitiis & aliis officinis prædictis, ex eleemoſinis fundandi & conſtruendi, ſeu fundari & conſtrui, ac prædictam Eccleſiam, poſtquam conſtructa fuerit, ſub vocabulo Sancti hujuſmodi conſecrari faciendi, & ad illam dictas reliquias transferendi; ipſique Jacobo, necnon aliis Fratribus Ordinis & obſervantiæ hujuſmodi, domum ipſam recipiendi & inhabitandi, Diœceſani loci & cujuslibet alterius licentia deſuper nullatenus requiſita, ac jure parochialis Eccleſiæ & cujuslibet alterius ſemper ſalvo, plenam & liberam, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium licentiam elargimur. Dicto Jacobo & Fratribus in præfata do-

Ex autographo.

Conceditur facultas ædificandi Eccleſiam S. Bernardini.

mo

mo pro tempore commorantibus, quod ipſi ac prædicta domus omnibus & ſingulis privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, gratiis & indultis, aliis Fratribus & domibus Ordinis & obſervantiæ prædictorum, per Nos vel Sedem Apoſtolicam in genere conceſſis & in poſterum concedendis, uti & gaudere libere & licite poſſint & valeant, concedentes. Non obſtantibus felicis record. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, qua prohibetur ne Fratres dicti Ordinis in aliqua civitate, caſtro, vel villa, aut alio quocumque loco domum de novo conſtrui facere præſumant, abſque Sedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali, faciente plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem; & quibuslibet aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Ordinis & hoſpitalis prædictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque & indultis, ac litteris Apoſtolicis generalibus vel ſpecialibus, per Nos vel Sedem prædictam Ordini ſeu hoſpitali præfatis, etiam motu proprio & ex certa ſcientia, ac ſub quibuſvis formis & expreſſionibus verborum conceſſis: quibus omnibus & ſingulis, etiamſi quoad illorum derogationem, de ipſis illorumque totis tenoribus de verbo ad verbum præſentibus habenda foret mentio ſpecialis, quoad præmiſſa expreſſe derogamus, eaque pro infectis habemus, illis alias in ſuo robore permanſuris; ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLI. X. *Kalendas Octobris, Pontificatus noſtri anno* V.

XXXIX. Etſi vero tot, tantaque mirabilia ubique Deus hoc tempore propter merita, & ad interceſſionem ſancti Bernardini operari dignatus ſit, non defuere, qui honorem imminuerent. Propter publicatum egregium ab eo Rothomagi patratum miraculum, multa paſſi ſunt Fratres ab Archiepiſcopo Rodulpho Rouſſelio, cujus controverſiæ ſeriem diffuſe his litteris Pontifex recenſet.

Dilecto filio Guillelmo tit. ſancti Martini in Montibus Presbytero Cardinali, ac in regno Franciæ, & nonnullis aliis partibus Apoſtolicæ Sedis Legato &c.

Ex lib. 36. bullarum fol. 233.

HUmilibus ſupplicum votis libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Guardiani & Fratrum domus ſancti Franciſci Rothomagenſis, Ordinis Fratrum Minorum, petitio continebat; quod poſtquam nos, rationabilibus ſuadentibus cauſis, de conſilio Fratrum ac Epiſcoporum noſtrorum, gloriоſum Chriſti Confeſſorem S. Bernardinum aliorum Sanctorum catalogo aggregaverimus, ac in Eccleſia dictæ domus, ob devotionem utriuſque ſexus fidelium, & miracula quæ Altiſſimus dicti Sancti meritis oſtenderat, ſub ipſius vocabulo quædam capella, per Majores dictæ civitatis fundata, & in illa imago ejuſdem Confeſſoris ſculpta extiterit, ac quædam confraternitas inſtituta, ad illamque quotidie major confluceret populi multitudo; ac inter cetera ejuſdem Sancti meritis miſeratione Altiſſimi oſtenſa miracula, quædam mulier, quæ decem annis vel circa infirmitate oppreſſa, curva atque gibboſa extiterat, poſt peractam a dilecto filio Andrea Fere ipſius Ordinis profeſſore in dicta capella Miſſam, ſanata fuerat, ipſaque mulier præ gaudio cum eidem

Reprehenditur Arch. Rothomagen. S. Bernardini miraculo contradicens.

An-

Andreæ patratum in ſua perſona miraculum retuliſſet, & baculum, cui antea innitebatur, in ſignum ipſius miraculi ante imaginem ejuſdem Confeſſoris ſuſpendi ſuppliciter flagitaret, & hoc per ipſum Andream expetenti populo innoteſceret; venerabilis frater noſter Rodulphus Archiepiſcopus Rothomagen. præmiſſa, necnon populi ad Eccleſiam memoratam confluentis concurſum, æquanimiter ferre non valens, nulla cauſa legitima ſubſiſtente, unde miranur, eumdem Andream, contra immunitates & privilegia Ordini, & Fratribus antedictis ab Apoſtolica Sede conceſſa, & eorumdem Fratrum exemptionem, capi, & tetris carceribus, quibus damnandi ultimo ſupplicio retruduntur (proh dolor) mancipari & detineri fecit, in ipſius Andreæ ac Fratrum prædictorum non modicum detrimentum, eorumdemque exemptionum, privilegiorum & immunitatum vilipendium & contemptum; & cum a dictis carceribus idem Andreas aliter exire & liberari non poſſet, niſi in ſermone ad populum, prædictum miraculum minime verum fuiſſe, ſeque leviter minus & diſcrete illud credidiſſe fateretur, ipſius Archiepiſcopi voluntati ſe obtemperaturum & id facturum promiſit; & poſtquam libertati priſtinæ reſtitutus fuit, de voluntate dilecti filii Guillelmi Fortin, ipſius domus Guardiani, in præmiſſis ſibi contra juſtitiam per eumdem Archiepiſcopum, ejuſque Officialem illatis gravaminibus ad Sedem Apoſtolicam appellavit; quinimo Archiepiſcopus memoratus, in contemptum interpoſitæ appellationis prædictæ, in Fratres dictæ domus eo magis ſolito fervens, in eos excommunicationis ſententiam promulgavit, eoſque nunciavit & fecit excommunicatos publice nunciari, licet de facto; necnon eiſdem & aliis Fratribus dicti Ordinis in ſuis civitate & diœceſi Rothomagen. prædicationis officium penitus interdixit; nec præmiſſis contentus, ſed pejora malis accumulans, ſex alios ex Fratribus dictæ domus ſimiliter capi & carceribus mancipari, necnon unum ex eis carceres intrare renitentem vi compelli fecit, qui tunc in ejus capite vulneratus extitit; propter quæ populi & fidelium devotio, cauſantibus præmiſſis, ad eoſdem Eccleſias & Fratres extitit plurimum tepefacta, & vix aliquis fidelium propterea, & propter alias excommunicationes & inhibitiones per ipſos Archiepiſcopum, ejuſque Officialem factas in civitate prædicta, ejuſdem Confeſſoris, ut præfertur, tam ſolemniter canonizati & approbati, audet notiſſima & ſtupenda miracula recenſere, in ipſius Confeſſoris & Apoſtolicæ Sedis injuriam, vilipendium & contemptum, ac perniciоſum exemplum fidelium & ſcandalum plurimorum. Quare pro parte Guardiani & Fratrum prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut attentis præmiſſis, quæ non debent contuentibus oculis ſub diſſimulatione præteriri, cauſam appellationis hujuſmodi & negotii principalis, aliquibus in partibus illis committere, atque alias in præmiſſis eis & eorum ſtatui opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui dudum dilecto filio noſtro Dominico, tit. ſanctæ Crucis in Hieruſalem presbytero Cardinali vivæ vocis oraculo per nos ſpecialiter ſibi facto commiſimus, ut Guardianum & Fratres prædictos ab eadem excommunicationis ſententia, ſi quam propterea incurriſſent, ad cautelam abſolveret, ac hujuſmodi cauſam audiret & debito fine decideret; quique poſtquam Guardianum & Fratres prædictos, ut præfertur, de mandato noſtro abſolverat, in eadem cauſa ad aliquos alios actus minime ditur proceſſiſſe; cauſam appellationis hujuſmodi ad Nos, de ipſorum Guardiani & Fratrum, necnon nuncii ipſius Archiepiſcopi ad nos ſuper hoc ſpecialiter deſtinati expreſſo conſenſu, harum ſerie advocantes, circumſpectioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, vocatis Archiepiſcopo & Officiali prædictis, ac aliis qui fuerint evocandi, cauſam hujuſmodi in ſtatu debito reſumens, illam ſummarie

marie, ſimpliciter & de plano, ſine ſtrepitu & figura judicii, ſola facti veritate inſpecta, per te ipſum ulterius audias, & appellatione remota, debito fine decidas, faciens quod decreveris, auctoritate noſtra firmiter obſervari. Teſtes autem qui fuerint nominati, ſi ſe gratia, odio &c. ſubtraxerint, per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione ceſſante, compellas teſtimonium perhibere. Non obſtan. fel. recor. Bonifacii Papæ VIII. illis præſertim, quibus cavetur, ne quis ultra ſuam civitatem &c. aut ſi Archiepiſcopo & Officiali prædictis, vel quibusvis aliis communiter &c. indultum, quod interdici &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno MCCCCLI. XV. *Kal. Aprilis, Pontificatus noſtri anno* V.

Caetan. in Idea de Sanctis Siculis. Mirian l. 5. c. 24. Marc. 3. p. l. 1. c. 45. Legenda MSS. an. 1442. n. 15. & alii.

Moritur B. Matthæus Agrigentinas.

XL. Moritur hoc anno die VII. Januarii, uti ſcribit Octavius Caetanus, (alii ſcribunt anno MCCCCXXIV. alii MCCCCLV.) beatus Matthæus Agrigentinas, inſignis ſancti Bernardini diſcipulus, de quo in ſuperiori Tomo non ſemel locuti ſumus. Ad ſuæ patriæ Epiſcopatum alias diximus promotum, & dignitati ceſſiſſe; bis enim a ſuo clero, cui reformando acriter inſiſtebat, apud Pontificem Eugenium IV. accuſatus profuſæ prodigalitatis bonorum Eccleſiaſticorum, imperitiæ in regendo, & aliorum, quæ effingebant, criminum: prima vice coram ipſo Pontifice omnes calumnias abſterſit; ſecunda tædio gentis incorrigibilis, & deſiderio vitæ religioſæ miſſionem inſtantiſſime petiit & obtinuit, anno regiminis tertio nondum expleto. Ita habeo ex actis conſiſtorialibus, quibus memoratur ad Epiſcopatum aſſumptus anno MCCCCXLII. XV. Kal. Octobris, & anno MCCCCXLV. X. Kal. Auguſti ad eumdem per Matthæi dimiſſionem promotus Antonius Epiſcopus Cephaludenſis. Epiſcopali exoneratus cura, abiit Panormum, & in cœnobio ſanctæ Mariæ de Jeſu, a ſe extra urbem conſtructo, ſtatuens reliquam vitam in pace tranſigere, a Præfecto fuit repulſus, objectis ambitione, qua Epiſcopatum ſuſcepit, & imprudentia, qua rexit. A ſuis diſcipulis, quibus & domum erexit, & doctrinam propinavit, ita aſpere rejectus, abiit ad Patres Conventuales intra urbem commorantes, a quibus perbenigne ſuſceptus eſt. Tranquillam hic agens vitam, aliquando Pontificalia exercebat, diebus feſtivis ſumma laude & fructu prædicabat, & ad ſe venientibus ſalutaria exhibebat conſilia. Venienti Panormum Vicario Provinciali Obſervantum ubi hæc relata ſunt, venerabilem virum, & de ſuo ſodalitio optime meritum ille convenit, veniam durioris repulſæ exoravit, atque ut ſuis, quos in Chriſto genuerat, filiis conviveret, impetravit. In paupere cœnobiolo aliquandiu commoratus ægrotavit, deficientibuſque neceſſariis morbo curando aut leniendo, petiit ſe transferri in urbem ad Patres Conventuales, ubi malo ingraveſcente, tamdem ſancte in Domino obdormivit.

Epiſcopatum dimittit.

A conſodalibus rejicitur.

Ubi mortuus.

Ubi ſepultus.

XLI. Decretum eſt exequias celebrare in Eccleſia eorumdem Patrum Conventualium, quo univerſa urbs confluxerat, virum optimum veneratura. Curato honorario funere petierunt Obſervantes corpus ſibi reddi, tum quia ſui olim conſodalis, tum quia in ſuo cœnobio petierat ipſe ſub mortem ſepeliri. Diſplicebat Patribus tanti viri exuviis ſpoliari, nec volebant; ſed incaute cuſtodientes feretrum, anſam præbuerunt, ut clam Obſervantes corpus abriperent. Abreptum hi inſequentes, gravi imbre impediuntur, ne præcurrentes abſque ulla pluviæ offenſione poſſent comprehendere. In templum ſanctæ Mariæ de Jeſu a ſe conſtructum, ita rapide illatum, in feretro, medio erecto corpore, junctis manibus, elatum caput ſanctiſſimo altaris Sacramento profunde inclinavit, dein quietim reclinavit. Sepultus in capſa lignea multis annis ſuaviſſimum ſpirabat odorem, & per craticulam ferream immiſſis roſariis & ſudariolis communicabat eumdem. Horum con-

Poſt mortem adorat S. Euchariſtiam.

Corpus ſuavem emittit odorem.

tactu

tactu & odoris fragantia multi a variis curabantur languoribus. Dubitavit autem Presbyter quidam ſecularis, ne pigmentis aut aromaticis mixturis omnem hanc ſuaveolentiam Fratres corpori conciliarint: ſed indignæ ſuſpicionis mite tulit ſupplicium, ut roſarium, quod ex corporis contactu ante dies aliquot optime olebat, deinceps graviter fæteret, fieretque importabile. Reatu confeſſario dolenter explicato, tetro fugato odore, confeſtim optimus redivit.

XLII. Anno MDCXII. ab illo vetuſto loculo, in nobiliorem translatæ reliquiæ eamdem ſpirabant auram, quæ circumſtantes ſtupore, & templum mira replevit fragantia. Inſigne tunc accidit miraculum: Antonius Quatrolus puer octennis leproſus, Vincentii etiam leproſi filius, in arculam illam veterem miſſus, exſiccata lepra, mundus evaſit. Multa patratſe miracula probant tabellæ & donaria appenſa, aſſeruntque illius cœnobii incolæ; quæ tamen in tabulas redigere incurioſe neglexerunt. Jacet in ſepulcro deaurato ad dextram ſacelli beatæ Virginis; & e regione conſpicitur ſepulcrum Benedicti a Sanfratello, corpore nigerrimi, anima candidiſſimi, profeſſione laici, dignitate aliquando cœnobiarchæ, de cujus vita & virtutibus alias commodius ſermo inſtituetur. Alii etiam Viri piiſſimi, virtute illuſtres ibidem requieſcunt.

Moritur B. Herculanus de Piagale. *Tomo* 10. *anno* 1417. *n.* 17. *& ann.* 1435. *n.* 75. *Marian. citat. Marc. cit. l.* 3. *c.* 39. *Gonz. in Prov. Tuſc. Conv.* 18. *& ſeq.*

XLIII. Obiit etiam hoc anno frater Herculanus de Piagale, de quo alibi egimus, in cœnobio Caſtri Novi Carſaniani, non ſine ſanctitatis opinione & fama miraculorum. Natus in vico Piagali III. M. P. a Caſtro-Plebis, provinciæ Tuſciæ, ſuſcepto Minorum Inſtituto adhæſit beato Alberto Sartianenſi, quem etiam in Orientales regiones aſſociavit. Obſervantiæ regularis incrementum ei etiam ex parte debetur, conſtructis aliquot cœnobiis. Ferventiſſimus erat prædicator, & continuus commemorator Chriſti paſſionis. In omnibus concionibus aliquid miſcebat dolorum, quos pro redimendis hominibus pati dignatus eſt, & lugubri harum rerum memoria ſermonem abſolvebat. Feria ſexta Paraſceves in urbe Aquilana, tali devotionis affectu Dominicam recenſuit paſſionem, ut toto concionis ſpatio univerſus cætus magno fletu ejularet, & miris clamoribus Chriſto paſſo compateretur. Nobilis heroina quæ prope ſuggeſtum erat, oravit, ut dicendi finem faceret, ut & auditores fletui modum imponerent: *Satis*, inquit, *ploratum eſt; non amplius, Herculane. Imo amplius*, reſpondit ille; *neque enim ſufficienter poterimus Chriſti lugere paſſionem, aut conſcientias noſtras his lacrymis emaculare: Plus ſanguinis pro nobis ſparſit Chriſtus, quam nos emittimus lacrymarum.*

Paſſionis aſſiduus commemorator.

XLIV. Florentini poſt triennale bellum anno MCCCCXXX. obſederunt urbem Lucanam, civilibus diſcordiis æſtuantem, & obducto vallo ad ſummam egeſtatem reduxerunt. Prædicabat tunc Lucenſibus Herculanus tempore quadrageſimali, nec unde venerat, poterat redire. Dejectos animos aſſiduis erigebat hortationibus, acceptoque divinitus oraculo, ne hoſtibus traderent civitatem, divites, qui pauperibus frumentum negabant, induxit ut darent, & populum, ut in proximo ſubſidium & alimoniam ab ipſis Florentinis ſperaret. Vere prædixiſſe apparuit; nam tranſacto Paſchate, quidam Florentini factionis Lucanæ (neque enim omnes hoc bellum probabant) compatientes obſeſſis, noctu introduxerunt modios mille quingentos tritici, & diverſi generis cibaria, qua ratione, & adventu Nicolai Picennini factum eſt, ut ſolveretur obſidio. Toto, quo duravit, tempore Herculanus ſtipem oſtiatim colligebat, & famelicis diſtribuebat, ſibi multotiens ſubtrahens, quod dabat egenis. Triduo aliquando ab omni abſtinebat cibo, ut miſero-

Vide Aretin. hiſtoriam de rebus Italicis. Lucæ urbem obſeſſam in ſpem bonam erexit.

Grati Lucenſes eremodalibus ponunt domicilia.

runt viſcera refocillaret. Hinc tantam erga Fratres Obſervantes conceperunt Lucenſes devotionem, ut cum in eorum agro nullum eſſet hujuſmodi Sodalitii habitaculum, duobus propediem conſtruendis omnia contulerint neceſſaria; unum quod, ut alias diximus, poſt aliquot annos extruxit P. M. ab urbe in loco dicto *Pezzuolo* prope ſanctum Cerbonium; alterum celerius prope oppidum Bargæ, de quo nos commodius agemus ad annum MCCCCLXXI. quo in alium locum translatum eſt; tertium demum acquiſivit prope Caſtrum-Novum, de quo etiam præfati ſumus, recenſitis, quæ in loci conſtructione evenerunt, prodigiis.

Tom. 11. ann. 1443. n. 15.

Tom. 10. ann. 1455. n. 73.

Multos facit Minoritas.

Ejus pœnitentia.

XLV. Vitæ ſanctimonia & dicendi virtute multos a ſeculi vanitate ad Religionem allexit, præſertim Michaelem, Franciſcum, Matthæum, & Gaſparem prædicto oppido Bargenſi oriundos, & Jacobum Ticinenſem, qui magiſtri æmulati ſunt virtutem. Miris modis corpori ſtudebat macerando: ſub ſegmentitia veſte aſperum gerebat cilicium, vigiliis, orationi ſemper intentus, inſomnes ducebat noctes, peccatorum miſeram deflens conditionem. Flagellis crebris corpus caſtigans, integras abſque ullo cibo hebdomadas agebat, ſolo paſtus pane Euchariſtico: diebus dumtaxat Dominicis panem admittebat & aquam, & pro obſonio herbas crudas vel legumina. Pie defunctus apud Caſtrum-Novum, ſepultus eſt prope murum refectorii, quia nondum perfecta erat Eccleſia, ubi per quinquennium ſub ſtillicidiis aquarum incorruptus permanſit. Completa tamdem Eccleſia, primo translatus eſt integer, & ſanus ad ſacelli majoris parietem, deinde in cineres reſolutus, ad altare præcipuum, ubi adhuc reverenter aſſervatur.

Mon. MSS. Provin. S. Franciſci. Cimeral. 4. p. l. 5. c. 40. Gonz. in Prov. præſatis Conv. 22.

Obit Paulus Capitoneus.

XLVI. Hoc etiam anno die Sabbati XIV. Julii defunctum Paulum Capitonium, comitatus Narnienſis, Virum ſanctiſſimum, referunt monumenta MSS. provinciæ ſancti Franciſci. Illud occurrit difficultatis, quod in cœnobio Annunciationis, territorii Amerini ſepultum referant; ſed hoc conſtructum ſcribit Gonzaga anno MCCCCLX. Quare vel poſterius obiit, vel prius hæc domus inchoata eſt, aut ille aliunde advectus eſt. Laboribus attritum, variiſque pœnitentiis maceratum corpuſculum ſemel in die ſolo pane & aqua reficiebat. Tantæ fuit ſimplicitatis, ut a pleriſque contemptui haberetur. Diem & horam ſui obitus longe antea prædixit. Circa hunc annum deceſſit frater Ludovicus Theutonicus, de quo alias diximus; vetuſtus quidam codex apud me MSS. anno MCCCCXLVIII. obiiſſe recenſet.

Et Ludov. Theutonicus.

Tom. 5. an. 1291. n. 59.

Fr. Eugen. Somma Nuncius in Albaniam &c.

XLVII. Amandatus eſt hoc anno Eugenius Somma ad partes Albaniæ, Bulgariæ, & Raſſiæ cum ampliſſima facultate, & auctoritate Nuncii & Commiſſarii Apoſtolici, & Inquiſitoris generalis. Ejus virtutem, zelum, prudentiam, & doctrinam commendat Pontifex, & multas ei impertit, dato hoc diplomate, facultates.

Dilecto filio Eugenio Somma, Ordinis Fratrum Minorum Profeſſori, necnon ad Albaniæ, Bulgariæ & Raſſiæ partes Nuncio &c.

Ex lib. 34. Bullar. fol. 60.

Dum ſalubria tuorum laborum ſtudia, quæ mundanis abjectis illecebris cum additione voluntariæ paupertatis, pro augmento fidei Orthodoxæ impendis inceſſanter, etiam in ipſius fidei hoſtium partibus, verbum Domini, non abſque perſonæ tuæ diſcrimine, prædicando, debita conſideratione penſamus, ea tibi libenter concedimus, per quæ, cum animarum ſalute, in Dei Eccleſia fructus afferre valeas ampliores. Hinc eſt quod nos ſperantes, quod in Albaniæ, Bulgariæ ac Raſſiæ partibus, in quibus (prob dolor!) quamplures hæretici & penitus infideles fore noſcuntur, ipſos ad viam veritatis reducere, prout

prout jam cœpisti, divina tibi assistente gratia, pro viribus studebis elaborare, Te in dictis partibus Nuncium & Commissarium nostrum facimus, constituimus & etiam deputamus, tibi nostro & Romanæ Ecclesiæ nominibus, omnia & singula, quæ Provinciales Ministri tui Ordinis in eorum provinciis facere & agere possunt, faciendi & agendi, ac in hujusmodi partibus quinque Conventus, domos seu loca dicti Ordinis, in eisdem partibus consistentia, de partium hujusmodi fidelium consensu, recipiendi & ad regularem observantiam ipsius Ordinis reducendi ac reformandi; seu totidem domos ac loca cum Ecclesiis, campanilibus, campanis, cœmeteriis, hortis, hortalitiis & aliis &c. pro usu & habitatione aliquorum Fratrum ejusdem Ordinis, ac illius regularis observantiæ, qui, necnon domus & loca hujusmodi omnibus & singulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, gratiis & indultis in genere, aliis domibus sive locis, ac Fratribus Ordinis & observantiæ prædictorum, per nos vel Sedem Apostolicam in specie seu genere quomodolibet concessis, uti & gaudere possint, de novo, Diœcesanorum locorum & quorumlibet aliorum licentia desuper nullatenus requisita, fundandi & construendi, seu fundari & construi faciendi; necnon omnibus & singulis Fratribus Ordinis Provinciæ Albaniæ, qui tibi ad id idonei & fructuosi videbuntur, ut ad partes hujusmodi tecum, vel etiam de per se, dum tamen pauciores duobus simul non sint, personaliter se conferant, & inibi verbum Domini prædicent, seu in prædictis recipiendis & construendis domibus commorentur, præcipiendi & mandundi; ac Guardianos seu Vicarios inibi constituendi & deputandi, illosque & Fratres domorum hujusmodi visitandi, corrigendi & puniendi; necnon Fratres vagantes seu apostatas ad Ordinem reducendi, & illos ad id cogendi, invocato ad hoc etiam, si opus fuerit, auxillo brachii secularis; ac cum Fratribus hujusmodi, seu quibusvis aliis Ordinem ipsum profiteri volentibus & profitentibus, super irregularitate quacumque, voluntarii homicidii, mutilationis membrorum, & bigamiæ casibus duntaxat exceptis, ut ea non obstante, ad omnes etiam sacros Ordines se promoveri facere, & in illis ministrare libere & licite possint & valeant, dispensandi; libros quoque, paramenta & vasa altaris, ac omnia alia bona Conventuum Ordinis & partium prædictarum, per laicos occupata seu detenta recuperandi, & postquam illa recuperaveris, domibus seu Conventibus Ordinis & partium hujusmodi, de quibus tibi videbitur, restituendi vel assignandi; necnon, cujuslibet contradictione nequaquam obstante, libros, vestes, calices, ornamenta ecclesiastica, & alia tibi necessaria a Conventu Durachii dicti Ordinis mutuo accipiendi; necnon uni, duobus, seu pluribus Fratribus ejusdem Ordinis, de quibus tibi videbitur, quod quorumlibet utriusque sexus Christifidelium, quoties opus fuerit, eorum confessionibus diligenter auditis, etiam in reservatis Episcopis locorum casibus, & etiamsi tales in favorem infidelium contra Christianos pugnaverint, vel ad ipsos infideles probibita portaverint, seu Clericos percusserint, non tamen occiderint vel mutilaverint, & etiamsi Christianam fidem abnegaverint, debitam absolutionem impendere, & injungere pœnitentiam salutarem; necnon eos ab excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris &c. in forma Ecclesiæ consueta, injuncta &c. ac illis ex Fratribus dictorum Ordinis & Observantiæ, qui in sacerdotio constituti fuerint, quod infantes, ac alios ad Christianam fidem converti volentes baptizare, necnon quibuscumque Christifidelibus, quoties expedierit, Ecclesiastica Sacramenta ministrare possint & valeant: Præterea illis ex quibusvis fidelibus, qui ad pugnam contra infideles ipsos transire voluerint & transiverint, vere

penitentibus & confeſſis plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, ac aliis fidelibus, qui fidelibus ipſis contra Infideles ad pugnam tranſeuntibus pias eleemoſynas, ſeu caritativa ſubſidia erogaverint, indulgendi, quod Confeſſor idoneus ſecularis vel regularis, quem eorum quilibet duxerit eligendum, omnium peccatorum ſuorum, de quibus corde contriti & ore confeſſi fuerint, ſemel tantum in mortis articulo plenam remiſſionem eis in ſinceritate Fidei, unitate S. R. E. ac obedientia, & devotione noſtra, vel ſucceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum canonice intrantium, perſiſtentibus, auctoritate noſtra Apoſtolica concedere valeat; ſic tamen quod idem Confeſſor de iis, de quibus fuerit alteri ſatisfactio impendenda &c. Et ne, quod abſit, Chriſtifideles propter hujuſmodi gratiam reddantur procliviores &c. Et inſuper quod per unum annum &c. Et ſi in dicto anno &c. Porro ſi aliquis prædictum jejunium in toto &c. jure tamen parochialis Eccleſiæ &c. Ultramarinum quoque ſancti Jacobi in Compoſtella &c. Præterea cupientes ut in partibus illis Fides Catholica jugi profectu, quibuſvis eliſis & omnino radicitus extirpatis erroribus, proſperetur, ac fortius invaleſcat; ac ſperantes quod tu, cujus perſonam Religionis & Fidei ſinceritate, ac maturitate morum, multarumque aliarum virtutum donis novimus inſignitam, circa extirpationem hæreſum, quæ (proh dolor!) in partibus illis ſua venena permaxime diffuderunt, eris plurimum profecturus; te Inquiſitorem hæreticæ pravitatis in dictis partibus eadem auctoritate Apoſtolica conſtituimus & deputamus, tibi in tuorum remiſſionem peccaminum injungentes, quatenus in caritate Dei, omni timore poſtpoſito, virtutem ſancti Spiritus induaris, & prædictum Inquiſitionis negotium in dictis partibus, prout tanti negotii utilitas ſuadebit, ſub ſpe mercedis æternæ, ſic efficaciter proſequi & exequi ſtudeas diligenter, ut per ſollicitudinis tuæ prudentiam, radices pravitatum hæreſum hujuſmodi penitus evellantur, ac vineæ Domini Sabaoth, exterminatis inde vulpeculis, fructus uberes afferat Catholicæ puritatis; in hujuſmodi negotio proceſſurus juxta canonicas ſanctiones. Non obſtan. fel. record. Bonifacii Papæ VIII., &c. probibente, ne Fratres Ordinum Mendicantium, &c. ceteteriſque contrariis quibuſcumque. Rogantes & exhortantes in Domino univerſos cariſſimos in Chriſto filios noſtros Reges, & cariſſimas in Chriſto filias Reginas, ac Venerabiles fratres noſtros Archiepiſcopos & Epiſcopos: necnon dilectos filios nobiles viros Duces, Principes, Vaivodas, Marchiones, Comites, Barones, milites, dominia, communitates, univerſitates, alioſque Chriſtifideles ubilibet conſtitutos, ac eis in remiſſionem omnium peccaminum injungentes, quatenus ob divinæ propitiationis præmium, noſtram & dictæ Sedis reverentiam, te, & ad id per te deputandas perſonas, in præmiſſorum proſecutione ſic commendatos habeant, quod tu & dictæ perſonæ ipſa præmiſſ... utilius & commodius adimplere valeatis, ac Reges & alii ſupradicti exinde, præter æternæ retributionis præmium, noſtram & dictæ Sedis gratiam uberius conſequi mereantur: præſentibus uſque ad dictæ Sedis beneplacitum dumtaxat valituris. Nulli ergo, &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno &c. MCCCCLI. XI. *Kal. Octobris, Pontificatus noſtri anno* V.

Inſtituitur Inquiſitor.

XLVIII. Diximus anno præcedenti deceſſiſſe Joannem de Mauberto, Vicarium generalem Obſervantum familiæ Ultramontanæ. Conceſſit itaque Pontifex facultatem Fr. Theodorico Aurigæ, provinciæ Franciæ Vicario, viro gravi, ut Fratres ad comitia vocaret, in eiſque auctoritate Apoſtolica præſideret. Ita porro fecit Barcinone, in conventu beatæ Mariæ de Jeſu extra urbem, hoc anno in feſto Pentecoſtes, die XXIII. Junii, electuſque eſt ipſe in Vicarium generalem omnium ſuffragiis. Multa in hoc capitulo ſta-

Capitulum generale Obſerv. Ultramontanum. Vicarius generalis Theodoricus Auriga.

ſtatuta ſunt, quæ alias dabimus opportunius. Porro Capiſtranus zelo retinendæ & promovendæ regularis diſciplinæ dederat ad Patres in comitiis congregandos epiſtolam ſequentem.

Reverendis in Chriſto dilectis Patribus & Fratribus regularis Obſervantiæ, in Capitulo generali Barcinone congregandis.

XLIX. *Reverendi in Chriſto Patres, præceptoreſque mei præcipui, gratiam ſalutarem, & pacem in Domino ſempiternam. Intellecto ſuperiori tempore obitu recolendæ ſemperque venerandæ memoriæ, communis Patris noſtri Fratris Joannis de Mauberto, ut debui, non potui non condolere, tum propter ſuarum virtutum præſtantiam & vitæ ſanctimoniam, tum propter communem utilitatem, qua privati ſumus. Equidem ad ſummam mihi cenſeo accidiſſe mœſtitiam, tanto Patre nos eſſe orbatos, qui communis pater, paſtor ovium Evangelicarum, Dux magnæ ſortis exercitus Chriſti optimus extiterat: ejus ſane obitus tantam mihi contulit moleſtiam & dolorem, quod neſciam quid gravius, quid difficilius, quidve acerbius mihi potuiſſet afferri. Quamquam cum me ipſum recolligerem, & naturam ac humanarum rerum fragilitatem contemplarer, ratio ipſa facile minuit & delinivit dolorem meum; tum vero maxime, quandoquidem illum non obiiſſe, verum potius revixiſſe, & ad amœna paradiſi ſpatia evolaſſe non ſolum perſuadeo, ſed certior ſum: ſed de his hactenus. Et ne noſter nimium protrahatur ſermo, veniam ad ea, de quibus neceſſarius ſermo habendus eſt. Certior factus ſum fide digna relatione, colendiſſimi Patres, inſtitutum atque ſanctum eſſe, ut generale capitulum veſtrum Barcinone, futuro feſto Pentecoſtes omnino celebretur, pro novo Patre novoque Paſtore eligendo, quod tantam mihi attulit lætitiam & jucunditatem, ut id contra omnem priſtinum dolorem conſoletur. Sed animadvertite, quæſo Patres, vobis eligendum eſſe virum utique bonum, integrum, pium, eruditum, expertum atque ſanctum; nam ſic omnis ratio perſuadet, ut quales eſtis, talem paſtorem eligatis. Spiritus ſanctus vobis illum invocantibus concedat pacificum virum, qui vnanimes vos gubernet; clementem, qui errata fragiliter, remittat, & poſſit compati infirmitatibus ſubditorum; prudentemque, qui regenda omnia optimo & maturo conſilio regat; juſtum denique, qui obſtinatos, zelo tuendæ ac ſervandæ religionis percutiat. Vos autem velim eſſe intentiſſimos, ut eligendus ardentiſſimus ſit zelator totius noſtræ Familiæ, quæ Obſervantiæ nomen ſibi vendicat, adhæreatque ſemper voluntati Fratrum in Italia, adeo ut ſemper vno animo, vnoque corde, tum factis tum opere vos una nobiſcum ſitis. Admoneatur autem, ut de omnibus occurrentibus, quæ ad dedecus vel incommodum aliquo pacto totius noſtræ Familiæ accidere poſſent, reddat nos Italicos diligentiſſime certiores, ut nos propinquiores Curiæ Romanæ valeamus de remedio opportuno providere. Inveniet ſane omnes nos ſemper paratiſſimos ad vota, & ad utriuſque Familiæ defenſionem & tutelam. Hæc quidem omnia, ſi recte feceritis, Optimi Patres, reſtoreſcet utraque Familia, ædificabitur ſeculum, lætabitur Eccleſia, congaudebunt Angeli, congratulabitur Chriſtus, collætabitur ſancta & individua Trinitas unus Deus; illa quoque mater Domini pudiciſſima, ut de beato Franciſco nihil dicam, in cujus pio gremio noſtra Religio coaluit & excrevit, jucundo præſidio vobis aderit, ut Evangelium Filii, quod ante profeſſi eſtis, tanta fautrice adjuti, ſine macula calumniæ obſervetis. Erigite itaque animos, ampliſſimi Patres, & pariter imploremus merita vetuſtiſſima Patrum, excitemus gratiam majorum noſtrorum;*

Capiſtranus ſcribit ad Capitulares.

Laudes Joannis Mauberti.

rum; præſidio quorum adſit ſanctæ veſtræ congregationi pulcherrima caritas, quam perſuadet religio; adſit pax, quam & natura ipſa proclamat; adſit concordia, quam Chriſtianum nomen ſublimiter edocet; adſit veritas, quæ ſuis viribus nixa, omni tempore ſuperat, vincit & triumphat; adſit denique vnitas, quam parit Eccleſia, quam præbet gratia, quam tribuit Chriſti Domini ac Dei noſtri ſumma benevolentia; ut paſtorem utique religioſiſſimum & ſanctum eligere poſſitis, ut vobis utilitati & præſidio, nobiſque commodo & jucunditati ſit futurus. Valete in Chriſto Jeſu, & me veſtris ſacris orationibus quam diligenter commendate, meque utimini arbitratu veſtro, dum mihi vita comes. Venetiis XIII. *Aprilis* MCCCCLI.

Veſter, etſi inutilis, fidelis tamen coadiutor & ſeruus
Fr. Joannes de Capiſtrano, manu propria.

Alphon. Boroxius Commiſſarius in Hiſpania.

L. Abſolutis demum comitiis, receſſit Vicarius in Galliam, eoque vocavit Alphonſum Boroxium, provinciæ Caſtellæ Vicarium, ad cœnobium Fontiniaci Comitis prope Rupellam, & Commiſſarium inſtituit nationis Hiſpanicæ, iuſſitque ut prudenter & placide curaret reducere Fratres reſtitutæ Obſervantiæ ad obedientiam Vicariorum; & inſuper in virtute peculiaris Bullæ Eugenii IV. poteſtatem conceſſit quinque Conventus conſtruendi vel reformandi. At ille ſapienter iſta perficiens, patres Cuſtodiæ Hiſpalenſis, ut omnino reliquis Obſervantibus adhærerent, induxit, & magno Inſtituti incremento novellum germen annis quindecim optime gubernavit. Obtinuerat ſub hujus anni initium ampliſſimum privilegium Pontificium, quo robur & firmitatem adjecit omnibus, quæ in provincia Caſtellæ peracta erant circa reformationem veterum, aut erectionem novorum Conventuum regularis Obſervantiæ, & ſtabilitatem Fratrum in eiſdem domiciliis, ne ad Miniſtrorum placitum ab eiſdem removerentur. *Urget nos ſuſcepti cura regiminis*, Idib. Febr. anno MCCCCL. qui in hunc annum recurrit; etenim novum annum computabant non a Chriſti nativitate, ſed ab ejus Conceptione, a die ſcilicet Annunciationis beatæ Mariæ, quod alias diximus, & hic prænotatum volumus pro reliquis in ſequentibus annis dicendis, ne ad ſingula diplomata Pontificia in annorum ſupputatione lectoris animum dubium aliquod ſuſpendat.

Chron. Saxon. MSS.
Card. Cuſanus reformat Religiones in Germania.

LI. In Germania reformationem tam noſtræ, quam aliarum religionum promovebat Cardinalis Cuſanus, Sedis Apoſtolicæ Legatus, uti his verbis chronica Saxonica apud me MSS. teſtantur. *Dom. Nicolaus Cuſanus tit. ſancti Petri ad vincula Præsbiter Cardinalis, Apoſtolicæ Sedis per Germaniam Legatus, & Epiſcopus Brixinenſis, Norimbergam venit anno* MCCCCLI. *& per diœceſim Bambergenſem ultima die Aprilis mandatum edidit, quod omnes Religioſi regularem Obſervantiam infra unius anni ſpatium admitterent, quarumcumque Religionum ſive exemptarum, ſive non; alioquin privati eſſent omnibus privilegiis & gratiis, a Sede Apoſtolica eis indultis: inſuper ad quamcumque dignitatem forent ineligibiles, ſi poſt lapſum duorum annorum, a Dato hujuſmodi mandati enumerandorum, eſſent negligentes. Hic idem vir omni doctrina clarus, cum Eccleſiæ ſuæ Brixinenſis jura acrius tueretur, a Sigiſmundo Duce Auſtriæ circa annum* MCCCCLX. *in caſtro Brauneeco, in ipſa Paſchatis ſolemnitate, contra fidem & ſecuritatem datam capitur, inque ejus poteſtate per dies aliquot, omni contumeliarum & ignominiarum genere affectus, duriſſime retinetur; nec libertatem obtinere potuit, niſi remiſſis injuriis, caſtro quodam tradito, magno auri pondere ſoluto, reddito creditoribus chyrographo, & quampluribus aliis extortis con-*

Divexatur a Sigiſmundo Auſtriæ Duce.

conditionibus, præter eas, quibus pax antea fuerat publicata; omnibus denique Eccleſiæ privilegiis & jure ereptis. De quo immaniſſimo ſcelere Pius Papa II. certior factus, interdictum per dominium & terras ejus pronunciat. Quod audiens Sigiſmundus cæpit hoſtiliter perſequi omnes fautores Cardinalis, & interdicto obſequentes, quos auſus fuit ſedibus eiicere, præbendis exuere, Cardinalique ipſi necem denunciare, niſi ad prophanationem ſacrorum illos compelleret; & monaſteria mandatis Apoſtolicis deferentia graviſſimis moleſtiis divexare; & in primis Monaſterium ſanctæ Claræ in Brixina, olim per eumdem Cardinalem reformatum, crudeliſſime invaſit; patrem confeſſarium Nicolaum de Pruſſia, virum devotum, vinculis alligatum, in profundæ turris cujuſdam ergaſtulo concluſit: Sorores ipſæ metu percuſſæ, fugam arripiunt, quibus in ditionem Illuſtriſſimi Archiducis Auſtriæ, D. Alberti, qui fuit Friderici Rom. III. Imperatoris germanus frater, pervenientibus, a Domina Mechtilde conjuge ejus optime eſt proſpectum. Ipſi vero Sigiſmundo tantus furor inceſſerat magiſterio & inſtinctu effrenis & profugi cujuſdam Gregorii de Haimburgh, qui homo ſceleſtius fuit, jurgiis ubivis intentus, fraterni odii & diſcordiæ conſtator inſignis; ideoque primum Moguntia, adhuc tener annis ſed tanus iniquitate, ignominioſe expulſus eſt. Deinde ad Atheſim ſe conferens, apud prædictum Sigiſmundum Ducem callide ſe inſinuavit; eumque contra Brixinenſem Eccleſiam commovit, totiuſque tragediæ fax & tuba extitit. Quapropter a Pio II. excommunicatus ad hæreticos Boemiæ transfugit.

Necnon Clariſſæ Brixinenſes.

LII. Alius Apoſtolicæ ſedis Legatus in regno Boſnæ, Thomas Epiſcopus Faren. ſequentes litteras, etſi rudes & impolitas, dedit ad Capiſtranum, in quibus gratulatur commiſſam ei Vicariæ Boſnenſis curam: narrat Regem recenter ad fidem Catholicam converſum, Fratribus valde addictum, eis diverſa præparare habitacula; hæreticos ad Fratrum conſpectum evaneſcere, & ad illorum adventum alio tranſmigrare; rogat ne Conventus Dalmatiæ dictæ Vicariæ unitos velit ſegregare. Aliis etiam litteris Michael Jaderenſis Vicarius Boſnæ Capiſtranum invitat, & vehementer rogat, ut adviſendos religioſos, & confirmandum Regem ac Catholicos illius regni, eo ſe velit transferre. Ecce Legati epiſtolam.

Commendatur Capiſtrano curæ Vicariæ Boſnenſis.

Reverendo in Chriſto Patri Fr. Joanni de Capiſtrano, Vicario generali Ordinis Minorum.

LIII. *Reverende Pater, poſt devotas commendationes in Chriſto Jeſu, &c. Ut alias contuli cum P. V. ex corde deſidero augmentum & profectum ſanctæ fidei Catholicæ in regno Boſnæ, ubi de mandato S. D. Eugenii prius, & poſtea S. D. N. Nicolai Legationis officio diu functus ſum, ibique hac de cauſa plurimos labores pertuli; noſcenſque optime quod huic ſancto operi expediat, decrevi præſentibus litteris viſitare P. V. R. illamque informare de his, quæ probabiliter ignorare poteſt propter loci diſtantiam, & informationes varias. Intellexi a nonnullis fide dignis, quod R. P. Generalis Miniſter Vicario Boſnæ mandaverit, ut P. V. obediat & ſimiliter dictæ Vicariæ fratribus; ex quo videtur cura dictæ Vicariæ V. P. commiſſa. Quapropter ea, quæ alias ſub porticu ſancti Petri expoſui & rogavi, replico, atque ex parte Dei rogo, ut dicta Vicaria ſit V. P. commendata; numquam enim certe magis neceſſarium fuit, bonam curam de illa habere, ſicut nunc, ex quo Rex & major pars regni fidei veritatem acceperunt, & in illa fideliter perſeverant; & indubie ſperandum eſt, quod ſi illi proviſum fuerit de reli-*

religioſis Fratribus, totaliter regnum illud purgabitur ab erroribus illis Manichæorum, & illuminabitur fidei veritate: Si autem, quod abſit, aliter fiat, dubitandum eſt ne in deteriora labatur. Laboravit & laborat continuo prædictus Vicarius cum Fratribus ſuis. Laborat ad hoc & operam dat quantum poteſt Sereniſs. Rex, & jam plures Conventus ſeu loca ædificavit: & hoc mirabile dico P. V. & valde notandum, quod in locis occupatis per hæreticos ſtatim ut Fratres ſunt, evaneſcunt hæretici ſicut cera a facie ignis, & ſi tot eſſent Fratres boni religioſi, ut occuparent loca principalia regni, indubie non remanerent nec invenirentur hæretici. Quare pro reverentia Dei dignetur P. V. dictum Vicarium, atque alios bonæ voluntatis religioſos ibi fovere atque juvare, & alios ejuſdem propoſiti viros devotos eidem Vicario aggregare, ſpinas autem & tribulos purgare: Et quia intellexi, quod P. V. intendit aliquos Conventus Dalmatiæ a dicta Vicaria ſegregare, decrevi P. V. monere ſuper hoc, ut ſim coram Deo & mundo excuſatus, ſi aliquid ex hoc ſiniſtri advenerit. Sciat igitur indubitanter P. V. quod omnino impoſſibile eſt, Vicariam illam poſſe ſuſtineri abſque dictorum Conventuum Dalmatiæ ſocietate. Primo, propter vitæ neceſſaria, quæ abinde, ſcilicet Dalmatiæ Conventibus recipit, ut vinum, oleum, veſtes & ſimilia, ſine quibus humana fragilitas eſſe non poteſt; non enim talia ſunt in Boſna pro Fratribus pauperibus, ſed neque pro dominis & divitibus. Iterum, quod poſt laberes continuos, quos patiuntur Fratres ibidem, & poſt pericula Teucrorum & hæreticorum non habent pauperes antiqui & ſenes refrigerium, niſi reducendo ſe ad tempus ad Conventus ſecuros Dalmatiæ. Item, R. Pater, non poſſet major injuria fieri Regi Boſnæ, quam dictos Conventus ita ſegregare: & licet firmus ſit in petra fidei, tamen quia adhuc novus eſt, non eſt exaſperandus, ſed omnino fovendus. Quare, R. P. rogo P. V. quod ſi intendit, ut ſpero, dictum Regem fovere, & ipſum non exaſperare & ſcandalizare, nolite inferre novitatem talem dictæ Vicariæ, neque moleſtare in ſimilibus patrem Vicarium, Regi & Principibus regni Catholicis gratiſſimum, Fratribuſque volentibus bene vivere; ſed potius, ut dixi, eos protegere & juvare. Spero poſt Paſcha videre P. V. & tunc diffuſius de his & ſimilibus conferre cum P. V. cujus me orationibus commendo. Datum Faræ die XIX. *Febr.* MCCCCLI.

Epiſcopus Faren. ac in regno Boſnæ Apoſtolicæ Sedis Legatus &c.

Minorum conſpectum fugiunt hæretici.

In Hungar. utiliter laborant Minoritæ.

LIV. Ex Hungaria etiam frater Michael de Bechen Vicarius Fratrum regularis obſervantiæ, per ſuas litteras Budæ ſcriptas intenſiſſimum ſignificavit Reginæ & Procerum deſiderium, ut illuc vellet commigrare Capiſtranus, fructuoſumque deſcribit Fratrum laborem tum in Hungaria, tum in Provinciis circumjacentibus; impediri autem majorem progreſſum morte multorum religioſorum, qui in Tranſilvania peſte deceſſerunt. Petit itaque ut alii ſubſtituantur, meſſem ingentem curaturi.

Epiſcopus Tiberiaden. Fr. Petrus.
Nicopolitan. Fr. Joannes, & Fr. Hugo.
Tripolen. Fr. Benedictus.
Dioſpolitan. Fr. Joannes.
* *al.* Laniſſa.
Agien. Fr. Michael.
Galthelinen. Fr. Laurentius.

LV. Epiſcopi creati ſunt hoc anno, Tiberiadenſis in Galilæa, ſub Patriarcha Hieroſolymitano, frater Petrus Bruer. III. Idus Februarii. Nicopolitanus in provincia Ceſareæ, ſub eodem Patriarcha, frater Joannes Hutter ſacræ Theologiæ lector, per obitum fratris Hugonis etiam Minoritæ. XVI. Kal. Junii. Tripolen. in Syria, ſub eodem, frater Benedictus de Adoaria Theologiæ Baccalaureus, per obitum Antonii. XII. Kal. Junii. Dioſpolitan. ſub eodem, frater Joannes la Biſche * Guardianus Andegavenſis, per obitum Martini. XIII. Kal. Septembris. Agien. in inſula Cretenſi, frater Michael de Candia, per obitum Lucæ. XVIII. Kal. Octobris. Galthelinen. in Sardinia, ſub Arch. Arboren. frater Laurentius Pugiol, per obitum Sebaſtia-

ſtiani. IV. Kal. Octobr. Galliopolis in Thracia, ſub Arch. Heraclienſi, frater Antonellus de Joannetto. VIII. Idus Octobr. Neocaſtren. in Calabria, ſub Arch. Rhegienſi, frater Robertus de Simero, per obitum Joannis, eodem die. Fernenſis in Hibernia, ſub Arch. Dublinenſi, frater Thaddæus coadjutor & futurus ſucceſſor Roberti Whittey ſenis & valetudinarii; eodem die, Petrus Cardinalis de Fuxo Minorita, de quo ſæpe alias actum eſt, dimiſſa Eccleſia Convenarum, quam commendatam habuit, ſuſcepit hoc anno Aquenſem in commendam, translato Beltrando Epiſcopo ad Epiſcopatum Olorenſem. IV. Non. Julii. Hoc etiam tempore eum ad Archiepiſcopatum Arelatenſem aſſumptum ſcribit Claudius Roberti. Ad Eccleſiam Piſaurenſem accitum hoc anno ab ipſis Piſaurenſibus Joannem Paternam, narrat Petrus Rodulphus.

Galliopolitan. Fr. Antonellus. Neocaſtren. Fr. Robertus. Fernen. F. Thaddæus. Aquen. Fr. Petrus. Piſauren. Fr. Joannes. *Rodulph. fol. 269.*

LVI. Diximus alias, curaſſe Eugenium IV. ut in urbe Conſtantinopolitana domum ædificarent Fratres regularis Obſervantiæ: completam invenio hoc anno ſub nomine ſancti Antonii de Cypreſſis intra mœnia, ibique commoratos ex variis provinciis Fratres quamplures. Frater Baptiſta de Levanto Vicarius generalis provinciæ Orientialis, miſſo ex inſula Cretenſi, in qua ipſe tunc degebat, fratre Jacobo de Forolivio Commiſſario, liberam ipſis incolis reliquit Guardianum eligendi facultatem. Paulo poſt cum ipſa urbe hoc periit Cœnobium.

Tom. II. *anno* 1441. *n.* 34. Conventus Conſtantinopolitan.

LVII. Laurentius Panormitanus inſignis prædicator, olim, uti diximus, Nuncius Apoſtolicus ad Siculos & Melitenſes, eam obtinuit apud Pontificem opinionem, ut ſeptem ædificandi vel recipiendi domos in quibuſcumque locis, per quæ prædicabat, amplam fecerit facultatem: *Sacræ Religionis*. Pridie Kal. Octobris.

Tom. II. *anno* 1444. *n.* 44.

LVIII. Conventus Choræ in Latio provinciæ Romanæ conſtructionem uſque ad annum MDXXI. quippe auctoritate Clementis VII. factam, differt Gonzaga. Ego oppono diploma Nicolai hoc anno conceſſum, in quo ad preces Univerſitatis & incolarum oppidi prædicti facultatem largitur, ut Eccleſiam ſanctæ Margaritæ prope oppidum, ruinæ proximam, in qua olim Moniales habitaverant ſancti Auguſtini, in uſum Fratrum Minorum regularis Obſervantiæ converterent, domumque adderent regularem, etſi prius illa Eccleſia data fuerit Petruccio Ludovici clerico Velitrenſi: *Pia Deo & Eccleſiæ deſideria*. XII. Kal. Maii: fortaſſis quod litteræ non ſint ſortitæ effectum, vel quod Clementinæ non agant de prima conſtructione, ſed de reſtitutione aut translatione.

Conv. Choræ. *Gonzag. in Prov. Rom. Conv.* 10.

LIX. In eadem provincia, ſed in regione Tuſciæ, Conventum Tuſcaniæ ſive Tuſcanellæ ſub invocatione ſancti Franciſci, de quo alias diximus, ante hoc tempus deveniſſe in poteſtatem Obſervantum, mihi conſtat ex Pontificis diplomate, quo ratam voluit venditionem quorumdam bonorum immobilium, & aliorum, quæ ſuo ſtatui judicaverunt contraria. Hoc anno in Apulia urbe Melficto, ex publicis facultatibus ædificatum Conventum ſancto Bernardino ſacrum, ſcribit Gonzaga; necnon prope Agnonium oppidum inter Samnites, in colle nemeroſo & amœno, alterum ſub ejuſdem Sancti appellatione, quod Fratrum valetudinario propter aeris ſalubritatem & rerum copiam deſignatum eſt. Hic jacent beati viri Benedictus Cremonenſis & Gaſparinus, de quibus ſuis temporibus agemus. In oppido Angloni, diœc. Triventinæ, ut conſtrueretur communibus facultatibus domus tertia ſub eadem appellatione, Pontifex indulſit: *Sinceræ devotionis*. Nonis Julii.

Conv. Tuſcanellæ datus Obſervantibus. *Tom.* 5. *an.* 1291. *n.* 74. Conv. Melficti. *Gonz. in Prov. S. Nicol. Con.* 18. Conv. Agnonii. *Idem in Prov. S. Angeli Con.* 8. Conv. Angloni.

LX. In Brutiis ſub Apennini radicibus, ad Maidæ oppidum frequens & honeſtum, diœc. Neocaſtren. Conventum extruxit Patribus Conventualibus

Conv. Maydæ. *Rodulph. fol.* 279. *Monum. MSS. Prov. Calabriæ.*

bus Aloyſius Caracciolus, dicti oppidi Dominus & Comes Neocaſtri, cœptum hoc anno die VIII. Junii ad ipſum oppidi introitum ex illa parte, quæ flumen reſpicit Amati. Commoda habent illic Fratres habitacula, & pulcherrimum templum. Floruit hic Robertus de Maida ſacræ Theologiæ Magiſter, & doctus concionator. Tunc etiam conſtructum a Nobilibus Viris Gilberto Centelles, Comite Guliſani, & Eugenio Cœnobium Guliſani eorumdem Patrum in Sicilia & cuſtodia Agrigentina, ſcribit Rodulphus. Hic ſepultus inſignis Heros Petrus de Cordona.

Idem fol. 281.

Conv. Netinus.

Pyrrhus in not. Syracuſanæ. pag. 520.

LXI. In eadem inſula aliud poſuerunt cives Netini Fratribus Obſervantiæ, ſub invocatione ſanctæ Mariæ de Jeſu P. D. extra mœnia. Floruerunt hoc in loco Bernardinus de Neto, vitæ integritate, & dicendi virtute populo admirabilis, vaticinii ſpiritu præclarus; Antonius Laliotta ſacræ Theologiæ Profeſſor, virtutum gloria inſignis: multis annis ſuæ diſciplinæ Fratres rexit, Cuſtodis aut Vicarii functus muneribus; Antonius Æthyops tertii Ordinis, vir ſanctiſſimus; Dominicus Laicus Melitenſis, de quo multa præclara narrantur; Archangelus Meſſana a Neto vir pius, & multifaria præditus doctrina. Celebrata hic comitia Provinc. anno MDLX. Inſtructiſſimam habent Fratres Bibliothecam.

Conv. Autougviæ.

Conc. in Prov. Algarbe Conv. 5.

LXII. In Luſitania, & Archiepiſcopatu Ulyſſiponen. prope mœnia oppidi Autougviæ, Viri Nobiles familiæ Ataidæ domum ædificarunt Obſervantinis, ſancti Bernardini nuncupatam, in qua, perpetua ſucceſſione, religioſorum Patrum floruit pietas & divini cultus incrementum. Obiit hic frater Alphonſus de Ataida prius oppidi dominus, deinde religioſiſſimus Minorita. Obiit in Provincia Pietatis, ſed huc translatus, multa patrat miracula. In æde capitulari ſepultus eſt Petrus de Clavibus (vulgo *de Chaves*) in vita & morte plurimum commendabilis. Vivunt hic Patres ſtrictioris obſervantiæ.

Conv. Navarreti.

Idem in Prov. Burgen. Conv. 10.

LXIII. Didaco Manrique, Regni Legionis Præfecto, & Comiti de Trivinio conceſſit Pontifex hoc anno facultatem, ut P. D. a Villa Navarreti, diœc. Calaguritanæ, Eremitorium ſanctæ Mariæ de Jeſu de Monte Oliveti, & domum pro decem Fratribus Obſervantiæ a ſe inchoatam, eiſdem conferret: *Pils fidelium votis.* IV. Non. Septembris. Ducis Nagerani (cujus imperio oppidum ſuberat) auſpiciis & oppidanorum facultatibus anno MDLV. translatum eſt Cœnobium ad locum viciniorem, & poſtea a regimine Provinciæ Conceptionis ad Burgenſem.

Con. Cornagi.

Ibid. Con. 11.

LXIV. In eadem Provincia Conventum ſanctæ Mariæ de Campo, oppidi Cornagi, pii heroes Joannes a Luna & Maria a Luna Fratribus ejuſdem Inſtituti ante hunc annum poſuerunt, empta a Ciſtercienſibus monaſterii de Fatero domo rurali & ædicula, ſub appellatione ſanctæ Mariæ de Campo la Puente: *Etſi deſideriis.* VIII. Kal. Febr. Juſpatronatus ad fundatores ſpectans, anno MCCCCLXVI. ſoluta pecunia Fratribus ceſſit; rediit tamen anno MDLXXXII. ad prædictorum ſucceſſores, Alvarum a Luna & conjugem Mariam Curiel, ex Miniſtri & Patrum illius provinciæ decreto, deſtinatumque ſacellum majus his Proceribus humandis.

Tom. II. anno 1446. num. 21.

LXV. Dixi alias, ab Eugenio IV. conceſſum fr. Ludovico de Saja, Cuſtodi Fratrum regul. Obſervantiæ provinciarum Caſtellæ & ſancti Jacobi citra Portus, in Legionis & Caſtellæ regnis conſiſtentium, Eremitorium ſancti Mametis de Abundo, prope turrim de Baſurto, diœceſis Calaguritanæ: Nicolaus hoc anno ſui prædeceſſoris conceſſionem ratam voluit & firmam: *Dudum ſiquidem.* XIV. Kal. Febr. Patronos Eremitorii fuiſſe commemorat Didacum Lupi de Amicibay, Joannem Sancii & alios, & Vicarium Provinciæ Caſtellæ fr. Fortunium de Abundo.

Con. de Abundo.

LXVI. Con-

Anno Christi	Nicolai V.	Friderici III. Imp.	Religionis Minorum anno 244.
1451.	anno 5.	anno 12.	

LXVI. Conventus Tridentinus Patrum Conventualium, a vetuſtate, incendio, hoſtibus ruinoſum, ut a parte extera intra urbis muros transferretur, petentibus civibus & Fratribus, Pontifex indulſit: *Piis &c.* pridie Non. Decembris. Hic multæ habitæ peculiares ſeſſiones tempore Concilii Tridentini, & tunc etiam magna ex parte domus fuit reſtaurata, Con. Tridentin. transfertur.

LXVII. In parva Talernæ inſula, in confinibus Britanniæ Armoricæ, quidam Fratres regularis Obſervantiæ ſolitudinis amatores, domum ſibi condiderunt; ſed dum in procelloſo mari difficilis erat navigatio, & quandoque paſſi naufragium aliquot perierunt, impetrarunt hoc anno a Pontifice licentiam tranſuehendi, quæ poterant ad inſulam alteram Portus-albi, ad nobilem virum Arthurum Richemondiæ Comitem, & Regum Franciæ Conſtabularium ſpectantem, & prope Eccleſiam ſancti Geldaſii cœnobium ædificandi: *Sacræ religionis*. III. Non. Novembris. Con. Taletnæ, Con. Portus-albi.

LXVIII. Celeriorem, quam par erat, alias feci conſtructionem domus Obſervantum intra urbem Maſſilienſem; etenim ex diplomate Nicolai manifeſte conſtat, adhuc ſub hunc annum eos non habuiſſe in ea urbe habitaculum. Concedit fr. Laurentio de Monte, Vicario regul. Obſervantiæ in provincia Provinciæ, facultatem ut juxta deſideria civium Maſſilienſium, & communitatis villæ Ollealis, diœceſis Tolonen. admittere poſſit in utroque loco ſui Inſtituti Cœnobium: *Ut ſacer*. VII. Kal. Novembris. Quare ſubſiſtere non poteſt, quod nobis præbuit cauſam erroris apud Gonzagam, nimirum ædificatam fuiſſe domum Maſſilienſem tempore ſancti Bernardini. Domus altera Ollealenſis, varias nacta difficultates, differenda eſt in ſeculum poſtremum. *Tom. 10. anno 1424. num. 15.* Con. Maſſilien. *Anno 1581.*

LXIX. Aliquot circa hunc annum erecta Tertii ordinis Sororum hic breviter inſinuabimus monaſteria. Mariæ de Albizis aliiſque nonnullis Sororibus, *Pinzocheris* vulgo appellatis, ſeu Pœnitentibus de tertio Ordine Florentinis conceſſum, ut de ſuis facultatibus in civitate Florentina Monaſterium ædificarent ſub invocatione & inſtituto ſanctæ Claræ: *Pia Deo*. IV. Kal. Octobris, & hoc ipſum datis litteris ad Archiepiſcopum Florentinum anno ſequenti confirmavit. Similem exhibuit facultatem Andiſiæ de Pactis viduæ, in urbe Licienſi ædificandi Sororibus tertii ordinis monaſterium: *Pia vota fidelium*. III. Id. Julii. Aliis ejuſdem Inſtituti Sororibus in diverſis domibus civitatis Parmenſis indultum fuit, ut domos quaſdam ſibi ex teſtamento a Gaſpare de Caſtagneto, & alias a Chriſtophoro Valerio civibus Parmenſibus legatas venderent, & Monaſterium ædificarent ſub vocabulo beatæ Mariæ de Gratia: *Humilibus*. VI. Idus Junii. In Urbe trans-Tyberim cohabitabant ab aliquot annis Tertiariæ, aſſentientibus Eugenio & Nicolao Pontificibus. Hoc anno Paulotia de Perleonibus, & conſociæ petierunt licentiam tria vota ſolemnia emittendi, Præſidem ſibi eligendi, in congregatione habitandi, & a Fratribus regularis Obſervantiæ neceſſaria ſacramenta recipiendi. Annuit Pontifex: *Paſtoris æterni*. VI. Idus Junii. Duo ſunt propinqua & ferme contigua in regione Trans-Tyberina hujus Inſtituti Monaſteria, ſanctæ Margaritæ unum, ſanctæ Apolloniæ alterum: hoc poſterius ex iſta conceſſione tunc emerſiſſe ſuſpicor ex iis, quæ ſub annum MCCCCLIII. mox dicemus. Domus ſororum Tertii Ord. Florentin. Domus Licienſis. Domus Parmen. Dom. S. Apolloniæ Romana.

LXX. In Hiſpaniarum partibus, Epiſcopi & Eccleſiarum Prælati, in grave religionis præjudicium, omnem ſibi arrogabant ſuper religioſos auctoritatem; ita ut ad capturam & incarcerationem eorumdem procederent, & pleraque inferrent gravamina. Ad Miniſtri Generalis fr. Angeli de Peruſio, aliorumque Fratrum inſtantiam Pontifex declaravit, Ordinem Liberantur Minoritæ a gravamine Epiſcoporum.

omnino fuiſſe exemptum ab omni juriſdictione hujuſmodi Prælatorum, & ſub graviſſimis cenſuris prohibuit, ne deinceps ſimilia intentarent: *Et ſi cunctorum fidelium*. XVII. Kal. Februarii.

LXXI. Multa etiam conceſſit quibuſdam Monaſteriis Clariſſarum & Pœnitentum privilegia. Clariſſis Monaſterii ſanctorum Ludovici & Alexii de Burgo Peradelli, urbis Bononienſis, relaxavit varia onera, quæ Zanna de Zancharis ſive de Bonſignoribus impoſuit amplæ facultati in ſuo teſtamento prædicto Monaſterio legatæ. Religioſiſſimum Monaſterium ſanctæ Mariæ de Monticellis extra muros Florentinæ urbis, immediatum voluit regimini & viſitationi Miniſtri generalis, quod alias conceſſerat Angelus de Peruſio, dum Vicarii generalis munere fungeretur. Firmam & ratam voluit unionem Monaſterij ſancti Pauli de Favarone extra muros Peruſinos cum altero inſigni & religioſo ſanctæ Mariæ de Montelucido etiam extra eoſdem muros, a Dominico tit. ſanctæ Crucis in Hjeruſalem presbytero Cardinale, tunc in illis partibus Apoſtolicæ Sedis Legato factam, etſi alias ob quaſdam cauſas revocatam. Monaſteria hæc unita, & tertium ſanctæ Mariæ Angelorum Portæ ſancti Petri ejuſdem urbis, ac quartum ſanctæ Luciæ Fulginas, exempta & libera voluit ab omnibus tributis, exactionibus, gabellis, aliiſque oneribus; & privilegii defenſores inſtituit Epiſcopos Peruſinum, Aſſiſiatem & Fulginatem. Monaſterio ſanctæ Claræ Siſtaricen. ut unirentur Prioratus ſancti Deſiderii, & ſancti Marcelli de Valentia, Ordinis ſancti Benedicti, Vapincen. diœceſis, a Monaſterio ſancti Guillelmi de Deſerto ejuſdem Ordinis, Lodoven. diœceſis dependentes, indulſit, dummodo prædicti Monaſterii Abbatis & Monachorum accederet conſenſus. Monaſterii ſanctæ Claræ Neapolitani privilegia & indulta plurima, multis Pontificum litteris contenta, ſuo diplomati inſerta confirmavit.

LXXII. Cuſtodi & Fratribus ſacri Conventus ſancti Franciſci Aſſiſiatis præcepit dari emolumenta & utilitates, quæ contrahebantur ex apothecis, quæ tempore Indulgentiarum, & concurſus diverſarum nationum eriguntur, aut locantur in platea ſeu area templi ejuſdem Conventus. Fratribus Conventus ſanctæ Mariæ de Aracœli in Urbe, & ſancti Franciſci Bononienſibus jus voluit illæſum in Fratres & Sorores tertii Ordinis circa Sacramentorum adminiſtrationem, ad Ordinem receptionem & profeſſionem in eodem.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

„ I. POſt Aquilejæ, Carniæ, ſive Fori Julii, Metropolis ampliſſimæ,
„ & Gradus excidium, inde translato Patriarchatu, ad hujuſmodi
„ honorem Venetam Urbem, Orbis miraculum, & Rempublicam omnium
„ aliarum poſt Romanam, potentiſſimam in Undis Hadriaticis, merito
„ exaltavit Nicolaus hoc anno, ex Epiſcopo Caſtellano in Patriarcham
„ electo Sanctiſſimo Viro Laurentio Juſtiniano. Sororibus Tertii Ordinis
Scribit Pontifex pro Sororibus Tertii Ord.
„ vivere ſub Inſtituto antiquo, a ſummis Pontificibus approbato indixit:
„ *Ut Religioſæ &c.* XIII. Kal. Februarii. v. Idus ejuſdem, Fratribus &
„ Sororibus præfati Inſtituti, in Diœceſi Ferrarienſi privilegia nonnulla
Indic. ex Vatic.
„ conceſſit: *Circumſpecta &c.* Panormi Urbis amœniſſimæ in Sicilia Archi-
„ epiſcopalis, inter Pelorum, & Lilybæum Promontorium, apud Regu-
„ laris Obſervantiæ Fratres, Sacello in honorem ſancti Bernardini nuper
„ canonizati, in Eccleſia ſanctæ Mariæ de Jeſu conſtructo, indulgentias
Tognel. Parad. Seraph. lib. 2. cap. 11.
„ elargitus eſt: *Splendor paternæ &c.* Idibus Februarii: Quam nihilominus
„ Bullam ad plenum referre ex Tognelotto non pigebit.

NI-

Anno Christi	Nicolai V.	Friderici III. Imp.	Religionis Minorum anno 244.
1451.	anno 5.	anno 12.	

NICOLAUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Universis Christifidelibus præsentes literas inspecturis, Salutem & Apostolicam Benedictionem.

» *Splendor paternæ gloriæ, qui sua Mundum illuminat, ineffabili claritate, pia vota Fidelium de clementissima ipsius pietate sperantium benigno favore prosequitur, cum devota ipsorum humilitas, Sanctorum precibus & meritis adjuvatur. Cum itaque, sicut accepimus, in Civitate Panormitana Siciliæ, in Conventu sanctæ Mariæ de Jesu, Ordinis Fratrum Minorum de Observantia, quædam Capella in honorem præclari Confessoris sancti Bernardini de Senis, noviter fuerit constructa & ædificata, opitulantibus piis Christifidelium suffragiis: Cupientes igitur, ut Capella juxta Ecclesiam Domus Panormitanæ, Ordinis Fratrum Minorum Regularis Observantiæ, quæ, sicut accepimus, de novo piis quorundam suffragiis, sub vocabulo præclari Confessoris sancti Bernardini de Senis fundata & constructa fuit, prædictis congruis honoribus frequentetur, conservetur, ac Christifideles eo libentius causa devotionis confluant ad eamdem, quo ex hoc ibidem dono cœlestis gratiæ uberius conspexerint se refectos; de omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui in die vigesima mensis Maii, in quo Festum Glorioſi sancti Bernardini celebratur, a primis Vesperis usque ad secundas Vesperas ejusdem Sancti, Capellam prædictam devote visitaverint, annuatim septem annos, & totidem quadragenas de injunctis eis pœnitentiis misericorditer relaxamus: præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris.*

» *Volumus autem quod si alias visitantibus dictam Capellam, aut alias aliqua alia indulgentia in perpetuum, vel ad certum tempus nondum elapsum duratura per Nos concessa fuerit, præsentes literæ nullius sint valoris, vel momenti.*

» *Datum Romæ apud sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ* MCCCCLI. IV. *Idus Februarii, Pontificatus nostri anno* V.

» II. Has autem Indulgentias procuravit Frater Laurentius de Panormo, ut inscriptio brevi adposita testatur his verbis: Dentur istæ Bullæ Indulgentiarum septem annorum, & totidem XL. Fratri Laurentio, de mandato Domini nostri Papæ. In Bosnæ Provincia Fratribus, & Sororibus Tertiariis Hospitalium curam demandavit: *Humilibus &c.* III. Kal. Aprilis. In Transylvania iis temporibus licet duris & discolis, nihilominus Catholicæ Fidei zelus adhuc splendebat, videbaturque optimæ spei, quamobrem nostris a Daybodensibus desideratis, in eorum Civitate Dayboda construendi Cœnobium sub titulo beatæ Mariæ, licentiam fecit: *Emanato a nobis &c.* III. Nonas Maii.

Capitulum Barchinon. refert Waddingus hoc anno n. 48. Constitutiones habet in Specul. tradit. 1. fol 70. Indicul. ex Vatic.

» III. Apud Cisteronem, vulgo *Sisteron*, Segestoriorum Urbem Episcopalem in Delphinatu ad Durentiam fluvium, ab Ebroduno Archiepiscopali XV. M.P. distantem, antiquo Monasterio Clarissarum Prioratus Sanctorum Desiderii, & Marcelli de Valerna Pontifex univit: *Regimini universalis &c.* XVI. Kal. Augusti, XIII. Kal. ejusdem unionem Monasterii sancti Pauli cum Monasterio de Monte-Lucido extra muros Perusii,

„ ſii, confirmavit: *Ex paternæ &c.* XIII. Kal. Sept. fr. Joannem *De la Biſche*
Ex Topogr. Terr. „ Minoritam ad Epiſcopalem Dioſpolim elegit: *Apoſtolatus officium &c.*
„ Eſt autem Dioſpolis Civitas Epiſcopalis Ægypti ad citeriorem Nili fluminis ripam gemina: Magna, quæ & Thebæ, urbs quondam ampliſſima, quæ centum numerabat portas, ob idque *Hecatompylos* quandoque dicta, in inferiori Ægypto: hujus urbis rudera late ſparſa apud Nilum cernuntur, & manent adhuc trecentæ ædes e regione veteris urbis; eratque Thebarum nomen, ſi Jo: Leoni Africano fides eſt. Altera, quæ Parva cognominatur, a Magna in Septentriones LXXX. M. P. recedit, Abydo proxima, eaque Murifia dici videtur, inter urbes Ægyptias hujus temporis haud obſcura. Septimo poſt Kalendas Octobris Confraternitati Corporis Chriſti in Eccleſia noſtri Conventus Lutzemburgii erectæ, conceſſis Indulgentiis: *Excellentiſſimum &c.* fr. Antonellum de Joannetto Epiſcopum Gallipolenſem creavit: *Apoſtolatus officium &c.*
Creat. Epiſc. fr. Robert. „ VIII. Idus Octobris: Eſt vero Gallipolis C. E. in Apulia, munitiſſima, ad mare, diſtatque a Nardo altera Civitate pariter maritima ejuſdem regionis VII. M. P. Idibus ejuſdem Neocaſtro in Calabria, & Archiepiſcopatu Rhegienſi, Epiſcopum dedit fr. Robertum: *Apoſtolatus officium &c.* confirmatis poſtea privilegiis Monialibus Monticellis Florentinis: *Juſtis ſupplicum &c.* VII. Kal. Novembris, & liberatis a ſolutione decimarum Clariſſis ſanctorum Ludovici, & Alexii Bononien.: *Sacræ Religionis &c.* ſopitaque lite inter Epiſcopum & Clariſſas Monaſterii ſancti Georgii orta: *Humilibus ſupplicum &c.* XII. Kal. Decembris: Eccleſiæ Tripolenſi fr. Benedictum de Adoaria præfecit: *Apoſtolatus officium &c.* XII. Kalendas Januarii.

„ IV. Sileſiam, quam olim Visburgii terminant a meridie Moravia, & Hercynia Sylva; ab Occidente Luſatia, & Boemiæ pars, a Septentrione & ortu Polonia: Viadrus per eam labitur, in quem plures undique amnes & rivi confluunt, Elſa, Ola, Bobrus, Baruſius, aliique: Regio omnis cultiſſima & ditiſſima, urbes habet optime cultas, legibus, ac artium humanarum ſtudiis exornatas; quarum Metropolis eſt Vratislavia, Budorchis, ut quidam volunt, Ptolomeo, vulgo *Bresla* W, quam fundavit Mieslaus Poloniæ Dux, & Epiſcopatu ornavit Caſimirus Poloniæ Rex, & incrementis auctam, aurei Epiſcopi, ob divitias & rerum omnium copiam ita dicti, in ſpiritualibus moderantur: Anno Chriſti MCCCXLI. die ſeptima Septembris hæc tanta Civitas tota in favillas abiit; ſed ſub Carolo III. Imperatore ex lateritia facta eſt aurea: Nobilitas Sileſiaca animis erectis eſt, & invictis, manu prompta, conſilio provida; ante diſcrimen tranquilla, in periculis audens & concitata: Moravia quoque Sileſiæ proxima a fluvio Morava nuncupata, eſt regio Campeſtris, molli & pingui ſolo, ſegetibuſque idcirco peridoneo; Collibus etiam alicubi vitiferis adſurgit. Thus foſſile, ſimiliterque Myrrham in hoc tractu & loco, quem vocant *Gradiſco*, inveniri, auctor eſt Joannes Dubravius: amnes, præter Moravam, præcipui ſunt, Suitta, Thayſa, Igla, Hava, Suarta: Civitates vero Olomucium, ſeu Olomuzium, & Prunna: Has regiones infeſtaverant, imo deturpaverant Hæretici; in quos ex obedientia laborabat totis viribus Joannes Capiſtranus; qui cum impeditus Pragam Boemiæ umbilicum adire, ut in Annalibus legitur, Moravos, & Sileſios colluſtrabat, magnumque fructum ſana doctrina, & vitæ integritate reportabat.

„ V. Illuſtris Dominus Wilhelmus Dux Opavienſis in Civitate Opa-

viæ,

» viæ, quæ Olomucenſi Antiſtiti in ſpiritualibus ſubeſt, extra portam Ratisborienſem, pro extruendo Cœnobio aſſeclis Regularis Obſervantiæ » Capiſtranenſis, fundum prope Sacellum ſanctæ Barbaræ Virg. & Mart. » nuncupatum, conceſſit: Populus vero ſui Ducis piiſſimæ intentioni applaudens, & conſiderans opus ad communem utilitatem ſpiritualem tendere, publica lætitia comprobavit: Conſules vero Civitatis, per publicum inſtrumentum, quod mox referemus, ſponte ſeſe obtulerunt, ac » obligarunt de propriis facultatibus caritative Fratribus ſubvenire: imo, » ut Religioſi, omnibus occupationibus extraneis remotis, ferventius divino cultui inſiſtere valerent, & nihilominus eorum neceſſitatibus proviſum eſſet; Procuratores unum vel plures, juxta exigentiam temporis, » quibus id negotii cordi eſſet, creare ſeu ſubſtituere promiſerunt: Gonzaga refert, Populum Opavienſem ex communibus proventibus anno » MCCCCLIII. ſpatioſum, & elegans Cœnobium conſtruxiſſe, eique ſubinde de licentia Ordinarii Eccleſiam ſanctæ Barbaræ adjectam fuiſſe: rem autem omnem clarius Monumenta noviſſima illius Cœnobii tranſmiſſa » nobis expendunt hoc pacto: Primates Opavienſes ſui Principis & Ducis Wilhelmi, ſuper ſtructura præfati Monaſterii viſo publico teſtimonio, etiam & ipſi, quod ille decreverat ratum habentes, in publicis tabulis, propria vota perpetuis futuris temporibus legenda & obſervanda » ſcripſerunt, ut ſequitur. *Mon. M.SS. Provinciæ Boemiæ.*

» VI. *In nomine Domini. Amen. Ne quæ temporaliter aguntur, lapſu temporis a memoria deciſa elabantur, conſultum, imo dignum fore agnoſcitur, ut litterarum firmitate corroborentur. Animadvertentes igitur paginam Illuſtris Principis Ducis Wilhelmi Opavienſis, Domini noſtri gratioſi, de, & ſuper novella ſtructura Monaſterii Fratrum Minorum de Obſervantia ſancti Franciſci, extra muros Civitatis Opavienſis in loco quodam Ordinis Johannitanim prius habitatorum; qui Dominus noſter gratioſus talis modi fabricæ fundationem cum conſenſu & aſſenſu venerabilis ac devoti fr. Joannis de Capiſtrano ipſorum Patre, & ejuſdem Ordinis Fratre, utriuſque juris Doctore precibus obtinuit, & ex Apoſtolica auctoritate ſibi dudum conceſſa, deſideroſe ſuos Confratres ad hoc ſubordinando, in primis diligentia vigili annuens, grate, voluntanter; ſed cum prætactam fundationem præmiſſus Dominus noſter gratioſus ob ſalutare remedium animarum ſui ſuorumque prædeceſſorum Progenitorum, necnon & ob poſterorum ſuorum cum opitulamine & ſuffragio piarum mentium ad liberius inſtigante Domino, manus ſuas adiutrices, ut in futurum ſperatur, porrigentium, erigendum ſanius diſponeret, eoſdem Fratres ſingulos, ibi percunctantes ab omni inſultu, & attemptatione ejuſdem loci quievitius aviſavit, & ſignis, ſpiritu inſtigante auſu temerario quamquam illorum pro taliſmodi loci occupatione attemptare vel inquietare præſumpſerit, nos ab omni impetitione ſalvare & protegere intendit; & indigentiam illorum, juxta operis qualitatem, ut ferventius Domino Deo, orationibus, & contemplationibus die noctuque vacent, relevare proponit; quæ enim omnia & ſingula, ut præfertur, quantum poſſibilitas exigit, alias in capitali litera illuſtris Principis Domini noſtri gratioſi articulatim ſunt annotata.*

» *Nos Conſules Civitatis Opavienſis, qui modo ſunt, aut in futurum creabuntur, per Nos ſimiliter ſienda præſentibus compromittimus; ſi enim temporis neceſſitas quovis modo poſtulaverit, præſto ſimus, in quibus ſaltem facultas ſuppetit cum caritate oſtenſuri; inſuper, ut pariter immarceſci-*

» *ceſcibilia Beatorum Petri & Pauli, cæterorumque Dei Electorum præmia*
» *in futurum dulcius degustare valeamus, volenter, præsentibus nos offe-*
» *rendo submittimus, si & in quantum juxta temporis exigentiam neces-*
» *exquisierit, unum aut plures Procuratores pro eorumdem Fratrum neces-*
» *sariis statuere, aut substituere verius promittimus, ut divinum cultum*
» *fervent ius exercere valeant, occupationibus omnibus extraneis omnino ab-*
» *jectis. In quorum omnium & singulorum robur & testimonium, sigil-*
» *lum nostræ Civitatis, de pleno scitu, & voluntate nostra præsentibus est*
» *sub appensum. Datum Opaviæ ipso die sancti Matthæi Apost. & Evang.*
» *anno Domini* MCCCCLI.

Cuneum peſte depopulatum: unde ibi Judæi plures.

» VII. Glorioſe dum ageret iis in partibus Hæreticorum peſte infectis
» Capiſtranus cum ſuis, etiam in aliis partibus Orbis Regularis Obſervan-
» tiæ fratres, ut ſolliciti Operarii Evangelici pro Animarum ſalute, ac Re-
» ligionis incremento ſudabant. Cuneum vel Cuneus in Pedemontio,
» de quo pluries loquuti ſumus, fera lues fere depopulata fuerat,
» eumque perplus incolebant Judæi, qui uſurarum ferociori contagio Ci-

Fr. Vincentius prædicat ibi contra uſuras Judæorum, & expelluntur.

» vium maxime pauperum ſubſtantias devorabant: Contigit autem
» fr. Vincentium de Obſervantia ſancti Bernardini, Concionatorem Verbi
» Dei eximium, & conſocium fr. Apollonii, de quo paulo ante dicebamus, ſermones ad populum habere in Eccleſia ſancti Franciſci ad portam

Chron. M. SS. illius Civit.

» Cadralii, qui hujuſmodi cæcæ gentis uſuras peroſus, eam interdicendam
» de ſuggeſto fortiter exagitabat, & ut populum a commercio cum Judæis
» avelleret, acriter reprehendebat: itaque una dierum ex improviſo, Mu-
» lierum & Puerorum tumultus adeo gravis excitatus eſt in Judæos, ut
» lapidibus armata & lingua promiſcua turba, impetu facto, eos omnes
» e Civitate ejecerint; qui in poſterum ad ſuas domos regredi non auſi fue-

Fr. Dominicus Melitenſis miraculis clarus.

» re: Expurgata Civitate, laudes Deo datæ, quod famuli ſui Vincentii
» eloquium, ut gladium ignitum exacuerat. Melita ex Inſula, & Civita-
» te inter Siciliam & Africam, non procul a Pachyno Siciliæ promonto-
» rio, textrinis prætioſiſſimarum veſtium nobili, relicta Patria Dominicus
» in Siciliam transferavit; ubi inter Minoritas profeſſione Laicus, eo in
» humilitatis ſtatu adeo in via virtutis profecit, ut viſus fuerit perfectionis
» apicem attigiſſe: ab omnibus admiratus, & laudatus devotiſſime obiit in
» Conventu Neti... ſanctæ Mariæ de Jeſu hoc anno MCCCCLI. Kal. Februa-
» rii; ibidemque miraculorum fulgore tam in vita, quam in morte corru-
» ſcus veneratur.

Daza part. 4. Chron. lib. 1. c. 28.

Anno Christi	Nicolai V.	Friderici III. Imp.	Religionis Minorum anno 245.
1452.	anno 6.	anno 13.	

ARGUMENTUM.

Capiſtranum ne urbem penetret Pragenſem impedit Rochyzana, erroreſque ſuos Compactatis defendit Baſileenſibus. Quæ vero iſta ſint, explicatur, & quis qualiſve fuerit Rochyzana enarratur. Cardinalem Cuſanum Sedis Apoſtolicæ Legatum monet Capiſtranus, ut caute agat cum Rochyzana & ſequacibus, qui ſubdole multa cupiebant extorquere. Quibuſdam Capiſtrani poſtulatis annuit Pontifex Nicolaus. Poloniæ Rex, & Cardinalis Cracovienſis Capiſtranum, at ad ſe proficiſcatur, denuo invitant. Multas peragrat Germaniæ urbes magno fœnore & populorum applauſu. Uratiſlaviæ & Olomutii fructuoſe concionatur. In partibus Orientis & Aquilonis impigre laborant Minoritæ. Sardiniæ inſtituitur inquiſitor. Florent viri docti. Creantur Epiſcopi. Celebrantur Comitia generalia Ciſmontana, in quibus eligitur Vicarius Martus Bononienſis. Jacobus Picenus ad Boſnenſes & Dalmatinos proficiſcitur. Augentur Cœnobia.

I. DIximus anno præcedenti, Joannem Capiſtranum ex urbe Pontenſi omnem adhibuiſſe diligentiam, ut ſalvo conductu liber & ſecurus pateret aditus in urbem Pragenſem, liceretque publice cum Rochyzana, turbarum auctore, & zizaniorum iniquo ſatore, inire certamen. Scripſit ad Proceres regni, ad urbis Magiſtratum, ad Georgium Pogebratium Gubernatorem, & demum libellum miſit in ſenatu aut Procerum cœtu legendum, quo dolos, technas, hæreſes Rochyzanæ, & complicum retegebat, & rationum pondere, ac ſacræ ſcripturæ teſtimoniis veram ſalutem extra Catholicam Eccleſiam non eſſe, palam demonſtrabat. At cum reſciret, nihil horum publice perlectum, ſed omnia procurante Pogebratio ſuppreſſa, ſui monere voluit officii, eique incumbere, Commiſſariis Apoſtolicis, & hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus auxilium & favorem omnem impendere. Itaque inter alia iſta conſcripſit.

Capiſtranus quibus poteſt modis deregit fraudes Rochyzanæ.

Pogebratium monet ſui officii.

II. *Magnifice Domine, videte & diligenter attendite ad quæ pro veſtra ſalute & honore conſervando ſtrictius obligamini. Noſtis me fore Inquiſitorem hæreticæ pravitatis, & Commiſſarium Apoſtolicum, & pro officio mihi commiſſo neceſſarium eſſe mihi veſtrum patrocinium, auxilium, conſilium & favorem: ad quæ impendenda humiliter & devote veſtram Magnificentiam requiro, precor & obteſtor in Domino Jeſu Chriſto, ob reverentiam & devotam obedientiam Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ: &, quod factum non fuit in congregatione omnium Baronum ſuperius his diebus, ſaltem in Praga & conſiſtorio horum quindecim Deputatorum, noſtræ litteræ cum libello, quem veſtræ Magnificentiæ tranſmiſi, dignemini operam dare, ut fideliter præſententur, pariter & legantur, expectans æternam retributionis mercedem a Domino Jeſu Chriſto, & gratiam ac benedictionem Sanctiſſimi Domini noſtri Nicolai Papæ V. cui quantocius de omnibus veſtris his & aliis bonis operibus notitiam tranſmittam.*

Capiſtranus Inquiſitor & Commiſſarius Apoſtolicus.

III. Obdurati cordis Georgio fruſtra hæc & alia intonabat; nihil enim ab eo impetrare potuit præter calumnias, criminationes, & amarulentam epiſtolam, convitiis refertam, quam hic profecto pudet exſcribere. Tum demum XIV. Aprilis egit inſtanter cum Jacobo de Wrzieſſolbum armorum Præfecto in diſtrictu Pragenſi, ut Rochyzanæ perſuaderet, vellet Pontem proficiſci, aut Egram ſive Ratiſponam, ubi propediem dieta ſeu congreſſus Principum expectabatur, abire, ibique coram Legato Cardinale Cuſa-

Convitia pro reſponſo reportat.

no diſputationem inire; vel ſibi ſalvum conductum ſub protectione Ducum Saxoniæ, & Bavariæ, & Marchionis Brandeburgenſis mitterent, ut Pragam ſe poſſet tuto conferre. Surdis porro canebat; nam Rochyzana, furiis contra Catholicos invectus, omnes regni ordines, nobiles & plebejos in tranſverſum agebat, & contra Capiſtranum concitabat. Dolebat vehementer, ſolo unius abjecti Monachi ſermone tot ſibi ſectatores avelli; eum præ foribus in Boemica urbe, nobiliori prædæ in regni Metropoli inhiare; arcem ipſam, primamque ſuæ doctrinæ ſedem inceſſanter impetere; velle avide ſecretos receſſus penetrare, & ſectam hanc omnem radicitus extirpare: *Timens ergo*, inquit Cochlæus, *ne ſecta ſua tota ad Eccleſiæ unitatem per eum reduceretur, quæſivit adverſus eum occaſiones criminandi. Deinde in publico Baronum & Procerum cœtu conqueſtus, incuriam accuſavit & inertiam, quod ab homuncione inermi, a ſeductore Monacho ſuam fidem armis & ſanguine tot annis protelatam, Conciliis Orthodoxis & ſacra ſcriptura expreſſe commendatam, palam condemnari, & hæreticam proclamari permiſerint. Eo tamdem deduxit, ut communi conſenſu in Capiſtranum conſpiraverint, & comminatorias has litteras ad Principes Imperii in oppido Laroff congregatos amandarint.*

Cochlæus l. 10. hiſt. Huſſit.

Rochyzana concitat Boemos in Capiſtranum.

Illuſtriſſimis & Illuſtribus Principibus, & DD. Dom. Ludovico ſacri Romani Imperii Archidapifero, D. Alberto Comitibus Palatini Rheni, & Ducibus Bavariæ; Dom. Alberto Marchioni Brandeburgen. & Burgimagiſtro Nurimbergen. ſibi favorabilibus: Magnificis quoque, ac nobilibus & generoſis, ſtrenuis, famoſis & prudentibus Comitibus, Baronibus, Militibus, Terrigenis, Civitatenſibus, ceteriſve perſonis Eccleſiaſticis & ſecularibus, ad præſens in oppido Laroff congregatis, amicis & benevolis noſtris &c.

Epiſtola Boemorum ad Principes Germaniæ. Ex ipſo autographo.

IV. *Illuſtres Principes, & Domini, DD. favoroſi, Magnifici quoque ac generoſi, amici & benevoli noſtri, cum voluntate obſequendi promptiſſima, ſalutem in eo, qui juſtitiam diligit, & æquitatem reſpicit vultus ejus. Cum Eccleſiam ſanctam regulam & ſpeculum religionis eſſe debere, nemo ſit qui ambigat, priſcorum Patrum non indigne ſanctificavit auctoritas acta, & negotiorum ipſorum ſingula, diſcuſſione provida ita lima corrigere, ne de contractuum & promiſſorum violatione quoquo modo notari poſſit, quod nullatenus expediret; ſic itaque ſit, ut ipſius promiſſa, quæ priuſquam in lucem veniant, diligenti æquitatis ponderari conſueverunt libramine, eo ſervanda ſunt immobillus, quo eorumdem confractio notam graviorem ingerit & jacturam. Læſi etenim, ac promiſſis talibus fraudati, non incongrue querelationis frequenter aſſumunt materiam, quorum mens difficulter aliunde læſionis & injuriæ ſolita eſt capere ſublevamen. Hinc eſt, quod rem toti, ut arbitramur, Chriſtianiſmo cognitam, offenſæ minus juſtæ puncti aculeo, Serenitatibus & amicitiis veſtris cenſuimus declarandam præſentibus. In tantum nos hic angit ſtimulus, ut nequeamus abſque famæ, imo ſalutis gravi diſpendio, voces querulas continere. Norunt, ut indubie credimus, Serenitates & amicitiæ veſtræ, norunt & alii diverſarum nationum et linguarum Chriſtiani orbis Patres et Prælati, necnon Reges, Principes, Comites, Barones, Magnates, Proceres ac plebeii univerſi, qualiter regnum hoc Boemiæ, Marchionatuſque Moraviæ, necnon habitantes in eis, nullis exigentibus eorum demeritis, una nobiſcum pro certis articulis fidei, tam in lege, quam Doctorum ſanctorum auctoritatibus et ſententiis latiſſime fundatis, jue-*

fuerimus et eſſemus non longe retroactis temporibus, contra Deum et juſtitiam graviter infamati; unde bella contra nos prægrandia ab omnibus fere mundi partibus, ſtrages quoque innumeræ, vaſtationes, depopulationes, incendia, necnon variorum generum diſcrimina mota; tantaque immanitate adverſum nos graſſatum extiterat, quod niſi divina pietas potenti ſuæ dexteræ nos protexiſſet brachio, quaſi ſolo nos & patrias ipſas æquare multorum rabies attentavit. Nihilominus, cum tot & tantis laceſſiti bellorum & inquietationum turbinibus, pro audientia libera ſemper inſudavimus, nec laboribus & impenſis pepercimus, quoadusque Divi Cæſaris Sigiſmundi opere pariter & opera, audientiam eamdem in ſacroſancto Baſileenſi Concilio, ſub auctoritate ſanctiſſimi Domini noſtri D. Eugenii Papæ IV. cujus Præſidens erat Reverendiſſimus Pater Dominus Julianus recolendæ memoriæ Cardinalis ſancti Angeli, in multorum Reverendiſſimorum & Reverendorum Patrum præſentia, (Deo laus) nacti ſumus; ubi dictis articulis productis in medium, ac rationibus & auctoritatibus debite fulcitis, non modicam ab ipſis Patribus gratiam reportavimus & favorem. Tandem vero, ut verbis utamur, per Venerabilem Patrem D. Philibertum, Epiſcopum Conſtan. provinciæ Rothomagen. necnon præſtantes viros Dominos Joannem de Polomar, ſacri Palatii Apoſtolici Auditorem, Martinum Bernerii Decanum, & Thomam de Hatelbach ſacræ Theologiæ Profeſſorem, ſacri Baſileenſis generalis Concilii ad regnum Boemiæ, & Marchionatum Moraviæ legatos deſtinatos, plenam auctoritatem a dicto ſacro Concilio habentes & mandatum generaliter omnia & ſingula faciendi, quæ pro pace & unitate dictorum regni & Marchionatus ac habitantium in eis, cum reliquo populo Chriſtiano, vel pro bono & tranquillo ſtatu illarum partium illis viderentur expedire, certa ſunt Compactata, *nomine & auctoritate dicti ſacri Concilii Baſileenſis cum regno et Marchionatu prædictis inita, concluſa & conſcripta, ac manuum ſtipulatione utrimque firmata, & demum bulla pendenti ipſius ſacri Concilii evidentiſſime roborata, per quæ, tamquam per congruentiſſima partium media, bellorum & inquietudinum ſedatis anfractibus, pax & unitas cum reliquo populo Chriſtiano, terriſque circumvicinis & nationibus, quæ alias nullo modo haberi poterat, eſt ſequuta. Ecce quantis laboribus & ſumptibus, quam longa & matura providorum & peritiſſimorum virorum ſolertia, quibuſve mediis, quia non victoria belli, aut ſacræ ſcripturæ robore & firmitate prævaluerunt, ſed libero regni & Marchionatus prædictorum arbitrio, ſuper* Compactatis *taliter, ut prædictis initis, ac bulla Sac. Baſileenſis Concilii firmatis, vt jam Serenitates et amicitiæ veſtræ, licet breviter admodum edoctæ, facile poſſunt capere, bella tam inteſtina quam extranea, ſicut divinæ pietati placuit, ſunt ſopita. Jam autem rogamus, ut Serenitatum veſtrarum illuſtres dominationes, necnon et aliorum amicitiæ aures adhibere dignentur patulas et auſcultare, nos digne per violationem* Compactatorum *tam ſolemniter confectorum, ad querimoniam commoveri; ſi enim ſimplex præceſſiſſet promiſſio, egiſſemus circumſpecte, et uſi fuiſſemus leviter levi verbo: nunc in libro experientiæ legimus, quam ſancta ſit et efficax Evangelicæ veritatis eruditio, quæ inquit:* Sit ſermo veſter eſt, eſt; non, non: nam quod amplius eſt, a malo eſt. *Hoc malum jam ſentimus nos, quibus charta, bulla pendenti firmata, cauſam dedit; verba tamen Epiſcoporum, qui Apoſtolorum filii ſunt et hæredes, vim juratoriam in ſe habent, ut in eis juſjurandum ſit, quod eſt verbum ſimplex in aliis, et quod in aliis ſimplex eſt perjurium, ſacrilegium ſit in illis. Attendite quid Doctor Eccleſiæ dicat:* Nunquid levitate uſus ſum, aut cum cogito, ſecundum carnem cogito, ut ſit

Matth. 5. 37.

2. Cor. 1. 17.

ſit apud me, eſt & non? *Dari utique debet voci ſacroſanctæ generalis Synodi Baſileenſis, in Spiritu Sancto, ſub auctoritate S. D. N. Eugenii Papæ legitime congregatæ, vox virtutis, ut affectus liberales effectus adimpleat, ne labia Evangelio confecta poſſit arguere mendacii charta confecta, & teſtimonium veritatis. Sed nos (prob dolor!) oppoſitum reperimus, quia cum toti Orbi notum ſit, fidem ſemper ad ſacram Sedem Apoſtolicam in regno et Marchionatu ſæpe tactis viguiſſe placidam, atque a Concilio Baſileenſi iuxta Compactatorum, taliter, vt prædicitur, initorum, tenorem, ſimus veri et Catholici Chriſtiani, ac Sedis Apoſtolicæ obedientes filii, reputati, habiti et pronunciati, licet ſiniſtre æmulorum linguæ mordaci et venenatæ fueramus delati et infamati; quidam tamen Jaannes de Capiſtrano, Monachus Ord. Fratrum Minorum, inſtinctu actus, ut putatur, Sathanico, ſub auctoritate bullæ Papæ moderni, cujus copiam hinc inde per terras et provincias de tali auctoritate ſibi conceſſa gloriando diſſeminat, omnes corpori et ſanguini Chriſti ſub utraque ſpecie, panis ſcilicet et vini, communicantes, quibus auctoritate Domini noſtri Jeſu Chriſti, et Eccleſiæ veræ ſponſæ ejus per dictam ſacram Synodum reputandæ, aſſenſum eſt, ut in forma ponitur* Compactatorum, *taliter communicare, (quæ quidem duplicis ſpeciei ſacroſancta communio, ut præfata deponunt* Compactata, *licita eſt, et digne ſumentibus utilis et ſalutaris) ſuis in ſermonibus, hæreticare publice coram numeroſa populi multitudine minime eſt veritus, in contemptum nedum traditionis Evangelicæ, ac praxis ipſius Domini noſtri Jeſu Chriſti auctoris et inſtitutoris ejuſdem, veram etiam in derogationem totius Eccleſiæ primitivæ, offenſam quoque univerſalis Eccleſiæ, per eamdem ſacram Synodum, ut jam tactum eſt, in Spiritu ſancto legitime congregatam, repræſentatæ; cum etiam in ipſis* Compactatis *clare ſit poſitum, quod Boemis et Moravis utentibus dicta communione ſub duplici ſpecie, nemo audeat improperare, aut eorum famæ et honori detrahere, et quod nemo dictum regnum et Marchionatum præſumat invadere, offendere, infamare aut inſidiari, pro eo quod communicaverunt, communicant et communicabunt ſub utraque ſpecie; imo et in vilipendium Domini Eugenii, divæ memoriæ Papæ IV. cujus ſanctitas, dum Concilium præfatum reclamare inſtituiſſet, certorum dierum inducias per Sanctitatis ſuæ patentes bullas indulgere dignata eſt pro cauſa Boemorum terminanda. Numquid putatur ſummus Pontifex modernus gratiam Dei in vacuum accepiſſe, ut & gratiam ſibi datam et gloriam ſui prædeceſſoris evacuet? dum namque Monachum prædictum ſub bulla et auctoritate ſuis contra Deum et juſtitiam audivimus nos, et veritatem Evangelicam, uti jam præmiſſum eſt, hæreticare, quaſi ſervatum dudum in vagina gladium contra nos iterum acueret, ipſiuſque conatus magis, ac magis in dies ampliari, et tali nos affici injuria; impeti quoque inſolentiis plurimis, contra rationem et* Compactata *ſuper factis fidei inita, non mediocriter turbari; Quid aliud dicere aut rimari poſſumus quam quod ab ipſa Romana Eccleſia violentia quadam reprimimur, cogimurque de opportunis cogitare remediis, ac totaliter providere? Et cum non deſit offenſor, ſimiliter defenſor non deerit. Non ſic tamen decuiſſet facere virum,* Eccli. 34. 28. *quem elegit Deus in ſacerdotem ſibi; nam* Unus ædificans, *inquit Salomon,* & alter deſtruens, quis fructus utriuſque? *Ad ipſum ſiquidem Romanum Pontificem modernum, Sedique Apoſtolicæ deferendum, in principio ſuæ coronationis, viros ſtatus utriuſque nobiles et maturos, de communi conſenſu regni, ad urbem uſque Romanam duximus tranſmittendos, cupientes præfatæ Sedi adhærere, et poſtulantes, id quod ab eadem profluit, et nobis quoque fieri et donari; minime tamen ſumus, quod poſtulabamus, aſſecuti. Hæc*

igi-

igitur Illuſtriſſimis Serenitatibus et amicitiis veſtris ſeriatim ſcribere ſtatuimus, ut ex eorum notitia veſtræ Serenitates & amicitiæ, totuſque orbis intelligant, nihil in nobis defeciſſe nec deficere, quod ad complectendæ pacis ac tranquillitatis, ac cædis horrendæque ſtragis vitandæ finem tendere poſſit. Facile itaque videmus, quo hæc materia dirigatur, quove tendere videatur; et ſi pro eo, pro quo illata nobis injuria propulſanda, ſcintillam hanc in amplioris turbationis flammam continget erumpere, quod vehementiſſime formidamus, ſaltem apud Deum, qui corda ſcrutatur & renes, ac apud Serenitates veſtras & amicitias, totumque mundum erimus excuſati, cum ad hoc nullo trahamur deſiderio, qui ſemper pacifice vivere cupimus, ſed inviti compellimur injuriis cumulatis. Datum feria IV. *in capite jejunii, anno Domini* MCCCCLII.

Georgius de Cunſtat & de Podzebradk, Gubernator, Zdeuko de Sterumbergh ſupremus Burgimagiſter Pragenſis; Henricus de Lipetzo ſupremus Mareſcalcus regni Boemiæ; Georgius de Kraiwais, & de Stazintze; Henricus de Michelſperg; Joan. de Cunſtat; Nicolaus Trtzka de Lipy, & de Lypnitze; Joan. de Cruſſinou; Joan. de Sutitz Gurmen. Zdeuko de Poſtupitz Crudimen. diſtrictuum Capitanei: Joan. Dardus de Wratouua, ceterique Barones, Milites, Terrigenæ, ac Civitatenſes unionis Boemiæ.

V. QUi toties *Compactata* Baſileenſia hos errores obiicientes audiret, facile ſuſpicaretur, firmum aliquod ſuæ doctrinæ protuliſſe fundamentum. Ea vero totius rei ſeries, & compactatorum ſeu initæ concordiæ ratio eſt. Poſt cruenta bella, poſt infinitam hominum ſtragem, poſt prophanata ſanctuaria, exciſas urbes, deſolatas provincias, violata humana fœdera & divina, tamdem pertæſi Boemi, Huſſitarum erroribus infecti, in Concilio Baſileenſi de pace & unione tractare cœperunt. Poſt admiſſos remiſſoſque utrimque Legatos, reformatoſque a Concilii Patribus quatuor fallaces & pernicioſos articulos, quos Concilio obtulerunt Boemi in die ſancti Tyburtii anno MCCCCXXXIII. (quorum primo de communione ſub utraque ſpecie, per dies octo doctiſſime in Concilio reſpondit Joannes Raguſinus, Ord. Prædicatorum, & reliquis alii tres viri ſapientiſſimi) tamdem inter alia conceſſum eſt, ut *in regno Boemiæ, & Marchionatu Moraviæ liceret communicare ſub utraque ſpecie iis, qui Eccleſiaſticam Unitatem & pacem cum effectu & ſecundum ritum univerſalis Eccleſiæ profiterentur*. Sed non prius pepigerunt, concordarunt & compacti ſunt Boemi, quam a pactis reſilierunt, in multis a Sede Apoſtolica & fide Romana diſcordantes, quodque ſolis Boemis & Moravis permiſſum eſt, voluerunt & prædicaverunt omnibus eſſe neceſſarium ex divino præcepto; ita ut poſt biennium die XXIX. Octobris anno MCCCCXXXV. ipſi Concilii Patres Imperatoris Legatis, qui pro Boemis agebant, palam reſponderint: *A tempore concordiæ & reformationis dictorum capitulorum ferme per biennium eos, qui partes agebant Boemorum, multas adjeciſſe difficultates, & petiiſſe plurima, quæ nedum erant ultra Compactata, ſed eiſdem ſane et ſincere intellectis adverſa. Et tunc noviſſime in dieta Brunæ habita, poſtquam a Legatis Concilii nonnulla poſtulaverant minus congrua, etiam ab Imperatore petierunt, ut perſonaliter cum eis in perceptione communionis ſub utraque ſpecie conveniret, ac capellanos haberet, qui ſic populo miniſtrarent: Et quod nullus eſſet in conſilio ejuſdem & negotiis dicti regni, qui ſic non communicaret; ita ut contra ſinceram intelligentiam dictorum Compactatorum, indultum libertationis, et communio-*

Compactata Baſilenſia declarantur.

Vide Apend. Conc. Baſil.

Vide Vazq. in 3. p. diſp. 216. c. 1. § 4.

nionis ſub utraque ſpecie in coactionem convertebant, & declinabant a conformitate, quam in reliquis habere debebant, cum reliquo populo Chriſtiano.

VI. Ita ſane paulatim in ſuis erroribus creverunt, ut tamdem palam docuerint, ſuum ritum ſub utraque ſpecie communicandi, Dominico inſtitutum verbo & exemplo, omnibus cujuſcumque ſtatus & ſexus neceſſarium eſſe ad ſalutem; & ab ipſis diſſidentes, vel ſub una ſpecie communicantes non ſolum verbis condemnarint, ſed & verberibus, diriſque tormentis affecerint. His ut obviam irent Patres Concilii, x. Kalend. Januarii anno MCCCCXXXVII. decretum ediderunt, quo declararunt quod *Laici ſive Clerici communicantes, & non conficientes non adſtringuntur ex præcepto Domini ad ſuſcipiendum ſub utraque ſpecie ſacrum Euchariſtiæ Sacramentum*: & infra conſtituerunt quod *Laudabilis conſuetudo communicandi laicum ſub una ſpecie, ab Eccleſia & ſanctis Patribus rationabiliter introducta, & uſque ad illud tempus diutiſſime obſervata, & a Doctoribus divinæ legis, ſacrarum ſcripturarum atque Canonum multam peritiam habentibus, jam a longævo tempore commendata, pro lege habenda eſſet, nec alicui licitum eſſet eam reprobare, aut ſine auctoritate Eccleſiæ ipſam immutare.*

Conc. Baſil. ſeſſ. 30.

VII. Tamdem poſt multos tractatus ultro citroque habitos, inita eſt concordia, & manuum ſtipulatione firmata; promiſeruntque Boemi, ſe declarationem trium articulorum, ſcilicet de punitione publicorum peccatorum, de libera prædicatione verbi Dei, de civili dominio clericorum, ac pacem & Eccleſiaſticam unitatem admittere. Factum eſt id anno MCCCCXXXVIII. Circa communionem conceſſum eſt ſacerdotibus Boemis & Moravis facultas communicandi ſub utraque ſpecie Laicos, qui *hunc uſum habent, & in annis diſcretionis conſtituti, reverenter & devote id poſtularent, hoc ſemper obſervato, quod ſacerdotes ſic communicantibus ſemper dicant, quod ipſi debent firmiter credere, quod non ſub ſpecie panis caro tantum, nec ſub ſpecie vini ſanguis tantum, ſed ſub qualibet ſpecie integer eſt Chriſtus.* Conventum eſt poſtea cum a Legatis ſacri Concilii, tum ab oratoribus Boemorum, ut quæ reliqua erant, componerentur, primum Ratiſponæ, deinde apud Brunam, diœceſis Olomutzenſis; item apud Albam regalem in Hungaria coram Sigiſmundo Cæſare. Verum nullibi res tota confici potuit; nunc enim erat conſulenda Synodus, nunc alia ſunt exorta impedimenta: poſtremo apud Iglaviam Moraviæ oppidum concordia inſtrumentis ac ſigillis roborata eſt (*Compactata* vocant) quinto die menſis Julii, Cæſare præſente. Et cum poſtremo inſtarent Boemi, *ut concederetur facultas communicandi parvulos etiam ſub utraque ſpecie, allegarentque quod ſi hoc negaretur, magnum & intolerabile ſcandalum in populo oriretur, imo animus eorum plurimum ex hoc implacabiliter perturbaretur.* Reſponſum fuit a Patribus quod *Communio parvulorum per Compactata expreſſe excluditur, cum ſolum de illis loquantur, prout ex tunc, qui talem uſum hactenus habuerunt; & ad ultimum de illis, qui in annis diſcretionis conſtituti hoc reverenter poſtularent & devote.*

Æneas Sylv. in hiſtor. Boem. Bin. in notis ad Conc. Baſil.

VIII. Hæc de Compactatis, ab Huſſitis paſſim & importune objectis, præfari placuit, ut quæ dicenda ſunt, apertius intelligantur, & conſtet, Patres Baſileenſes nihil ultra juſtum & æquum Boemis conceſſiſſe. Novi parvam aut nullam fuiſſe tunc hujus Concilii auctoritatem; jam enim ab Eugenii Pontificis (quem Boemi falſo dicunt cum ipſis in Concilio concordata confirmaſſe) obedientia receſſerat, & proinde neque ex hac parte adeo gloriari poterant de ſuorum Compactatorum firmitate, ut a Nicolao Pontifice,

fice, ab ejus Legato Cuſano, aut Commiſſario Capiſtrano infringi, ſi opus eſſet, non potuerit. Sed neque infirmare voluerunt, quæ graviſſimus Patrum cœtus, poſt multos labores doctaſque diſputationes pepigerunt, imo confirmata volebant, modo pactis ſtetiſſent Boemi, & ſanum Concilii ſenſum non depravarent; quodque Concilium gentis infirmitati compatiens pie permiſit, non illi proterve dicerent, tam adultis quam infantibus ad ſalutem omnino eſſe neceſſarium. Hujus hæreſis auctores fuerunt Petrus Dreſdenſis, & Jacobellus Miſnenſis Wicleffiſtæ, a quibus venenum hauſit Rochyzana, præcipuus Huſſitarum in Concilio actor & patronus, & turbarum ſubſequentium auctor & promotor. Ejus originem & qualitatem hic etiam explicare operæ pretium duxi, ut certius ſciat lector, cui tam reverenter obtemperabant Boemi, & tam ardenter adverſabatur Capiſtranus.

IX. In oppido Rochyzana non longe a Pilzna, diœceſis Pragenſis, a quo cognomen accepit, obſcuris parentibus, cenſuque tenuiſſimo natus Pragam venit, mendicans Grammaticam & Dialecticam audivit. Cum adoleviſſet, nobilis cujuſdam pueri pædagogus factus eſt, & ingenio pollens, linguaque promptus, in collegio pauperum receptus, auditor fuit Jacobelli. Poſtremo presbyter ordinatus, prædicare cœpit Pragenſibus, jamque nomine & auctoritate valebat, cum impius & crudelis ille Ziſcha, Orthodoxorum carnifex, Pragam obſideret. Exiit ergo conſentientibus civibus, & in caſtra profectus, civitati Ziſcham conciliavit. Hinc & humilitatis ac continentiæ opinione ingentem aſſecutus eſt laudem popularem. Legationem Baſileenſem omnium votis ſortitus, ex quatuor diſputatoribus, tuendam ſuſcepit communicandi Calicis partem, nec ab ea ſententia manifeſtiſſimis Joannis Raguſini, viri doctiſſimi argumentis potuit avelli. Doctrinam hanc tamquam propriam æſtimationis ſuæ arcem perpetuo tuebatur: & ne labefactari permitteret, multa ſubdole & inquieto animo moliebatur adverſus Compactata, & quæ paulo ante, conſentiente regno, fuerant approbata.

Quis qualiſve fuerit Rochyzana? *Sylv. citat. c. 45.*

Zapien. in biſtor. Huſſitar. Cochl. de reb. Huſſitar. l. 6.

X. Hunc igitur obtrectantem in dies Eccleſiæ, & pacatam iam plebem ad tumultum ſollicitantem, non valens Sigiſmundus Imperator verborum promiſſorumve ulla benignitate ad ſanam mentem reducere, perdere ſupplicio cogitavit. Sed ille præmonitus a quibuſdam contagio præterito infectis, clam aufugit. Ex latibulo plurima ſuggerens contra Romanæ fidei profeſſores, gloriabatur ſe propter juſtitiam exulare, & cauſam omnem ſuæ perſecutionis dicebat ſuſceptam a ſe ſuæ gentis tutelam. Inde gentis creſcebat opinio & populi æſtimatio, eoque pervenit, ut, Sede vacante, eum ſibi præfici Paſtorem & Archiepiſcopum a Baſileenſibus anno MCCCCXXXVIII. poſtularent. Objectum eſt, multa eum contra pacem & unitatem poſt firmata Compactata machinatum, & clam ac furtive a facie Imperatoris receſſiſſe. Mortuo Sigiſmundo, & paulo poſt Alberto Imperatoribus, electoque Friderico, in cujus tutela erat Ladiſlaus puer, Alberti filius poſthumus, regni Boemici hæres, varias paſſa eſt Boemia viciſſitudines, tamdemque ſummam rerum obtinuit Georgius Pogebratius hæreticus, per quem civitas Pragenſis reddita eſt Huſſitis, & Rochyzana ab exilio revocatus, magniſque honoribus affectus. Ille confeſtim tanto adjutore fretus, Pragenſi Præſulatui ſeipſum præpoſuit, conſortibus ſuis ad arbitrium miniſtrans, his vel illis, prout erat libido, ſacerdotia diſtribuens. Infectos etiam hæreſeos veneno regendis curandiſque plebibus apponebat, ſanos artibus opprimebat: nec erat apud eum antiquior cura, quam ut defenſus error civitatem totam regnumque comprehenderet. Quam ad rem prompta erant ubique

Geor-

Georgii adjumenta, alterque alteri vicem præstabat, ut hic videlicet quod dominatus, ille quod sacerdotii esset, plene ubique in populis possiderent. Talis tamdem erat Rochyzana, ut Æneas Sylvius, in Epistola ante biennium ad Nicolaum V. missa, quam penes me habeo M. SS. ita de illo scripserit: (*Demum pestifer Rochyzana, tenebrarum filius, confessor diaboli, & Antichristi propheta, injussu tuo, & contra canonicas sanctiones, Pragensis Ecclesiæ Præsulatum invasit.*)

Hæretici concitant Cusanum adversus Capistranum.

XI. In hoc statu res Boemicas invenit Capistranus, conspirasseque in alternum juvamen hæc duo factiosa hæreticorum capita Pogebratium & Rochyzanam, manifeste constat ex præcluso in Boemiam aditu, ex criminationibus in Capistranum sparsis, & ex epistolis ad varios Principes contra eumdem destinatis. Præter hæc, Cardinalem Cusanum in Germania Legatum contra eumdem instigare intentarunt, submissis qui dicerent, eum injuriose cum Boemis agere, Compactata condemnare, & suis contra ipsos invectivis pacem & unitatem Ecclesiasticam impedire. Commoverunt hæc aliquantulum Cusanum, summo studio rebus pacificandis inhiantem, visusque est credidisse quæ contra Capistranum dicebantur. Monitus hic ab amicis (qui etiam subjunxerunt injustas a Boemis postulari conditiones pacis, confirmationem scilicet sui ritus de communione sub utraque specie, collationem Archiepiscopatus Pragensis Rochyzanæ, retentionem bonorum Ecclesiasticorum a quibuscumque usurpatorum, & alia his similia) sequentem dedit ad Cardinalem Epistolam: in qua reverenter & constanter suam dixit sententiam, monuitque caute agendum cum subdolis hæreticis, qui ex facultate suæ communionis, a Concilio concessa, reliquos Christianos sub una specie communicantes, hæreticos esse inferebant. Timebat rationabiliter, ne si Compactata hæc pseudo-concilii, vero Pontifici reluctantis, & quæ manifestæ hæresi fomentum aliquod vel speciem ex pravitate interpretantium videbantur ministrare, a vero Pontifice Romano confirmarentur, pertinacius suo adhærerent errori, & speciosius a se dissidentes condemnarent.

Scribit ad Cusanum Capistranus.

Reverendissimo Domino suo colendissimo, Domino Cardinali sancti Petri ad Vincula, S. Sedis Apostolicæ Legato, patrono suo benignissimo.

Ex autographo, & regist. Capist. fol. 17.

XII. *Reverendissime in Christo Pater ac Domine, protector mi singularissime, humillima & devota recommendatione præmissa. Accidit nonnumquam tum relatione sinistra, tum æmula quorumdam, caritati noverca, seditione, vel aliqua forsitan ambitione blandiendi, sive fallacis applausus pro captanda gratia dominorum erga fidelissimos servitores, magnates & præclarissimos commoveri; verus tamen amicus omni tempore diligit incessanter. Hæc præmiserim ex eo, quod nuper ad me perlatum est, vestram Reverendissimam Dominationem in me aliqualiter turbatam, quod cum suis complicibus * hæreticaverim Rokyzanum. Supplico dignemini meam insipientiam paululum tolerare. E duobus unum eligere me oportet, aut ipsum hæreticare, aut Papam cum omnibus Catholicis tam Principibus Ecclesiasticis & secularibus, quam subditis universis. Quid eligam non ignoro, quia me Catholicum reputo confidenter. Si debuerim sibi juxta suam stultitiam respondere, suæmet judicent litteræ ad me, suo nomine perlatæ: quarum ecce copiam destino, instantissime precans, dignemini perlegere seriose; & cum recte repereritis intuitu perspicaci sensum earumdem, tunc me arguite, si Dei, an Sathanæ spiritu ductus, ipsum hæreticum, quin magis hæresiarcham de-*

* Hæreticos pronunciaverim.

*debuerim appellare. Oro, non in me præcipitanter invehamini incuſantes factum. Si hæreticos excuſamus, nos ipſos condemnamus: noſtri moris numquam fuit circa fidem claudicare. Articulus eſt ſymboli: Credere oportet unam, ſanctam, Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam. Si dignum cuiquam putatur hanc unam tribuere Rokyzano, mihi numquam; quia Sacroſancta Romana Eccleſia, Spiritu ſancto recta, ſemper immaculata permanſit & permanebit in æternum, quia portæ inferni adverſus eam minime prævalebunt in æternum, pro qua Chriſtus fidelibus ſe ſpopondit in Petro, ne deficeret fides ejus. Quid igitur culpor, ſi pro debita ſibi obedientia milito vigilanter? Nonne pro vobis certo? Nonne pro vobis tot periculis involvimur? Peccatum certe infidelitatis incurrit, quiſquis dum ſe Chriſtianum aſſerit, Sedi Apoſtolicæ obedire contemnit. Litteræ veſtræ ita canunt manu propria ſcriptæ. Ego ſemper fugi, dietas cum Boemis inire communi dietarum modo; ipſi enim omnibus diebus noſtris ſtuduerunt ſuam perfidiam ex antiquis ſcripturis & obſervantiis juſtificare, & iam habent omnium talium ſcripturarum ſupremam notitiam, & certe multæ ſunt pro communione utriuſque ſpeciei. Unde ſciens cum pertinaciſſimis hæreticis non eſſe contendendum, nolui in dietam, niſi certo quodam modo, conſentire. Et ut cum fiducia loquar, tamquam indignus filius cum patre, & præſumptuoſus ſervulus cum domino ſuo, humillima tamen quanta decet reverentia, ſi veſtra Reverendiſs. Dominatio Boemos perfidos & pertinaciſſimos hæreticos * deſulcaverit, & ſanctiſſimus Dominus noſter Nicolaus Papa V. in quatuor litteris ſuis Apoſtolicis, plumbea bulla communitis, quas ad me ſua Sanctitas deſtinavit, eoſdem Boemos ſuperſtitioſos, erroneos, ſchiſmaticos, hæreticos, ac a Fide devios, & ab obedientia Romanæ Eccleſiæ diſgregatos exprimit, & in Concilio Conſtantienſi condemnatos; quomodo reſpondebunt, qui me apud V. R. Dominationem accuſant, & ſuo temerario judicio deprehendunt me debere eos Catholicos prædicare? Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum, nec ſervus ſuper dominum ſuum. Qui V. R. Dominationi perſuadent, ut ſub utraque ſpecie communionem laicis concedatis, erroribus jam conſentiunt illorum aſſerentium, damnatos eſſe omnes, qui non ſub utraque ſpecie communicarunt, & nunc non communicant; propter quod in antiquum jam damnatum errorem Neſtorianorum & Pelagianorum communicantium infantulos in die Baptiſmi, ſpecie ſub utraque. Atqui per violentiam cogunt hi Boemi noſtros Catholicos ad eumdem errorem, & ad prophana loca Catholicorum corpora decedentium, extra civitatem Pragæ Rokyzanus hoc anno ejici ſuo juſſit imperio ſcelerato. Ecce nunc in Praga ſtatuerunt ex noſtris clamoribus & ſcripturis velle ſervare Compactata, palliantes ſe propter hoc, ne hæretici cenſeantur, & ad Ratiſponam ſe venturos aſſerunt ſub veſtra ſponſione, quia intenditis eis concedere Compactata & ultra, quod mihi credibile non videtur, cum nec fel. record. Martinus, nec Eugenius, nec S. D. N. id egerint uſque in hanc diem. Si hoc ſe clypeo & galea protegere potuerint, exemplum erit ceteris Chriſtianis peragendi ſimilia, & ſe rebellandi contra obedientiam & decreta ſanctæ Matris Eccleſiæ incunctanter, & inſurgendi in Prælatos, ſicut ipſi jam per annos plurimos infida, ferali & immani ſeveritate fecerunt. Præſument etenim Catholici ſe non debere eſſe pejoris conditionis quam Boemi; unde ſi Boemi talia bona pacta ab Eccleſia ſuſceperint, & nos (dicent) paria obtinebimus vel majora; noſtri namque prædeceſſores Eccleſias dotaverunt, ad nos igitur pertinent iſta bona. Videte, Domine, & diligenter attendite, ne per hanc viam Pragam acquirere computetis, & Chriſtiani populi totum reſiduum amittatis. Scio quid loquor, quid audiverim a nonnullis magni ponderis ho-*

* *Seu profundius examinaverit.*

minibus. Dirigat Altiſſimus cauſam ſuam: Neque iniquitas mea, neque peccatum meum, Domine; Innocens ego ſum a ſanguine omnium veſtrum, *dixit Apoſtolus. Excuſavi conſcientiam meam, & excuſabo apud Deum & homines. Jam Rokyzanus ficta ſimulatione prædicat, quod numquam Baſileenſe Concilium ſibi Compactata dediſſet, niſi cognoviſſet ipſis neceſſario aſſentiendum ex Chriſti præcepto, & ſtricta neceſſitate ſalutis. Videte ſequentem diabolicam fictionem, de qua jam per ſcripturas & relationes plurimorum fide dignorum ſum perſæpius informatus; quod ſcilicet de Moravia quemdam ſuum complicem advocatum, furtivo modo inſtruens eumdem, præſenſum, ut aſſerunt, ſacerdotem, ut cum hæreticos appellaret non communicantes ſub utraque ſpecie, ſibi publice contradiceret, & ipſum potius Rokyzanum talia prædicantem hæreticum appellaret, ut in præſentia populi confuſus ille a Rokyzano, palam coram omnibus dicta revocaret. Et ita factum extitit in deluſione Baronum & populi faſcinati. Non eſt mihi nec locus nec tempus accommodum plurima referandi de compilatis per eoſdem nunc in Praga; ubi noſtri non re ſed nomine Catholici reputati invicem convenerunt, & cum fidei adverſariis jam tripudiant pari gradu, bona ſibi eccleſiaſtica & jura regalia uſurpantes, ſub ficto colore tuendi regnum Boemiæ. Ex abundantia cordis os loquitur. Parcite quæſo, numquam in jure legi hæreticos præmiandos, ſed acriter cruciandos, eorum bona confiſcanda, & pœnas varias & acerrimas in eoſdem cumulandas, ac Indulgentias plenarias Catholicis exhibitas, in favorem fidei & exterminium eorumdem. Neſcio quos ſuſurrones audire vos delectet, adulantes vobis fictis mellitiſque ſermonibus, venenum aſpidum inſanabile continentibus intrinſecus obtutatum, ut ſuis falſis ſuggeſtionibus & promiſſis V.R.D. inducere moliantur ad concedendum eis communionem ſub utraque ſpecie, & bona Eccleſiaſtica, & cetera quæ requirunt, in denigrationem & dedecus Apoſtolicæ Sedis, ac vilipendium & contemptum Eccleſiaſticæ dignitatis. Vere contra vos agitis, ſi talia concedetis. Audivi ex ore veſtro in Urbe, quod non acceptaſtis capellum pro genuflexionibus ante pedes, ſed ut quidquam arduum in Eccleſia Dei agere valeretis. Cum reverentia: hoc mihi non arduum, ſed infimum ſuadetur, talia concedere hæreſi infectis: ſi meus puſillus & infirmus intellectus ambulat in tenebris cæcitatis, veſter tamen limpidus & præclarus hæc ruminans & revolvens, utile conſilium ſervuli ne deſpiciat, & præſumptioni meæ dignetur indulgere.* Zelus domus tuæ comedit me, & opprobria exprobrantium tibi ceciderunt ſuper me; *etſi vermiculus & non homo, muſcula vel formicula reputandus ſim inter homines; vel etiam ſub pedum ſcabello abjectus & conculcatus in pulvere permanebo, magiſque eligam habitare in tabernaculis peccatorum, ſummam Dei clementiam ſincera mente propulſans, ut V.R.D. ex alto perſpectans, dirigat, protegat & ſublimet ad gloriam ſempiternam. Amen. Ex Ponte Regni Boemiæ* MCCCCLII. *die* XVII. *menſis Maii manu propria feſtinanter.*

Act. 20. 26.

Pſalm. 68. 10.

Cuſanus ſcribit Boemis.

XIII. Lecta epiſtola Capiſtrani, ſubſtitit Cuſanus, cauteque & mature in re tanti momenti & periculis plena voluit procedere. Miſſo itaque peculiari Nuncio, voluit Prælatorum ac Procerum Boemiæ ac Moraviæ animos certius explorare, apud quos excuſatum voluit Capiſtranum, qui *Compactata* nullatenus condemnaverat, ut falſo criminabantur hæretici, ſed errorem & hæreſim condemnantium ritum reliquorum Orthodoxorum a ſe diſſidentium. Ad omnes hanc encyclicam tranſmiſit.

Ni-

Nicolaus miſeratione divina tituli ſancti Petri ad Vincula ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyter Cardinalis, Apoſtolicæ Sedis Legatus, Epiſcopus Brixinenſis: Univerſis & ſingulis nobilibus, venerabilibus, ſtrenuis, honorabilibus, prudentibuſque Baronibus, Prælatis, Militibus, Presbyteris, Religioſis, Militaribus, Magiſtris civium, oppidanis, & cunctis Eccleſiaſticis & ſecularibus, inclytum regnum Boemiæ, & Marchionatum Moraviæ inhabitantibus, veræ pacis deſideria adipiſci.

POſtquam divina pietas ſtatuit (uti firmiter ſperamus) regnum & Marchionatum prædicta hoc tempore ad obedientiam ſacroſanctæ Romanæ Catholicæ Eccleſiæ revocare, Sanctiſſimus Dominus noſter, Dominus Nicolaus Papa V. nobis curam & ſollicitudinem tam ſancti operis commiſit, & Legati de latere tribuit facultatem. Et quoniam nuper ex nobilibus regni ipſius Oratoribus in dieta Ratiſponenſi latanter intelleximus, deſideria omnium veſtrum divina inſpiratione nunc ad veram & effectualem unionem inclinari, & quod eapropter Apoſtolicam legationem in regno ipſo conſtitui optatis; pro complemento tam ſancti propoſiti mox operam dedimus, ut hoc ſummo Pontifici noſtro quam ociiſſime innoteſceret. Et quoniam ad rem ipſam feliciter conducendam neceſſe eſt, ut ante acceſſum Apoſtolici Legati ad regnum, de mente ſingulorum, aut ſaltem majoris & ſanioris partis inhabitantium, quoad puram, veram & effectualem obedientiam & ſubjectionem ſimus certiores; nam niſi eſſet propoſiti veſtri vos velle conformare progenitoribus veſtris, qui ante hanc differentiam Catholicam vitam duxerunt, qui fidem Orthodoxam ab Apoſtolica Sede, atque privilegia Metropolitanæ ſedis & generalis ſtudii, pro ſua devotione & obedientia ad matrem ſuam, ipſam ſcilicet Sedem Romanam, meruerunt, quemadmodum & alia regna Chriſtiana, quæ adhuc in eadem obedientia perſeverant; ſupervacue Apoſtolicus Legatus inquietaretur, & re non peracta, in non parvum omnium veſtrum dedecus rediret. Ideo ut experiamur quem fructum introitus Legati eſſicere queat, honorabilem Joannem Dorſenit, præſentium latorem, Capellanum noſtrum devotum ac dilectum, ad vos omnes & ſingulos tranſmiſimus: cui dedimus in mandatis, ut his noſtris patentibus litteris oſtenſis, uniuſcujuſque mentem & intentionem inveſtiget circa jam dictam obedientiam præſtandam, & quæ circa ipſam atque ſecurum acceſſum Apoſtolici Legati fuerint opportuna, prout de hoc per nos latius eſt informatus. Quare rogamus vos & in Domino exhortamur, ut ipſum Capellanum noſtrum admittere, benigne audire, & quæ mente geritis, ſcripto patefacere velitis; nec putetis nos a vobis rem magni ponderis leviter exigere. Nam cum impoſſibile ſit veram pacem eccleſiaſticam conſtitui poſſe, quamdiu non eſt omnimoda conformitas corporis & membrorum; turpis enim eſt pars, quæ toti non congruit; hinc in ea re, ubi qui non eſt cum univerſali Eccleſia, contra eam eſſe conſtat, neceſſe eſt pure & ſimpliciter, abſque pacto & conditione omnium conformitatem obedientiæ amplecti. Neque quemquam moveat, quod cum Oratores tunc Baſileenſis Concilii de pace Eccleſiaſtica Pragæ tractarent, ad Compactationes deventum ſit. Nam experimento compertum eſt, modum illum integram pacem & unitatem cum ſancta Romana Eccleſia non effeciſſe. Quæ cum ſit piiſſima mater omnium fidelium, nulli redeunti, quem in Fide genuit, gremium claudere poteſt, & omnia quæ filii ſui poſtulant, ſi ſalutaria ſunt, liberaliter concedit; ſicut enim mater ipſa per quæcumque pacta non poſſet trahi ad conſentiendum iis, quæ filiorum ſuorum ſaluti ſciret obviare, ita etiam quæ ſa-

Ex. reg. Capiſtrani fol. 18.

lutis ſunt, ſine pactis aſſenſum nequit negare. Et infra. *Nolite igitur tales pro Fratribus honorare, qui ſe matris veſtræ filios nominari verecundantur. Aperite quæſo oculos, & conſiderate unde excidiſtis, & quo perducti eſtis, & per quos; & credite plus matri veſtræ, a qua omnia, quæ ſalutis & honoris ſunt, recepiſtis, quam ſeductoribus illis, qui adeo cæci ſunt, quod lumen non vident; adeo beſtiales, quod matrem non cognoſcunt: parvifacite omnia, quæ ipſi de* Compactationibus *ingerunt, nam ad illorum ſciolorum confuſionem Deus illas ſic fieri permiſit. Neque religioſus fr. Joannes de Capiſtrano,* Laudatur Capiſtranus. *vir utique zelum Dei habens cum ſcientia, nec alius quiſquam aſſerit* Compactationes *hæreſim in ſe continere, ſed conſtanter negatur, in eis talia concedi, quæ vobis falſo ſuggeruntur. Poteritis, ſi volueritis, ex* Compactationibus ipſis *ſeductores veſtros facile convincere: nam cum extra univerſalem Eccleſiam, quæ* Catholica *Græce dicitur, non ſit ſalus, ut ipſi negare non poſſunt, videte in Compactationibus ubi eſt illa Catholica Eccleſia, & reperietis in capite primi articuli eſſe ſcriptum, quod regnum Boemiæ, & Marchionatus Moraviæ in Fide conformare ſe debent univerſali Eccleſiæ. Et non poteſt intellectus alius dari, quam quod Romana illa ſit univerſalis Eccleſia, cui ſe debent regnum & Marchionatus conformare.* Et infra. *Nam ſi aliquid ſingularitatis ex ipſis habere putatis circa ritum communionis ſub utraque ſpecie, ut ſeductores nonnulli perſuadent, legite textum, & ponderate mentem Concilii ex littera, & reperietis, negligentia illorum ſacerdotum vos omnia ibi vobis oblata perdidiſſe. Eſt enim vobis notorium, quod illi tales ſacerdotes numquam ea, quæ fieri debebant, ad habendam permiſſionem illius communionis, procurarunt aut obſervarunt; ſed non obſtantibus Compactationibus, continuarunt illa, quæ dimittere tenebantur. Ideo ex eorum negligentia permiſſio etiam quoad perſonas, quæ uſum habebant, non eſt ſortita effectum. Minus permiſſio de prædicationis libertate concedenda obtineri potuit a Synodo, ſemper ob talium presbyterorum præſumptam pertinaciam, qui toto tempore, quo Concilium ſedebat, Compactata nulla ex parte obſervare curarunt. Et ita ſoluta eſt Synodus, antequam eventualis permiſſio fieri potuerit. Videte nunc quæſo, quomodo quidam tales veſtri ſacerdotes in ſuam confuſionem ad Compactationes refugiunt, ex quibus penitus nihil, ex eorum ſeductorum culpa, etiam quoad eos qui uſum communionis habebant, eſtis aſſecuti. Sic alia, quæ in Compactationibus ſunt, nonne manifeſte condemnant tales allegantes? Ipſi enim ſua ſponte ſe ingerunt, & abſque miſſione expreſſe contra Compactationes prædicant, & cum nullam habeant poteſtatem ligandi & ſolvendi, populum decipiunt. Videtiſne quomodo obedientiam illam, de qua ſimiliter in Compactationibus, ſervant quoad ſummum Romanum Pontificem? Ex his intelligetis, Compactationes nihil ſingularitatis vobis præſtare, ſed ſolum confuſionem eorum, qui ſua præſumptione ſeducti vos ſeduxerunt, exprimere, ut ore ſuo judicentur. Quare merito, inſtar aliorum fidelium, obedientiam puram, ſimplicem, veram & effectualem, quæ ſola Deo grata, vobis utilis & ſalutaris exiſtit, ſuademus, in Legati adventu glacri animo acceptare, & nos de illa certiores facere. Per quam ſolam ab illa liberaliſſima Apoſtolica Sede indubie omnia, quæ ſalutis & pacis ſunt, potius ſine pacto, quam cum pacto, quamprimum in laudem poteritis obtinere. Datum Ratiſponæ ſub noſtro ſigillo* XXVII. *Junii, anno a nativitate Domini* MCCCCLII. *Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri, Domini Nicolai divina providentia Papæ V. anno ſexto.*

Scribit Capiſtranus ad Pontificem. XIV. Monebat ſæpe Pontificem Romanum de iis, quæ dictim fiebant, Capiſtranus, cujus litteris ſincere abſque fuco & ambitu ſcriptis, non indi-

gne

gne credebat Nicolaus. Epiſtolam hanc unam reperi ſub hujus anni initium exaratam, in qua illic tranſacta narrat, & quædam ſpiritualia beneficia, ac poteſtatis incrementa petiit ſibi erogari.

Sanctiſſimo Domino noſtro Nicolao V. &c.

Beatiſſime Pater, humiliter ſanctos pedes exoſculor. Tanti pendo munus impenſum litteris Apoſtolicis motu proprio deſtinatis per Veſtram clementiſſimam Sanctitatem, manu veſtri fideliſſimi curſoris Domini Bartholomæi de Senis die xxi. *Decembris exhibitis, quod unde genus gratiarum actiones referendi ſuſcipiam, Pater ſanctiſſime, penitus ignorare me fateor. Illi ergo relinquo, cujus amore donaſti, cujuſque cauſa, licet inutilis, milito perlibenter, cujus & vices ſuper omne mortalium genus hominum geris in terris, poteſtate tibi divinitus attributa, etiam ſuper infidos hæreticos & ſchiſmaticos, ac ceteros infideles. Præſtat mihi fiduciam ampliorem, nedum jam intentata proſequi, tua gratia ſponte collata, ſed animoſiorem fieri ad nova certamina ineunda pro Chriſti Jeſu fide tuenda ſub obedientia debita tuæ celſitudini Sanctitatis; audaciorque factus ſum, & fortaſſis temerarius ac præſumptuoſus ad ſupplicandum pro majoribus. Nam ubi larga manus donatoris offertur, inertia non petentis arguitur. Alexandrum illum Macedonum Regem potentiſſimum duco in exemplum, qui cuidam abjecto homini ſic præclariſſime reſpondiſſe fertur*: Si te non convenit magna recipere, Regem non decet parva donare. *Aperi igitur, Pater ſanctiſſime, tuam manum, & imple omnem animam Catholicorum benedictionis tuæ gratia ſalutari, ut ſub tua obedientia tanto ſtabilius confirmentur, quanto amplioribus beneficiis noverint ſe refectos. Per meum ſocium fr. Stephanum Hungarum tuæ Beatitudini de pluribus ſupplicavi, ut de annullatione Compactatorum, de abſolutione a caſibus etiam Apoſtolicæ Sedi reſervatis, de quibus hæretici nihil curant, de bulla canonizationis ſancti Bernardini, de Indulgentia ſeptem annorum, & totidem quadragenarum per totam octavam feſtivitatis ejuſdem, pro omnibus Eccleſiis vel capellis ædificandis ſub vocabulo dicti ſancti Bernardini, de locis per me receptis & recipiendis in iis partibus, uniendis cum locis Italicis ſub obedientia Vicarii generalis Ciſmontani more Italico. Tuam vineam colo, Pater ſanctiſſime, tua excutio arva, omnes animæ tuæ ſunt, ejus, qui eas creavit & creat, auctoritate tibi commiſſæ. Aperi fontes vitæ perennis, & de tuo, licet inutili, ſervulo confide ſecure, quia citius mortem expeterem, quam ſanctæ Sedis Apoſtolicæ culmini detrimentum utcumque puſillum debiti honoris paterer irrogari. Abſit hanc rem facere, ut inferamus crimen gloriæ veſtræ. Recolo, P. B. quod in Fabriano Tua ſanctitas Fr. Jacobo de Marchia & mihi conceſſit, ne forte hæretici de ſua malitia gloriarentur, ut quicumque Catholici nos aſſociarent, poſſent abſolvi a caſibus ſacræ Sedi Apoſtolicæ reſervatis: magis in iſtis partibus tali gratia egeo, quam in Italia; pro qua etiam ſupplico inſtantiſſime omni cum debita reverentia ſemper. Plus etiam conceditur miniſtro publico* in cap. Excommunicamus §. Catholici vero: de hæreticis. *Ubi ſic dicit textus*: Catholici vero, qui crucis aſſumpto caractere ad exterminium hæreticorum ſe adſtrinxerint, illa gaudeant indulgentia, illoque privilegio ſint muniti, quæ accedentibus in Terræ ſanctæ ſubſidium conferuntur. *Sic gloſa arguit, quod auctoritate Eccleſiæ poteſt fieri bellum, ſecundum quod verum eſt, contra inimicos Fidei, & contra illos, qui Eccleſiam impugnant. Vere P. S. utrumque faciunt Boemi: ex quo tuæ noverit Sanctitas, quod Illuſtriſſimi Principes de Bavaria & de*

Ex reg. Capiſtr. fol. 16.

Sa-

Saxonia ad me ſuos Oratores pro tuæ Sanctitatis reverentia...& cum quatuor Principibus de Bavaria fui perſonaliter in Panranth; quos omnes paratiſſimos reperi ad omnia & ſingula mandata tuæ prædictæ Sanctitatis. Inſuper multi Barones, Milites & nobiles ſe offerunt cum propriis perſonis & rebus, etiam, ſi opus eſt, ad mortem ſe exponere pro defenſione Catholicæ veritatis. Poſt natas hæreſes Huſſitarum numquam, ut aſſerunt, in his partibus tanta commotio viſa eſt. Dicunt plurimi, Boemos aſſerere magis ſe timere linguam hujus Monachi, quam triginta millia armatorum, etiamſi ante portas Pragæ caſtrametarentur. Hoc autem non aliunde procedit, quam a verbo veritatis, cui mendaces reſiſtere numquam valent, quoniam omnia vincit veritas. Magnum ſchiſma, magnaque diſſenſio inter eos eſt; aliqui dicunt, quia bonus eſt; aliqui autem non, ſed ſeducit turbas. Verumtamen illi magis concuſſi ſunt, qui bona Eccleſiaſtica detinent occupata. Unde cum ab Illuſtriſſimo Domino Alberto Marchione Brandeburgenſi diſcerem, hoc inter Reverendiſſimum Dominum Cardinalem ſancti Petri ad Vincula & ipſum Dominum Albertum tractum fuiſſe, quod dieta, quæ debebat hic in Egra celebrari, has tres concluſiones expectabat: (prima erat, quod R. D. Cardinalis ſolveret quatuor millia ducatorum pro expenſis Boemorum advenientium ad dietam. Secunda, quod Pragenſes reciperent Archiepiſcopum inſtituendum per V. S. qui auctoritate V. S. faceret laicis miniſtrari ſub utraque ſpecie ad libitum poſtulantium, juxta diſcretionem ejuſdem Archiepiſcopi inſtituendi, ut ſupra. Tertia conditio, quod omnes qui occupaverant & detinebant bona Eccleſiaſtica, etiam V. S. auctoritate licite poſſiderent, & fructus ſuos facerent toto tempore vitæ ſuæ.) Ego neſciens, ſi de mente T. S. hoc procederet, imo potius opinans quod non procedebat, ſcripſi Reverendiſſimo Domino Cardinali, ut dignaretur me certiorem facere de prædictis; licet prima facie meo puſillo ingenio videatur, has concluſiones Eccleſiæ ſanctæ Dei, & V. S. potius dedecus quam honorem afferre. Tuum eſt, P. S. cuncta diſponere, meum autem & omnium tuæ juſſioni humiliter obedire. A. R. D. Cardinale nondum aliquam reſponſionem accepi. Demum, clementiſſime Pater, quidquid boni in his partibus egi, tua ſuffultus auctoritate perfeci. Circa litteras V. S. de officio Inquiſitoris hæreticæ pravitatis ubicumque fuerim, mihi commiſſo primitus per fel. rec. Martinum V. demum per Eugenium IV. & ad ultimum per V. S. anno primo ſub Datum v. Non. Julii (ſine quibus litteris veſtræ Sanctitatis fruſtra Boemiam vel Moraviam intrare præſumpſiſſem) imo, ut verum fatear, etiam primo anno Martini, antequam de Conſtantia receſſiſſet, incepi exercitium contra hæreticos de falſa opinione, contra quos Mantuæ habui litteras a fel. rec. Martino, quas etiam nunc teneo, licet illæ non extendantur ad alias hæreſes &c. Pater ſanctiſſime, palam eſt, quod in partibus iſtis auctoritatis V. S. ampliatione indigeo, non ſubtractione; nam primæ litteræ V. S. plenæ ſunt pro officio Inquiſitionis quoad omnes hæreſes ubicumque fuero, cum invocatione auxilii brachii ſecularis, etiam judicialiter, nedum in foro conſcientiæ, uti poſſem ſub hac auctoritate Joannem de Rokyzana præſentialiter judicare: qui poſtquam geminatas ac multiplicatas meas reſponſivas acceperat contra ſuas hæreſes, non audet amplius garrulare, quinimo, ut communiter fertur, præconizari fecit in Praga per tumultum populorum, ut nullus meum nomen audeat exprimere, nec pro bono nec pro malo. Gerit enim ſe ibi nedum tamquam Archiepiſcopum, ſed ſuper propriam & omnem Eccleſiam Catholicam, omne judicium declinans, & ſuſpectum allegans, & deteſtans atque blaſphemans, & depravans omnem Eccleſiaſticam & Catholicam traditionem, ut ſuis etiam ſcripturis aperte deſignat;

ſignat; ſe autem & ſuos ſequaces beatificat & omnes nutrit in ſua diſſenſione. Vere tamquam revelatus homo peccati, filius perditionis adverſatur & extollitur ſuper omne quod dicitur Deus, *aut quod colitur; ita, ut in templo Dei ſedeat in cathedra peſtilentiæ, & in Eccleſia malignantium cum impiis præſidens, tamquam ipſe ſit Deus, intellectum ſacræ ſcripturæ erroneo ſuo capacitate pervertens, innixus conſcientiæ ſuæ deperditæ. Ejus ſcripturas cum meis reſponſalibus libentiſſime deſtinaſſem V. S. ſi reſcribi facere potuiſſem; ſed quia longior eſt proceſſus forte, omnibus computatis, per duodecim quinternos, & ſcriptoribus careo, diſplicet me mittere non valere. Item B. P. quia omne judicium fidei & omnium operum & ſcriptorum meorum V. S. continuo ſubmiſi & ſubmitto, probans authentice, ſic ipſum & omnes Chriſticolas oportere ſe ſubmittere. Sed fabri & malleatoris filius, homo iniquitatis tam S. V. quam R. Dominos Cardinales, & omnes Catholicos noſtros Prælatos, Reges & Principes, atque ceteros, ſuos appellare inimicos, impudicitiæ & abominationis, ac diaboli filios non veretur, ut ſuis litteris teneo evidenter. Igitur exurgat Deus, & diſſipentur inimici ejus, & fugiant, qui oderunt eum, a facie ejus. Pater S. non quæro pecunias, non honores, neque dignitates ſeculi, ſed tantummodo V. S. antiquos favores pro manifeſtanda divina gloria, pro debito obedientiæ V. S. pro ſalute animarum, pro defenſione Catholicæ fidei veritatis. Pater clementiſſime, aperi os tuum clara voce, & jube magnanimiter* fiat *de omnibus ſupradictis, nedum ut petitur, ſed etiam ultra petita juxta tuum limpidiſſimum & acutiſſimum intellectum: cujus ſanctitatem feliciter in Sede Petri dignetur Altiſſimus proſperare & exaltare per votiva tempora longiora. Et ſi prolixa ſit ſcriptura, indulge, Pater S. quia mihi pro arduis cauſæ fidei brevia, quæ ſcripſi, videntur. Et Bartholomæus præſentium lator multa vidit & audivit, quæ poterit ipſe oretenus referare. Ex Egra* MCCCCLII. *in nocte Epiphaniæ, manu propria curſim & feſtinanter per*

2. Theſſal. 2. 4. Pſalm. 25. 5.

V. Sanctitatis clementiſſimæ inutilem creaturam
Fr. Joannem de Capiſtrano, Ord. Min.
minimum & indignum.

XV. Libenter Capiſtrani poſtulatis annuit Nicolaus, Bullam canonizationis ſancti Bernardini in illud uſque tempus non exaratam, ut ex ſecretarii Apoſtolici ad Capiſtranum litteris percepi, Indulgentias plurimas ejus cultui ampliando, & ſequentia adjunctæ poteſtatis miſit diplomata.

Referibit & multa indulget Nicolaus.

Dilecto filio Joanni de Capiſtrano, Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia Profeſſori, & in partibus Ciſmontanis generali Vicario.

AD ea ex Apoſtolicæ ſervitutis officio libenter intendimus, per quæ ſaluti animarum fidelium conſulatur. Hinc eſt, quod nos ſperantes, quod tu, qui in Boemiæ, Moraviæ & Auſtriæ partibus circa extirpationem hæreſum, non abſque tuæ perſonæ diſcrimine labores ſubiiſti, & continuo diſputationibus ac prædicationibus inſiſtendo ſubire paratus es, ut Chriſtifideles ac alios a fide Catholica deviantes, & ad veritatis lumen redire volentes, eo ferventius ad id inducere ac animare valeas, quo ſalutifera remedia eorum animarum miniſtrare poteris; diſcretioni tuæ, auctoritate noſtra, quaſcumque perſonas partium prædictarum a quibuſvis criminibus, exceſſibus & delictis, etiam in caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis, ſemel dumtaxat, abſolvendi, necnon cum religioſis & aliis Eccleſiaſticis viris, in eiſdem partibus conſtitutis, qui ex

Ex autographo.

quavis cauſa vel occaſione, præterquam in homicidio ſeu mutilatione voluntariis, excommunicationis ſententia ligati, divina, non tamen in contemptum clavium, celebrando, aut alias ſe illis immiſcendo, irregularitatis maculam incurrerint, ſuper irregularitate hujuſmodi, injuncta eis pro modo culpæ pœnitentia ſalutari, & aliis quæ de jure fuerint injungenda, ipſiſque ad tempus, de quo tibi videbitur, a ſuorum ordinum executione ſuſpenſis, eadem auctoritate, ſemel tantum diſpenſandi, plenam & liberam, harum ſerie concedimus facultatem. Non obſtantibus conſtitutionibus Apoſtolicis, & aliis contrariis quibuſcumque: Præſentibus poſt biennium minime valituris. Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLI. II. *Kal. Martii, Pontificatus noſtri anno* V.

EIDEM.

Reg. Vatic. l. 34. fol. 282.

XVI. *AD ea ex Apoſtolicæ ſervitutis officio &c. ut in præcedenti uſque ad* miniſtrare poteris; *diſcretioni tuæ, auctoritate noſtra cum quibuſcumque tam eccleſiaſticis, ſecularibus & regularibus, quam etiam laicalibus utriuſque ſexus perſonis dictarum partium, quæ tam peregrinationis quam abſtinentiæ, & quævis alia vota emiſerint, & legitimo impedimento detentæ illa commode adimplere nequiverint, vota ipſa in alia pietatis opera, prout ſecundum Deum, & animarum ſuarum ſaluti expedire cognoveris (religionis, & viſitationis Dominici ſepulcri, ac liminum beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & ſancti Jacobi de Compoſtella votis dumtaxat exceptis) commutandi ſemel tantum, plenam & liberam, harum ſerie concedimus facultatem. Non obſtantibus conſtitutionibus &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno &c.* MCCCCLI. VIII. *Kal. Martii &c. anno* V.

Ad perpetuam rei memoriam.

Indid. fol. 281.

XVII. *DUm præclara dilectorum filiorum Joannis de Capiſtrano, & nonnullorum aliorum Fratrum Ordinis Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, in Boemiæ, Auſtriæ, Iſtriæ & Moraviæ partibus commorantium, religionis, ſub qua mundanis abdicatis illecebris, cum additione voluntariæ paupertatis virtutum Domino in humilitatis ſpiritu exhibent famulatum, merita, dumque etiam ſalubria laborum ſtudia, quæ pro augmento fidei Orthodoxæ impendunt, inceſſanter in ipſius fidei hoſtium partibus, non abſque ſuarum periculo perſonarum, verbum Domini prædicando, debita meditatione penſamus, ea ſibi libenter concedimus, per quæ illorum religio propagari valeat, & ipſi, ſublatis quibuſvis diſpendiis, cum divini cultus augmento, necnon animarum ſalute, in Dei Eccleſia fructus afferre poſſint ampliores. Cum itaque, ſicut nonnullorum fide digna relatione, non abſque ingenti mentis gaudio, percepimus, in Boemiæ partibus, in qua (proh dolor!) abominabilis & peſſima Huſſitarum nuncupata hæreſis, etiam in ſacro Conſtantienſi Concilio damnata & reprobata, quæ a longe citra temporibus, veluti veneniſſimus cancer mortiferum virus diffundens, ſuis contagioſis erroribus multorum corda fidelium infecit, per ipſorum Joannis & Fratrum laudabilem & religioſam vitam, necnon fructuoſas, quas eis continuo faciunt, prædicationes, quamplurimi etiam nobiles & potentes laici & Eccleſiaſtici, divina illuſtrati gratia, errores hujuſmodi de ipſorum cordibus penitus deponentes, quod ſancta Romana tenet & profitetur Eccleſia, profiteantur & teneant, ac quidam ex eis majori Orthodoxæ fidei, & etiam religionis zelo accenſi, habitum ſuſceperunt ac profeſſionem dicti Ordinis regularem emiſerunt, prædictus quoque*

Joan-

Joannes noſtra deſuper auctoritate ſuffultus, jam in prædictis Auſtriæ, Iſtriæ & Moraviæ partibus nonnulla Fratrum loca, Conventus, ac domos receperit, ſpereturque veriſimiliter, quod per ipſarum Fratrum vitæ ſanctimoniam, fidei fervorem & aſſiduas prædicationes non modo errantes hujuſmodi ab ipſorum erroribus ad veritatis lucem reduci, ſed etiam quamplures ex eis ad bonorum imitationem poterunt incitari. Nos præmiſſa omnia, quodque etiam Fratres prædicti in eiſdem partibus ad honorem Dei, & propagationem Chriſtiani nominis diligenter ac fideliter pro fide hujuſmodi, necnon divini cultus & religionis augmento, ac prædictæ & quarumcumque aliarum hæreſum in eiſdem partibus extirpatione, plurima labores & ſtudia fructuoſa impendere poterunt, & libenti animo impendent, conſiderantes; ut Joannes & Fratres prædicti eo ferventius ipſis laboribus & ſtudiis inſiſtere valeant, quo ſe Apoſtolicis favoribus & gratiis amplioribus per Nos & Sedem Apoſtolicam noverint circumfultos; ipſorum Joannis & Fratrum in hac parte ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, omnes & ſingulas receptiones domorum, locorum ſeu Conventuum, per dictos Joannem & Fratres, ſeu aliquos in eiſdem partibus, & de illis ſibi per quoſcumque factas conceſſiones, donationes & aſſignationes, quarum tenores, ac domos, Conventus & loca hujuſmodi per eorum nomina, cognomina, deſignationes & loca præſentibus haberi volumus pro expreſſis, approbamus & confirmamus, ac præſentis ſcripti patrocinio communimus, ſupplentes omnes defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem. Et volumus quod prædicta & tria alia, quæ per infraſcriptum pro tempore eligendum Vicarium in Auſtriæ, Boemiæ, Iſtriæ & Moraviæ partibus ei canonice conceſſa, ad illius regularem obſervantiam reduci & reformari, vel fundari vel conſtrui in eiſdem partibus contigerit, Conventus, domos, & loca, illorumque perſonæ quæcumque ſub una & eadem Vicaria, quam in dictis partibus harum ſerie inſtituimus, ſubjecta ſint & eſſe cenſeantur, ac in ſpiritualibus, & temporalibus regantur & gubernentur per unum Vicarium, quem dictarum partium Fratres in eorum capitulis Vicarialibus, ſuis temporibus celebrandis, eligere & deputare poſſint ac debeant, in omnibus & per omnia, prout Provinciales Vicarii dictorum Ordinis & Obſervantiæ eliguntur & deputantur: quique ſic electus & deputatus per Vicarium Citramontanum generalem Ordinis & Obſervantiæ prædictorum, cui tam ipſe Vicarius eligendus, quam Conventus, domus & loca partium hujuſmodi illorumque Fratres & perſonæ ſubjecta ſint & eſſe cenſeantur . . . Mandantes diſtrictius in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub excommunicationis pœna omnibus & ſingulis miniſtris ſeu Vicariis & Fratribus locorum, domorum & Conventuum partium hujuſmodi, ac ipſi eligendo Vicario, ut infra quindecim dierum ſpatium, poſtquam præſentium notitiam habuerint, generali Vicario Citramontano pro tempore exiſtenti efficaciter & humiliter pareant & intendant. Et inſuper, ut Fratres prædicti tam in reductione hæreticorum ac extirpatione hæreſis hujuſmodi, quam alias in Eccleſia Dei majores fructus eo diligentius afferre ſtudeant, quo ſe per nos ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi conſpexerint; volumus, ſtatuimus, pariter & decernimus, quod jam recepti, receptæ, ſeu recepta, aut quos, quas, ſeu quæ in poſterum in dictis partibus recipi contigerit, Conventus, domus ſeu loca, & Fratres in eis pro tempore degentes, omnibus & ſingulis privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus & gratiis, indultis, conceſſionibus, & litteris, aliis conventibus, domibus, ſeu locis Ordinis & Obſervantiæ prædictorum per nos, vel Sedem prædictam, ſeu alias quomodocumque in genere conceſſis, in omnibus & per omnia uti & gaudere libere & licite poſſint; necnon in eligendo

Vicario prædicto tria alia domos, Conventus & loca in Auſtriæ, Boemiæ, Iſtriæ, & Moraviæ partibus prædictis, ſeu aliqua vel aliquibus eorum, ſi ſibi alias canonice concedantur, ad regularem obſervantiam reducendi & reformandi, ſeu de novo cum Eccleſiis, campanilibus, campanis, cœmeteriis, dormitoriis, clauſtris, hortis, hortalitiis & aliis &c. pro perpetuis uſu & habitatione aliquorum Fratrum dicti Ordinis fundandi & conſtruendi, jure tamen parochialium Eccleſiarum &c. ſalvo, plenam & liberam licentiam concedimus pariter & facultatem. Non obſtan. ſel. rec. Bonifacii Papæ VIII. &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque: præſentibus, quoad dicti Fratres ſub obſervantia hujuſmodi vixerint, dumtaxat valituris. Nulli &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno &c. MCCCCLI. *pridie Nonas Martii, Pontificatus noſtri anno* V.

Capiſtranus mittit prædicatores in Moldaviam.

XVIII. Non ſolum Boemiam & Moraviam ad fidei veritatem & Eccleſiæ unionem reducere niſus eſt Capiſtranus, ſed & in Moldaviam etiam ab Huſſitis infectam præmiſit ſocios tres, duce Ladislao Hungaro, qui & inde tranſierunt in Poloniam: a quibus cum Sbigneus tit. ſanctæ Priſcæ presbyter Cardinalis, & Epiſcopus Cracovienſis intellexit, Capiſtranum in Miſniam deflexiſſe, irritamque ſpem ſuam & Regis reddidiſſe, dolens pie apud eum conqueſtus eſt, quod juxta ſponſionem & fidem datam a Boemia non venerit recta in Poloniam, ſed alio diverterit. Poſt aliquot menſes etiam ſuas adhibuit litteras Caſimirus Rex, utque magis ad veniendum alliceret, retulit ſe prædicto Ladislao & conſodalibus habitaculum Cracoviæ conſtituiſſe. Mirum utriuſque, & ingens videndi Capiſtrani deſiderium.

Vocatur a Rege & Card. Cracovienſi in Poloniam.

Venerando viro Dom. Joanni de Capiſtrano, Ordinis Fratrum Minorum, Fratri in Chriſto Jeſu colendiſſimo.

Ex regiſt. Capiſtr. fol. 123.

XIX. *SI litteris meis ſuperioribus, Venerande & celebris Vir, Frater in Chriſto Jeſu colendiſſime, adventum felicem tuum in Poloniæ regnum, & diœceſim meam Cracovienſem multiplici prece & perſuaſione expetii, & ut pro mea & plebis meæ conſolatione venire in has oras dignareris, per nomen Domini Jeſu obteſtatus ſim, nec erubui homo ignotus, fidei negotiis te in Boemia & Moravia occupatum, ad veniendum huc invitare. Majori nunc animo & ſpiritu actus preces meas reſumo, vel, ut verius loqui debeam, repeto promiſſum; multa enim concurrunt, quæ mihi & verba & animum ſubminiſtrant: benigna & ſuavis reſponſio, propitia & clemens repromiſſio tua non mihi ſolum, ſed & Sereniſſimo Principi D. Caſimiro, Regi Poloniæ facta, Summi Pontificis Nicolai PP. V. juſſio tuæ caritati mea inſtantia ſcripta, & pridem mihi litteris ex urbe ſignificata: Boemorum deinde gentis obſtinata durities, quam eiſdem litteris meis tibi ſum vaticinatus, quæ nec ſana & cæleſti doctrina tua, nec prodigiorum multitudine poterat molliri, Pharaonis imitata veſtigia, qui decem plagis non quaſi ab irato Deo, ſed miſericorde patre ſuſceptis, ingredi auderet maria, neque vereri prophanus eum voluit, cui vidit ſubjici & obedire muta elementa. Audio ſiquidem te, Pater venerande, Boemos liquiſſe, multis probris & contumeliis ab illis pro nomine Domini noſtri laceſſitum, Miſnenſes adiiſſe, & illic hactenus continuare manſionem: quæ res mihi aliquid admirationis peperit, ut Polonia neglecta, quæ primum adventum tuum meis & Regalibus litteris ſubnixa expectavit, Miſniam adires. Sed occurrit menti, ad Archiſynagogæ Principis filiam Chriſtum tranſeuntem, curatione fœminæ ſanguinis fluxum patientis fuiſſe in itinere impeditum & retentum, & Principis filiæ locum priorem tenuem mulier cu-*

lam

lam præripuiſſe. Convenit tamen, Vir præſtantiſſime, exemplo Chriſti in muliere ægra fluxu non ſubſiſtere, ſed exhibere præſentiam, Principis filiæ Archiſynagogæ promiſſam. Teneo equidem humaniſſimas litteras tuas: pollicitationem tuam ſæpe dulci recordatione revolvo, qua mihi animum tuum ſic erga me affectum detexiſti, ut non rogatus aut invitatus a me, ſed ſuapte & ſponte tua ad viſitandum & videndum perſonam meam aſſeras proficiſci: pro maximo id tuli feramque munere, colamque illud memoria beneficii ſempiterna; præſertim ſi te coram videam, ſi oculis ac manibus contrectem, ſi præſentiam mihi tuam exhibueris, cui jam ſcripta & pollicitationes ampliſſimas obtuliſti. Neque id agi exiſtimabo, meo te provocante merito, ſed tua flagranti, qua affluis & redundas, caritate; ſi enim Italicæ, ſi Boemicæ nationi clemens Dominus theſaurum munerum ſuorum per te ſuum miniſtrum aperire dignatus eſt, quemadmodum & ex tuæ caritatis litteris legi, & crebra atque fideli multorum relatione audivi, non eſt abbreviata manus ſua, ut & gentem Polonicam atque Ruthenicam quaſi alteram Chananæam non audiat, & vociferatione illius, quæ per os meum erumpit, non moveatur, te apud pium Dominum pro ſalute Polonici, & reductione Ruthenici populi intercedente & alloquente clementiam Domini: Dimitte eam, quia clamat poſt nos. *Nam* Matth. 15. 23.
etſi non ſit bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus, *iis videlicet, qui jam per aliquot ſeculorum ætates, aut in ſceleribus ſuis diſplicent Deo, aut in erroribus & ſchiſmatibus ſuis proximi ſunt inferno; micas tamen de dominorum menſis cadentes, catellis non nega; cum ſcias Chriſtum fide petentis delectatum, panes pro fragmentis & Chananæa & aliis pluribus contuliſſe. Scis mulierem Sunamitem pedibus Eliſei admotam, a ſupplicatione non ceſſaſſe, donec importunitate virum Dei victum, ad filii reſuſcitationem ex Galgalis moveret: quod ſi Giezi, baculi virtute reſuſcitaturum filium, ſequi & omittere preces perſtitiſſet, aut dilata aut intercepta filii curatio fuiſſet. Itaque vir Dei, a me & prius & nunc exoratus adveni, & populo huic in ſuis medere languoribus, & quod duplici ſcripto tum Regi tum mihi pollicitus es, per effectum operis præſta; tanto enim ferventius adventum tuum expetit & ſuſpirat, quanto amplius male habere ſe cernens, medici ſuffragio indiget. Frater hic mihi in Chriſto dilectus Ladislaus, ex Moldavia cum ceteris fratribus reverſus ad me deſcenderat: queritur, ſe in hominibus partium illarum, damnato dogmate hæreſis Boemicæ infectis, parvum fructum retuliſſe, ſeculari brachio, quod ſibi hæreticorum rabies donativo & largitione conciliat, illos ſuſtentante, nunciabitque tibi non ſurrexiſſe puerum, neque vocem, neque ſenſum ad baculi impoſitionem acceſſiſſe, & tam diu lethali ſomno illum decumbere, donec virtus major Eliſei mittentis advenerit. Volui per illum tuæ caritati hæc ſcripta mittere, ſimul ut deſideria mea & populorum tuum adventum ſumme deſiderantium impleas, & me ab arce memoriæ tuæ non excludas. Felix & incolumis vive pro dilatatione fidei ſanctæ, Vir præſtantiſſime, & colendiſſime Pater. Datum Sandomiriæ apud Eccleſiam ſanctæ Mariæ Collegiatam die* XV. *Aprilis* MCCCCLII.
4. Reg. 4.

Sbig. tit. S. Priſcæ presb. Card. & Epiſc. Cracovienſis.

Venerando Patri fratri Joanni de Capiſtrano, Ordinis Minorum de Obſervantia, Patri ſincere dilecto.

XX. *Venerande Pater, ſincere nobis dilecte. Quantum cupiamus præſentiam veſtram, & videre vos conſtitutum in regno & dominiis noſtris, jam pridem declaravimus litteris noſtris caritati veſtræ miſſis. Nunc* Indid. fol. 125.

iterum, ut aliquando potiamur hujuſcemodi deſideriis noſtris, affectum illum repetentes ſignificare vobis voluimus, quia his diebus venerunt ad conſpectum noſtrum religioſi Ladislaus Hungarus cum tribus Fratribus Ordinis & profeſſionis, qui vulgato nomine de Obſervantia beati Franciſci nominantur: & precibus porrectis attentius precati ſunt, ut ipſis locum aliquem in hac civitate noſtra Cracovienſi, in quo ſe commode collocare, & Deo ſub regulari Obſervantia militare poſſent, dare & aſſignare dignaremur. Et quia plurimum afficimur Fratribus dictæ Profeſſionis, annuimus liberaliter precibus & petitionibus ipſorum, & pro fundando erigendoque monaſterio contulimus & aſſignavimus ipſis Eccleſiam ſanctæ Crucis, extra muros Cracovienſes ſitam. Et demum pro conſumando tam pio opere, Regali munificientiæ ipſis non deficiemus, quatenus ipſorum meritis & orationibus regnum noſtrum felicia pacis & proſperitatis ſuſcipiat incrementa, & nobis poſt decurſum vitæ præſentis, æternæ vitæ a Deo & Salvatore noſtro obveniant præmia. Hac quoque conſideratione iterum & magnopere expoſcimus adventum veſtrum, quo & dicti Fratres pro ampliori perfectione veſtro inſtituerentur exemplo, & populus regni noſtri prædicti gratiarum & conſolationum ſpiritualium, quas miſericors Deus per vos tam abunde dignatur operari, ſe etiam gauderet eſſe participem. Quod ut fiat, in morem ſuperiorum litterarum noſtrarum caritatem veſtram affectuoſe invitamus. Datum Cracoviæ feria VI. *inter octavas Viſitationis beatæ Mariæ, anno Domini* MCCCCLII.

Kaſimirus Dei gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, & hæres Ruſſiæ &c.

XXI. Non potuit hoc anno Capiſtranus in Poloniam abire, etſi valde cupierit Regis & piiſſimi Cardinalis votis ſatisfacere. Quotidie inſtabant comitia, ſive Principum dieta, quæ modo in hac, modo in illa civitate, ſecundum varias Baronum & Procerum affectiones, diverſaſque rerum contingentias indicebatur. Boemorum etiam & Auſtralium contra Fridericum Imperatorem tumultus, dum vi & armis ab ejus tutela Ladislaum juvenem, Hungariæ & Boemiæ Regem eripiunt, properantem retardarunt. Ut ergo Principes & præcipuas civitates in Cæſaris fide ſolidaret, ad præcipuas Germaniæ Urbes ſe contulit, in quibus mira patravit, & miro populi applauſu receptus eſt. Do teſtem oculatum Joannem Regularem in magno Chronico Belgico, qui virum ſanctum ſe conſpexiſſe, & ad varias partes proſecutum ita teſtatur. *Anno* MCCCCLII. *Frater Ordinis Minorum Joannes de Capiſtrano, Doctor Decretorum, diſcipulus ſancti Bernardini, a Domino Apoſtolico miſſus ad prædicandum & convertendum Boemos, deſcendens per Turingiam, Saxoniam, Miſniam & Moraviam, cum gloria ſimili a terræ Principibus, ab omni clero & populo, cum crucibus & vexillis proceſſionaliter ei obviantibus & Juſtum deduxit, concinentibus, devote ſuſceptus, & in Eccleſiam ſibi competentem fuit introductus. Iſte communiter ante prandium in foro, facta domuncula in altum elevata, primo celebravit, deinde duabus aut tribus horis ibidem Latine omni populo prædicavit, manibuſque & pedibus more Italico prædicata demonſtravit. Ajunt, Erfordiæ ſexaginta millia populi juxta ejus æſtimationem in ſermone ejus tunc fuiſſe, ubi omnes viri in uno latere, & mulieres in altero latere diviſim ſubſtiterunt. Quem alius ejuſdem Ordinis Doctor continuo ſubſecutus, Theutonice de verbo ad verbum expreſſit, quod ipſe prius in Latino prædicavit: quod inde potuit, quia in membrana ſeriem ſermonis audiendo conſcripſit. Prandio autem facto, omnes civitatis & patriæ illius infirmi in forum convenientes, in circulum conſederunt; & ille ſuper-*

ve-

Præcipuas Germaniæ civitates ſua doctrina Capiſtr. illuſtrat.

Chronol. magn. Belgic. ann. 1452.

veniens cum Fratribus ſui Ordinis bene reformatis, reliquiis, quas ſecum detulit, ſingulorum capita tangens, plurimos infirmorum ſanavit, quatumque infirmitate quiſque detineretur, modo bonam fidem recipiendæ ſanitatis haberet: quæ omnia Erfordiæ, Wymariæ, in Nuenborch & Hall ipſum proſecuti, fieri conſpeximus, & mirati ſumus, quia nuſquam talia in libris ſanctis legimus. Lipſiæ ſexaginta ſuppoſita Univerſitatis illius, per caput mortui in ambone fori populo demonſtratum, dicitur convertiſſe, & eos Ordinis ſui habitu ibidem in foro induiſſe.

XXII. Teſtem do alterum ocularem Hartmannum Scheydelium, qui hoc tempore in patriam ſuam, urbem Germaniæ inſignem, Norimbergam veniſſe teſtatur: *Ubi*, inquit, *undique populi motus fuit. Viri & mulieres impetum fecerunt intueri virum, lacrymas lætitiæ devotioniſque mittere, levare in cœlum manus, benedicere venienti, laudare mittentem, tangere, oſculari, qui prope erant, veſtimenta, veluti cœlo miſſum & Angelum Dei reſpicere; apud Minores deinde ſui Ordinis Fratres exceptus eſt.* Ait inſuper ſe beatum virum puſillo corpore Norimbergæ vidiſſe, *ætate ſenecta, annos quinque & ſexaginta natum, ſiccum, aridum, exhauſtum, ſola cute, nerviſque & oſſibus compactum, lætum tamen & in labore fortem, ſine intermiſſione ſingulis diebus prædicantem, altas ac profundas materias abſolventem. Ferunt & hunc Cæſarem Fridericum cupide audiviſſe, multiſque ſermonibus ejus interfuiſſe, ac veſtimentis eum ſacerdotalibus donatum, cum apud Viennam & Auſtrales avaritiam calcavit, libidinem ſubegit, & honores ſeculi fugit, tamdem eum cum honore dimiſiſſe.* *Scheydel. l. 6. mundi ætate.*

XXIII. His adſtipulantur chronica Saxonica MSS. *Anno* MCCCCLII. inquiunt, *Joannes Capiſtranus evangelizando Ratiſponam Bavariæ, tamdem Norimbergam Germaniæ venit, ibique ab omni clero & populo ſolemniter ſuſceptus, ad Ordinis ſui Conventum, jam quinquennium ante reformatum divertit. Et in vigilia ſancti Jacobi aliquot Sorores ſanctæ Claræ, impoſitis ſancti Bernardini reliquiis, ſanitati reddidit. Dici non poteſt, quam hujus Viri ſanctitate & prædicatione Ordo Minorum per Germaniam accreverit. Lypſiæ, quod Miſniæ oppidum eſt, & Academia inſigne, ſexaginta præclaros & doctos homines ſuo habitu veſtivit.* In eadem urbe Lypſiæ poſt biennium fuiſſe, ita teſtatur Paulus Langius: *Anno Domini* MCCCCLIV. *Joannes Capiſtranus, vir ſanctæ vitæ & magnæ doctrinæ, prædicavit ferventiſſime per Germaniam, & Lipz prædicando, aleas omnes poſt quemdam ſermonem comburi fecit.* *Chron. MSS. in noſtra Biblioth.* Sexaginta viros doctos ſimul ad Ordinem recipit *Lang. in Chron. Citizen.*

XXIV. Haud diſſimili reverentia & applauſu in Magdeburgo, nobili Saxoniæ civitate acceptum fuiſſe, teſtificatur auctor non ignobilis, etſi Regularibus parum propitius, Albertus Krantzius: *Ipſius viri, ut ferebant*, inquit, *adſpectus movebat adſtantes, ipſe decentis apparatus (nam vernaculæ noſtræ expers, Latina lingua utebatur in populo) energiam fertur habuiſſe mirabilem, cum poſt illum ex Fratribus qui eum multi & præſtantes viri ſequebantur, interpretaretur populo, quæ ille ante enunciaſſet, utriuſque ſermone in quintam horam extracto, cum prior Joannes in tribus, & qui ſequebatur per reliquum tempus diſſereret. Commovit uſque adeo populum, ut omnia vana ludorum genera, ſcacos, aleas, quicquid id generis eſt, conferrent in forum, fœminæ thoralia & ſtructuras capitis ac alia redimicula vana, ut igne, inſpectante populo, concremarent.* Hujus generis ingentes acervos, & ſex magnos currus variis ludorum inſtrumentis onuſtos Norimbergæ combuſſiſſe, qui adfuit, Nicolaus de Fara in vita a ſe ſcripta recenſet. *Krantz. l. 11. Metrop. c. 39. & l. 11. Saxon. c. 35.*

XXV.

Anno Christi 1452.	Nicolai V. anno 6.	Friderici III. Imp. anno 13.	Religionis Minorum anno 245.

Uratislaviæ magno fructu concionatur.

XXV. Nullibi majores tulit fructus, aut honorificentius fuit fuſceptus, quam in urbe Uratislavienſi, Sileſiæ præcipua. Hoc anno in ejus occurſum tota ſuis ſedibus evulſa viſa eſt proficiſci: Clerus univerſus, & Magiſtratus, omniſque populus cum exultatione advenientem ſuſcepit, & docentem audivit. Nihil hic pravum, quod non correxerit, nihil injuſtum quod non æquaverit, nihil jubebat, quod protinus non fieret, obedientibus cunctis ejus doctrinæ tamquam divinæ. Neque id mirum; illius namque teſtimonia credibilia facta ſunt nimis tot ſignis & prodigiis, quæ in vicinis provinciis & magnis civitatibus perpetravit. Sed præ reliquis illud perterruit, quod in ipſo ſuo acceſſu prope urbem effecit. Fuerunt ex Huſſitis fictiſque Catholicis, qui viro Dei volebant illudere, miraculorum famæ detrahere, & ab Uratislavienſibus præparatam gloriam avertere. Sed cogitaverunt conſilia, quæ non potuerunt ſtabilire, & in foveam, quam foderant, inciderunt. Magno comitatu & funeralium pompa duxerunt in feretro adoleſcentem, mortuumque fingentes, magnis precibus rogaverunt, ut vivificaret. Ille cœlitus edoctus inſidias, voce magna & terribili clamore coram univerſo cætu dixit: *Habeat portionem cum mortuis in æternum*, ſtatimque receſſit. Illi vero deridentes: *Ecce*, dicebant, *hominis ſanctitatem & pietatem! abiit, fugit, quia non valet defunctum reſuſcitare. Nunc ergo videbitis in hoc noſtro cætu haberi ſanctiores. Abi*, inquiunt ad quemdam; *tu ſpiritum infunde*. Ille ad feretrum accedens, ait: *Petre, ego dico tibi, ſurge*. Sed non erat vox neque auditus: non reſpondet neque movetur. Accedit propius illuſor, ſubmiſſaque dicit voce: *Surge, quid facis? tempus eſt opportunum reſuſcitandi*. Nihil tamdem alta ſubmiſſave voce proficiens, tangit, palpat, attrahit, mortuumque vere comperit, quem vivum adduxerunt. Pœnitentia ducti, veniam petunt a beato Viro, & facile obtinuerunt, qui ad unionem Eccleſiæ acceſſerunt: duos præcipuorei auctores Romam miſit Dei magnalia teſtificaturos, & perfidiæ indulgens tiam reportaturos.

Hiſtor. MSS. Polon.

Magno miraculo hæreticorum avertit ludibrium

Ibidem. Hebræos Chriſtianæ fidei ibidem inſultantes aſpere punit.

XXVI. In ipſa Uratislaviæ urbe ſevero ſupplicio alios perterruit. Judæis vendiderat quidam ruſticus hoſtias ſacratas novem, quas illi linteo ſuperpoſitas virgulis cedebant, irriſorie repetentes: *Hic eſt Deus Chriſtianorum*. Atqui ita vere eſſe ille demonſtravit, emiſſo ex formulis copioſo ſanguine, qui linteum intinxit. Re patefacta, pro Inquiſitoris munere Capiſtranus plurimos comprehendit, torturæ ſubdidit, crimen ue faſſos flammis ſubjecit. Dum hæc agerentur, acceſſit mulier ab Hebraiſmo converſa, narravitque ſe vidiſſe ab aliis Hebræis projectam in ignem ſacram hoſtiam ter reſiliiſſe illæſam, converſamque tunc vetulam, quæ protinus Deum verum confeſſa reverenter adoravit. Indignati Judæi occiderunt, & in obſcuro angulo ſepelierunt. Inſuper dixit furatos puerulum Chriſtianum optimis cibis impinguaſſe, & deinde in cado inter clavorum aculeos volutatum occidiſſe, ſanguinem ſacrificaſſe, & ad propinquas ſynagogas miſiſſe; corpuſculum in penetrabilibus ædium condidiſſe. Miſſis, qui rei veritatem inquirerent, inventa ſunt corpora, diſtribuitque tamquam Martyrum reliquias Capiſtranus. Combuſti ſunt ruſticus, & Judæi quadraginta unus, ſcelerum participes, reliqui extra Regis Ladislai dominium acti in exilium, retentis filiis ſeptennio minoribus, qui Capiſtrani conſilio baptizati ſunt, & Chriſtianorum traditi diſciplinæ. Ita licuiſſe, etſi in adverſa alii ſiſtant opinione, docto probavit tractatu multorumque teſtimoniis, quæ Ladislao tranſmiſit. Synagogæ magiſter ſe ſtrangulavit, alioſque habuit imitatores. Ladislai pater Albertus Cæſar ob ſimile facinus duo mil-

Vide Domin. de Soto in 4. d. 5. q. un. ar. 10. & alios ibid.

lia

lia Judæorum una incluſa domo flammis conſumpſit.

XXVII. Multis hac in urbe præclare geſtis, Olomutium rediit, ubi cum audiret miracula a ſe patrata, ab hæreticis calumniari, in eorum perfidiam ſemel ex ſuggeſto acriter invectus, dixit: *Si quis inter vos eſt, qui dum alias vobis evangelizarem, per Dei gratiam ab infirmitate aliqua ſanatus eſt, ſurgat, & teſtimonium perhibeat veritati.* Statim coram univerſa multitudine ſurrexit unus, elata voce ita pronuncians: *Quando alias nobis hic Pater prædicavit, infirmus eram, & taliter pedibus affectus, ut per me ipſum incedere non valerem. Ad eum delatus, ejus manu tactus & ſignatus ſtatim convalui, & exiliens lætus receſſi.* Deinde ſermonem proſecutus præclare diſſeruit de fidei puritate, divinis teſtimoniis confirmata, de hæreticorum vafritie & mendaciis, de ſanctæ Romanæ fidei veritate, & ſuper omnes excellentia.

XXVIII. Præter Capiſtranum, multi alii hujus Ordinis viri impigre hoc tempore laborabant in variis partibus Orientis & Aquilonis, quibus per hoc diploma confirmata voluit Pontifex omnia privilegia tam a ſuis prædeceſſoribus, quam a ſecularibus Principibus conceſſa.

Per Orientem & Aquilonem inſigniter laborant Minoritæ.

Dilectis filiis, Guardianis & Fratribus Ordinis Minorum, in domibus dicti Ordinis, in terris Saracenorum, Paganorum, Græcorum, Bulgarorum, Cumanorum, Iberorum, Alanorum, Gazarorum, Gothorum, Sarthorum, Ruthenorum, Jacobitarum, Nubianorum, Neſtorianorum, Georgianorum, Armenorum, Indorum, Meclitorum, aliorumque infidelium, nationis Orientis & Aquilonis conſiſtentibus & commorantibus.

XXIX. *CUm a nobis petitur, quod juſtum eſt & honeſtum, tam vigor æquitatis quam ordo exigit rationis, ut id per ſollicitudinem officii noſtri ad debitum perducatur effectum. Ea propter, dilecti filii, veſtris juſtis ſupplicationibus grato occurrentes aſſenſu, omnes libertates, immunitates & litteras, tam per fel. rec. Clementem Papam IV. quam alios prædeceſſores noſtros Romanos Pontifices ſive per privilegia, vel alias indulgentias vobis & domibus veſtris conceſſas; necnon libertates ſecularium exactionum a Regibus & Principibus, aut aliis Chriſtifidelibus, rationabiliter vobis & dictis domibus veſtris indultas, ſicut ea omnia juſte & pacifice poſſidetis, vobis & per vos eiſdem domibus, Apoſtolica auctoritate confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno &c.* MCCCCLII. *pridie Kalendas Aprilis &c. anno* VI.

Ex l. 36. Bullar. fol. 136. Iis multa concedit Pontifex.

XXX. Inquiſitorem hæreticæ pravitatis in Sardiniæ inſula hoc anno inſtituit Pontifex fr. Joannem de Salmiſaureh., Vicarium generalem fratrum Minorum in eadem inſula. Perperam itaque dixit Ludovicus a Paramo primum inſtitutum Inquiſitorem Sanctium Marin anno MCCCCXCII. Inſtitutionis hoc profero inſtrumentum.

Inſtituitur Inquiſitor in Sardinia fr. Joan. de Salmiſauren. *Paramo de S. Offic. l. 2. tit. 2. c. 13. num. 3.*

Dilecto filio Joanni de Salmiſauren., Ord. Fratrum Minorum Profeſſori, in tota inſula Sardiniæ Vicario generali ſecundum morem dicti Ordinis, Inquiſitori hæreticæ pravitatis per Sedem Apoſtolicam deputato &c.

AD extirpandum ubilibet peſtem hæreticæ pravitatis, per quam Fidelium animæ, quaſi quibuſdam laqueis irretitæ, a via veritatis deviant, & ad damnationis perpetuæ baratrum dilabuntur, libenter officii noſtri partes ap-

Ex l. 37. Bullar. fol. 135.

apponimus, & opportunum remedium adhibemus. Affectantes igitur ad hujuſmodi negotium fidei in inſula Sardiniæ, ad quam & illius incolas gerimus affectum ſingularem, talem deputare perſonam, cujus honeſta converſatio exempla tribuat puritatis, & ex ejus ore ad laudem divini nominis doctrina diffundatur, quo ſalutares fructus pariat, & ipſius miniſterio omne fermentum expurgetur; ad perſonam tuam, quam Religionis & Fidei ſinceritate & maturitate morum, litterarum ſcientia & multarum aliarum virtutum donis inſignitam eſſe percepimus, aciem noſtræ mentis dirigentes, te, quem ex fideli relatione notabilium perſonarum nobis facta, ad hujuſmodi officium ſufficientem & idoneum reputamus, Inquiſitorem hæreticæ pravitatis in tota inſula Sardiniæ, auctoritate Apoſtolica uſque ad noſtrum beneplacitum facimus, conſtituimus ac etiam deputamus. Quocirca diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, tibi etiam tenore præſentium injungentes, ut rejectis quibuſvis privatis reſpectibus, ſolum Dei honorem et Fidei augmentum præ oculis habens, ſpiritum fortitudinis induens, prædictum Inquiſitionis officium in prædicta Inſula, prout tanti negotii utilitas ſuadebit, ſub ſpe mercedis æternæ, ita efficaciter proſequi ac exequi ſtudeas diligenter, ut per ſollicitudinis tuæ prudentiam, radix pravitatis prædictæ penitus evellatur, et evulſis ac eradicatis hujuſmodi ſentibus ac vepribus et venenoſis contagionibus, Catholicæ Fidei fructus uberes afferas; proceſſurus tam ſecundum indulgentias et privilegia Inquiſitoribus pravitatis ejuſdem prædicta auctoritate Apoſtolica deputatis, ſeu officio hujuſmodi Inquiſitionis ab eadem Sede conceſſa, quam etiam ſecundum canonicas ſanctiones. Per hujuſmodi autem deputationem de tua perſona in Inquiſitionis officio prædicto per nos factam, locorum Ordinariis, quominus ipſi Inquiſitionis officium ſuper labe prædicta, prout volunt dictæ canonicæ ſanctiones, exercere valeant, et prædictis vel quibuſvis aliis privilegiis tui Ordinis, vel Inquiſitoribus in officio memoratis, ſi quæ ſunt eis a dicta Sede conceſſa, nullum volumus præjudicium generari. Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno &c. MCCCCLII. v. *Kal. Julii &c. anno* VI.

Floret Alphonſus de Spina.

XXXI. Hoc tempore floruerunt in regno Caſtellæ in Hiſpania: ſc. Alphonſus de Spina, vir doctus & pius, qui Alvarum de Luna, ſumma apud ipſos Reges auctoritate, magnis Principibus ſuperiorem, demum ipſa fortunæ varietate admirandum, in morte, dum memorabili per omnes ætates ſupplicio anno ſequenti MCCCCLIII. afficeretur, religioſe conſolatus eſt. Eum laudat Stephanus Garibayus, & Joannes Mariana: *Edidit*, inquit hic, *fortalitium fidei, ſplendido titulo, voce barbara, eruditum opus, & divinarum rerum cognitione præſtanti*. In regiſtro Generalis Angeli de Peruſio invenio eum hoc tempore Regentem fuiſſe ſtudii Theologici in Conventu Salamantino. Barcinone in Catalonia Ludovicus Tremius ſacræ Theologiæ celebris profeſſor, cui quædam hoc anno indulget Pontifex privilegia. Albonæ in Iſtria fr. Hieronymus Albonenſis, quem Nicolaus hoc anno Abbatem inſtituit Monaſterii ſancti Marini de Bozana, Corbanien. diœceſis, Ordinis ſancti Benedicti, diſpenſatumque voluit, ut ejuſdem Monaſterii habitum ſuſciperet.

Garib. in Chron. Caſtel. lib. 16. c. 46.
Marian. l. 22. de reb. Hiſpan. c. 13.
Ludov. Tremius.
Hieron. Albonen.

XXXII. Ad Eccleſias Cathedrales aſſumpti hoc anno unus aut alter. Ad Montis-Marani in regno Neapolitano, ſub Archiep. Beneventano, fr. Marinus de Monopolo, per obitum Auguſtini, pridie Idus Julii. Almerien. in Hiſpania, nunc ſub Archiep. Granatenſi, fr. Joannes de Guitaria ſac. Theologiæ profeſſor, per obitum Gregorii, pridie Kalend. Maii. In alio codice conſiſtoriali invenio ad hanc Eccleſiam anno MCCCCXLIX. promotum.

Fr. Marin. Epiſc. Montis Marani. Fr. Jo: Almerien.

XXXIII.

XXXIII. Habuerunt hoc anno die XXVII. Maii generalem conventum Fratres regularis Obſervantiæ Ciſmontani in Cœnobio ſancti Juliani extra Aquilam, Præſide fr. Marco Bononienſi, qui Joannis Capiſtrani Vicarii generalis locum & poteſtatem tenebat in Italia. Hunc idoneum & dignum judicarunt Patres, qui eidem in Vicariatu ſuccederet, quippe nobilem, doctum & religioſum; de quo multa nobis dicenda inferius occurrent. Condita in hoc Capitulo multa ſtatuta, quæ cum reliquis, Deo dante, libro dabimus peculiari. Convenerant Fratres mille quingenti, quibus excipiendis anguſtus nimis erat Conventus ſancti Juliani, cupieruntque anno elapſo cives Aquilani, ut coirent ad comitia venturi in capaciſſimo Patrum Conventualium domicilio. Noluit Capiſtranus, uti ſuis litteris anno proxime elapſo declaravit, malueruntque Patres Capitulares arctiori habitaculo ſub ſtrictiori diſciplina cohabitare. Confirmarunt in Guardianatu Hjeroſolymitano ſacri Montis Sion fr. Balthaſarem de Monte ſanctæ Mariæ in Georgio, etſi annis ſex eumdem retinuerit; etenim laudabiliter & magno ſanctorum locorum incremento toto illo tempore gubernavit. Egit itaque inſtanter Philippus Dux Burgundiæ, ſummus Benefactor, & optimus Fratrum, qui Hjeroſolymis degebant, protector, ut in regimine perſeveraret, pro qua re diploma impetravit Pontificium. Chronicon magnum Belgicum affirmat, hunc Principem Hjeroſolymitanis Fratribus quotannis alimoniam, & quæ alias neceſſaria erant, miſiſſe. Ejus ſumptibus prædictus Balthaſar multa adjecit ædificia tam in Conventu Montis Syon quam Bethlehemitano, alia reſtauravit, eaque præſtitit, quæ multis erant admirationi, tempore præſertim incommodo, quo Fratres acerbe a Sarracenis affligebantur. Do litteras Pontificias.

Celebratur capit. 5. generale Obſervantũ Ciſmont.

Eligitur Vicarius generalis Marcus Bononien.

Confirmatur Guardianus Hjeroſolymitanus.

Chron. magn. Belg. anno 1449.

Dilectis filiis Capitulo Fratrum beati Franciſci de Obſervantia nuncupatorum, in civitate Aquilæ celebrando.

XXXIV. *Dilecti filii, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Ex fide dignorum relatione intelleximus, quod dilectus filius Balthaſar de Monte ſanctæ Mariæ in Georgio, veſtri Ordinis profeſſor, officium Guardianatus ſacri Conventus Montis Syon per ſex annos vel circa laudabiliter rexit & gubernavit, ac multa ædificia interim fieri, & facta augmentari fecit tam in dicto Monte Syon, quam in Conventu de Bethleem, non ſine magnis laboribus & ſollicitudine, prout relatum eſt nobis. Cum autem dilectus filius nobilis vir, Philippus Dux Burgundiæ, pro reparatione dictorum locorum multas pecunias expenderit, & expendere ſit paratus, dummodo utiliter expendantur, ac de induſtria & diligentia dicti Balthaſaris in hujuſmodi ædificiis perficiendis plurimum confidat, & magis cupiat, ut hic, qui jam in talibus eſt expertus & plus novit quomodo talia fieri debeant, & cum minori impenſa, quam alius, qui de novo illuc mitteretur. Nos videntes ipſum Ducem bonis rationibus ad hoc moveri, & deſiderantes ut ædificia incœpta perficiantur, exhortamur in Domino devotionem veſtram, ut noſtra & dicti Ducis contemplatione, ac pro utilitate & augmento dictorum locorum velitis non amovere ipſum Balthaſarem ab officio Guardianatus hujuſmodi, ſed potius confirmare & remittere eum ad loca præfata, ne ſi forſan alius mitteretur, devotio Ducis refrigeſceret, & ceſſaret a propoſito ſuo. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die* XXVIII. *menſis Aprilis, Pontificatus noſtri anno ſexto.*

Ex regiſtr. Ord. fol. 6.

XXXV. In hoc capitulo ſua ſpe fraudatus eſt Robertus Licienſis, inſignis

Roberti Licienſis & aliorum inconſtantia.

gnis alias & celeberrimus concionator. Ambiebat inter Fratres Præſulatum, ſive ſpecimen aliquod honoris in comitiis conferendum. Renuerunt Superiores propter impetratum Breve Apoſtolicum & facultatem quo vellet prædicationis titulo proficiſcendi, ſolique Miniſtro generali obſequendi. Cœpit itaque ſuperiores regularis Obſervantiæ deſpicere, in ipſum Sodalitium vehementer invehi, Patribus Conventualibus adhærere. In ſuam ſententiam traxit Joannem Veranum de Volaterris, & Angelum de Rupe Maritimæ, provinciæ Etruſcæ, utrumque celebrem concionatorem. Hic paulo poſt e Cœnobio Piſtorienſi Conventualium, fœda & diuturna gravatus infirmitate, deportatus eſt ad xenodochium Cippi, ubi miſere vitam finivit. Ille Aquilam miſſus a Miniſtro generali, ut in quadrageſima prædicaret, fautores habuit Epiſcopum & Comitem Montorii, ſed populum averſum, qui prius avide excipiebat ſub ſtrictiori vitæ genere in ſpiritu vehementi prædicantem. Quantum itaque ſtatus mutatio diſplicuerit, oſtenderunt univerſi: pauci hunc in æde ſancti Franciſci, ferme omnes in area ſancti Thomæ prope Eccleſiam ſanctæ Mariæ de Aſſerico Dominicum a Goniſſa Picenum, reſtitutæ diſciplinæ profeſſorem, audiebant. Auxit hoc livorem, & quo potuit ſtudio contra Obſervantes ſimul cum Roberto pugnavit, eoque demum perventum, ut magna commotione fluctuarit hoc germen novellum. Per aliquot annos duravit tempeſtas, ſedavit tamdem Calixtus III. Præcipui procellarum motores Robertus & ſocii, quibus poſtea Jacobi a Mozanica, mox Miniſtri generalis auctoritas acceſſit. Frequenter de his controverſiis per annos ſequentes ſermo redibit.

XXXVI. Judicavit Marcus Vicarius generalis omnino neceſſarium obviare tantæ Prædicatorum aliorumque libertati, qui ſub ſpecie aut prætextu facultatis Pontificiæ temere divagabantur, & ſuperiorum declinabant correctionem. Impetravit itaque a Pontifice ſequens diploma.

Dilecto filio fr. Marco de Bononia, Ordinis Minorum de Obſervantia Vicario generali partium Ciſmontanarum.

Ex autographo. Ne Fratres abſque ſuperiorum licentia divagentur.

Dilecte fili, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Quia, ut accepimus, nonnulli Fratres tui Ordinis correctiones ſuorum Prælatorum fugientes, abſque licentia hinc inde vagantur, in Religionis opprobrium, & pernicioſum ac deteſtabile exemplum plurimorum. Volentes juxta noſtrum paſtorale officium providere ut debite puniantur, ita ut ceteri hujuſmodi exemplo admoniti, a ſimilibus exceſſibus abſtineant; tibi qui in Capitulo Aquilæ celebrato in feſto Pentecoſtes proxime præterito Vicarius generalis Fratrum de Obſervantia partium Ciſmontanarum eſſe diceris inſtitutus, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium concedimus, ut omnes & ſingulos Fratres hujuſmodi ita aberrantes, juxta delictorum exigentiam & conſtitutiones Ordinis corrigere & caſtigare valeas: Non obſtantibus quibuſcumque litteris & gratiis, ipſis Fratribus ſub quacumque verborum forma conceſſis, quas harum ſerie revocamus, nec ullum illarum virtute volumus eis ſuffragium generari, quin debitam ſubterfugiant punitionem; mandantes inſuper eiſdem Fratribus in virtute Sanctæ obedientiæ, ut gratiis & exemptionibus prædictis, quæ a laudabili & approbata conſuetudine Ordinis prædicti deviarent, nullo modo utantur, ſed omnia cum tuo ſcitu & voluntate, ſicut adſtricti ſunt, peragant. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die XV. *menſis Junii* MCCCCLII. *Pontificatus noſtri anno ſexto.*

Marc. Bononien. Provincias percurrit.

XXXVII. Impigre deinde Marcus tanto ferendo ſe ſuccinxit oneri,

vo-

voluitque præſens oves ſibi commiſſas videre. Impetrata itaque venia & benedictione Nicolai Pontificis die XV. Julii, neceſſariiſque munitus privilegiis, quæ ſumma benignitate Papa viro ſibi familiari & gratiſſimo liberaliter conceſſit, confirmatis etiam omnibus ſuorum prædeceſſorum indultis, & facultate celebrandi ſancti Bernardini officium cum octava, ſub finem ejuſdem menſis, periculoſo tempore Neapolim, adverſi cœli impreſſionibus æſtuantem, profectus eſt. Multa hic prudenter inſtituit, correxit, reſtauravit: deinde in Apuliam, mox in Dalmatiam & Iſtriam tranſivit. Monitus a Capiſtrano, pleraſque domos a ſe & ſociorum miniſterio in Auſtria, Boemia, Moravia & Stiria erectas in unam coaluiſſe ex Pontificis indulto provinciam, eumdem voluit ſuper omnes Commiſſarium. Timens vero ne ille ſe huic ſubſtraheret oneri, ſubmiſit ejuſdem poteſtatis inſtrumentum ad Gabrielem Veronenſem, Capiſtrani comitem, ea virtute & dignitate pollentem, ut paulo poſt ad purpuram adſcitus ſit Romanam. Qualem de utroque conceperit Marcus opinionem, his litteris oſtendit.

Capiſtranum inſtituit Commiſſarium Auſtriæ, Boemiæ &c.

In Chriſto ſibi cariſſimo Patri, ſemper atque ubique plurimum reverendo, fr. Joanni de Capiſtrano Ordinis Minorum, non modo familiæ noſtræ, verum totius militantis Eccleſiæ lucernæ fulgidiſſimæ, Dominique verbi mirifico præconi, ac dulciſſimi nominis Jeſu ad barbararum uſque ferociſſimarumque nationum cubilia bajulo: fr. Marcus de Bononia ejuſdem Ordinis R. P. Generalis in omnibus partibus Ciſmontanis, quoad Fratres de Obſervantia nuncupatos, generalis Vicarius immeritus, ſalutem & pacem in Domino ſempiternam.

XXXVIII. *Cum plurimis ac variis mihi in Italia incumbentibus negotiis nulla veniendi ad R. P. tuam, neque novellas viſendi plantulas, quod maxime peroptaveram, ſpes mihi relicta ſit; hinc eſt, quod ego, qui R. P. tuæ pro meis demeritis ad tantam officii adminiſtrationem ſucceſſi, te Patrem meum, quem noſtræ Religionis reverendi probatiſſimique Patres virtutibus omnibus præditum, in omni genere diſciplinæ inſtructiſſimum, omni religione probatum, omni gratia imbutum, ſummis laudibus extollendum, omni honore decorandum, omni dignitate ſublimandum, ſemper pro tua ſingulari laudabiliſſimaque vita eſſe duxerunt, provinciæ Auſtriæ, Boemiæ, Moraviæ & Stiriæ, quas omnes in unam provinciam auctoritate Apoſtolica conjunctas eſſe ſcribis, meum verum & legitimum Commiſſarium inſtituo, inſtitutumque denuncio per præſentes, cum plenaria poteſtate & auctoritate vocandi, citandi, inquirendi, examinandi, procedendi, judicandi, admonendi, corrigendi, puniendi, carcerandi & a carceribus liberandi, ordinandi, diſponendi, reformandi, viſitandi publice & private; Fratres collocandi & commutandi, ac etiam ſubſtituendi vel ſubdelegandi unum vel plures Commiſſarios, veluti Paternitas tua viderit opportunum: omnes quoque gratias a Sede Apoſtolica, & a meis anteceſſoribus quoquo modo conceſſas libentiſſime tibi confirmo. Inſuper concedens poteſtatem capiendi loca, ſi tamen tibi ab Apoſtolica Sede tributa ſit auctoritas; induendi ad Ordinem, recipiendi ad Profeſſionem, ad Ordines licentiandi, prædicatores confeſſoreſque faciendi, Capitula tenendi, quoties & quando Paternitati tuæ neceſſarium videbitur: Item concedendi, quibuſcumque tibi libuerit, ſuffragiorum litteras; & demum omnia & ſingula faciendi, adminiſtrandi, gerendi & exercendi, quæ ego ipſe facere poſſem, ſi perſonaliter adeſſem. Mandans omnibus & ſingulis ſubditis, quæcumque officia gerentibus, meæ curæ commiſſis, ad me-*

Ex regiſt. Marci. fol. 2.

meritum obedientiæ ſalutaris, & in virtute Spiritus ſancti, quod tibi Patri meo, tamquam mihi, firmiter pareant & intendant; injungenſque tibi per eamdem obedientiam ſalutarem, ut prædictum Commiſſariatus officium per me ſanctis tuis humeris impoſitum, abſque ulla excuſatione ſuſcipias, ſuſceptumque ſolita virtute exerceas, ſecundum ſuperabundantem gratiam a Domino tibi datam: hoc addito, quod nullus me inferior poſſit iſtarum litterarum nec verbum nec apicem impedire. Poſtremum omnium peto ac magis magiſque deprecor, ſi quid in his litteris oblivioni datum eſt, quod tibi Patri meo concedendum fuiſſet, mihi veniam dari, omnia oblita, ſimul ac ſignificaveris, abundantiſſime ſupplere paratiſſimo. Vale, mi Pater optime, & pro nobis filiolis tuis propitium tibi Omnipotentem deprecari memento. Ex loco noſtro ſancti Andreæ extra Barulum III. *Novembris* MCCCCLII.

In Chriſto ſibi cariſſimo, ac Patri reverendo, fr. Gabrielli de Verona, Ordinis Minorum, Domini verbi præconi doctiſſimo: fr. Marcus de Bononia ejuſdem Ordinis minimus & indignus, ac R. P. Generalis in omnibus partibus Ciſmontanis, quoad Fratres de Obſervantia nuncupatos, immeritus Vicarius generalis, ſalutem & pacem in Domino ſempiternam.

Inſtit. fol. 3.

XXXIX. *Impoſiti mihi hujus ponderis officii ſedulo me cura ſollicitat, & conſcientiæ pungit aculeus, ut cum omni diligentia & promptitudine ad ea diligentius attendam, per quæ in noſtra ſacra Religione ipſa regularis Obſervantia continua virtutum incrementa ſuſcipiat, divinus cultus augeatur, procuretur ſalus animarum, ac utriuſque nominis pax & concordia inter Fratres vinculo caritatis perſeveret, ineſſeque jugiter dignoſcatur. Cum Reverendus itaque Pater ſingularis, fr. Joannes de Capiſtrano multo labore, abundantiſſimo quoque ſudore, divina ſibi præ ceteris favente clementia, non ſolum in univerſa Italia, quæ jam ſuis redundat virtutibus mirabilique doctrina, verum etiam in peregrinis regionibus atque ignota lingua virentes, jamque florentes inſeruerit plantulas, ita ut jam quatuor provinciarum noſtræ familiæ Fratres mirum creverint in modum: Hinc eſt, quod ego cupiens novis præfatis plantulis immaculatiſque oviculis paſtore carentibus, quemadmodum mea intererat, rectorem atque gubernatorem adinvenire; te, de cujus vita laudabili, ſufficientia multiplici, diſcretione præfulgida, prudentia circumſpecta, experientia veterata . . . quatuor provinciarum, videlicet Auſtriæ, Boemiæ, Moraviæ & Stiriæ, quas omnes in unam provinciam auctoritate Apoſtolica eſſe conjunctas intelligo, meum legitimum Commiſſarium inſtituto, inſtitutumque denuncio, cum plenaria poteſtate & auctoritate vocandi, citandi, inquirendi, examinandi, judicandi, corrigendi, carcerandi & a carceribus liberandi, ordinandi, viſitandi publice & private; Fratres collocandi & commutandi, ac omnia & ſingula faciendi, quæ præfatus R. P. Fr. Joannes de Capiſtrano, cujus obedientiæ, auctoritati, judicio, voluntati, diſpoſitioni te ſubjicio, facere & exercere poſſet, ſi perſonaliter adeſſet: mando quoque omnibus & ſingulis Fratribus ſubditis, & quæcumque officia gerentibus, in omnibus præfatis provinciis commorantibus, ut tibi tamquam mihi per obedientiam in virtute Spiritus ſancti pareant & intendant. Injungens tibi per eamdem obedientiam ſalutarem, ut prædictum Commiſſariatus officium, per me tuis humeris impoſitum, ſine ulla excuſatione ſuſcipias, ſuſceptumque diligenter exerceas uſque ad propinqui futuri Capituli tempus, quod per præfatum R. P. Fr. Joannem inſtituendum ordinandumque eſt. Vale in Chriſto Jeſu, & oves tibi commiſſas*

ſas ſummo ſtudio diligentiſſimaque cura, veluti pro tua virtute conſueviſti, protege atque guberna. Datum Baruli in loco noſtro III. *Novembris* MCCCCLII.

XL. Deſtinatis etiam litteris ex Conventu ſanctæ Mariæ Columnæ prope Tranum die XXI. Novembris Antonium Bitontinum, virum præclariſſimum, inſtituit provinciæ Apuliæ cum plenitudine poteſtatis Commiſſarium. Quanti hominem fecerit, epiſtolæ docebit inſcriptio. *In Chriſto ſibi reverendo Patri fr. Antonio Bitontino, Ordinis Minorum provinciæ Apuliæ Vicario digniſſimo, viro optimo, benigniſſimo, ſapientiſſimo, verbi Divini præconi mirifico: Fr. Marcus de Bononia, &c.* Inde etiam ſcripſit Roberto Licienſi, ne Magiſtratus aut populi Aquilani ſpem amplius eluderet, a quibus repetitas ſe recepiſſe litteras refert, & peculiares nuncios ad hoc ipſum miſſos, ut eo mitteret prædicaturum; efficaciſſimis verbis vehemens civium deſiderium, ſcandalum, ſi neget, commodum, ſi annuat, expoſuit; præparari in novo Cœnobio ingentique templo ſancti Bernardini corpori condendo locum; dignumque pium populum, qui a Bernardini aſſeclis, præſertim in re pia, in tali petitione exaudiatur. Surdo cecinit, paſſione, quam ſupra dixi, tranſverſum agente hominem privilegio Apoſtolico & Principum favore munitum.

Robert. Licien. non vult prædicare Aquilanis.

XLI. Jacobus de Marchia, functus Vicariatu provinciæ Marchiæ ſuperius indicato, ad majores ſe accinxit labores, ſtatuitque Dalmatinis & Boſnenſibus contra hæreticorum verſutias omnem opem adhibere. Pigebat hærere in patria, excitabatque ad nobiliores conatus conſodalis & amici Capiſtrani inter Germanos & Boemos indefeſſa ſollicitudo. Dolebat, Boſnam toties a ſe perluſtratam adhuc Manichæorum inquinari perfidia, & propinquam Dalmatiæ regionem eodem tabo fœdari. Petiit itaque a Vicario generali facultatem ad has regiones proficiſcendi, a quo hoc accepit reſponſum.

Anno 1449. *n.* 12.

Jacob. Picenus proficiſcitur in Dalmatiam & Boſnam.

In Chriſto ſibi reverendo Patri Fr. Jacobo de Marchia, Ordinis Minorum familiæ noſtræ Patri obſervantiſſimo, viro optimo, benigniſſimo, omni religione probatiſſimo, Domini verbi prædicatori flagrantiſſimo:
Fr. Marcus de Bononia, &c.

XLII. *Cum tanta vis morbi ac peſtis verſutia tetri nefandique Tartarei Principis ob multorum ſceleſte creverit facinus, ut ſaniem totum ſpargens porrigenſque per Orbem, plurimas jam fœdaverit provincias, ipſarumque incolas non modo hæreſes, quibus eos jam damnatos conſpicimus, ſed etiam ipſarum belluarum & mores & ſenſus, velut cœlitus illapſum aliquid, venerari atque obſervare coegerit. Hinc eſt quod ego intelligens, te ardenti caritate ſuccenſum velle tranſire in provinciam Dalmatiæ atque Boſnæ ad ferales illos hominum permulcendos animos, perditiſſimaſque evellendas hæreſes, te dulciſſimum Patrem: quem ſemper virtutibus omnibus præditum, in omni genere bonitatis inſtructiſſimum, omni religione probatum, omni gratia imbutum & exiſtimo & confirmo; cujuſque humanitas, cujus pietas, cujus caritas, cujus religioſiſſima laudabiliſſimaque vita, cujus converſatio, diſcretio, gravitas, auctoritas, ſaluberrimaque doctrina maximum ubique Dei honorem, animarum ſalutem, multorum populorum fructuoſiſſimam peperit utilitatem, ut omnes te ſive ſeculares ſive Fratres in cunctis rebus tibi aut commodis aut neceſſariis debite, benigne, caritative excipiant, nutriant & foveant: Commiſſarium meum ad præfata expedienda, videlicet*

Ex reg. Mar. fol. 4.

Laudatur.

ut

ut voluntati tuæ contradicentibus præcipere, ſilentiumque imponere, ipſoſque at ſubditos pertractare valeas, in præſcriptis provinciis inſtituo. Quod officium a me tibi impoſitum, & quantum imponenti libuerit duraturum, ut libere & expedite & ſine ullius perturbatione tibi a quocunque illata, ſanctiſſimum tuum, imo & meum perficere deſiderium poſſis, ſi qui venerati non fuerint, & tibi tamquam mihi vel non pareant, aut te non venerentur, intelligant nihil mihi fore moleſtius, & ſe impune haudquaquam facturos: Omnibus vero Fratribus & ſingulis Prælatis & ſubditis, ad quos vel per quos te vel tranſitum vel moram facere contigerit, per eamdem obedientiam præcipio, ut in præfatis omnibus & ſingulis tibi, velut mihi, ſint in adjutorium atque ſolamen; ſuffragiorum præterea litteras omnibus devote petentibus ut dare poſſis, meam tibi auctoritatem contedo. Vale mi Pater optime, & exiguum per me tibi onus impoſitum tua ſolita virtute perficere cura, & pro me, ut ſoles, ardentiſſimas preces effundere memento. Raguſii provinciæ Dalmatiæ penultimo Decembris MCCCCLII.

Rex Renatus Ordini addictiſſimus.

XLIII. Renatus Dux Lotharingiæ, olim Siciliæ Rex, ab Alphonſo Aragonio pulſus, erga Ordinem ſumme propenſus, ſtatuit tria domicilia Fratribus totidemque Sororibus ædificare. Facultatem a Nicolao Pontifice obtinuit, ea adjecta declaratione, ne ſubderentur Fratribus *de Bulla*, videlicet Obſervantibus, quos ita Conventuales propter bullam Eugenianam nuncupabant, ſed Miniſtro generali immediate, ſub reformatione tamen B. Coletæ. Clauſulam hanc bullæ perperam intellexit Fodereus, & modo interpretatur peregrino. Diploma incipit: *Pia Deo & Eccleſiæ deſideria*. Idib. Julii. An vero Renatus hos ædificaverit Conventus, neſcierim; ſolum unum inter Tonarum villas prope confinia Lotharingiæ & Comitatus Burgundiæ referunt Gonzaga & Picquetus ab eo conſtructum. Fodereus alteri adſcribit, nempe Guillelmo Sanlupio Tonarum Domino, & Joannæ Choyſeux ejus conjugi, probatque ex quodam inſtrumento, quo Joannes Renati filius, Lotharingiæ & Barii in abſentia patris Gubernator, concedit penultimo die Maii anno MCCCCLI. facultatem prædicto Domino Guillelmo, ut in quodam prædio feudali, eo ipſo in loco quo domus iſta ſita eſt, Cœnobium pro Fratribus Obſervantibus ædificet. Virtute bullæ conceſſæ Renato ædificium inchoaſſe, & primum poſuiſſe lapidem Poncium Abbatem Flavimontis, Guillelmi conſanguineum, hoc ipſo anno in vigilia ſancti Franciſci, conſtanter aſſerit, & Eccleſiam conſecratam fuiſſe XXVIII. Aprilis anni ſequentis per Jacobum Ordinis ſancti Auguſtini Epiſcopum Nicopolitanum (quem perperam inſcribit Conſtantinopolitanum) Tullenſis ſuffraganeum. Conſecrationem hanc in annum MCCCCLXI. diem XV. Junii differt Picquetus, & totius domus conſtructionem in annum MCCCCLXXII. protrahit Gonzaga. Tota Cœnobii ſtructura erat ampla, commoda & ſpatioſa, cui dum exigua Eccleſia non concordaret, Fodereus aſſerit, hac dejecta, novam ampliorem extruxiſſe Guillelmi hæredem anno MCCCCLXXXIII. Guardiano fr. Quentino Baudi, & anno MCCCCLXXXVI. die XVI. Junii conſecraſſe fr. Guidonem Carmelitam Epiſcopum Tyberiadenſem, Metenſis ſuffraganeum. Novum tamen hoc templum tribuit Picquetus munificentiæ nobilium & incolarum Tonenſium, ab eiſque ornatum & auctum anno MDXXVI. affirmat. Uno anno diſcordat Gonzaga; id factum narrat anno MDXXVII. & conſecratum anno ſequenti per Petrum Taſſardum Epiſcopum Chryſopolitanum, quem Tripolitanum & Biſuntini ſuffraganeum vocat Fodereus, aſſeritque anno MDXCII. conſecraſſe in eadem Eccleſia duo ſacella. Quam diſſimiles & variæ trium auctorum aſſertiones circa unius Cœnobii ſtru-

Conv. Tonarum. *Gonz. in Prov. S. Bon. Con. 36. Foder. in deſcript. hujus Conventus.*

ſtructuram & Eccleſiæ conſecrationem! Ego Fodereo, etſi alias non ſemel in ſua hiſtoria labenti, accedo, quippe poſterius ſuum opus recognoſcenti, & legitima ſuæ aſſertionis inſtrumenta producenti; Gonzagam & Picquetum de Renati & piorum additamentis, aut reſtituto ab eiſdem Cœnobio putaverim intelligendos, præſertim cum Picquetus fateatur, Cœnobium eſſe ſub tutela familiæ dominorum pagi Tonenſis, ab eiſque donatum Fratribus (quod etiam aſſerit Gonzaga) pomiferum viridarium, & pratum contiguum.

XLIV. Locus eſt amœniſſimus; ex Fratrum cubiculis cernitur ſpatioſa & pulchra planities non longe ab Araris ſcaturigine. Bibliothecam habet copioſam, antiquis codicibus inſtructam. Hinc prodierunt viri religione & doctrina conſpicui: Joannes Conſilii, electus in eodem cœnobio anno MDXLII. Miniſter Provinciæ ſancti Bonaventuræ, quo expleto munere præfectus eſt inſigni Conventui Pariſienſi. Eo fuit ingenio & conſilii dono, ut regni Proceres ardua quæque ejus judicio committerent, eumque Henricus II. ſuum voluerit conſiliarium, confeſſarium & concionatorem, comitemque adhibuerit Eliſabethæ filiæ, Philippo II. nuptæ, in Hiſpaniam profecturæ. Franciſcus Dahy Doctor Theologus, natione Baſſiniacus, qui tamquam alter Elias ardentiſſimo zelo in Novatores, alioſque ejuſdem farinæ Pſeudo-prophetas ardenter detonabat. Numquam illis connivendum, numquam timore vel amore diſſimulandum, pie ſancteque arbitrabatur, cum in his diſſimulare, prodere judicaret. Legit annis multis Pariſiis; ubi tandem obiit anno MDLXXII. ſepultus in clauſtro, magno populi concurſu, qui tamquam Virum ſanctum veneratus, cum ingenti honore per præcipuas plateas & Eccleſias, in quibus Apoſtolice prædicaverat, ſolemniter ingenti numero facularum deduxit, habitumque in reliquiarum particulas certatim diſcidit. Viri illuſtres Conventus Tonarum.

XLV. Fratres Conventus Dolenſis in Comitatu Burgundiæ vitæ ſanctimonia, & perfecta ſui Inſtituti Obſervantia tantam in conviciniis populis aſſequti ſunt opinionem, ut cunctis locis deſiderium indiderint ſui ſimiles apud ſe habendi, & facile obtinuerint tum a Principibus tum a Sede Apoſtolica, ſui Inſtituti multiplicari domicilia. Ad illorum inſtar conceſſit Pontifex Philippo Duci Burgundiæ, optimo Ordinis benefactori, ut proxime narravimus, facultatem tria addendi Cœnobia, ipſorumque precibus ſub idem tempus indulſit, ut alia quatuor conſtruerentur; unum ſcilicet in parochia ſancti Laurentii extra muros Cabilonenſes; ſecundum apud villas Tonarum, de quo nunc actum eſt; tertium in caſtro Neciaco; quartum in alio quocumque loco provinciæ Burgundiæ: *Sacræ Religionis*. XI. Kal. Februarii. Quare virtute hujus diplomatis conſtructum arbitror præcedens Tonarum cœnobium, Cabilonenſe autem in ſuburbio inſulano D. Laurentii ſollicitudine & cura Jani de Or, cubicularii Philippi prædicti Ducis Burgundiæ, ſed impenſis potiſſimum ſui Principis. Primum Eccleſiæ ampliſſimæ, multis ſacellis egregiiſque picturis ornatæ, poſuit lapidem hoc anno XXI. Junii Joannes Germanus Epiſcopus Cabilonenſis. Templum conſecravit anno MCCCCLXVI. die XX. Septembr. frater Antonius Buyſſon Carmelita Epiſcopus Bethlehemita, Suffraganeus Joannis Rolini Cardinalis Epiſcopi Eduenſis. Abſolutum eſt opus ſumptuoſiſſime ſub Calixto III. nihilque omiſſum eſt, quod ad commodum & religioſum Fratrum convictum poterat ſpectare. Domus ſatis amœna eſt in æſtate, ſed hyeme incommoda ſatis, Arari fluvio, cujus brachia in ſe iterum coeuntia inſulam conſtituunt, ſæpius intumeſcente, & omnem planitiem etiam uſque ad altare ſupremum aliquando coo-

Supra n. 33.

Conv. Cabilonen. *Indid. Conv. 13.*

pe-

periente. Religioſorum cubicula amœnum habent proſpectum. Hoſpitum receptacula prius conſtructa ex ea fluminis parte quæ Meridiem reſpicit, a fratre Nicolao Brusle alio translata ſunt anno MDXLIV. ſumptibus Claudii a Lotharingia Ducis Guiſii, tunc Burgundiæ Præfecti, ne munimentis ſuburbii eſſent obſtaculo. Juxta viridarium ſalubre habent Fratres valetudinarium. Anno MDLXII. capta ab hæreticis urbe, aræ everſæ, imagines contritæ, calices & pretioſa quæque direpta, ornamenta eccleſiaſtica in profanos uſus converſa ſunt: ſolum a ſanguine & incendio Novatores abſtinuerunt. Fratrum cura & populi pietate cuncta ferme reſtaurata ſunt, ita ut exigua ſuperſint præfati detrimenti veſtigia. Hujus Cœnobii incolæ, uti proxime dixi, ſubtraxerunt ſe regimini Vicarii generalis Obſervantiæ, & ſub reformatione beatæ Coletæ obediebant Miniſtro generali & Provincialibus, quod etiam hoc anno confirmatum voluerunt diplomate Pontificio: *Ex paternæ caritatis.* VII. Idus Decembris; ſed paulo poſt anno ſequenti petierunt ad obedientiam Vicariorum tamquam ſuo Inſtituto opportuniorem reverti.

An hic initiatus Infans Portugalliæ?

XLVI. Fodereus ait, hic initiatum Sereniſſ. Principem Joannem de Portugallia, Regis Alphonſi fratrem, qui videndæ Galliæ gratia, dum illac tranſiret, religioſo Fratrum exemplo allectus, illis voluit connumerari in feſto ſancti Joannis ante portam Latinam, ſuſcepto habitu a Patre Joanne Tillotto Guardiano, ſpectante univerſo ferme populo Cabilonenſi. Additque ita ei placuiſſe ſacrum vitæ genus, ut cum mortuo Rege fratre prædicto abſque hæredibus, per ſolemnes nuncios expeteretur ad Regnum, conſtanter renuerit; neque voluerit Reginæ genitricis lacrymoſis precibus acquieſcere, ut vel viſum Regnum aut conſanguineos placeret in Luſitaniam reverti; illam vero filium videndi deſiderio inardeſcentem, Cabilonem veniſſe, captamque pietate & ſanctis moribus Clariſſarum Auxonii oppidi Burgundiæ, apud eas ſub habitu ſanctæ Claræ deceſſiſſe, & in earum templo accepiſſe ſepulturam; Joannem vero filium poſt aliquot annos defunctum ſepultum eſſe apud ſuos conſodales Cabilonenſes in ſacello ſancti Joannis Evangeliſtæ. Ingentem inſuper refert ab eo datam Fratribus ſupellectilem argenteam in Eccleſiæ miniſterium, illumque pulchris ornaſſe templum ſacellis & picturis. Illius porro meminerunt Gonzaga & Picquetus in recenſu iſtius Conventus; ille ejus gratia conſtructum a Philippo Duce Burgundiæ affirmat; iſte in ſacello beatæ Mariæ aſſerit ſepultum.

XLVII. Diffuſiſſime rem hanc ſuis partibus & circumſtantiis diſtinctam, primus enarravit Fodereus, ſed unde acceperit non recenſet. Ego in ſerie Regum Portugalliæ nullum hujus Joannis veſtigium reperio. Omnes conſului Luſitanos auctores, qui Regum ſcripſerunt hiſtorias, neque inveni, qui in hac re facem præferret. Alphonſus V. qui hoc tempore regnabat in Luſitania, nullum habuit fratrem Joannem. Eduardus pater ex aulica fœmina furtivo congreſſu ſuſcepit Joannem Emanuelem, qui ex Carmelita Epiſcopus Septenſis, deinde Egitanienſis creatus eſt. Neque abſque hærede deceſſit Alphonſus, ut neceſſe fuerit Joannem hunc ex cœnobitica quiete ad regni tumultus evocare; quippe ſucceſſit Joannes filius hujus nominis ſecundus, qui etiam vivente & volente patre, regni ſuſcepit gubernacula. Mendum eſt etiam aſſerere, Joannis (ſi Alphonſi erat germanus) genitricem in Burgundia Auxonii deceſſiſſe; etenim Leonora Regina, Alphonſi mater, Regibus Aragoniis orta, obiit Toleti.

XLVIII. Quid in hac re dicam, prorſus neſcio. Novi, Alphonſum Regem anno MCCCCLXXVIII. in Galliam abiiſſe, ut auxilium a Ludovico XI. contra Ferdinandum Siciliæ & Caſtellæ Regem impetraret, proſecuturus bello

bello jus, quod in Caſtellæ Legioniſque regnum ſibi competere dicebat ex deſponſata Joanna Henrici IV. filia, pertæſumque inanium pollicitationum Gallici Regis ſtatuiſſe Hieroſolymam habitu privati hominis proficiſci. In hoc itinere, inconſtantiſque ludo fortunæ, ſorte ex comitatu, regia ſtirpe aut familia adoleſcens aliquis Joannes Minoritis nomen dedit; atque, uti ſunt homines majoris gloriæ avidi, conſanguineum aut neceſſarium Regis, fratrem dixerunt. Si Fodereus ſepulcri epitaphium, quod lapidi ſimul cum effigie inciſum narrat, exſcripſiſſet, veritati indagandæ ſubſidium miniſtraret.

XLIX. In eadem provincia, & Cuſtodia Divionenſi Cœnobium hoc tempore extitiſſe Biffratenſe (Gonzagæ Briſatenſe, Picqueto Bibractenſe) mihi conſtat ex diplomate: *Sacræ Religionis*, ad initium anni ſequentis conceſſo Fratribus Conventus Dolani & Cheriaci, in quo recenſentur cœnobia Selleriarum & de Biffrato, Eduenſis diœceſis oppido. Nimis protrahit Picquetus ejus conſtructionem in annum MCCCCLXX. auctoribus oppidanis. Univerſam ſtructuram ſic hæretica rabies evertit, ut vix ipſa veſtigia appareant. *Indid. Conv. 14.* Conv. Biffraten.

L. Diximus ſuperius, in inſulis maris Britannici Galliarum aliquot extructa paupercula domicilia, ſub regimine ſuperiorum provinciarum Franciæ & Turoniæ. Primus fundator & Cuſtos frater Petrus Fabri longo annorum curſu omnia rexit, & ad novenarium numerum perduxit. Senio confectus capitulum indixit, ſibique ſubſtituit Rolandum Bordais, cujus electionem ratam habuit hoc anno Nicolaus: *Sacræ Religionis*. III. Kal. Aprilis. *An. 1448. n. 33.* Conv. inſularum Brixanniæ.

LI. In provincia Romana & Cuſtodia Campaniæ prope Lyrim amnem, in caſtro Inſulæ, Monaſterium Monialium ſancti Joannis Baptiſtæ, Ordinis ſancti Benedicti, tenuiſſimi reditus, in Cœnobium Fratrum Conventualium converti curavit Paulus de Celano, dicti caſtri Baro, & Julianus filius hoc anno donationem ſeu translationem a Pontifice confirmari, applicato etiam beneficio ſimplici, quod Moniales poſſidebant, procuravit: *Etſi cunctorum*. Nonis Septembris. Locus eſt amœnus, variis ſeu troctis abundans. Conv. Inſulæ. *Radul. fol. 260.*

LII. Aliud Monaſterium Monialium Ciſtercienſium caſtri Arquati, Inſubrum oppidi haud ignobilis, Placentinæ diœceſis, ob relaxatas diſciplinæ regularis habenas, hoc anno converſum eſt in Minoritanum, ita petentibus Franciſco Sfortia Duce Mediolanenſi & ipſius Caſtri Univerſitate: *Paſtoralis officii cura*. Pridie Kal. Aprilis. Ruinoſum & incommodum Arquatenſes refecerunt, & ſub novo titulo ſanctæ Mariæ Montis Oliveti in Fratres Obſervantes tranſtulerunt. Domui & Fratribus benefecit Catarina Sfortia, ſanctæ Floræ Comitiſſa. Conv. Caſtri Arquati. *Gonz. in Prov. Bonon. C. 14.*

LIII. Legaverat ex teſtamento Antonia de Bonellis, devota fœmina, oppidi Plebis in Romanula, quamdam pecuniæ ſummam ædificando Cœnobio Fratrum Obſervantum. Dicti oppidi atque alterius vicini, Centum nuncupati, communitates ſuppleverunt, quæ deerant ſtructuræ. Sacellum majus ædificarunt peculiares aliquot viri Centones. Conſtructus eſt Conventus loco amœno ad marginem Rheni fluminis, quod utrumque oppidum dividit. Conſecrata eſt Eccleſia ſub titulo ſancti Franciſci anno MDXIX. XVI. Octobris. Conv. Plebis. *Indid. Conv. 15.*

LIV. In Lombardia Ciſpadana inter Ligures Ciſapenninos ad oppidum Salarum, non longe a Caſtro-novo, conſtructa eſt circa hunc annum domus altera Obſervantum ſub invocatione ſancti Bernardini ex publicis & privatis Salenſium facultatibus, opera Hieronymi Homoti Vicarii Genuenſis provinciæ collectis. Conv. Salen. *Idem in Provin. Genuen. Conv. 17.*

Anno Christi	Nicolai V.	Friderici III. Imp.	Religionis Minorum anno 245.
1452.	anno 6.	anno 13.	

Conv. Veronæ. *Idem in Prov. S. Antonii Conv. 4.*

LV. In Marchiæ Tarviſinæ nobili urbe Verona, Atheſi fluvio circumflua, magnorum virorum altrice, cives ex communibus facultatibus inſignem Conventum, quinquaginta Fratrum capacem, hoc anno, obtenta a Nicolao Pontifice facultate, conſtruxerunt. Primum lapidem ſolemni ritu, cantata prius Miſſa, hoc ipſo anno die ſancti Bernardini poſuit Franciſcus Cardinalis Condolmerius Epiſcopus Veronenſis, S. R. E. Vice-Cancellarius & Camerarius, Eugenii IV. ex Fratre Nepos, præſentibus clariſſimis Rectoribus, & ingenti civium multitudine. Frequens orta eſt controverſia cum Monialibus ſancti Joannis de Beverara, quæ modis omnibus conabantur impedire hujus Cœnobii ſtructuram, ſuis ædibus propinquam. Auxilium præſtiterunt Fratres Monaſterii ſancti Zeni in Monte, congregationis Feluſanæ,

Corte in hiſtor. Veronen. l. 15.

Indil. Conv. 11. Conv. Tridentin.

LVI. In eadem provincia, eodem Atheſis fluvio alluitur in Alpium anguſtiis urbs Tridentina, ab ultimo generali Concilio celeberrima: extra cujus mœnia & portam ſanctæ Crucis Miniſter & Confratres domus Dei Societatis diſciplinæ quamdam terræ portionem donarunt Fratribus Obſervantibus Cœnobio conſtruendo ſub titulo ſancti Bernardini. Admittendi domum & conſtruendi domum facultatem conceſſit hoc anno Nicolaus: *Sacræ religionis*. xv. Kal. Julii.

Indil. Conv. 12. Conv. Feltren.

LVII. In eadem item regione, ad lævam Anaxis amnis in altis montibus Feltrii, aliis Fori oppidi, civitas Carnorum non longe a ſuis mœnibus aliud poſuit ſub nomine ſancti Spiritus domicilium. Fundationem approbavit hoc anno xv. Kal. Junii Pontifex Nicolaus. Urbem & Cœnobium plurimum ornavit Bernardinus Feltrenſis, cujus præclaram vitam & miranda opera ſuis annis diſtribuemus.

Indil. Conv. 10. Conv. Riperii.

LVIII. In Lombardia Tranſpadana, & ditione Mantuana, Ludovicus Gonzaga Marchio, Sodalitio ſumme addictus, domum, uti auctor eſt Gonzaga, eiſdem Fratribus propriis ſumptibus ædificari voluit intra mœnia oppidi Riperii, ſub invocatione ſancti Ludovici Epiſcopi. Facultatem impertiit Pontifex, miſſo hoc anno iv. Non. Junii diplomate ad Archidiaconum Eccleſiæ Mantuanæ. Hyppolitus Doneſmundus hiſtoricus Mantuanus ſolam Eccleſiam a Ludovico conſtructam affirmat, reliqua fabricanda Fratribus permiſiſſe. Divum etiam templi titularem, non Ludovicum Epiſcopum, ſed Regem verius enunciat.

Doneſm. lib. 5.

Idem in Prov. Calabr. Conv. 11. Conv. Morani. Conv. Luciorū.

LIX. In Calabriæ oppido Morani Antonius Sanſeverinus, Martanenſium Dux, ſummo affectu Fratres Obſervantes proſecutus, Cœnobium condidit ſancto Bernardino ſacrum, facta poteſtate a Pontifice hoc anno pridie Kalendas Junii. In eadem Calabriæ regione, extra oppidum Luciorum, Biſinianenſis diœceſis, in loco ubi erat ſacellum beatæ Mariæ Annunciatæ, Bernardinus Sanſeverinus, Biſiniani Princeps, Conventum fabricavit ſub nomine ſancti Franciſci Patribus Conventualibus, auxiliantibus etiam magna ex parte oppidanis, & facultatem concedente Nicolao: *Pia Deo*. ix. Aprilis. Ponendo primo lapidi adfuerunt frater Franciſcus de Martorano Cuſtos, & frater Angelus de Carpanzano Guardianus Catanzarii. Pulchrum habet dormitorium, amœna vireta, culta viridaria, & lata vineta. Hic floruerunt Magiſtri Salvator de Marco Calabriæ Miniſter, in dicendo & docendo inſignis, & Fabritius Parvulus doctus Concionator. Provinciæ Terræ laboris Vicarius erat hoc anno Bernardus Salernitanus, vir doctus & pius, cui Pontifex licentiam dedit infra terminos ſuæ juriſdictionis Conventum unum ædificandi.

Monum. MSS. Prov. Calabriæ.

Gonz. in Provin. Hungar. S. Mariæ Conv. 30.

LX. In Provincia Hungariæ ſanctæ Mariæ, Conventus Zechenius per pium quemdam heroem Franconem hoc anno fundatus eſt, docto viro Fabia-

biano de Igal Provinciam regente. In Auſtria Naviburgenſis Conventus ad Danubii ripam, loco emœniſſimo, hoc anno a beati Joannis Capiſtrani ſociis inchoatus, publicis civium facultatibus brevi abſolutus eſt. A Turcis combuſtum piorum eleemoſynis Fratres reædificarunt. Conv. Zechenius. *Idem in Provinc. Auſtriæ Conv.* 2. Conv. Naviburgen.

LXI. In regno Portugalliæ, & Archiepiſcopatu Ulyſſiponenſi prope pagum Penichæ, ex piorum eleemoſynis conſtrui cœpit Conventus ſub nomine *boni Jeſu*, cujus ſtructura dum lente procederet, Ludovicus a Taide, qui Pro-Regis munus in India Orientali geſſit, teſtamento cavit, ut a ſuis hæredibus abſolveretur. Quapropter hic honorifice ſepultus, ſibi ſuiſque poſteris patronatus jus merito acquiſivit. Nunc inhabitant Fratres ſtrictioris Obſervantiæ. *Idem in Provin. Algarb. Conv.* 4. Conv. Penichen.

LXII. Caſtellam veterem dividunt ab Extremo-Duræ altiſſimi montes, a Gata nuncupati, atque hos ſupereminet qui Xalama vocatur, in diœceſi Civitatenſi, ad cujus fimbrias ſitum eſt oppidum ſancti Martini, ad Ordinem Melitenſium, & commendam de Trevejo ſpectans. Annuente Epiſcopo Vicarius & Fratres Obſervantini Provinciæ ſancti Jacobi & Cuſtodiæ Salamantinæ longiuſcule ab oppido humile extruxerant Eremitorium, juxta illius temporis conſuetudinem, ſub titulo ſancti Michaelis. Ut firmius ſubſiſteret, petierunt a Pontifice, factum vellet confirmare. Miſſæ hoc anno litteræ Apoſtolicæ ad Joannem de Medina Canonicum Salmanticenſem, & Officialem Civitatenſem, ut juxta narrationis veritatem domum ſtabilirent: *Ut ea quæ pro Divini*. III. Non. Junii. In ſeparatione Provinciarum adjudicatum eſt hoc Cœnobium Provinciæ ſancti Michaelis, & anno MDLI. per fratrem Didacum Bivas ſecundum Miniſtrum ſtrictiori diſciplinæ. Hic requieſcit virtute & mirandis operibus commendabilis Joannes Muñiz laicus, cujus vitam, Deo dante, dabimus anno MDXCII. quo deceſſit. Contendebat parochus deberi ſibi quartam partem funeralium & bonorum quæ Fratribus legabantur; ſemel & iterum auctoritate Apoſtolica judicatum eſt non deberi. *Idem in Provin. S. Mich. Con.* 15. Conv. S. Martini. *Monumen. MSS. ejuſd. Provin.* Fr. Joan. Muñiz.

LXIII. Monaſterii Corporis Chriſti Ferrarienſis alias diximus fundatricem Viridem de Piis, nobilem Domicellam Carpenſem, idque exprimebant Eugenii Pontificis litteræ a me in regeſto productæ. Nunc incidimus in alias Nicolai, quæ a Bernardina Gregorii Sedazarii filia, in regione ſancti Salvatoris ſub vocabulo Corporis Chriſti & Viſitationis beatæ Mariæ Virginis conſtructum aſſerunt, eamque nullum Inſtitutum profeſſam deceſſiſſe, hæredeſque inſtituiſſe Luciam Joannis Maſcaroni filiam ejuſque ſucceſſores, & juramento obſtrinxiſſe, ut Monaſterium modis omnibus defenderet & promoveret. Peſte variiſque calamitatibus turbata civitate, modo crevit, modo decrevit numerus Monialium, mutatumque eſt Inſtitutum ſancti Auguſtini a quibuſdam Sororibus introductum, in Clariſſarum. Graves diſcordias exortas inter quamdam Ailiſiam & prædictam Luciam circa regimen Monaſterii & regulæ ſtabilitatem ſopivit Franciſcus Epiſcopus Ferrarienſis, & ſanctæ Claræ regulam dedit perpetuo obſervandam. Omnia rata & firma voluit Nicolaus: *Ex debito paſtoralis officii*. XVII. Kalendas Maii. Ita concordandas utriuſque Pontificis bullas exiſtimo, ut opus a Bernardina inchoatum auxerit, ditaverit, & ſua auctoritate ſolidaverit Viridis, aliaque adjecerit per quæ etiam fundatricis titulum acquiſierit. Hic Ordinem ſanctæ Claræ inter alias Virgines nobiles profeſſæ ſunt Eleonora Alphonſi Eſtenſis & Lucretiæ Borgiæ Ferrariæ Ducum filia, ac Lucretia Herculis II. Ferrariæ Ducis primogenita, moribus ac ſanctitate inſignis, quæ obiit anno MDLXXII. die XXVIII. Novembris. Utriuſque ſepulcrum, *Tom.* 10. *anno* 1411. *n.* 20. Mon. Ferrarien. Corporis Chriſti.

inciſo epitaphio ſimul cum aliis Principum Eſtenſium cernitur Mauſoleis.

Tom. 10. anno 1430. n. 54. Mon. Eugubin. S. Donati.

LXIV. Tria alias indicavimus Monaſteria Clariſſarum in urbe Eugubina; quartum nunc occurrit ſancti Donati, prope & extra muros extructum. Communi Sororum conſenſu unitum & incorporatum fuit Monaſterio ſanctæ Mariæ de Palladio extra muros etiam civitatis, omnia probantibus Epiſcopo & Luca Fulginate ſacræ Theologiæ Profeſſore & Provinciæ ſancti Franciſci Miniſtro. Unionem probavit hoc anno Pontifex: *Ad ea quæ felicem*. III. Kalendas Januarii.

Mon. Sulmonen.

LXV. Scriptis litteris ad Epiſcopum Valvenſem, facultatem impertiit, ut Catarina de Morelinis & aliæ nonnullæ mulieres Sulmonenſes Monaſterium Ordinis ſanctæ Claræ ſub invocatione ſanctorum Coſmæ & Damiani conſtruerent: *Pia Deo & Eccleſiæ*. VII. Idus Decembris.

Reformatur Monaſterium Valétinum.

LXVI. Conqueſta eſt Maria Aragonum Regina, quod Monaſterium ſanctæ Claræ Valentinum, fidelium eleemoſynis, & ipſius Reginæ auxilio conſtructum, quarumdam Monialium libertate, maxime Violantis Scorna diſſolutione, & nimia facilitate introducendi conſanguineas & familiares, fuerit in regulari diſciplina valde collapſum. Juſſit itaque Pontifex reformari, & Violantem alio transferri, data commiſſione Abbati ſanctarum Crucum Terraconenſi. Monaſterium Conſtantienſe parvæ Baſilicæ ſimiliter reformari juſſit per Epiſcopos Baſileenſem & Conſtantienſem, & Vicarium Fratrum Obſervantiæ Provinciæ Argentinæ, cui ſubjici imperavit. Mandatum Apoſtolicum exequenti Arnoldo Epiſcopo Baſileenſi valde Moniales reſtiterunt, ſed tamdem oportuit obedire.

Item Conſtantien.

Domus Piſtorien. tertii Ordinis.

LXVII. Joannes Lentius Lanfrius & Catarina uxor Piſtorienſes legaverant quaſdam poſſeſſiones, ut in domo ipſorum perpetua hoſpitalitas exerceretur erga mulieres peregrinantes & infirmas, ſub directione ſocietatis Diſciplinatorum, in Conventu ſancti Franciſci inſtitutæ. Vocaverunt Societatis ſyndici aliquot Sorores Tertii Ordinis ex Monaſterio Florentino ſancti Georgii, ut pium hoc opus peragerent. Illæ collatis facultatibus legatorum domum ſibi emerunt, ac Monaſterium conſtruxerunt: quod ut ratum vellet Pontifex, frater Jacobus de Primaditiis ſupplicavit. Ita fecit, commiſſa rei diſcuſſione Archiepiſcopo Florentino.

Item Viterbien.

Num. 65.

LXVIII. Sororibus ejuſdem tertii Inſtituti domus ſanctæ Agnetis Viterbienſis indulſit, ut tria vota Religionis eſſentialia emitterent, & viverent ſecundum normam, quam Sorores Monaſterii Paulotiæ de Perleonibus in Urbe Trans-Tyberim, de quo diximus anno præcedenti, profitebantur. Fratres & Sorores tertii Ordinis Ferrarienſes voluit inſtrui & gubernari per Fratres regularis Obſervantiæ domus ſancti Spiritus extra muros ejuſdem Urbis conſtitutæ.

Varia privilegia.

LXIX. Propter lites & controverſias motas contra Fratres, ex relictis ſibi quibuſdam legatis, conceſſit Franciſco Bononienſi, Provinciæ Bononiæ Vicario Fratrum Obſervantiæ, ut ex conſilio diſcretorum Fratrum unum vel plures inſtitueret Syndicos Apoſtolicos, qui nomine Sedis Apoſtolicæ legata reciperent, exigerent, & in Fratrum uſum converterent. Fratres ſancti Pauli extra muros Bononienſes liberavit a ſolvendis Eccleſiæ ſancti Petronii duobus bononenis pro qualibet libra ex ſibi legatis, & gabellis aut exactionibus, quas paſſim petebant pro quibuſcumque rebus, quæ urbi inferebantur, aut extrahebantur. Declaravit, non teneri Fratres Ferrarienſes ad ſolvendam Rectori parochialis Eccleſiæ ſanctæ Mariæ de Bucco quartam funeralium de legatis, & anniverſariis aut miſſis pro animabus fidelium celebrandis.

SUP-

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

I. IN Italiam deſcendit Fridericus, & Senis Leonoram Portugalliæ Regis filiam, & ex Sorore neptem Alphonſi Aragonii, ad ſe conjugem adventantem excepit; ac inde Romam profectus, a Nicolao ſummo Pontifice, ejus approbata electione in Romanorum Regem, ſolemniter diademate Imperiali donatus eſt; expedito his deſuper diplomate: *Imperator æternus &c.* Romæ apud ſanctum Petrum anno MCCCCLII. XIV. Kalendas Aprilis Pontificatus anno VI. Neapolim poſtea invitatus ab Alphonſo adfuit; ac poſtea Ferrariæ Ducem nominavit Borſum, ejus Ditioni additis Mutina & Regio. Silente vero eo tempore in Italia Marte in Germaniam regeſſus eſt. Summus Pontifex admonito Miniſtro Generali Ordinis, ne a Conventu Barchinonenſi amoveret fratrem Ludovicum: *Humilibus & honeſtis &c.* pridie Nonas Januarii; & facta licentia Sororibus Tertii Ordinis ſanctæ Agnetis Viterbii, ut tria Religionis vota emitterent: *Devotarum nobis &c.* XVII. Kalendas Februarii; Fratres ſancti Pauli Bononiæ a ſolutione datiorum exemit: *Ad ea, per quæ &c.* & Clariſſis ſancti Guillelmi Ferrariæ poſſe commutare aliqua bona conceſſit: *Ad ea libenter &c.* Fratribus vero Bononien. de Obſervantia electionem Syndicorum & ſuorum privilegiorum uſum: *Sacræ Religionis &c.* IV. Kalendas Apiilis. Fratrem Hieronymum de Albona præfecit Abbatiæ ſancti Martini Ordinis ſancti Benedicti: *Sollicitæ conſiderationis &c.* XVIII. Kalendas Julii. Confirmata viſitatione & reformatione Monaſtarii ſanctæ Claræ Valentinenſis: *Apoſtollicæ ſollicitudinis &c.* de quibuſdam petitis a Sororibus Tertii Ordinis Civitatis Piſtoriæ in Hetruria ad Ombronem fluviolum, ejuſdem urbis Epiſcopo ſcripſit: *Devotarum &c.* XII. Kalendas Julii. Et pro Fratribus Ferrariæ circa quartam funeralem Epiſcopo Mutinenſi breve direxit: *Humilibus &c.* XV. Kalendas Auguſti. Ac tamdem fratri Bernardo de Salerno licentiam dedit conſtruendi Cœnobium in Provincia Terræ-Laboris: *Sacræ Religionis &c.* Nono Kalendas Decembris.

Bulla Cherub.

Litteræ Pontif. Indic. ex Vatic.

II. Interea Capiſtranus Lipſiæ, Civitatis in Miſnia magnæ Germaniæ Provincia, Academia & Emporio nobilis, prædicatione verbi Dei ſexaginta juvenes ad Religionem allexit, ut Annalia referunt, quorum viginti ſex Gorlicii initiatos, ſecum Uratislaviam duxit; ubi accepto loco ſancti Bernardini, in eo perdiligenter inſtruendos reliquit, reliquos vero triginta quatuor per venerabilem Patrem Chriſtophorum de Variſio ad Conventum Norimbergenſem per Bambergam, datis ad Epiſcopum litteris, tranſmiſit, eodemque tempore ad venerabilem Patrem Albertum *Pechelpach* Guardianum Norimbergenſem litteras ſuper educatione Novitiorum, tenoris ſequentis direxit.

S. Joannes Capiſtran. 60. Juvenes ad Religionem allexit Lipſiæ. *Wadd. ad hunc ann.*

Reverende in Chriſto Pater, gratiam ſalutarem, & pacem in Domino ſempiternam.

III. *CUpiens familiam veſtram augmentare, quemadmodum pollicitus fueram per fratrem Chriſtophorum ſocium meum, nonnullos Novitios, juvenes quidem bonæ indolis & competentis litteraturæ, ad Religionem aptiſſimos, nullo penitus defectu impeditos ad vos dirigo: quibus, rogo, velitis aliquem bonum & devotum Præceptorem conſtituere, ut in ſuo-*

Epiſtola S. Joannis Capiſtr.

Modus educandi Novitios.

» *ſuorum novitiatu bonum ſuſcipiant fundamentum & principium; namſi*
» *religioſiſſime fuerint enutriti, non ſolum ſibi, ſed & aliis proficere pote-*
» *runt, animaborque ad alios mittendum. Si quidem aliter factum fue-*
» *rit, quod abſit, opus etiam erit de remedio opportuno providere, propte-*
» *rea quod nollem eis mendax videri, quia mores noſtræ Religionis eis præ-*
» *dicavi & extuli; ea de re vos oro & in Domino obteſtor, ut infraſcriptam*
» *normam obſervare faciatis, quam communiter totus fervor familiæ obſer-*
» *vat & tenet.*

» 1. *Placet mihi, quod Novitii diſcant cantare; magis tamen placeret,*
» *ut diſcerent plorare & orationi vacare: quia quotidie cantare parit no-*
» *bis Fratrum penuriam, mentem vagam deducit, & adeo tempus conſumit,*
» *ut nullus veſtrum evadere poſſit in officio prædicandi clarus & peritus; pro-*
» *pter quod ſequitur magna animarum jactura. Ideo debetis reſtringere ipſos*
» *cantus veſtros ad Miſſam ſolam & Officium Veſpertinum.*

» 2. *Item, quod Magiſter ſæpe numero hortetur Novitios ſuos, doceatque*
» *meditari Paſſionem Chriſti, propriam miſeriam, diem mortis, infernales*
» *pœnas, propria peccata perpetrata, & gloriam poſt pœnitentiam eis repro-*
» *miſſam.*

» 3. *Item, quod Novitii bis ſaltem in hebdomada confiteantur, revela-*
» *ndo malas phantaſias & cogitationes, ut tentati ad vomitum non re-*
» *deant.*

» 4. *Item, quod ſingulis diebus faciant coronam beatæ Mariæ virginis*
» *cum ſeptem meditationibus, ſicuti ſeptem ſunt partes ipſius coronæ, & cum*
» *genuflexione cum dicunt, Jeſus. Prima meditatio eſt, quando Angelus*
» *Gabriel ſalutavit virginem Mariam. Secunda, quando Chriſtus natus eſt.*
» *Tertia, quando præſentavit eum virgo Maria in Templo. Quarta, quan-*
» *do Chriſtus diſceſſit a Matre, & acceſſit ad celebrandam Cœnam cum Diſci-*
» *pulis. Quinta, quando virgo Maria ploravit filium ſuum ante Crucem.*
» *Sexta, quando Chriſtus poſitus eſt in ſepulcro. Septima, quando Chriſtus*
» *ſurrexit a mortuis & apparuit Matri ſuæ, ut pie credunt Doctores; ita*
» *tamen, ut in quacumque iſtarum meditationum mens rapiatur, firma per-*
» *ſiſtat, & non ulterius procedat.*

» 5. *Item, quod nullus Fratrum audeat mortificare Novitios præter Præ-*
» *latos; & quodquod Magiſter eos edocet, ipſe primo faciat.*

» 6. *Item, quod nullus Fratrum ſit tantæ temeritatis & præſumptionis,*
» *ut Novitios, ac etiam alios Fratres audeat diſciplinare, ſed ipſimet fa-*
» *ciant: nam nullo pacto Frater diſciplinari debet, niſi ſit incorrigibilis,*
» *feceritque aliquod magnum delictum: alias dixi vobis; neſcio tamen utrum*
» *ſitis in hoc emendati. Nec dicatis, quia conſuetudo eſt antiqua veſtra;*
» *quia conſuetudo mala eſt, irreligioſa, & quod majus eſt, periculoſa ne ducat*
» *in peccatum mortale; ac ideo eſt radicitus evellenda extirpandaque; ideo*
» *onero conſcientiam veſtram, quia locum Prælationis tenetis. Etenim ſi non*
» *providebitur pro Novitiis, remittantur; cum nolim ipſis ſcandalo eſſe, &*
» *oculos Divinæ Majeſtatis offendere.*

» 7. *Item, quod diſciplina fiat ſecunda, quarta & ſexta Feria, ſicut eis*
» *prædicatum eſt generaliter.*

» 8. *Item, quod introductio ſecularium Perſonarum ad menſam, ſicut*
» *Diabolus evitetur. Et ſi ſeculares ſcandalizarentur, dicite, quia ego dixi*
» *& ſcripſi vobis. Nec dicatis, quia hoc eſt jam ad conſuetudinem introdu-*
» *ctum; quia eſt quid irreligioſum, Conventuale, & ſeculare. Nec dicatis,*
» *quia petantias perdemus, quas ſeculares deferunt, quia melius eſt ut co-*

me-

„ *medatis panem & cæpe, quam ſeculares vobiſcum comedentes permittere*
„ *eum regiis cibariis. Si quidam ſeculares veniunt, paretur eis cibus in do-*
„ *mo deputata pro forenſibus. Præter Fratres noſtros & alios Religioſos ve-*
„ *nientes, nullum debetis admittere in Refectorio: aut ſi forte eſſet magnus*
„ *Prælatus, de quo eſſet magnum ſcandulum, ſi non acceptetur. Fugite Fra-*
„ *tres ſecularium conſortium & amate ſolitudinem. Credite mihi, quanto*
„ *magis ſeculares fugietis, ſicut dicebat B. P. N. Franciſcus, tanto ma-*
„ *gis ipſi vos devotione & caritate amplectentur. Nunc autem videntes vos*
„ *comedentes, putant vos eis ſimiles homines; quando autem veſtræ præſen-*
„ *tiæ penuriam habebunt, putabunt vos Angelos, venientque multi ad vos,*
„ *& florebit Familia ipſa veſtra.*

„ 9. *Item, quod Novitii nullo modo portent tunicas albas, quia jam*
„ *Conventuales non aliud deferunt, conveniuntque præterea vobiſcum in co-*
„ *lore concordare: & ſicut in actibus interioribus, ita & in exterioribus*
„ *differatis.*

„ 10. *Item, quod inſtituatur pro Novitiis una hora pro oratione menta-*
„ *li, ut diſcant ſemetipſos cognoſcere, ut poſſint cognoſcere Deum: illud ite-*
„ *rum, ac iterum replicans, quod ſeculares nullo modo in menſa Fratrum*
„ *comedant, & quod Novitii a nemine diſciplinentur, ſed ipſimet ſe diſci-*
„ *plinent; & quod Coronam, & alias devotas Orationes faciant quotidie:*
„ *quæ omnia ſi obſervata fuerint una cum aliis neceſſariis, Familia veſtra*
„ *decorabitur, dilatabiturque numero, & virtutibus.*

„ 11. *Vos itaque bi eritis, quales eſſe debent imitatores Pauperis Fran-*
„ *ciſci, facietiſque mihi rem gratiſſimam, & Deo acceptiſſimam, ſi conſilia*
„ *mea non deſpicietis fideliſſima; verus enim amor neſcit tacere, nec adula-*
„ *tione uti.*

„ 12. *Rogans etiam vos, ut velitis eſſe contenti in his, qui vobis nomi-*
„ *ne meo aſſignabuntur, nec alios impedire: Mittatiſque per quam primum*
„ *ad me duos Fratres idoneos propter aliqua expedienda ad commoditatem*
„ *Loci Ambergenſis: aſſignabo enim eis prætioſos libros pro eodem loco depu-*
„ *tatos, in Libraria quam primam catenandos juxta voluntatem donato-*
„ *ris. Mittatis etiam mihi, ſi placet, per eoſdem Fratres aliquas bonas*
„ *candelas; quodque, ut faciatis, etiam atque etiam rogo. Fratri Chri-*
„ *ſtophoro Socio meo fideliſſimo in omnibus meo nomine explicandis fidem in-*
„ *dubiam adhibere dignemini, ſicut mihi ipſi: commendans vobis illum una*
„ *cum aliis Viennam profecturis, ſicut animam meam: & ſi opportunum*
„ *fuerit, mittatis ſecum duos Fratres uſque Ratisbonam. Valete in Domi-*
„ *no, & pro me orate. Datum in Leypzig. XV. Novembris anno*
„ MCCCCLII.

Fr. Joannes de Capiſtrano Coadjutor veſter manu propr.

„ IV. Qui legerit attente Religioſorum tanti Viri præfatas ordinatio-
„ nes, habebit quid perpetuo obſervandum in corde ſuo reponat; nunc
„ autem placet referre, quanta caritate in Benefactores tantus vir flagraret;
„ qui enim excipiebatur ſumma cum caritate ab omnibus ex amore Dei,
„ ipſe pariter eadem caritate Divina illis retribuere conabatur: Teſtimo-
„ nium ſui cordis profero legentium pietati.

Magna flagrabat caritate in Benefactores.

„ V. *Honorabilibus, pariterque ſapientibus, atque providis Domino*
„ *Joanni* de Meneting *Plebano exiſtenti in* Cadanoy, *ac toti veſtro Clero.*
„ *Nicolao* Szedlizer *Magiſtro Civium: Franciſco* Rurentruarch *Judici,*
„ *atque Conſulibus, honeſtæque Communitati præfatæ Civitatis; nec non*

om-

„ *omnibus, & ſingulis Confraternalibus eorum legitimis, Filiis & Filiabus: Denique omnibus commorantibus in præfata Civitate: Familiaribus quoque ipſorum, ac ſubditis ſpiritualibus, ac ſecularibus præſentibus, atque futuris, Ordinis Seraphici P. N. Franciſci Benefactoribus devotiſſimis: fr. Joannes de Capiſtrano ejuſdem Ordinis minimus & indignus, ac Reverendiſſimi Patris Generalis in omnibus partibus Ciſmontanis, quoad Fratres de Obſervantia nuncupatos immeritus Vicarius Generalis, cum orationum ſuffragio ſalutari, omnium incrementa virtutum.*

„ *Quamvis ex caritatis debito omnibus teneamur, illis tamen longe amplius obligamur, quorum dilectionem certis beneficiorum indiciis frequentius experimur. Proinde veſtræ devotionis ſinceritatem attendens, quam ad noſtrum præfati P. N. Franciſci geritis Ordinem, veluti clara experientia cognovi, dignum putavi, & divinæ acceptabile voluntati, ut ab ipſo Ordine prærogativam ſentiatis ſpiritualium gratiarum. Et quia nudi temporalibus bonis, caritatis veſtræ ſubſidiis dignam rependere vicem nequaquam temporaliter valemus; ſpiritualibus nihilominus beneficiis, prout in noſtris apud Dominum Deum noſtrum ſervamus deſideriis, compenſare ſpiritualiter affectamus. Ea propter Ego, qui (licet indignus) curam Fratrum Minorum de Obſervantia nuncupatorum, & Sororum Minoriſſarum, & ſanctæ Claræ ſeu ſancti Damiani de Obſervantia nuncupatarum, & eorum Religioſorum de Pœnitentia Ordinum in partibus Ciſmontanis habeo Generalem, Vos honorabiles, ſapientes, atque providos Dominum Joannem* de Meneting *Plebanum in Cadanoy, Nicolaum* Szedlizer *Magiſtrum Civium, Franciſcum* Rurentruarch, *ac Conſules, totamque Communitatem prænominatæ Civitatis, Uxores veſtras legitimas, Filios & Filias præſentes pariterque futuras, omneſque & ſingulas perſonas prætactas, nec non & animas veſtrorum defunctorum, ac omnes, pro quibus intenditis, ad Confraternitatem noſtram, & ad univerſa, & ſingula noſtræ Religionis ſuffragia in vita recipio pariter & in morte, plenam vobis participationem omnium chariſmatum, & ſpiritualium bonorum; videlicet, Miſſarum, orationum, ſuffragiorum, Officiorum Divinorum, jejuniorum, & abſtinentiarum, diſciplinarum, pœnitentiarum, peregrinationum, inſpirationum, prædicationum, lectionum, meditationum, contemplationum, obſervantiarum, devotionum, & omnium aliorum ſpiritualium bonorum, tenore præſentium gratioſe conferendo, quæ per Fratres noſtros, & dictorum Ordinum Sorores, nec non & alios de Pœnitentia, ſive de Tertio Ordine beati Franciſci in partibus Ciſmontanis degentes operari, & acceptare dignabitur clementia Salvatoris: addens inſuper de dono, & gratia ſingulari, quod cum Divinæ placuerit voluntati de exilio inſtantis miſeriæ vos vocare, veſtrique obitus, multo (annuente Domino) tempore differendi, noſtro fuerint Capitulo nunciati, idem volo ut pro vobis fiat Officium, quod pro Fratribus noſtris Defunctis recitatis ibidem annuatim ex more per totum Ordinem fieri conſuevit. Valeat feliciter veſtra devota & fervens caritas in Chriſto Jeſu Domino noſtro in æternum. Amen. Datum in* Pryx *die ſancti Georgii martyris* XXIII. *Aprilis anno Domini* MCCCCLII.

Fr. Joannes manu propria.

„ VI. Sed, ſi erat Joannes tanti cordis, profecto in eum, & ſuos Aſſe-
„ clas erat Populorum propenſio, & Eccleſiæ Prælatorum caritas admirabilis;

bilis; quod ex his, quæ in Annalibus noſtris referuntur, liquido conſtat: ſupra hic diximus de Opavienſi Cœnobio, quod ex præfata cauſa ut inchoatum cito abſolveretur, etiam Olomucenſis Antiſtes Populum ſpirituali ſtimulo urgebat: in cujus rei teſtimonium ſunt ejuſdem litteræ Paſtorales tenoris, qui ſequitur.

Joannes Epiſcop. Olomucenſis hortatur ſuos Diœceſanos ad adjuvandum Fratres pro fabrica Con. Opan.

Joannes Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Olomucenſis,

Univerſis & ſingulis utriuſque ſexus Chriſtifidelibus, per Civitatem Olomucenſem, & Diœceſim noſtram ubilibet conſtitutis, ſalutem in eo, qui ſuorum fidelium eſt vera ſalus.

CUm intuitu æternorum fructuum ea ſeminare debeamus in terris, quæ Domino redeunte, metere valeamus in Cœlis: ſane multorum fide digna relatione accepimus, qualiter Illuſtris Princeps, Dominus Wilhelmus Dux Opaviæ ad laudem Dei omnipotentis, & ob ſuæ, ſuorumque Prædeceſſorum, & Progenitorum ſalutem animarum, fundum Dominii ſui, notanter ubi Capella beatæ Barbaræ Virg. & Mart. dudum fuit, & eſt extructa & ædificata cum ſufficienti dimenſione ſpatii, pro Oratorio Fratrum Minorum de Obſervantia ædificando nominaverit, deputaverit, donaverit, & totali pietatis ſtudio aſſignaverit, ut in ipſo Oratorio Fratres Minores de Obſervantia appellati Conventum facientes, laudes divinas diurnis nocturniſque horis concrepantes, Divinam Majeſtatem nobis magis placabilem valeant obtinere.

Nos itaque dicti Domini Principis & Ducis piam attendentes devotionem, præſertim ubi ſalus facilius ſperatur animarum, & ex ipſorum Fratrum nova plantatione poſſe plures ac majores palmites fructuoſos oriri & augeri, ipſorumque orationibus & beneficiis gaudere.

Omnibus Chriſtifidelibus utriuſque ſtatus & ſexus noſtræ Juriſdictioni ſubjectis, & aliis omnibus Chriſtifidelibus quibuſcumque, qui pro ſuſtentatione dictorum Fratrum pauperum alimenta, ſeu pro fabrica eorumdem Oratorii, & Cœnobii miniſtraverint, ac manus porrexerint adjutrices, toties quoties ea fecerint, omnibus & ſingulis, ac eorum cuilibet, de Omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate plurimum confiſi, quadraginta dies Indulgentiarum elargimur, ac de injunctis pœnitentiis miſericorditer in Domino relaxamus: dum tamen Reverendiſſimorum Patrum, duorum Antiſtitum ipſorum, qui opus pietatis præmiſſum fecerint, ad id intervenerit conſenſus harum, quibus ſigillum noſtrum præſentibus eſt appenſum, teſtimonio literarum. Datum, & actum Olomutz anno Domini MCCCCLII., penultima die menſis Januarii.

VII. Fratrem Bernardinum de Neto in Sicilia vitæ integritate, & dicendi facundia, ob idque Populo admirabilem, ac Vaticinii ſpiritu præclarum floruiſſe in Conventu Netino, in ſua hiſtoria Siracuſana teſtatur Pyrrus, naturæque debitum ſolviſſe ibidem Kalendis Aprilis. Interea vero Sereniſſima Domina Iſabella Siciliæ Regina, Religioni Minorum plurimum addicta, Andegavi ſpiritu Deo reddito, ibidem in noſtra Eccleſia hoc anno tumulata fuit: Hanc virilis animi Fœminam dicit Wadingus, Caroli Ducis Lotharingi filiam, & primam Uxorem Renati Regis Hieruſalem & Siciliæ, Ducis Andegavenſis, & Barii Provinciæ Comitis.

Fr. Bernardinus de Neto floret. *Pyrrus in hiſtor. Siracuſæ ad annum 1452.*

Iſabella Siciliæ Regina ſepelitur in Conventu Andegav. *Mon. MSS. Provinciæ Turon.*

ARGUMENTUM.

Tertium a Rege, & Cardinale Cracovienſi vocatus Capiſtranus, in Poloniam proficiſcitur, ubi honorifice exceptus multa populis præſtat beneficia. Jacobus Picenus impeditus ne in Boſnam pergat, honorifice habetur in Italia. Præſcripta conſodalibus per Regem Boſnenſem alimenta accipere renuit Vicarius. Magna fit contra Obſervantes conſpiratio. Comitia celebrantur generalia. Mortuo Angelo generali Miniſtro, ſubſtituitur Vicarius Jacobus de Mozanica. Colligendis contra Turcam ſuppetiis deſtinantur Minoritæ. Florent inſignes Prædicatores. Moritur Onuphrius a Seggiano. Propagatur Inſtitutum.

Card. Cracovien. rogat Capiſtranum ut in Poloniam abeat.

I. SBIGNEUS Cardinalis Epiſcopus Cracovienſis majori quotidie ardebat deſiderio Joannem Capiſtranum videndi & alloquendi, & quem per biennium expectabat, repetitis litteris perpetuo advocabat. Negotium Fidei contra Hebræos Uratiſlaviæ ineunte hoc anno Capiſtranus proſequebatur: ubi ergo Sbigneus in viciniori populo hærere perceperat, novis teneriſque litteris ut in Poloniam tranſiret, invitauit. Do litterarum exemplar.

Venerando & egregio viro, Dom. Fr. Joanni de Capiſtrano, Ordinis Fratrum Minorum, Fratri in Chriſto amantiſſimo &c.

Ex regiſtr. Capiſtr. fol. 125.

VEnerande & egregie Vir, Frater in Chriſto amantiſſime. Quanto ſtudio, quanto deſiderio & amore flagrabam, ut præſentiam tuam mihi & diœceſi meæ exhiberes, & ego aliquando coram poſitum intuerer, quem diligere & admirari cœpi priuſquam noſſe, & geminatæ meæ litteræ, quibus te invitando eſſe forte moleſtius non deſiit, teſtes ſunt, & mutuum caritatis tuæ pectus non ignorat. Erat quoque ſtudium meum, etiam quadam importunitate oblitum, dum unis litteris meis & tuis repromiſſionibus non contentus, dando alteras, alteram ſponſionem adventus tui exegi. Verebar

2. Cor. 1. 17.

etenim te mihi & diœceſi meæ a te, ſicut quondam Corinthiis a Paulo legimus obveniſſe, quibus per epiſtolam adventum ſuum certa ſponſione pollicitus, vel aliquo numine occulto prohibitus, vel altiori opere impeditus, quod promiſerat, non præſtitit. Verum, etſi omnis ambiguitas duplicibus litteris tuæ caritatis adventum firmantibus diſpulſa fuerit, aliquid tamen pavoris humani relinquebatur, ne caſu aliquo impedireris. Rumor deinde, qui ad me perlatus eſt, te vicinam civitatem Wratiſlavienſem diœceſis meæ ingreſſum eſſe, etiam reliquum ſuſpicionis excluſit, & me non ſperare, ſed certiſſimum eſſe de promiſſo juſſit. Intenſus tamen ſinceræ caritatis affectus, qui neſcit modeſtiæ legibus ſubjici, vel obſervantiæ cujuslibet regulis coarctari, exegit iterum a me ut ſcriberem, tuam caritatem in vicinio & in ora noſtra conſtitutum vocando, rogando invitarem. Præſtitiſti ſiquidem Moraviæ, Boemiæ, Miſniæ pluribuſque aliis regionibus præſentiam tuam. Magnam e Sathanæ faucibus animarum, perverſo dogmate ſeductarum rapuiſti prædam. In breviſſimo temporis intervallo plurimorum mortalium converſionem confeciſti; ad quod alias præſepe diffuſi temporis ſpatium fruſtra doluimus impenſum. Præſta, quæſo, & mihi & diœceſi meæ præſentiæ tuæ ſolatium: non tam grate venies, quam gratius & a me & a populo excipieris. Et licet Paſchalibus ſolemniis conſummatis, ſperaveram me in interiorem diœceſis

meæ

meæ partem transferre, audito tamen tuo adventu, continebo me, & litteras tuæ caritatis cum inſtructionibus quam viam in eundo, & quod tempus in accedendo tenere volueris, præſtolabor, miſſuras in occurſum tuæ caritati virum, qui & de viatico provideat, & itineris, quo eundum ſit, loca demonſtret, & uſque in civitatem Cracovienſem perducat. Reperies, exiſtimo, in quo pax tua, quam gens in hæreſi dudum demerſa accipere contempſit, requieſcet. Scio ſiquidem, caritatem tuam frequenter amaritudinis calicem, ſuper cæcitate & dilatatione errorum gentis præfatæ deguſtaſſe, deploraſſe ejus anguſtias, & per affectum compaſſionis intimæ caliginem ejus, quam ipſa non ſentit, diſſolvere ſtuduiſſe, temporalium honorum conſideratione & reſpectu majorem partem hæreſis reſcindere non ſinente, ne cum erroribus etiam temporalia dimittere cogantur. Non eſt tamen abbreviata manus Domini, nec virtus ejus in aliquo diminuta, quin, quando & quomodo voluerit, gentem illam valeat liberare, & cæcitatem erroreſque ſuos illuſtrare. Tu interim, Pater venerande, magno & hilari animo ſis, nec turberis, ſi dum uni vacas negotio, aliqua ſuſpenduntur: ſucceſſivis negotiis te adſtringe. Confortare in Domino, qui tibi aſtitit, nec te in tempore malo deſeruit, conatus adverſariorum Fidei per te magnifice elidens, potentiam debilitans, & te auxilio ſuperno roborans in vinea ſua laborantem. Datum Cracoviæ XXVIII. *die menſis Martii* MCCCCLIII.

S. tit. ſanctæ Priſcæ presbyter Cardinalis, & Epiſcopus Cracovienſis

II. Promiſit certo certius Capiſtranus ſe quamprimum in Poloniam profecturum. Miſit ergo Sbigneus virum gravem & eruditum, ſuæ Eccleſiæ Canonicum, Joannem Dugloſſum, intimum ſecretarium, qui morantem urgeret, & venientem commode conduceret. Tandem Cracoviam cum Caſimiri Regis legatis acceſſit hoc anno die ſancti Auguſtini, effuſa obviam tota pene civitate: cui Cardinalis ipſe cum univerſo Clero, & Rex cum genitrice Regina Sophia, Senatu, Baronibus & omnibus Ordinibus longe extra civitatem uſque ad campum ante Cleparz, ſolemni ſupplicationis ritu, lætantes & pſallentes occurrerunt, quaſi nuncium e cœlo miſſum ſuſcepturi, uti ipſe itineris dux & ſocius diffuſe recenſet. Etſi ubique ſummis honoribus exceptus vir Dei, nullibi tanta reverentia & majeſtate, quantam hic admirabundus conſpexit. Verius utique de illo diceretur, quod Valerius de Scipione ſcripſit Africano: *Dii immortales ſi ſe hominibus offerrent, plus venerationis non eſſent accepturi*. Omnium ſui comitatus primus proſiliit Capiſtranus in occurſum, debitaque veneratione Regi, Reginæ, & Cardinali exhibita, fauſta & felicia quæque imprecatus eſt. Illi brachiis exceptum & humaniſſime ſalutatum in urbem magna lætitia duxerunt, virique nobilis Georgii Suvarez ſeu Nigri in circulo domum pro hoſpitio deſignarunt, miſſo ex aula convivio.

Capiſtr. honorifice Cracoviæ excipitur.

Michov. rer. Polon. l. 4. c. 59.

Cromer. l. 22. de reb. Polon.

Dugloſſ. lib. de benef. Eccl. Cracovien.

Valer. Max. lib. 2.

III. Die ſequenti, poſita cathedra juxta templum D. Adalberti, per duas horas prædicavit, aliis totidem Presbytero Polono ſermonem interpretante. Morem hunc concionandi, præmiſſa quotidie re ſacra, ingenti populi fructu, nullo prorſus tædio in eadem area obſervavit, donec algeſcente tempore brumali ſuggeſtum tranſtulit in ampliſſimum templum beatæ Virginis Mariæ, ibidem nullo intermiſſo die, frequentiſſimo ſemper auditorio, doctiſſime concionatus. Fidem dictis, & perſonæ reverentiam advehebat prodigiorum multitudo; etenim, inſpectante populo, cæcos, claudos variiſque morbis oppreſſos mirabiliter ſolo tactu, & crucis virtute ſanabat.

Fructuoſe ibidem prædicat.

Multos ad ſuum Ordinem admittit.

IV. Hominis doctrina & ſanctitate allecti infra paucos dies centum & triginta, inter quos multi Baccalaurei & Artium Magiſtri Univerſitatis Cracovienſis cenſebantur, ſe illius diſciplinæ commiſerunt. Omnes ipſe religioſa veſte donavit; ſed cum non haberet, quo reciperet, domicilium opportunum, licet Rex unum dederat, uti diximus, fr. Ladislao, aliaque offerret, præ omnibus elegit tirocinio conſtruendo locum a turbis remotum, extra mœnia ad clivum montis, in ſuburbio Stradomiæ, prope arcem ad Auſtralem urbis portam, a Cardinale Sbigneo collatum. Prædium erat Joannis Oleſnicii, Palatini Sandomirienſis, Sbignei fratris germani, cujus erga Capiſtranum & Inſtitutum pietati & liberali affectui Joannes facile conſenſit. Pius Antiſtes ſtatim operi manum admovit, Eccleſiamque ligneam ſub invocatione ſancti Bernardini raptim erexit, cellas adjunxit, ordinataque ſupplicatione ſolemni totius urbis, die Nativitatis beatæ Virginis Mariæ Fratres in Monaſterium introduxit. Deputatis hic octuaginta Fratribus Guardianum præfecit Capiſtranus virum optimum & ſanctiſſimum prædictum Ladislaum Hungarum, peritum regularis diſciplinæ magiſtrum.

Gonz. in Prov. Polon. in princ. & Conv. 1. Mon. M. SS. ejuſdem Prov. Anno 1452. n. 20.

Duorum tyronũ diverſi eventus.

V. Inter tyrones duos ſuſceperat adoleſcentes aulicos, nobili proſapia ortos, hæredes famoſi Militis de Cobilino, Clymachum unum, Albertum alterum. Ægre tulit pater duos ſibi eripi filios, neque placari potuit graviſſimis verbis aut precibus Capiſtrani. Adeo inſtitit, ut utrumque ſibi ſiſti oportuerit, libera data per Capiſtranum optione, ut vel ad ſeculum redirent, vel permanerent in Religione. Albertus junior genitoris ſe commiſit arbitrio, Clymachus conſtanter renuit a pio propoſito reſilire. Huic a patre fugienti & in Capiſtrani amplexus ruenti Vir ſanctus optima quæque prædixit; Alberto miſerias & calamitates; patri receſſus auctori, eo ipſo anno mortem miſerandam. Clymachus ultra annos triginta ſanctiſſime vixit in religione; Albertus miſeriis, infortuniis & egeſtate per totam vitam laboravit; Pater circa Choyniczam in Pruſſia poſt aliquot menſes interemptus eſt.

Regi prædicit ſiniſtrum belli eventum.

Michov. cit. cap. 60. Cromer. cit. lib. 23.

VI. Simili modo prædixit Caſimiro Regi, etſi amiciſſimo, infortunium & clades, quia nimis favebat Judæis, eorumque perfidiæ & uſuris connivebat: *Cave*, inquit, *ne hæc mea monita ſpernenti divinum inſtet ſupplicium: Tui infeliciter adverſus hoſtes pugnabunt, & ipſe turpiter aufugies.* Ita evenit. Suſceperat tuendos Prutenos contra Cruciferos; ſed cum horum oppidum Choyniczam anno ſequenti, die XVIII. Septembris obſideret, & proſpere pugnaret, fervente certamine, extremus Regis exercitus, ex novis & inſuetis militibus compoſitus, ſubito terrore perculſus terga vertit, & ceteros in ignominioſam fugam convertit. Rex pugnam reſtituere, & fugientes revocare diligentiſſime tentabat, nec potuit, parumque abfuit, quin in manus hoſtium perveniret, donec cuſtodes ei adhibiti reluctantem abſtraxerunt, & cum fugientibus fugere compulerunt. Cæſi ſunt de Regis exercitu multi, captique trecenti triginta. Ultra hæc eodem anno prope Uratislaviam non modicum damnum in populo ſuſcepit.

Michov. & Cromer. citati.

Regis nuptiis præeſt & benedicit Capiſtranus.

VII. Antequam Uratislavia in Poloniam abiret Capiſtranus, hoc anno convenerant Oratores Caſimiri Poloniæ, & Ladislai Hungariæ Regum, acturi de conjugio Caſimiri cum Eliſabetha filia Alberti, olim Hungariæ, Boemiæ & Romanorum Regis: quod in eadem urbe ſanxerunt, & publicis inſtrumentis firmarunt. In ſumma utriuſque gentis lætitia & ſacri fœderis ſolemnitate diſertam habuit Capiſtranus orationem in ipſo prætorio feria ſecunda poſt Aſſumptionem Deiparæ, paucis ſcilicet diebus ante abſceſ-

abſceſſum, ab illis verbis exorſus: *Hæc dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea*. Ad ſequentis anni initium nona die Februarii, nova nupta Cracoviam ſplendido comitatu advenit, a Rege ipſo una cum matre, obviam ei profecto deducta. Poſtridie contentio inter Joannem Sprowſchi Archiepiſcopum Gneznenſem, & Sbigneum Cardinalem, atque utriuſque fautores Barones, uter adminiſter eſſe deberet nuptialis cæremoniæ, quod ille Archiepiſcopus eſſet & Primas, hic Cardinalis & Epiſcopus urbis, in qua hæc agebantur. Re diu agitata, convenit tamdem, ut Capiſtrano eum honorem deferrent. Huic ergo datum eſt negotium novos conjuges ritu ſolemni conjungendi: ſed cum is neque Polonicam neque Germanicam linguam calleret, ac Sbigneo muneris ejus functionem adjudicaret, ille utriuſque linguæ peritus, cedente Archiepiſcopo, rem peregit. Archiepiſcopus vero ſacra operatus novam Reginam inunxit ac diademate coronavit. Poſtremo Capiſtranus utrique ſponſo benedixit, & numeroſam prolem palam prædixit. Omnia hæc quæ de Capiſtrani adventu & ſolemni receptione, ac deſponſatione Regum referuntur, confirmata habeo ex epiſtola quadam Sbignei de Oleſnica Epiſcopi Uladislavienſis, Sbignei Cardinalis nepotis, apud me M. SS.

VIII. Prius etiam quam ea urbe Uratislavienſi diſcederet, recepit Petri Epiſcopi, viri digniſſimi, litteras, quibus rogabat, ut moleſtum & grave ſpretæ ſacræ Euchariſtiæ negotium ſupra commemoratum abſolveret. Niſſa datas in rei narratæ confirmationem iſthic exhibeo.

Agit cum eo epiſc. Ulatislavien. circa res Fidei. *Anno 1452. n. 26.*

Reverendiſſimo, Deo devoto P. Fr. Joanni de Capiſtrano, Ordinis ſacrati & Seraphici Confeſſoris Chriſti beati Franciſci de Obſervantia, Inquiſitori hæreticæ pravitatis oculatiſſimo, &c. Domino, Patri, & fautori nobis colendiſſimo.

Reverendiſſime Pater, fautor noſter colendiſſime, poſt commendationem humillimam voluntas promptiſſima in ſingulis complacendi. Non præſtet vobis, quæſumus, admirandi materiam, nec animum veſtræ paternitatis provocet, quod hucuſque litteram poſtulatam dirigere diſtulimus. Res etenim, quæ hic in tumultu tantæ differentiæ aguntur, tantis tumultibus fluctuationis intricatæ, incertæ erant & involutæ, & ad eam conſummandam notarii noſtri propter perplexa & varia negotia vix poterant otiari, quam nunc expeditam mittimus & ſigillatam; & ſi quidquam in ea caſtigatione vel correctione dignum compertum fuerit, curabimus hoc ipſum emendare ad voluntatem, ad majora V. R. P. mandata hilari animo & feſtinanter prompti ſemper & intenti. Orate igitur nobiſcum illum, qui rerum omnium magnus diſpoſitor imperat univerſis, claraque ſub bonitate providentiæ ſic Univerſitatis ſuperintendit regimini, ut alta conſiderans infima non dimittat; quatenus ſuſcitatam ſeditionem & tumultum tantæ diſcordiæ tranquillet ad pacem, ut ſic, pulſa de medio adverſitatis hyeme, quæ faciem noſtræ Eccleſiæ multis erroribus fatigavit, æſtas jucunditatis & ſerenitas pacis adveniat & gratia proſperitatis. Ceterum ſincero affectu affectamus, quatenus P. V. R. aſſumptis venerabilibus viris Dominis Capituli noſtræ Eccleſiæ Wlatislavienſis, fratribus in Chriſto nobis ſincere dilectis, caſum venerandiſſimi & præcolendi ſacramenti corporis Domini noſtri Jeſu Chriſti examinare, & mediis ſalutarioribus dignetur terminare, ne ex ejus indeciſa dilatione contrarium quidquam dici, aut ſcandalum valeat ſuſcitari, in gratam complacentiam bonis gentibus rependendam; nos enim tantis tribulationum infeſtatio- Ex Arch. Capiſtr.

tionibus ex inſultatione eccleſiaſticæ libertatis prægravamur, curis diſtrahimur innumeris, ac crebra reddimur anxietate ſolliciti, qualiter præſciſis radicitus diſſidiorum vepribus, & litigioſorum anfractibus omnino ſubductis, Eccleſiam noſtram, quam in antiquæ ſervitutis opprobria redigere moliuntur, in libertatis gratia & pulchritudine pacis amæniſſima, ad divini nominis gloriam, & profectum ſubditorum noſtrorum conſervare valeamus; ita ut caſui huic, prout ſua exigit celſitudo, perſonaliter conſulere non valemus. Datum Niſſæ, proxima feria quinta ante feſtum ſancti Viti, anno MCCCCLIII.

Petrus Dei gratia Epiſcopus Wlatislavien.

Denuo tentat Capiſtranus in Pragam penetrare.

IX. Licet ingenti Polonicæ gentis fructu Regia in urbe ſummo Regis & Cardinalis Sbignei voto reſideret Capiſtranus, non tamen quieſcebat animus, majorem conſiderans Boemorum neceſſitatem. Generoſo conatu & Chriſtiano zelo illic locare cupiebat operam, ubi majorem exerceri ſtragem animarum intelligebat. Nihil eum a procuranda Boemorum ſalute deterrebat, neque hoſtium perfidia, neque minæ, neque inſidiæ, neque labores aut ærumnæ, modo ſemel penetrare poſſet, & fraudulentas hæreticorum artes palam explicare. Jam ergo tertio hoc anno, ut ad arcem admitteretur errorum, liceretque palam manifeſtare veritatem, inſtanter efflagitavit datis litteris ad Pogebratium, penes quem ſumma Regni adminiſtratio erat, adoleſcente adhuc & inexperto Rege Ladislao. Hoc anno regnum capeſſerat hæreticis inviſus, quod Rochyzanæ odium & contemptum non potuerit occultare. Timebat porro Pogebratius, quod ſi Capiſtranus adveniret, Regem magis in Rochyzanam ſuæque perfidiæ fautores extimularet. Negavit itaque inurbane & barbare acceſſum, doloſe & falſo objectans alias miſſos ſalvos conductus, & venire renuiſſe. Ita porro eſt: miſerunt, ſed ut incaute & fidenter accedentem opprimerent. Audi callidiſſimi viri effrontem epiſtolam.

Sed negatur el aditus.

Joanni Capiſtrano Ordinis Minorum.

Ex autographo.

X. *Licet tuarum ſerie litterarum non plus ſalutis offerre videaris, quam quod ipſis Domini noſtri Jeſu Chriſti crucifixoribus, imo & gentilibus quivis optare fidelium obligatur, tamen in eo non te ſequens ſalutem præmitto, utique te dignam. Si ſingulis epiſtolæ tuæ verbis reſpondere velim, occupationes magis arduæ non ſinunt, nec opportunum autumo, cum nihil aliud quam ſalvum conductum Pragam adeundi tibi tuiſque Fratribus exoptent; mira tamen hæc videtur novitas, quod tam ardenter eiſdem ſalvis conductibus nunc inhies, quos dudum per generoſum Dominum D. Sbintonem Leporem de Harinburg Baronem, ſtrenuum quoque Militem Jacobum de Worzeſotrig tibi ſponte oblatos ſecuriſſimeque proviſos reſpuiſti. Ubi autem diſſeminare te velle ais fluenta ſacri Evangelii, vereor ne ſemen diſſidii in populum, gratia Dei ſudoribus maximis & ſumptibus pacatum, & per adventum Sereniſſimi Principis Regis Ladislai, Domini noſtri gratioſiſſimi exhilaratum, immitens pernocive, cujus fructus pejori forte (quod avertat Omnipotens) plenus eſſet periculo, a quo totis optamus & volumus niſibus, divina cooperante gratia, præcavere: nam cum nos & regnum hoc Boemiæ a remotis ſatis finibus minus juſte & ſiniſtre diffamare hæreticareque non deſinas, prout etiam litteræ tuæ nuper deſtinatæ concinunt; per quod alium te amicum ſatis evidenter inſinuas quam litteræ tuæ ſonant; non abs re tui abſen-*

ſentia potius quam præſentia delectamur, a diſſenſionum turbinibus præcavendo. Nihilominus tamen plures, Deo laus, habet Praga, qui ſalutis propinent ſemina plebibus perabunde, qui nuper ſimul cum magiſtris Pragenſibus Sereniſſimi Domini Regis Ladislai, Domini noſtri gratioſiſſimi, ad conſilium aggregatum accedentes, prædictos animos oſtenderunt, vocis vivæ oraculo tibi debito modo reſiſtere velle & contraire. Idcirco cauſis ex præcedentibus ſalvus conductus tibi non dabitur, nec decreto tuo parere intendimus; ſed ſi opportunitas aliqua difficultaſve emerſerit, illi auſcultare noſtra præſto eſt & erit intentio, cui jure & merito eſt parendum. Datum Pragæ, Sabbato ante Nativitatem Domini noſtri Jeſu Chriſti, anno ab Incarnatione ejuſdem milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo tertio.

Georgius de Cunſtat & de Podiebrad, Gubernator Regni Boemiæ.

XI. Diximus anno præterito optimum Capiſtrani conſodalem & cariſſimum amicum Jacobum Picenum in Boſnam & Dalmatiam iter meditatum, & ſumma auctoritate in ſuo Sodalitio a Marco Vicario generali condecoratum. Hoc anno ex illis partibus a Nicolao Pontifice revocatus Marcus, ſummopere cupiens rebus Dalmatinis proſpicere, celebrandi Capituli Præſidem Jacobum conſtituit, controverſiiſque componendis cum Boſnenſibus circa conventus Daxæ & Raguſii, de quibus diuturna & moleſta erat diſſenſio, quoſque hoc anno Pontifex Boſnenſibus adjudicavit: *Apoſtolicæ nobis*. XIV. Kal. Auguſti, judicem delegit. Sed ille quibuſdam Auximanorum & Bartholomæi Roverellæ Archiepiſcopi Ravennatis, Marchiæ Gubernatoris, tumultibus contra Fratres excitatis, Aſculanorum, prope quos exortus erat, continua inſtantia, ut apud ipſos prædicaret, & infirma impoſitus valetudine, ad longinquas illas partes proficiſci non potuit. Plurimas habeo litteras ad illum hoc anno deſtinatas a Principibus, Epiſcopis & Civitatibus, rogantibus ut ſuo conſpectu & doctrina illos vellet conſolari. Seligo paucas, quæ narrata concernunt.

Jacob. Picenus valetudinarius hæret in Italia.

In Chriſto ſibi cariſſimo ac Reverendo P. Fr. Jacobo de Marchia Ordinis Minorum, verbi divini præconi acceptiſſimo: Fr. Marcus de Bononia, ejuſdem Ordinis minimus & indignus, ac R. P. Generalis in omnibus partibus Ciſmontanis quoad Fratres de Obſervantia nuncupatos, Vicarius generalis immeritus, ſalutem & pacem in Domino ſempiternam.

XII. *Omnibus Dalmatinæ provinciæ, ut opus fuerat, viſitatis a me locis, meum ardentiſſimum deſiderium erat ejuſdem provinciæ congregationi proxime futuræ intereſſe. Sed cum in Italiam per obedientiam S. D. N. properare cogar, cupiamque, maxime requiſitus, hujus provinciæ capitulo Præſidem deſignare, qui omnibus & dulcis & gratus magnam conſolationem & conſilio & favore poſſit afferre. Hinc eſt quod tibi Patri meo ſingulari, quem humilem, pium, benignum ab omnibus deſiderari, coli, ac venerari non diffido, rogans committo, teque magnopere deprecor, ut ſi eo tempore in hac provincia Dalmatina te adeſſe contigerit, ejus proximo futuro capitulo pro tua ſingulari ſolitaque humanitate velis intereſſe, & Patribus ac Fratribus in loco Daxæ congregatis auxilium, favorem, conſilium præſtare: non enim puto, quidquam his Fratribus fore jucundius, quam ut humaniſſima caritas Paternitatis tuæ ad præfatam congregationem dignetur ſe conferre, & eis conſilium providentiamque tuam, quam omnibus in rebus maximam pu-*

Ex reg. Mar. Bonon. fol. 5.

putant, & ego confirmo, tribuere non dedigneris. Ego vero de conſenſu, liberaque Fratrum omnium voluntate, quæ mihi poſſibilia fuerunt, cum omnibus Jaderæ congregatis diſpoſui; diem enim capituli, locum atque ordinem diſpoſui; ordinationeſque nonnullas, quæ mihi neceſſariæ plurimum viſæ ſunt ad delendos errores virtuteſque capeſſendas, obſervari præcepi; nec aliter fieri me velle ſciant omnes: præfatis autem ac omnibus & ſingulis Fratribus, apud quos te adeſſe contigerit, ut volo & debeo, tamquam patrem meum ſuſcipiant & venerentur, commendo. Vale mi Pater optime, & pro me ora. Ex loco noſtro ſancti Andreæ apud Rovignium ultimo Februarii MCCCCLIII.

Ejuſdem ad eumdem.

Ibid. fol. 12.

XIII. *Reverende ac mi dulciſſime Pater, debita commendatione præmiſſa. Cum finita prædicatione ad noſtrum locellum præcipiti callo conſcendiſſem, pro mea ſumma conſolatione ſperabam mutuis ac dulciſſimis vobiſcum frui ſermonibus, ſed acerbus mihi dolor injectus eſt, audito repentino tuæ Paternitatis abſceſſu: qui ſi mihi antea claruiſſet, profecto, ne tanta conſolatione privarer, nec tota Marchia me ad prædicandum impuliſſet. Doleo igitur & quidem vehementiſſime, quod tibi in tanta tua, imo & noſtra ægritudine non parcis, nec tui languentis corpuſculi ſalutem curas, quæ nobis haud minus cara eſt quam propria. Memento quæſo, tuam illam floridam juventutem ac juvenile robur defluxiſſe, & memento corpuſculum tuum non iis viribus ſtare, quibus antea ſtetit, ſed novis in dies atteri moleſtiis: quare ſi tu tibi parcere non vis, nec ipſi tuæ infirmitati libet compati; ſaltem neceſſariæ ſaluti conſule, & nobis filiis tuis da ut a tantis ſollicitationibus levari poſſimus: quod ſi per diligentiam tuæ ſoſpitatis efficeris, nihil omnino te nobis gratius, dulcius ac deſiderabilius facere potuiſſe, cognoſcas velim. De neceſſario vero Auximano negotio, etſi multa cum tua dulciſſima Paternitate contulerim, tamen cum nova quædam ad confirmandam opinionem meam veniant in mentem, doleo quod præſentem non alloquor, ſed litteris quoad poſſum, ſatisfacio.* Et infra. *Quare inſtantiſſime precor, ut quæcumque vos cum Auximanis acturi eſtis, mite & patienter agantur, nec aliquid fiat, quod antiqua vulnera & jam ſolidata renovare cogat; & niſi ego Paternitatem Veſtram dulciſſimam & prudenter & ſanctiſſime univerſa ſemper geſſiſſe cognoviſſem, nunc & propter ſubſcriptas rationes & alias, quæ nec ſcribi poſſunt nec debent, ego ipſe pro litteris veniſſem, ut una cum veſtra dulciſſima Paternitate res Auximanas conſolabili, patienti, ac dulci fine componeremus. Sed neceſſarium non eſſe judicavi, cum in rebus humaniſſime geſtis Paternitatem tuam veteratam eſſe cognoſcam. Valeat ipſa tua mihi dulciſſima Paternitas, quæ pro me filio precari dignetur Omnipotentem. Ex ſancto Severino, ultimo Septembris* MCCCCLIII.

Eidem.

Ex autographo.

XIV. *Reverende in Chriſto Pater amantiſſime, ſalutem. Illi veſtri filii Aſculani cuperent ſummopere, quod V. P. aliquando ipſos reviſere dignaretur, & id plurimis precibus expoſcunt & ſuppliciter petunt. Quare ut deſiderio eorum ſatisfaciam, ego una cum ipſis etiam vos rogo, ut Aſculum vos transferatis pro aliquibus diebus; quoniam inhumanum videretur, cum omnes alios populos P. V. foveat, deſereret illum populum Aſculanum, qui majorem in modum V. P. afficitur. Bene valeat P. V. quam iterum*

ex

ex animo precor, ut pro aliquibus diebus ſe ad dictam civitatem transferre velit; quod in primis Omnipotenti Deo acceptiſſimum erit, & illi populo & mihi conſolationem maximam afferetis. Maceratæ IV. *Octobris* MCCCCLIII.

B. Archiepiſcopus Ravennas Marchiæ &c. Gubernator.

EIDEM.

XV. *Reverende Pater, orator noſter & Pater præcipue. Superioribus temporibus fuit in Communi noſtro relatum, quod P. V. contra nos & hunc Eccleſiaſticum ſtatum noſtrum indignata erat, & quod reditus veſter ad hanc civitatem longo tempore tardaretur; etſi his dictis fidem credulam non adhiberemus, fuimus male contenti, putantes ac tenentes, indignationem in nos veſtram etiam ad Omnipotentem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum ſe extendere, ideſt, dum ſic eſſet, etiam ipſi Domino ſimiliter contumaces fore. Fuerunt forte P. V. ea dicta, quæ a veritate aliena fuere: pro certo peccatores ſumus, ut noſtis, nec forte tam grandes, quam dicimur ab his, qui odio omnino vacui non ſunt. Optamus omnes P. V. affatim, etiam univerſus populus & mulieres & pueri præſentiam veſtram affectant. R. P. frater Marcus generalis Vicarius Ordinis veſtri, ut in his deſiderio noſtro ſatisfaciat (excepto tamen mandato) operas ſuas promiſit: contentetur Paternitas ſua, ut patriæ veſtræ potiſſimum ſatisfaciatis. Et propterea precamur P. V. eamdem, amore Dei, omni, qua ſcimus & poſſumus, affectione, dignetur patriam repetere, noſque & populum hunc Aſculanum ſpirituali conſolatione refovere, uti alias; & in omnibus credere uti nobis ſpectabili civi & oratori noſtro D. Joanni ſancti Jacobi, quem pro hac re oratorem ad P. V. ſpecialiter deſtinamus. Bene valeat P. V. Aſculi* VII. *Octobris* MCCCCLIII.

Veſtri filii Antiani populi civitatis Aſculi.

Ex autographo.

XVI. Rex Boſnæ paulo ante converſus ad Fidem, uti ſupra narravimus, accepti beneficii lucis Evangelicæ ſuis Magiſtris præmium redditurus, ſacriſque operariis neceſſaria miniſtraturus, decrevit in ſuo regno, ut Fratribus alimenta darentur, & qui nollent, ad præſtandum cogerentur. Diſplicuit Religioſis, maxime Marco Bononienſi Vicario generali hoc edictum, & Dei providentiæ populique benevolentiæ potius quam violentæ Regiæ proviſioni volebant inniti. Scripſit itaque ex propinqua urbe Jaderenſi ſequentem epiſtolam.

An. 1451. *n.* 52. Rex Boſnæ præſcribit Fratribus alimenta.

Sed renuunt accipere.

Illuſtriſſime atque clementiſſime Rex.

XVII. *Tuæ ſacræ Majeſtati det Omnipotens continuum Regni incrementum, proſperoſque ad vota ſucceſſus. Ut Majeſtati tuæ ſæpius ſcribam, facit mea incredibilis de te opinio & humanitatis & devotionis: continua bonorum Fratrum Minorum ſollicitudo eſt, ut ſtatum ſuæ Profeſſionis ſemper & ubique ſervare poſſint. Sed cum intellexi Majeſtatem tuam pro ſua ſingulari devotione proviſionem feciſſe, ut a ſuis populis vel voluntarie vel invite Fratribus noſtris victui neceſſaria tribuantur, & mihi & Patribus Vicariæ Boſnæ viſum eſt atque diffinitum, ſtatui noſtro nulla ratione convenire illud, quod tua ſollicita devotio Fratribus impendere curat; hoc enim ſi tolerabimus, ceteris noſtris provinciis ac Patribus erit non modo grave, verum etiam moleſtiſſimum atque acerbiſſimum: facere ipſi nolumus, quæ in aliis facta reprehenderemus, quia ſervitia coacta Deo non placent. Quare magis ma-*

Ex reg. Mart. Bonon. fol. 4.

magiſque tuam ſacratiſſimam devotiſſimamque Majeſtatem precor, ut ſubditi tui libero benefaciendi fruantur arbitrio, & Fratribus in tuo regno degentibus, qui te ſolum gubernatorem, defenſorem nutritoremque ſuum appellant, aliter provideatur. Quos ego tuæ ſacræ Majeſtati in viſceribus Chriſti Jeſu per ſanguinem ipſius quantum ſcio, poſſum & valeo, ſicut filios meos dilectiſſimos commendo, quamvis tua ipſa ſacra Majeſtas, ſingulariſque devotio non egeat commendatione noſtra. Valeat tua Serenitas. Ex loco noſtro ſanctæ Crucis apud Jaderam XXVI. *Januarii* MCCCCLIII.

Marian. lib. 5. c. 26. Chron. antiqua. Robert. Licien. invehitur in Obſervantes.

XVIII. Anno præcedenti indicavimus Roberti Licienſis indignationem contra familiam Obſervantum, & adverſus eamdem multa tentaſſe. Si aliquando moleſtiam intulit, maxime hoc anno, a Patribus Conventualibus, ad quos ab Obſervantibus jam tranſmigrarat, Romam ut prædicaret, deſtinatus. In ſecretis confabulationibus, in familiari ſermone, publice & palam etiam ex ſuggeſtu huic ſtatui detrahebat, in eoque perſeverantes, niſi rejecta bulla Eugeniana ad Miniſtrorum obedientiam redirent, male dicebat perituros. Inſuper libellum incipientem: *Placet magnopere in Obſervantibus*: in hujus Inſtituti pernicem emiſit, cui vir doctus & pius Nicolaus Auximanus religioſe & ſolide reſpondit. Tractatulus incipit: *Quidam minus ſcrupuloſus*. Deinde ſuæ aſſertioni de periculoſo & damnabili ſtatu Obſervantum majorem fidem conciliari curavit per aliorum ſubſcriptiones; ſubjunxit que, aliquos ex ipſis provinciarum Vicariis ita ſentire, & velle ad priſtinam Miniſtrorum obedientiam redire. Benevolos habuit & propitios præ aliis Cardinales tres, Dominicum Capranicam Romanum tit. ſanctæ Crucis in Hieruſalem, Ordinis Protectorem, Petrum Barbum Venetum tit. ſancti Marci, & Joannem Carvajalium Hiſpanum ſancti Angeli Diaconum. Horum opera innuari curavit iſta Pontifici, maxime Vicariorum deſiderium. Ille vocatum ad ſe Vicarium generalem Marcum Bononienſem interrogavit, an ita ſe res haberet. Reſpondit, longe alienam eſſe ipſorum mentem, eamque melius explorari poſſe, ſi in conſpectu vocarentur. Ita factum: ſed unanimi conſenſu illi indicto cœtu decreverunt a ſuo ſtatu non recedere, quem omnes ſanctum, omnes ſalutarem, ſed & regulæ obſervandæ omnino neceſſarium eſſe, condixerunt, ſuiſque ſyngraphis & ſigillis, quæ apud me habeo originaria, confirmarunt. Præter Joannem Mongini de Sauxure Procuratorem familiæ Ultramontanæ in Curia, miſerat Theodoricus Auriga Vicarius generalis ex Gallia Nicolaum Pichonii & Joannem Treverenſem; ex Hiſpania Petrum de la Penna, Alphonſum de Mayorga, Bonaventuram de Mella, utriuſque nationis compromiſſarios, qui idipſum ſimul cum Gabriele Veronenſi Auſtriæ & Boemiæ Vicario, ſub finem Junii ſubſcripſerunt: Omnes ſermone & Inſtituti defendendi zelo prævit Petrus ab Anguillaria provinciæ Romanæ Vicarius. Adverſas partes cum Roberto maxime perurgebat Magiſter Jacobus de Mozanica Miniſter Mediolanenſis.

XIX. Optimum in hac tribulatione nacti ſunt Obſervantes amicum & tutelarem Petrum de Noceto Lucenſem, Pontifici ſumme carum & a ſecretis. Hic valde diligebat fratrem Archangelum a Pontremulo provinciæ Tuſciæ, Vicarii generalis ſocium, fidum olim in ſeculo amicum. Per hunc ſecreto ad ſe frequenter declinantem admonebat Vicarium omnium quæ gerebantur, & quæ agenda erant, conſulebat. Quidam frater Philippus de Maſſa, laicus ſupradictæ provinciæ, vir valde verſatus in rebus curiæ, & magnæ opinionis apud aulicos propter ſuam ſapientiam, & rerum agendarum peritiam, impatienter de hac controverſia locutus, inſipienter quiddam dixit, quod Pontificem valde commovit in Obſervantes. Conturbatum placavit

vit Petrus; rogavitque ut ſe quamprimum his Fratrum moleſtiis liberaret, decernendo, quod æquius videbatur, & Inſtituto Obſervantiæ magè propitium.

XX. Interim frater Robertus, & qui cum eo ſentiebant, omnem poſuerunt operam, ut Cardinales, & qui adhibiti hujus rei conſiliarii, in ſuam abirent ſententiam; parumque proficientes, in tantum prorupit Robertus exceſſum, ut in ſolemni concione habita in Campo Floræ multorum millium cœtui ſui affectus vehementiam expreſſerit, rationibus duodecim perſuadere niſus, Obſervantes ſuæ regulæ adverſari, impioque conatu Ordinis ſciſſionem moliri. Per domos etiam & familias ſimilia ſeminabant, ita ut inter cives diſcordia, in eademque domo inter parentes & conſanguineos paſſim oriretur diſſentio, pro ſuo affectu ſtudio partium præoccupato.

XXI. Ut maturius ageret, & utramque familiam ſolidius componeret, convocavit Pontifex ex præcipuis Italiæ Univerſitatibus Doctores triginta quinque, ex quibus viginti ſex erant utriuſque juris periti, quibus examinandam & diligenter diſcutiendam commiſit bullam Eugenianam. Deinde coegit graviſſimum cœtum, cui præeſſe voluit Guillelmum de Eſtoutevilla Gallum, tunc Epiſcopum Andegavenſem, mox Archiepiſcopum Rothomagenſem, tit. ſancti Martini in montibus Cardinalem, S. R. E. Camerarium, & intereſſe alios tres Cardinales Guillelmum Hugonis de Stagno etiam Gallum, Metenſem Antiſtitem, tit. ſanctæ Sabinæ; Dominicum Firmanum, Ordinis Protectorem, & Joannem Carvajalium Hiſpanum ſupra commemoratos, quibus etiam adnumeravit aliquot Epiſcopos, & Curiæ Prælatos. Re mature & diligenter diſcuſſa, convenerunt omnes coram Pontifice III. Nonas Julii, unanimemque dixerunt ſententiam, conſtitutum Eugenii nulla ex parte claudicare, neque præſcriptæ a ſancto Franciſco vivendi normæ adverſari. Judicium tantorum virorum probavit Pontifex, admiſſoſque in concilium Angelum Generalem Miniſtrum, Provinciales Franciæ, Mediolani, ſancti Antonii, Robertum Licienſem, alioſque ex ea parte deputatos; ex iſta vero Marcum Bononienſem Vicarium Generalem Ciſmontanum Obſervantiæ, Antonium Bitontinum Apuliæ, Seraphinum Caetanum Terræ laboris, Matthæum de Regio Calabriæ, Joannem de Prato Tuſciæ, Baptiſtam de Levanto Januæ, & Nicolaum Auximanum Marchiæ Vicarios, ad pacem & fraternam concordiam exhortatus, monuit prolatæ & ſtabilitæ ſententiæ, ſeque velle ut Obſervantes in ſuo permanerent Inſtituto; ſi qui tamen eſſent, quos arctioris vitæ pœniteret, libere ad Conventuales abirent. Cum vero Jacobus de Mozanica Miniſter Mediolanenſis reliquis animoſius ita inſinuaret: *Ex regulæ præſcripto, Beatiſſime Pater, tenentur hi Fratres Miniſtris obedire, & in unum corpus nobiſcum coire*; placide reſpondit Pontifex: *Abraham & Loth propter ſubſtantiæ multiplicationem, & pacem conſervandam ab invicem diviſi ſunt: veſtra religio in immenſum crevit, diverſique ſuccreverunt affectus, expedit ut novellum hoc germen alio regimine gubernetur. Satis ſuperque vobis Miniſtris imminet curæ: haud parum præſtabitis, ſi veſtro regimini commiſſos digne gubernetis.* Deinde præcepit Patribus Conventualibus, ne amplius contra bullam Eugenianam, aut ſtatum Obſervantum loquerentur, Obſervantibus ne amplius Conventualium cœnobia ſibi conferri procurarent, aut oblata reciperent, neque volentibus ad Conventuales tranſitum denegarent; & demum utriuſque partis Profeſſoribus, ne unus adverſus alterum prædicaret: ſi qui aliter facerent, cenſuris innodari, & carceribus immitti, vel a ſuis ſuperioribus, vel a locorum Ordinariis poſſe & debere, decrevit.

Pontifex turbis medetur.

Anno Christi	Nicolai V.	Friderici III. Imp.	Religionis Minorum anno 246.
1453.	anno 7.	anno 14.	

XXII. Ita mature & prudenter rebus compoſitis, multi ad Conventuales abiere, percrebuitque rumor his faviſſe Pontificem, ſtatumque Obſervantum infirmaſſe. Hinc nova Obſervantiæ fautorum commotio, piorumque Fratrum conſternatio, de ſuæ vitæ norma actum eſſe credentium. In tota hac turbarum ſerie ab omnibus deſiderabatur Joannes Capiſtranus, cujus auctoritate facile componi poſſet controverſia & ſedari tempeſtas. Rogarunt plurimi per epiſtolas, ut laboranti adeſſet familiæ, & afflictos ſua ſolaretur præſentia. Vir nobilis Joannes Columna Romanus Obſervantum fautor, & Capiſtrani amicus, his litteris, ut veniret, obſecravit.

Vocatur ab amicis Capiſtranus in Urbem, & præſertim a Joanne Columna.

Reverendo admodum Patri Joanni de Capiſtrano &c.

XXIII. *NOn oblivione amoris eximii in te mei, neque conſuetudinis meæ in ſcribendo intermiſſione, ſuperioribus temporibus litteras ad te meas mittere neglexi; ſed quia nimium longe a me abes, & quod tabellariorum certorum permagna hic ſit penuria. Jam vero quia nuncius certus iſthuc venit, cui non temere committere litteras meas poſſum, ſtatui aliquid ad te ſcribere. Pater Joannes, etſi ego non dubitem, ideo in mundo te eſſe natum, ut auctori tuo Deo uſui gratiæ gloriæque eſſes, nomenque ejus quovis terrarum ferres; tamen cum multa animo conſidero, reſque hujus candidiſſimæ familiæ de Obſervantia mecum agito, quanto in diſcrimine, quanto in periculo ſitæ ſint malorum impiorumque conſiliis, non mihi videtur apprime ſatis eſſe, vel ſi Germaniam, ſi Scithiam, totumque Septentrionem ad Deum convertas, miracula multa facias, mortuos, ut hic fama eſt, ſuſcites, & hi viri innocentiſſimi, ſanctiſſimi atque frugaliſſimi in procella quotidie turbineque verſentur. Quid enim mali humano generi fideique Chriſtianæ putamus fore, ſi hæc permunda familia, beatique Franciſci vera religio, poſt tanta ubique terrarum merita & monumenta contracta labefactetur, diſpergatur & ruat? Heu, pater optime! in te ſolo ſpes eſt, qui Deum atque homines flectis quo vis, qui colla ſuperborum, atque garrulantium ora proſternis. Veni, tuereque oves tuas, nihil timeto; ſatis illic effeciſti: parum prodeſſent facta ipſa tua, ſi arbor illa, ex qua tot dulciſſimi fructus emanant, penitus eradicetur. Veni inquam vocatus ab omnibus bonis: per tuam fidem, per animam tuam te oro. Vale. Romæ* XXIII. *Julii.*

Filius in Chriſto Joannes Columna Romanus.

Sed remit venire.

XXIV. Ille vero piaculum reputans, res Germanicas & Boemorum ſalutem, quam maxime cupiebat, negligere, judicavit ſufficienter huic conſodalium periculo obviari, ſi Cæſaris amicorumque precibus apud Pontificem, ne Obſervantibus officeret, ageretur. Id obtinuit anno ſequenti, & ſub alterius anni principium.

Capitulum generale. 86.

XXV. Sub hujus tumultus initium Angelus Miniſter generalis comitia totius Ordinis habuit Peruſii die xx. Maii. Illic præcipue actum eſt de reintegranda Religione, & tollenda ſciſſura, decretumque eſt, ut quo fieri poſſit modo, ageretur de reuniendis Obſervantibus totius Ordinis corpori per derogationem bullæ Eugenianæ. Peruſio Romam profecti præcipui Patres, totum in hac re poſuerunt conatum. Sed cum pro voto non ſucceſſerit, & Angelus in patriam rediret in morbum incidit, quo gravatus cum ægre Peruſium adveniret, paulo poſt deceſſit e vita die xx. Auguſti hujus anni, non ſequentis uti perperam habet Rodulphus. Illius funeri interfuit Marcus Vicarius Obſervantum cum plurimis ſui Inſtituti religioſis. Subſtitutus

Moritur Angelus Miniſter.

Rodul. fol. 191.

eſt

eſt a Pontifice, qui Vicaria auctoritate uſque ad Capitulum generale religionem gubernaret, Magiſter Jacobus de Monzanica ſupra relatus, ad quem Vicarius alter Obſervantum Marcus ſuas dedit litteras obſequii & reverentiæ teſtes, & confirmandi ſui muneris deprecatorias. Iſtis præmitto inſtitutionis Pontificium diploma.

Jacob. de Mozanica fit Vicarius generalis.

Dilecto filio Jacobo de Mozanica, Ordinis Fratrum Minorum & ſacræ Theologiæ Profeſſori, Provinciæ Mediolanenſis Miniſtro, ac ejuſdem Ordinis Vicario Generali.

XXVI. *Religionis zelus, litterarum ſcientia, vitæ integritas, aliaque eximia virtutum dona, quibus perſonam tuam novimus inſignitam, ſpem nobis indubiam pollicentur, quod ea, quæ tibi duxerimus committenda, cum ſumma diligentia & prudentia fideliter exequeris. Cum itaque, ſicut accepimus, Generalatus officium dicti Ordinis, cui quondam Angelus de Peruſio, dum viveret, præſidebat, per ipſius Angeli obitum ſit Generalis Miniſtri regimine deſtitutum; Nos animadvertentes uberes fructus, quos idem Ordo in agro militantis Eccleſiæ, in propagationem religionis & fidei Catholicæ produxit hactenus & producit aſſidue, ac ad ea libenter paternis & ſalutaribus ſtudiis intendentes, quæ ipſius Ordinis & ejus profeſſionis pacem ſtatumque tranquillum, ac ſuorum concernant animarum ſalutem, & propterea de perſona utili & idonea, quæ hanc intentionem noſtram exequi valeat, providere volentes, te, quem & doctrina & rerum experientia illuſtratum eſſe cognovimus, Vicarium Generalem præfati Ordinis uſque ad generale Capitulum ejuſdem Ordinis, in loco per te inſtituendo celebrandum inclusive, motu proprio & ex certa ſcientia, auctoritate Apoſtolica, harum ſerie facimus, conſtituimus & etiam deputamus. Tibi nihilominus dictum Ordinem, ac omnes & ſingulas perſonas & loca tam virorum quam mulierum ipſius Ordinis ubilibet conſiſtentia, juxta morem & ſtatuta ejuſdem Ordinis regendi & gubernandi, ac eos, eas & ea tam in capitibus, quam in membris ſuis ſingulis publice & private viſitandi, monendi, corrigendi, carcerandi & a carceribus liberandi, citandi, ſuſpendendi & privandi; electioneſque Provincialium Miniſtrorum ac Abbatiſſarum Ordinis ſanctæ Claræ tenendi, eoſque confirmandi; & Miniſtros ac Abbatiſſas hujuſmodi, & quoſcumque alios Officiales præfatorum Ordinum inſtituendi & deſtituendi, ac excommunicandi & excommunicatos abſolvendi, mulctandi, & juxta ſuos exceſſus puniendi, omniaque alia & ſingula faciendi, quæ correctionis & reformationis officio noveris indigere; necnon in futuro generali Capitulo prædicto, per te indicendo, præſidendi, & futuri Generalis Miniſtri electionem retinendi, voceſque deficientium Provincialium Miniſtrorum & Cuſtodum in electione futuri Generalis Miniſtri in dicto Capitulo eadem auctoritate ſupplendi, inſtituendi & incorporandi, ac quemlibet Fratrum ipſius Ordinis ad ea, quæ videris neceſſaria & opportuna, in quibus perſonaliter intereſſe non poteris, tuo loco ſubſtituendi; regiſtro quoque & ſigillo prædicti Ordinis utendi, ac omnia alia & ſingula agendi, ordinandi, mandandi, diſponendi & exequendi, quæ pro ipſius Ordnis ſtatu atque felici regimine noveris profutura, & quæ Generales Miniſtri ejuſdem Ordinis, qui pro tempore fuerunt, de jure vel conſuetudine facere potuerunt ſeu etiam debuerunt: contradictores quoque & rebelles per cenſuram Eccleſiaſticam & alia juris remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendi, ac ſuper his, quoties opus fuerit, auxilium brachii ſeculari invocandi, plenariam, tenore præſentium, eadem auctoritate concedi-* Ex autographo.

cedimus facultatem ac etiam poteſtatem. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac ſtatutis & conſuetudinibus dictorum Ordinum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel alia quavis firmitate roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Mandantes ex nunc in virtute ſanctæ obedientiæ dilectis filiis univerſis & ſingulis Miniſtris Provincialibus, Cuſtodibus, Guardianis, ceteriſque Officialibus, Magiſtris & Fratribus ejuſdem Ordinis profeſſoribus, ac Ordinum ſanctæ Claræ & ſancti Damiani ac Minoriſſarum Sororibus ubilibet conſtitutis, quatenus tibi in præmiſſis omnibus, juxta præſentem poteſtatem per nos tibi conceſſam, & a te deputandis humiliter & fideliter pareant & intendant, ac ſtudeant in omnibus, quæ ipſis injunxeris & mandaveris, efficaciter obedire; alioquin ſententias, ſive pœnas, quas per te vel per alios rite tuleris, ſeu ſtatueris in rebelles, ratas & gratas habebimus, illaſque faciemus, auctore Domino, uſque ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter obſervari. Tu igitur ex conceſſis tibi dono cœleſti virtutibus ſic in præmiſſis te laudabiliter geras & prudenter, quod ſperati fructus proveniant ex actionibus tuis, tuque ultra noſtram & Sedis Apoſtolicæ benedictionem & gratiam, apud Deum creſcas meritis, & ordo ipſe per tuæ diligentiæ ſtudium continuis proficiat incrementis. Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLIII. IV. *Idus Septembris, Pontificatus noſtri anno* VII.

Reverendiſſimo Patri in Chriſto colendiſſimo fratri Jacobo de Mozanica, ſacræ Theologiæ Magiſtro, totius Ordinis Vicario generali: frater Marcus de Bononia Fratrum reg. Obſerv. fam. Ciſmontanæ humilis Vicarius electus.

Ex arch. Capiſt. XXVII. *REverendiſſime in Chriſto Pater, filiali commendatione præmiſſa &c. Noſtra paupercula maritima dum viſitarem loccella, quæ ſanctiſſimi Domini noſtri deliberatio de tua Reverendiſſima paternitate fuerit, lubens intellexi, quem hujus noſtræ Seraphicæ Religionis uſque ad electionem novi eligendi Miniſtri Vicarium inſtituerit, quo nemo mihi gratior præferri potuiſſet, ex corde mihi acceptatiſſimum fuit; ideoque mea intererat Reverendiſſ. Paternitatem tuam, ubicumque fuiſſet, adire, ſibi plurimum gratulari, ac optatas audire & reddere voces. Sed ad alia nonnulla nunc noſtra negotia perficienda revocatus alio, quod præſentia nequibam, hoc litteris efficere poſſe credidi, ut eas lectites, ac in his puram meam erga R. P. tuam voluntatem, ſummamque benevolentiam animadvertere poſſis: quæ præter id, quod officii gratia debeo, tanta eſt, ut niſi mihi paulo poſt Bononiæ tuæ R. P. reviſendæ ſpes afferretur, ipſe nunc cum maximo detrimento, ceteris rebus omiſſis, evolarem: hac ſpe confirmatus curſu rapido rediturus pergo. Quod ſubjungo, tuam R. P. nulla ratione latere puto. R. P. noſtrum bonæ memoriæ Generalem Miniſtrum, Magiſtrum Ang. Peruſinum mihi tanta benignitate, humanitate, caritate, quanta dici poſſet, & oraculo vivæ vocis, & in ſcriptis Vicariatus noſtri confirmationem libentiſſime contribuiſſe. Quod ut tua quoque R. P. nunc efficere pro ſua humanitate deprecor, velit, mihique eamdem ſcriptam per fidas perſonas tranſmittere: quod ut R. P. tua concedat, non multis precibus contendo, cum ab eo impetrandum ſit, quem mihi jam diu affici ſummopere non ambigam. Quamobrem vehementer noſtri mutui amoris confirmandi gratia, tuam R. P. adeundi æſtuo deſiderio. Reliquum eſt ut ſi quales nos omnes atque ego in primis in te ſimus, dignoſcere velis, nihil tam magnum tamque arduum erit, quod nobis pro Dei honore tuaque di-*

dignitate fieri præceperis, pro quo paratiſſimos non invenies. Valeat eadem nobis tua dulciſſima Paternitas. Ex loco noſtro ſancti Spiritus juxta Ferrariam x. *Decembris* MCCCCLIII.

XXVIII. Jacobus autem vel ſanctitatem reveritus, aut poteſtatem veritus Capiſtrani, ad eum ſequentes dedit litteras ſuæ dignitatis enunciativas, humanitatis repletas officiis. Vicarius generalis ſcribit Capiſtrano.

Reverendo in Chriſto Patri colendiſſimo, religioſiſſimoque viro fratri Joanni de Capiſtrano Ordinis Minorum &c.

Colendiſſime Pater & omni benedictione digniſſime, poſt condignam devotionem &c. Fructuoſus labor, quem continue ſuffert veſtra, caritate plurima fervens ſollicitudo, necnon celeberrima ſanctitatis fama multiplex, quam prærogativa virtutum, quibus paternitatem veſtram dotavit Altiſſimus, quarum exercitatio ut nemini jam Chriſtiano ignorata eſt, maximam noſtræ religioni coronam affert, ceteraque mirabilia veſtra dona exigunt a me, ut me ipſum totum eidem R. P. devoveam, ſuiſque conſiliis prudentiſſimis, ac digniſſimis patrociniis omnia peragenda convincam: nam cum ego intentus curæ mihi creditæ Mediolani agerem, Reverendiſſimuſque quondam Generalis Miniſter xx. *Auguſti diem ſuum clauſiſſet extremum, ſanctiſſ. Dominus noſter, motu ſuo proprio, me abſente, & de hoc nihil penitus cogitante, onus tanti regiminis imbecillibus humeris impoſuit* IX. *Septembris, & Vicarium totius Ordinis deſignavit atque conſtituit: quod cum mihi de ejus mandato per Reverendiſſ. Dom. Protectorem nunciatum extitit, conſternatus animo fidem ipſe non præbui, putavique aliquid mihi nunciari fictionis. Ceterum cum iteratas litteras & ultimo certum nuncium ſocium Ordinis Ultramontanum ad me deſtinaſſet, non licuit amplius dubitare, minuſque ſuæ auctoritati diutius reluctari. Comparui igitur, & ad pedes ſanctiſſimos me ipſum* XXVII. *Octobris præſentavi, ubi vivæ vocis oraculo me inſtitutum reſirmavit, ſicque factum eſt, ut Domino placuit, ſit nomen ejus benedictum. Expoſitus ſum laboribus atque periculis plurimis, utinam fructuoſis; ego enim conſcius mihi, & meam inſufficientiam mecum conferens, animo revolvens, hæſito, & ab inſtituto retraher, niſi compelleret inſtituentis majeſtas, & ſpem afferret divina clementia, ſine cujus adjutorio nihil poſſumus nihilque præſumere debemus; ad cujus gratiæ impetrationem, ut mihi favorabiliter aſſiſtat, orationes veſtræ devotiſſimæ & acceptiſſimæ pro veſtra bonitate juvabunt. Ita ſupplico, ita ſpero, ita etiam expecto, & totis viſceribus concupiſco, meæ imbecillitati veſtra patrocinia ſuffragari. Eam ob rem præcipue calamum ſumpſi, ſimul atque ut me ac officii mihi impoſiti facultatem veſtræ præſtantiſſimæ Paternitati offerrem, ſi quid valeo ſibi efficere gratum. Quæ dignetur has meas exiles acceptare oblationes, & uti pro arbitrio: ego enim arbitror mihi ſingularem fieri gratiam, cum aliquid facere aut perficere potero vobis honorabile atque beneplacitum, cui obtemperare deſidero; cui & inſuper commendatum facio famoſiſſimum prædicatorem fratrem Robertum de Licio, hic actu pro Chriſtianæ fidei defenſione utiliſſime prædicantem, qui non minorem gerit de veſtris orationibus ſpem atque fiduciam, viſitatus nempe fuit ipſe pariter & ego a quodam nobiliſſimo viro V. R. P. devotiſſimo, quem ego puto futurum eſſe præſentium exhibitorem; ipſum noſtro nomine facimus efficacius commendatum. Valeat V. P. felix in ſempiternum. Ex urbe Aſſiſii* IV. *Novembris in veſtro ſacro Conventu de Angelis* MCCCCLIII. Ex arch. Capiſt.

V. R. P. Orator Fr. Jacobus de Mozanica provinciæ Mediolani Miniſter, & Ord. Minorum Vicarius generalis immeritus.

XXIX. In-

XXIX. Ingentem cladem accepit res Christiana a Turcis, capta hoc anno die XXIX. Maii Constantinopolitana urbe, totius Græciæ maxima, Orientis Imperii Metropoli. Occiso Constantino Imperatore, inhumanissime & barbare in omnes sævitum est, & pulcherrimæ urbis decor in momento deperiit. Ita ad hoc infelicissimum nuncium indoluit Nicolaus, ut reliquam vitam duxerit mæstissimam. Ne ulterius ad Christianorum progrederetur exitium, colligendas opponendasque duxit vires omnes Christianorum. Missis itaque Nunciis ad universos Principes, eos ad arma convocavit. Ad Siciliæ citra & ultra Farum regna Matthæum Rheginum amandavit. Missionis produco instrumentum.

Matth. Rhegin. contra Tur. colligit suppetias.

Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, Episcopis, & dilectis filiis Electis, Abbatibus, ac omnibus & singulis Prælatis ac personis Ecclesiasticis quacumque dignitate præditis, infra regnum Siciliæ citra & ultra Farum, in dominio carissimi in Christo filii nostri Alphonsi Aragonum Regis illustris constitutis &c.

Ex autographo.

Permittit aliquando Omnipotens Deus Christianum populum ad devia prolapsum diversis calamitatum generibus affligi, ut tamdem, superatis angustiis, post passas difficultates, pax restituta fidelibus gratiorem quietem reddat, & populi in ea magis gratulentur, sicque salutare bonum recognoscant, & redemptori Domino nostro Jesu Christo gratias referant, ac sese & mores suos in melius componant; ita enim ab initio seculi institutum fuit, ut quæque ætas angustias prosperosque successus habuerit, bonis nonnumquam floruerit, & laboraverit plereque adversis. Sane post acerbissimum casum civitatis Constantinopolitanæ, & victoriam, quam immanissimi Teucri potiti sunt, ex qua re vos & omnes qui sub Christi fide positi estis, maximo mœrore affectos existimamus, nihil magis animo nostro & venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium insedit, quam ut provisiones accommodæ, & prout tantæ rei necessitas exposcit, fierent, ut rabies efferata hujus Mahometi, Christiani nominis hostis acerrimi, refrænari, & ejus potentiæ resisti posset. Metientes itaque tantam jacturam & vulnus Christianitati illatum, de eorumdem Fratrum consilio & assensu, primum fideles ad fœdera pacis sive induciarum ineunda adstrinximus: mandantes, ut in illarum observatione perseverarent, & extinctis facibus bellorum atque discordiis, Sanctæ expeditioni se accingerent; hoc salutare & potissimum remedium existimantes, ut dissensionibus abjectis, restauratis per concordiam viribus, populus Christianus in robore persisteret, illisque non solum facultatem alia loca aggregandi adimeret, sed suis præsidiis a finibus Europæ expellerentur. Adhibuimus præterea alia remedia, quæ ad vestram consolationem & recreationem animorum, vobis & quibuscumque Catholicis declarari voluimus, quæ omnia particularius

Laudatur.

per dilectum filium fratrem Matthæum de Rhegio Ordinis Minorum professorem, & Evangelicæ veritatis idoneum prædicatorem explicanda duximus per se ipsum, sive per alios idoneos ad id per eum deputandos, ut animentur fideles ad commune periculum, & viribus & facultatibus succurrant. Verum, quia vestra suffragia plurimum conferre possunt ad hujus salutaris operis perfectionem, universitatem vestram & vestrum singulos per Jesum Christum Salvatorem nostrum requirimus & hortamur in Domino, vobis etiam per Apostolica scripta hoc præcipientes, ut pro ipsius Salvatoris & Christianæ religionis honore, circa omnia, quæ idem Matthæus sive deputandi prædicti seminabunt coram populo, assistere & favere velitis, greges vobis commissos ac alios excitan-

citando & monendo, ut non deſerant cauſam Fidei ſive operibus vel perſonis propriis, aut orationibus porrectis ad Deum tam privatis, quam publicis juvare, ut imminentem tempeſtatem, quæ periculorum procellam adduceret, ſua miſeratione avertat; confidimus quippe in eo, qui eſt ſumma veritas, quod Eccleſiam ſuam & fidem Catholicam uſque ad conſummationem ſeculi, ſicut pollicitus eſt, non deſeret, continuoque aſſiſtet, & ſalutaria ſemper adminiſtrabit conſilia, viresque ac potentiam pugnantium augebit. Veſtrum autem omnium, qui in hujuſmodi ſanctiſſimo negotio operam, diligentiam ac favores impendetis, nomina ſigillatim annotari facimus; præter enim æterna præmia quæ ſperare poteſtis, noſtram & Apoſtolicæ ſedis gratiam conſequemini. Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLIII. *pridie Non. Octobris, Pontificatus noſtri anno* VII.

XXX. Minoritæ regularis obſervantiæ, quos paulo antea Conſtantinopoli ſedem ſtatuiſſe diximus, partim cæſi, partim captivi abducti ſunt. Ex his frater Adrianus Flander, a Capiſtrano ad Ordinem receptus, a ſervitute poſt biennium redemptus, in conventu Brugenſi vixit annis multis, & in bona ſenectute ſancto fine quievit. Iſtis redimendis ſollicite laboravit Marcus Vicarius generalis, ſcripſitque Jacobo de Primaditiis inſigni prædicatori, dignæque venerationis per univerſam Italiam, viro vere Apoſtolico, ut quibus poſſet modis, redemptionis pretium aggregaret. Deinde hujus hortatu ad præcipuos Italiæ provinciarum Vicarios dedit litteras ſequentes.

An. 1451. *n.* 56. Conſtantinopoli pereunt Minoritæ.

Reverendi in Chriſto Patres, debita commendatione præmiſſa &c. Conſtantinopolim a Turcis captam, & ex noſtris Fratribus nonnullos occiſos, nonnullos adhuc impiorum manibus teneri captivos, vos ſcire non dubitamus: qui captivi ſine dubitatione periculoſiorem ſtatum habent, quam qui mortui ſunt, cum quotidie ſceleſtiſſimorum Infidelium abominationes intueri cogantur. Eis hæc ſola ſpes relicta eſt, ut noſtra pietate ac miſeratione redimantur; quod quidem fieri deprecantur, & R. P. fratrem Jacobum Primaditium in tanto ſuarum periculo animarum patronum ac intereſſorem ſuum ſtatuerunt: a quo ego rogatus, vos plurimum & rogo & hortor, meritumque obedientiæ adjungo, ut per veſtram provinciam & prædicatores & confeſſores hortari velitis, ut in ſuis prædicationibus populis noſtros miſerabiles captivos ad eos redimendos commendare curent, ne ad illa perpetranda compellantur, quæ nec liberati cogitare vellent: hæc illis faciamus, quæ nobis in tanto animarum periculo fieri vellemus. Si præfato modo aliquid pecuniarum habere non poſſimus, ſingulas oportebit onerare provincias, ut unaquæque ſuam perſolvat portiunculam. Valete, pro nobiſque orate. Ex loco noſtro apud Ariminum XV. *Octobris* MCCCCLIII.

XXXI. Acquirendis & colligendis eleemoſynis pro ſuſtentatione locorum Terræ ſanctæ in variis regnis & urbibus deſignati erant Procuratores, quos experientia docebat infide munus ſuum peregiſſe. Egit itaque nomine Guardiani Hieroſolymitani Vicarius generalis cum Pontifice, ut revocatis vetuſtis, novi ubique inſtituerentur. Id præſtitit hoc conceſſo diplomate.

Mutantur Procuratores Hieroſolymitani.

Ad futuram rei memoriam.

Solers Romani Pontificis diligentia ad ea, quæ quorumlibet ſacræ religionis profeſſorum opportunitates & commoda reſpiciunt, libenter intendit, ac omnia eis adverſantia reprimere & tollere ſatagit, prout in Domino conſpicit ſalubriter expedire. Cum itaque, ſicut nobis nuper dilecti filii

Ex lib. 43. Bullarum fol. 272.

moderni Guardiani Montis Syon, & aliarum domorum, ſive aliorum locorum Terræ ſanctæ Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, fidelis inſinuatio reſeravit, olim quidam dicti Ordinis Fratres, partim per Apoſtolicas & partim per Guardianorum domorum ſive locorum prædictorum, qui pro tempore fuerunt, litteras, pro Fratrum domorum ſive locorum eorumdem continuo inibi degentium ſuſtentatione, ipſarumque domorum ſeu locorum manutentione ac conſervatione, eleemoſynas & pia ſuffragia ab univerſis Chriſtifidelibus ubilibet conſiſtentibus petendi, colligendi & accipiendi licentia & poteſtate ſuffulti, & tamquam Procuratores ad hoc conſtituti, ipſarum litterarum vigore, plurimas eleemoſynas & ſuffragia, ut illa in uſus & utilitatem ſuſtentationis & manutentionis prædictarum convertenda eiſdem Terræ ſanctæ Fratribus realiter aſſignarent ſeu tranſmitterent, ab ipſis Chriſticolis, prout per fidelem aliquorum ex eis Magnatum ſignificationem eidem Guardiano moderno veraciter innotuit, collegerint ac receperint, & tamen ea vel aliquam partem eorum Guardianis ſeu Fratribus Terræ ſanctæ prædictis aſſignare vel tranſmittere non curaverint; ſed, Dei timore & regulari honeſtate poſtpoſitis, illa omnia auſu temerario detinere & pro ſeipſis uſurpare præſumpſerint, in animarum ſuarum periculum, & Guardianorum ac Fratrum Terræ ſanctæ prædictorum grave præjudicium atque damnum. Nos deteſtandis hujuſmodi præſumptorum fraudibus obviare, & ne ipſi in eorum malitia glorientur, ne etiam Chriſticolas & Terræ ſanctæ hujuſmodi Fratres amplius decipere valeant, providere cupientes, omnes & ſingulos Procuratores Fratres tam per Apoſtolicas, quam per quorumlibet Guardianorum prædictorum litteras ad petendum, colligendum & recipiendum eleemoſynas & ſuffragia, pro ſuſtentatione & manutentione prædictis, hactenus uſque in præſentem diem conſtitutos, eiſque deſuper ſub quacumque forma vel expreſſione verborum conceſſas litteras prædictas; dilecto filio Leonardo de Melia dicti Ordinis profeſſore, in conceſſo ſibi ſuper hoc per dictum Guardianum modernum Procurationis officio, donec ab eo revocatus fuerit, permanſuro, ut pote ſibi plena fide & laudabili experientia comprobato, dumtaxat excepto; auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium revocamus, irritamus & annullamus; ipſuſque litteras Apoſtolicas de illarum regiſtris omnino caſſari & cancellari præcipimus, & pro caſſis & cancellatis haberi volumus. Et nihilominus Venerabilibus Fratribus noſtris Archiepiſcopis & Epiſcopis, ac quarumlibet Eccleſiarum Prælatis, in quorum civitatibus & diœceſibus litteræ ipſæ per Procuratores hujuſmodi delatæ, exhibitæ vel oſtenſæ fuerint, necnon dilectis filiis domorum & locorum dicti Ordinis in eiſdem civitatibus & diœceſibus conſiſtentium ſuperioribus per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus eaſdem litteras ab ipſis Procuratoribus non amplius eis reſtituendas auferant ſeu auferri faciant & procurent, nec illarum prætextu permittant ſibi eleemoſynas aut ſuffragia aliqua erogari, quinimo eis ad aſſignandum ſeu tranſmittendum Fratribus Terræ ſanctæ detenta & uſurpata hujuſmodi per cenſuram eccleſiaſticam &c. cogant pariter & compellant. Non obſtan. &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno &c. MCCCCLIII. XVI. Kal. Martii, &c. anno VII.

Præfixum Miniſtris regiminis tempus revocatur.

XXXII. Miniſter generalis Angelus ſive errore deceptus, ſive aliorum perſuaſu illectus, impetravit a Pontifice Nicolao, ut ſui prædeceſſoris Eugenii litteras de præfixo Miniſtris Provincialibus ſui regiminis determinato triennii tempore, revocaret. Etſi ſint, qui putent perpetuum ſuprémi Prælati gubernium in religionibus præferendum eſſe temporaneo, tamen pauci ſunt, qui inferiorum Miniſtrorum dominatum judicent ad vitam protra-

trahendum. Quid in hac re magis expediat, alias ex mea ſententia, fortaſſis minus ſapienti, declaravi.

In notis ad regul. Tertiariorum n. 42.

Ad futuram rei memoriam.

Conſtitutus in ſpecula militantis Eccleſiæ Romanus Pontifex, circa ſtatum quarumlibet perſonarum eccleſiaſticarum & præſertim religioſarum proſpere dirigendum diligenter attendit, & quidquid earum quieti contrarium reperit, revocat & annullat, ac in melius commutat, prout cauſæ rationabiles perſuadent, & id in Domino conſpicit ſalubriter expedire. Dudum ſiquidem fel. rec. Eugenius Papa IV. prædeceſſor noſter minus veridice informatus, quod Miniſtri Provinciales Ordinis Fratrum Minorum provinciæ ſancti Jacobi, qui antea a pluribus annis fuerunt, pro eo quod ipſi ſeu aliqui officium Miniſteriatus provinciæ hujuſmodi non ad certum vel determinatum tempus, ſed ad eorum vitam rexerant & gubernaverant, ſuarum regulæ & conſtitutionum immemores effecti erant, & propterea Fratres ipſi, eorumque loca gravia hactenus ſuſtinuerant, & niſi deſuper provideretur, graviora in dies ſuſtinuiſſent detrimenta; idem prædeceſſor ita eſſe putans, per ſuas litteras perpetuo ſtatuit & ordinavit, quod ex tunc in antea perpetuis futuris temporibus officium Miniſtri dictæ provinciæ triennio dumtaxat duraret, aliaque fecit, inhibuit, voluit & mandavit, prout in eiſdem litteris, quarum tenorem præſentibus annotari fecimus, plenius continetur. Cum autem, ſicut exhibita nobis nuper pro parte dilecti filii Angeli de Peruſio Generalis Miniſtri dicti Ordinis petitio continebat, ſingulo triennio ut plurimum contingat inter eoſdem Fratres occaſione electionis dicti Provincialis rancores & odia, quæ interdum diſſenſiones & ſcandala parturiunt, exoriri, Provincialis longævus, præſertim dum in officio bene ſe gerit, magis fructuoſus ſit Ordini & Fratribus prædictis, ac eorum Conventibus & domibus, quam triennalis, & propterea litteræ ipſæ eidem Ordini valde præjudiciales exiſtant; pro parte dicti generalis Miniſtri nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut litteras prædictas, ac proceſſus deſuper habitos, ac inde ſecuta quæcumque revocare, caſſare & annullare, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui pacem & concordiam inter quaſcumque perſonas continuo vigere & augeri ſupremis affectibus deſideramus, ac diſſenſionibus & ſcandalis, quantum cum Deo poſſumus, obviamus; hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, litteras ipſas & proceſſus habitos per eaſdem, & quæcumque inde ſecuta, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium revocamus, caſſamus & annullamus, & de regiſtro & alibi ubicumque reperiantur, caſſari & deleri volumus & mandamus: decernentes illis in judicio & extra nullam fidem adhibendam fore ſeu adhiberi debere. Et nihilominus hac perpetua & irrefragabili conſtitutione ſtatuimus & ordinamus, quod ex nunc in antea electus in Provincialem dictæ provinciæ, & per Generalem Miniſtrum, ut præfertur, confirmatus, etiam elapſo hujuſmodi triennio, officium Provincialatus hujuſmodi ulterius abſque præfinitione temporis exercere valeat: qui, ſi male ſe geſſerit, etiam ante vel poſt hujuſmodi triennium ab hujuſmodi officio per dictum Generalem Miniſtrum, juxta conſtitutiones & ſtatuta dicti Ordinis amoveatur in omnibus & per omnia, ac ſi litteræ ipſæ nullatenus emanaſſent. Non obſtantibus præmiſſis ac conſtitutionibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Tenor vero litterarum prædictarum talis eſt. Eugenius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Ad futuram rei memoriam. Diſpoſitione divina quamvis immeriti, &c. *ut in Reg.*

Ex t. 42. Bullar. fol. 108.

tomi XI. *bulla* CXXIX. *Eugenii IV.* Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno, &c. MCCCCXLVI. pridie Idus Decembris, &c. anno XVI. *Nulli ergo &c. noſtræ revocationis &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno &c.* MCCCCLIII. *pridie Kal. Julii, anno* VII.

Florent concionatores inſignes.

XXXIII. Multiplex & ſeria occurrit hoc anno memoria in regeſto Marci Vicarii generalis horum, qui ſequuntur, inſignium Prædicatorum: Laurentii Siculi, ſummis precibus Cancellarii & civium Veronenſium eo per Vicarium Marcum tranſmiſſi, ut diſcordias tolleret, & ſequenti quadrageſima prædicaret: Philippi a Maſſa Romam avocati, ut ſua prudentia & doctrina laboranti familiæ opitularetur: Antonii a Montefalcone, ad Aprutinos & Aquilanos pacificandos, & gravia negotia peragenda deſtinati: Bonaventuræ Plantanidæ Mediolanenſis, Procuratoris Romani a Vicario hoc anno inſtituti: Jacobi Reatini, Vicario provinciæ Romanæ in locum Petri de Anguillaria ſubſtituti: Antonii Bitontini, quem inſtantiſſime flagitarunt Aquilani ſibi pro futura quadrageſima concedi concionatorem. Sponſionis litteras hic exhibeo, in quibus urbis clariſſimæ erga religionem beneficia recenſet, & dolorem ſuum exprimit, quod ad votum non fuerit ſatisfactum de prædicatore anni proxime elapſi, nolente illuc proficiſci Roberto Licienſi, uti ſupra narravimus.

An. 1452. *n.* 40.

Ex reg. Marc. fol. 8.

XXXIV. *Ampliſſimi, in Chriſto devotiſſimi viri: Chriſti Jeſu pace præpoſita. Nullis utique litteris, imo nec linguis eximia veſtra erga nos merita poſſemus exſolvere, a quibus illud noſtræ ſacræ religionis pignus, ſanctus videlicet Bernardinus, honorificentiſſime ſervatur; per quos matutina illa fulgentiſſimaque ſtella, Reverendus ſcilicet Pater fr. Joannes de Capiſtrano, patriæ Aquilanæ, univerſum irradiat orbem; a quibus Capitulum illud Aquilæ celebratum ita extitit affluentiſſime conſtitutum, ut nulla obliviene judicemus tantum beneficium abolendum. Impellit me ſcribere humanitatis veſtræ magnitudo: a calamo evellunt me innumerabiles & perturbatiſſimæ curæ, inter quas illud ego graviter moleſteque tuli, ut nulla mihi ad ſummum dolorem deſit acerbitas, quod vos pro quibus, ut debeo, ſummopere ne prædicator deeſſet, laboraveram, fuſtrati veſtro ac meo deſiderio præterita quadrageſima fuiſtis; quod quantum mihi afflictionis intulerit, quamque præter meam voluntatem contigerit, teſtis eſt ſcrutator cordium. Nunc vero ſtatui ut R. P. fr. Antonius de Bitonto, quantum in me fuerit, omnino futura quadrageſima in urbe veſtra prædicaturus adveniat: modo nulla ratione propter magnas occupationes venire poteſt; cum tempus congruum fuerit, obedientiam ſibi ſcriptam mittere non differam: venturum non ambigo, niſi forte a majoribus præoccupetur; vos vero ne impediatur, curate. Valeat veſtra humaniſſima caritas. Ex noſtro ſacro Conventu Aracœli* V. *Junii.* MCCCCLIII.

Rob. Licien. redit ad Obſervantes.

XXXV. Robertus querelæ Aquilanorum cauſa, & præcipuus ſupradicti tumultus incentor, pœnitentia ductus ad cor rediit, reverſuſque ad familiam Obſervantum, exemptionis libertatis diploma a Pontifice, & privilegiorum a Miniſtro Generali impetratum inſtrumentum miſit ad Marcum Vicarium, ſe totum ejus poteſtati committens. Ille autem paterne admiſſum beneficentia & ampla gratiarum omnium promiſſione, & præteritorum exceſſuum oblivione ſtatuit devincire. Sed non diu in propoſito perſtitit Robertus, ad priora libertatis & ambitus deſideria reverſus. Ecce pluſquam paternam, & ultra quam decuit ſuperioris auctoritatem, Vicarii epiſtolam.

Sed non perſiſtit.

Ibid. fol. 10.

XXXVI. *Venerabilis frater in Chriſto, poſt recommendationem ſalutis*

in

in Domino noſtro crucifixo. Redditæ mihi ſunt litteræ tuæ, frater optime, his diebus, quæ amarum & triſtem jamdiu ita me lætificarunt, gaudioque refecerunt, ut nihil gratius, nihil jucundius, nihil denique ſuavius intelligere potuerim. Hæc eſt dies, quam fecit Dominus, hoc eſt quod diu expectavimus. Gaudeo igitur mecum, tibique congratulor de reditu ad nos tuo. Ecce me, dulciſſime frater, totum me tibi offero, quidquid abs me popoſceris, læto animo ac hilari illico concedam. Memento quod dixerim tibi cum coram eſſemus in Conventu Aracæli. Accipe tu cartulam, & ego tibi calamum porrigam, ſcribe ut vis: unum tantum a te peto honorem Dei, profectum familiæ, ſalutemque tuam. Accepto te in fratrem meum dilectiſſimum & honorandum. Breve tibi conceſſum a Sanctiſſimo Domino noſtro, gratias quoque Reverendiſſimi Patris noſtri Generalis lætus accepi, ſed & gaudens ad te remitto: utere illis omnibus, & me ipſo pro tuo judicio, arbitrio & voluntate. Gratias autem meas ſeu officii mei ad te mitto, non quod illis egeas, ſed ut deſiderium meum, amorem, dilectionem, benevolentiam fidemque erga te meam cognoſcas: præteritorum omnium, ut verbis tuis utar, credas oblitum, omnino: confide, quia nemo erit, qui me contra te fratrem meum amantiſſimum inſurgere faciat. De ſociis tuis quidquid tibi expedit, facito; fratrem tuum & meum Lucam, ac illum de Callio ſuſcipiam, ut volueris: anxius expecto te videre, te amplecti & deoſculari pro officio affectu paterno, pro tuæ virtutis filiali dilectione, pro denique habitu communi, fraterno deſiderio. Poſtremo quidquid actum eſt erga te, a pluribus meis Romanis fratribus lætus audivi. Accipe cor meum, ſuſcipe animam meam & me, ut finem faciam, tuo jure utere, & ut vis. Ceterum vale, & me ama. In loco Spoleti die XIX. *Auguſti* MCCCCLIII.

XXXVII. Hoc anno ſancto fine quievit Onuphrius a Seggiano, agri Senenſis vico, vir miræ virtutis & ſanctitatis. Religioſo exemplo Fratrum cœnobioli Columbarii, non longe a ſua patria diſtantis, allectus habitum ſuſcepit ſtatus laicalis. Eam brevi aſſecutus eſt virtutem, ut in ſacra oratione diviniſque laudibus exercitatiſſimus, in paupertate, humilitate atque ardentiſſima caritate ſuis conſodalibus præfulſerit, ejuſque diſciplinæ tyrones, præcipue vero Joannem Capiſtranenſem Marcus Bergomenſis, de quo alias diximus, commiſerit. Spiritu prophetico afflatus multa prædixit ipſo eventu certiſſima; præſertim Nurſinos palam præmonuit futuræ tribulationis & calamitatis ſub Paulo II. quam plurimo ſuo damno poſtea ſunt experti. Joannes Capiſtranus anno MCCCCLI. quo in Germaniam abibat, Cortonium divertit, hunc ſuum magiſtrum ad Cœnobium ſanctæ Margaritæ commorantem inviſurus. Multa invicem de profectu animarum, religionis incremento, & itinere Germanico locuti, alternis ſe precibus commendarunt. Diſceſſurus Capiſtranus, pia arte magiſtrum eluſit: tunicam a ſuperioribus Onuphrio datam, qua, ſolo habitu contentus, non utebatur, tamquam ſuperfluam Vicarii Generalis auctoritate illi abſtulit, pro Viri ſancti reverentia eam ſibi induit, & vſque ad mortem geſtavit.

Marian. l. 5. cap. 27. Marc. 3. p. l. 2. c. 31. & l. 3. cap. 40. Gonz. in Prov. S. Franc. Conv. 15. & in Prov. Tuſc. Conv. 3. Onuphr. Seggianus moritur virtutibus plenus. Tom. 9. an. 1414. n. 3.

XXXVIII. Cives Nurſini hominem ſibi cariſſimum, qui novum fratrum conventum, & aquæductum ſuis manibus magna ex parte conſtruxit, urbemque prodigioſis & ſanctis operibus illuſtravit, inſtantiſſimis precibus a Juliano Cortonienſi, provinciæ Tuſciæ Vicario, impetrarunt ad ſe remitti. Per biennium aut amplius illic commoratus, grandævus poſt annos ſexaginta quinque pie in religione tranſactos, ſancte obdormivit in Domino. Cubiculum, in quo deceſſit, longo tempore miro flagrabat odore, qui ad reliquas etiam Cœnobii partes diffundebatur. Sepultus in templo Cœnobii ve-

veteris, poſtea ad novum tranſlatus eſt, ſolemni præmiſſa ſupplicatione, annuente Carolo Saraceno U. I. D. Epiſcopi Nurſini Vicario. Honorifice conditus prope ſummum Altare multis claret miraculis, quæ votivæ tabellæ, ad ſepulcrum appenſæ teſtificantur.

Marian. citat. Marc. citat. l. 2. c. 31. Gonz. citat. Rodul. fol. 110.

Item Joannuccius de Valleterrena.

XXXIX. Paulo poſt in eodem loco deceſſit laicus alter, virtutibus & pietate æqualis, Joannuccius de Valleterrena Comitatus Spoleti, prædicti Onuphrii haud indignus diſcipulus. Rigidus paupertatis ſectator, nihil aliquando habere voluit præter pauperculum habitum, cingulum & femoralia. Multis infirmitatibus afflictus, gratias agebat Deo, dicens afflictiones corporis pro magno theſauro reputandas, eaſque longe inferiores iis eſſe, quas Chriſtus pro nobis pati dignatus eſt. Etſi longævus & doloribus oppreſſus, ad omne opus bonum, ad divinum cultum & ſacras meditationes erat promptiſſimus. In Cœnobio Annunciationis Nurſiano, poſt matutinas preces, antequam Aurora luceſceret, vidit ſuper urbis mœnia dæmones multos, ignita tela in civitatem emittentes. Per Cœnobii Præfectum curavit hæc civibus indicari. Diffidebant invicem vehementer, & frequenter ad arma ruebant; ſed audita hac Joannuccii viſione, pacem inierunt. At paulo poſt rupto fœdere, inſtigante inimico, ingenti clade multi corruerunt. Nullo prægravatus morbo, ſuæ vitæ terminum prædixit diem converſionis ſancti Pauli Apoſtoli, quo etiam annis & ſanctis operibus plenus deceſſit. Ipſo eodem die aliquot edidit miracula. Fratrum Procurator ſeu Syndicus unguem exſcindere volens cultro, carnem leviter offendit; ex cicatrice toto illo die copioſe ſanguinis emanavit. Puerulum monoculum ad feretrum a genitrice delatum, ut utroque oculo perfecte videret, effecit. Juveni mortaliter fauciato Cœnobii Præfectus fragmentum Joannuccii veſtis applicavit, & ſtatim convaluit, quem nullo medicamine curari poſſe medici judicabant. Sepultus eſt honorifice prope ſuum magiſtrum.

Gonz. in Prov. Franciæ, Conv. 24.

Inſigne S. Bernardini miraculum.

XL. In urbe Bernaii Ducatus Normanniæ ſanctus Bernardinus hoc anno inſigne patravit miraculum. Puerulum quinquennem e ſummitate ſcalæ in terram lapſum, & ſubito vita functum mater in lecto repoſuit, abjitque in templum Minorum ſancto Bernardino (cujus mirabilia, præſertim juvenculam molendini rota laceratam & occiſam ab eo nuper vitæ reſtitutam, referri audierat) commendatura. Orabat, flebat, ingemiſcebat coram imagine ejus paulo antea ibidem poſita, & pro filii vita magna precabatur fiducia. Diu hærentem conſanguineæ & amicæ domum revocant, ut de funere tractaretur. Invita abiit, emiſſo prius voto de ferendo in templum cadavere, & donariolo addendo ſi reſurgeret. Abiit, duxit, Cœnobii incolas apud Divum ſtatuit interceſſores. Illi corpuſculum frigidum & exangue ſuper altare Divo dicatum collocarunt, ejuſque virtutem, cantata Antiphona: *Gaudet Ordo Minorum Franciſci nova plantula &c.* implorarunt: cum ex conſociis mulieris una ad altare accedens, puerulum amplexa & allocuta, audivit ſibi reſpondentem, matrique vivum reſtituit.

Fr. Aymeric. Epiſc. Lectoren.

XLI. Unum tantum invenio hoc anno Minoritam ad Epiſcopatum aſſumptum fr. Aymericum ad Lectorenſem in Gallia, ſub Archiepiſcopo Auxitano, per obitum quondam Bernardi vacantem. Pridie Nonas Julii. Neutrius meminit Claudius Roberti in cathologo Lectorenſium Antiſtitum.

Conv. Saviliani.

XLII. Conſtructi hoc anno multi Conventus. In regione Pedemontana & diœceſi Taurinenſi, Saviliani oppidi haud ignobilis incolæ ſummopere deſiderabant pro ſua & circumadiacentium locorum ſalute Conventum

tum habere Fratrum Obſervantum. Favit votis Daniel Abbas Monaſterii ſancti Petri, Ordinis ſancti Benedicti, conceſſa eis Eccleſia parochiali beatæ Mariæ Plebis, extra oppidi muros conſiſtente & ad ſuum Monaſterium ſpectante, ut ibidem Obſervantibus domum conſtruerent. Donationem hoc anno probavit Pontifex, facultate conceſſa fr. Hjeronymo Januenſi, Vicario Provinciæ item Januenſis, ut ſuis domum ædificaret, commiſſa informatione Epiſcopo Montis-regalis: *Ad ea per quæ*. Pridie Nonas Januarii. Hujus Cœnobii conſtructionem traſmittit Gonzaga in annum MDLXV. auctore fr. Clemente a Saviliano, communibus tamen ſumptibus oppidanorum. Forte occurrente tunc aliquo impedimento in iſtud tempus dilata eſt fabrica, vel iſto anno refecta eſt aut completa. Certe jam hoc anno inchoatam fuiſſe conſtat ex alio diplomate anni ſequentis: *Piis &c.* XIV. Kal. Novembris. Ex eodem Gonzaga ſuperius diximus, Conventum Levantini oppidi, diœceſis Lunenſis in dominio Genuenſi circa annum MCCCCXLIX. conſtructum. Hoc anno incidimus in diploma Nicolai, quo facultatem impertitur, ut ædificari poſſit: *Pia fidelium*. Nonis Junii.

Gonz. in Prov. Genuen. Con. 27.

An. 1449. n. 43. Gonz. in Prov. Genuen. Con. 27. Conv. Levanti.

XLIII. In hunc annum idem refert auctor conſtructionem cœnobii Vercellenſis regularis obſervantiæ extra civitatem, teſtaturque ita haberi ex bulla Nicolai Pontificis. Sed præextitiſſe Fratrum habitaculum, aperte narrat diploma, eique vicinam Eccleſiam parvam Canonicorum regularium ſancti Auguſtini cum quadam terræ portione, ad Guillelmum Epiſcopum Bethlehemitanum, non Vercellenſem, uti habet idem Gonzaga, ſpectantem, prædicti Cœnobii incolis neceſſariam, Epiſcopo petente, Pontificem donaſſe: *Sedis Apoſtolicæ* VIII. Kal. Febr. Hoc illud Eremitorium eſt, quod Janomium Vercellenſem Hieroſolymis revertentem, prope urbem conſtruxiſſe, in eoque vitam ſub eremitico habitu & rigoroſa pœnitentia abſolviſſe, recenſet Gonzaga. Hic etiam Ugolina virgo Vercellenſis, parentis fugiens inceſtum, effecto ſexu, ſub viliſſimo habitu, in arcta cellula annis quadraginta ſeptem latitavit. Obiit anno MCCC. virtutem ejus Deo multis miraculis comprobante. Ad funus Epiſcopus cum populo concurrit, quibus rei ſeriem vir quidam religioſus ex Ordine Prædicatorum, qui Virginis confeſſiones excipiebat, enarravit. Eremitorium & ædicula longo tempore derelicta ruinam minabatur, ne itaque prædictorum Janomii aut Ugolinæ memoria periret, in Cœnobium Obſervantum Vercellenſes ante hunc annum converterunt. Parvam hanc Eccleſiam hoc anno ſibi conceſſam, in pulcherrimam Fratres erexerunt, ſub titulo priori ſanctæ Mariæ de Bethlehem, ad hæc concurrentibus piorum eleemoſynis, & fabricam promovente fr. Ludovico a Valle-Camonica, provinciæ Mediolanenſis Vicario. Ea pietate Vercellenſes domum hanc foverunt, ut quinquaginta Fratres exciperet. Jacet ibidem Antonius Cremonenſis miraculis clarus, anno MDLXXV. defunctus. Eccleſiæ conſecratæ dies feſtus agitur in pervigilio Dominicæ Nativitatis.

Idem in Prov. Mediolan. Conv. 5. Conv. Vercellen.

B. Ugolina Vercellen.

B. Antonius Cremonen.

XLIV. Hoc anno prope Caſtrum ſancti Severi in Apulia Daunia, diæc. Civitaten. ſub diſtrictu Monaſterii ſancti Petri Turris-majoris indulto Apoſtolico: *Sacræ religionis* VI. Kal. Octob. ex communi ærario fabricata eſt domus ſub invocatione ſancti Bernardini, quæ ob aeris ſalubritatem, ædificii commoditatem, & rerum neceſſariarum abundantiam, deſignata eſt infirmis Fratribus curandis. Hinc in cœlum abierunt, Bernardinus a Procina, qui animarum lucrandarum zelo vix unquam a ſacris concionibus habendis reſpiravit, multoſque infirmos & energumenos mirabiliter ſanavit: Illi ſimiles Angelus ab Iſchitella ſacerdos, Antonius de Ripa, & Franciſcus a Co-

Conv. S. Severi.

Bernardinus a Procina. Angelus Iſchitellæ. Antonius de Ripa.

Franciſcus a Codonia.

Codoniæ laici, meritis opimi, omni virtutum genere ornatiſſimi. Ad illorum ſepulchra multa patrantur miracula. Eodem diplomate Pontifex conceſſit ut in Caſtro Vici, diœceſis Sipontinæ, domus alia fundaretur ſub appellatione ſancti Bernardini. Sed utrum fundata ſit, non comperio.

Conv. Vici.

XLV. Hoc anno ait Gonzaga conceſſum fratribus regul. obſervantiæ monaſterium ſancti Georgii, Monialium ordinis ſancti Benedicti extra muros urbis, Cividatis nuncupatæ in Foro Julii, poſtquam ipſæ translatæ ſunt ad Eccleſiam ſanctæ Mariæ majoris in Valle intra mœnia civitatis. Ait tamen, tunc Vicarium Generalem egiſſe Joannem Capiſtranum, quod a vero aberrat; ſecundum enim Obſervantiæ Vicariatum abſolvit anno præterito.

Conv. Cividatis.

Gonz. in Prov. S. Anton. Conv. 13.

XLVI. Patribus Conventualibus aliquot hoc anno obtigerunt domicilia. Nobilis vir Franciſcus de Carreto ex Marchionibus Saonæ, deprecante fr. Franciſco de Carreto, in Theologia Magiſtro, domus quaſdam & fundum in ſuo caſtro Spigni, diœceſis Saonen. conceſſit, ut ibidem Conventus ædificaretur ſub titulo ſancti Bernardini. Ut id fieret licentiam dedit Nicolaus: *Pia Deo & Eccleſiæ*. x. Kal. Februarii. Non tamen invenio alibi hujus Conventus memoriam. Ut alius in Caſtro Apitii, Beneventanæ diœceſis communibus incolarum facultatibus conſtrueretur, indulſit, commiſſa facultate fr. Galaſſio de Neapoli Theologiæ profeſſori, & provinciæ Terræ laboris Miniſtro: *Sacer ordo*. VII. Kal. Auguſti. Hunc reponit Rodulphus in Cuſtodia Beneventana, ſed a ſancto Franciſco perperam aſſerit conſtructum. Conceſſit hoc anno Nicolaus a Leonibus ſancti Pauli Fratribus Conventus magni Venetiarum Oratorium ſancti Nicolai, ſuæ domui vicinum, ea lege, ut Guardianus ſemper ibidem haberet duodecim Fratres, qui divinum cultum curarent. Fridericus Ulmius plurimum domum hanc illuſtravit. Ut Conventus Caſtri Plumbini, Maſſanæ diœceſis, propter bella a Raynaldo de Urſinis Caſtri domino deſtructus, ne ſecundo eſſet auxilio Alphonſo Regi Aragonum, ad obſidionem, ut timebant, reverſuro, poſſit iterum ædificari facultatem dedit Pontifex: *Ex injuncto*. IV. Idus Maii. Spectat ad provinciam Tuſciæ & Cuſtodiam Maritimæ. In eo floruit Magiſter Guerinus, eccleſiaſtes inſignis.

Conv. Spigni.

Conv. Apitii.

Rodul. fol. 276.

Conv. S. Nicolai.

Idem fol. 271.

Conv. Plumbini.

Idem, fol. 265.

XLVII. Domus ſancti Nicolai extra muros Antibarenſes in Dalmatia inde habuit exordium, quod dudum Rector capellæ ſeu Eccleſiæ ſine cura animarum ſancti Nicolai eamdem conceſſerit nonnullis Minoritis pro fundanda ſibi domo, quam illi paulo poſt canonice conſtruxerunt, & in prædicta Eccleſia officia celebrarunt divina. Nonnulli tamen presbyteri ſeculares facili prætextu contendebant ſibi deberi dimidium bonorum omnium, quæ dictæ legabantur Eccleſiæ. Sed cum ante unum vel alterum annum fuerit Conventus ad obſervantiam regularem reductus, oporteretque in meliorem formam adaptari, Pontifex, ſcriptis hoc anno litteris ad Archiepiſcopum Antibarenſem, voluit Fratribus legata in integrum permitti: *Sedis Apoſtolicæ*. XIII. Kal. Aprilis.

Conv. Antibaren.

XLVIII. Intra urbem Cydonis, alias Caneæ, in inſula Cretenſi, ad oram Borealem domus erat Ordinis Minorum ſub titulo ſancti Franciſci, ad eas anguſtias vel paupertatem redacta, ut unus vel duo dumtaxat Patres Conventuales inhabitarent. Senatus Venetus, cujus dominio parebat inſula, & cives Cydonii rogarunt Pontificem, ut eo transferrentur Fratres Obſervantes, qui ad ſancti Salvatoris ædem extra urbem reſidebant, aſſerentes, id gratiſſimum fore nobilibus, quibus valde placebant viri religioſi, & utile ſatis rei Catholicæ, dum honeſtiſſima ipſorum vita & bono exemplo multi tam

Conv. Cydonis.

tam Græci, quam Latini facilius in Fide confirmarentur. Annuit Pontifex, datis litteris: *Votis &c.* VII. Julii. Adeo huic populo accepti fuerant Fratres, ut non ſolum domum hanc, relicta illis altera ſancti Salvatoris, eos habere voluerint, verum & tertiam ſancti Georgii extra urbem, ut ſuo tempore dicemus, adjecerint. *Gonz. in Prov. Candiæ Conv. 7.* *An. 1530.*

XLIX. Hoc anno nobilis vir Martinus de Frangipanibus, Segniæ, Modruſſiæ, Vegliæque Comes, ad Terſathum, alias Caſartum, Corbanien. diœceſis urbem, ædificavit Conventum ſanctæ Mariæ de Gratiis pro Fratribus Obſervantibus, quem prius fabricare cogitabat ejus genitor Nicolaus. Facultatem conceſſit Pontifex ædificandi: *Exigit devotionis.* IV. Idus Julii; necnon habendi quaſdam poſſeſſiones annuaſque eleemoſynas, ita requirente illius gentis & regionis qualitate. Hoc idem alii Pontifices confirmarunt. Bullam Alexandri VI. de hac re dabimus anno MD. in regeſto. Pannones ædem hanc devote colunt & frequenter inviſunt. Conv. Terſathi. *Idem in Prov. Boſnæ Croat. Con. 1.*

L. Uratislavienſibus ſumme gratus Joannes Capiſtranus ob egregia apud illos patrata prodigia, hoc anno, antequam in Poloniam abiret, ex diverſis civium eleemoſynis Cœnobium ſuis Conſodalibus, ſub invocatione ſancti Bernardini inchoari curavit. Poſt annos quindecim a fratre Jacobo Glogoviano (qui anno MCCCCLXXXVII. in Boemiæ Vicarium Provincialem electus eſt) ultimam manum accepit. Sed paulo poſt propter aeris inſalubritatem, aliiſque de cauſis, in alterum locum translatum eſt. In hoc recentiori provincialia comitia habita ſunt anno MCCCCLXXXIX. & anno MCCCCXCV. electuſque eſt in hoc poſteriori vir inſignis & venerabilis, Antonius Luperchius in Vicarium Provincialem. Irruentibus demum in Sileſiam hæreticis, locus hic penitus eſt deſtructus. Hic habitum ſuſcepit Joannes Epiſcopus Varadienſis, vir dignitate, litteris & regendi poteſtate celeberrimus, de quo ſuo loco agemus. Ibidem requieſcit vir piiſſimus Alexander Javorenſis, qui prædictum Epiſcopum religioſa veſte donavit, & bis Boemiæ provinciam rexit. Incredibilis vir manſuetudinis & humanitatis, & ſalutaris conſilii; unde & Provinciæ Magiſter appellatus anno MCCCCXCIV. diem clauſit extremum. Conv. Uratislavien. *Idem in Prov. Boem. Conv. 3.* *An. 1492.* Alexander Javorens.

LI. Alium aſſecuti ſunt hoc anno Conventum Fratres in Bitho, altera Sileſiæ urbe, ſub titulo ſancti Nicolai, communibus ſumptibus erectum, quem poſtea hæretici duſtruxerunt; necnon & tertium ſub titulo ſanctæ Mariæ in oppido Rozelii; & quartum ſub invocatione ſancti Ægidii in oppido Clupſizii. Sed utrumque eamdem cum ſupradictis hæreticorum feralem rabiem probavit. Conv. Bithi. *Indid. Conv. 13. 14. & 15.* Conv. Rozelii. Conv. Clupſizii.

LII. Non minori polluit auctoritate in Moravia Capiſtranus, quam in Sileſia; etenim Olomutii, quod Moraviæ caput eſt, duo aſſecutus eſt ſuis Fratribus hoc anno domicilia. Primum ſub titulo Conceptionis ſanctæ Mariæ intra, alterum extra muros ſub invocatione ſancti Bernardini. Graſſante porro hæreſi in Boemia, uterque Conventus funditus everſus eſt. In Conventu Conceptionis habita ſunt comitia anno MCCCCLXXXV. in quibus Alexander paulo ante commemoratus, electus eſt Vicarius Provincialis, & anno MCCCCXCII. in quibus Paulinus Lembergerius ad idem munus adſcitus eſt; obiitque Joannes Miſnenſis, virtute clarus & ſanctitate, honorificum ſortitus monumentum. De hoc alias ſermonem inſtituemus. Conv. Olomutii Conceptionis. *Indid. Conv. 4. & 5.* Conv. S. Bernardini ibidem. Joan. Miſnen. *An. 1492.*

LIII. In Saxonia vir nobilis Fridericus Dux Brunſvicenſis & Luneburgenſis domum Fratribus Minoribus prope capellam beatæ Mariæ extra muros oppidi de Novetzellis, diœceſis Mindenſis, conſtruere parabat. Sed cum propter exorta bella locus ille minime tutus eſſet, infra dictum oppidum Conv. Novetzellen.

cœpit ædificare. Annuit Pontifex: *Sinceræ devotionis*. v. Kal. Octobris. Hujus Cœnobii memoriam apud noſtros auctores non invenio.

Tom. 11. anno 1442. n. 19. Conv. Jaderen.

LIV. Diximus alias conſtructum Fratribus Obſervantibus Cœnobium ſanctæ Crucis extra muros urbis Jaderenſis, in Dalmatia præcipuæ. Hoc anno Veneti Proceres & Magiſtratus Jaderenſis ſupplicarunt, ut transferrentur in urbem ad Conventum ſancti Franciſci Fratrum Conventualium; timebant enim Turcas bellum illaturos, & erga Conventuales erat aliqualis civium diſplicentia. Annuit votis Pontifex: *Inter deſiderabilia*. xiii. Kal. Aprilis.

Conv. Dixmudæ *Gonz. in Prov. Flandriæ Conv.* 10.

LV. Oppidi Dixmudæ in Flandria domini, maxime vero generoſa heroina Margarita de Berſta, hoc anno cœperunt ædificare Conventum beatæ Mariæ pro Fratribus Obſervantibus in eodem oppido, prope capellam de Northavit. Ut liceret, impetravit apud Pontificem Iſabella Burgundiæ Duciſſa, in cujus principatu ſita erat Dixmuda, ad hoc inducta precibus fratris Ligeri de Nuſtaer, tunc Vicarii, non generalis ut aliqui volunt: iſto enim munere fungebatur hoc anno frater Theodoricus ab Auriga; ſed provincialis. Hæretici Conventum funditus deſtruxerunt.

Conv. Leodii.

LVI. Sub Eugenio IV. Leodienſes extra ſuum oppidum, diœceſis Trajectenſis, nunc urbem Epiſcopalem, extruxerunt Fratribus Obſervantibus Cœnobium. Sed cum multis pateret incurſibus latronum & oppidi inimicorum, decreverunt illud intra mœnia transferre. Annuit hoc anno Nicolaus: *Piis fidelium votis*. pridie Kal. Auguſti. Nunc intra mœnia urbis

Indid. Conv. 15.

eſt. Gonzaga non tam translationem, quam novam erectionem, nulla facta prioris Conventus mentione, recenſet, eamque factam anno MCCCCLXXXI. ſumptibus ſereniſſ. Principis Joannis Hornei Epiſcopi Leodienſis, & aliquali ſubſidio generoſi Militis Ludovici Angiani. Licentiam ædificandi impetravit Joannes Bilitonius, Canonicus Leodienſis a Juliano Ruvereo, Cardinale Epiſcopo Sabinenſi, Apoſtolicæ Sedis Legato in Gallia anno ſupradicto. Eccleſiam in honorem beatæ Virginis Mariæ ac ſanctæ Barbaræ anno MDVII. die XXV. Martii Erardus de Marcha Epiſcopus Leodienſis conſecravit. Frequens & grave eſt religioſorum virorum domicilium. *

* *Etſi hujus Cœnobii translatio ab Auctore, diplomatis Pontificii fundamento innixo hic recenſeatur, tamen, ſecundâ ejus monita ad annum 1487. nonniſi illo eodem anno conſtructum eſſe perhibetur.*

Conv. Pedenacii. *Gonz. in Prov. S. Ludov. Conv.* 16.

LVII. In Gallia Gothica & diœceſi Agathenſi oppidum eſt frequens & locuples Pedenacii, Arari præterlabente, crebris nundinis, & Concilio ibi habito Alarici Viſigothorum Regis tempore celeberrimum, in quo, dum Laurentius de Monte Vicarius Provincialis Provinciæ magno fructu prædicaret, oppidani ſtatuerunt conſodalibus domum conſtruere. Annuit Pontifex dato diplomate: *Ut ſacer Ordo*. v. Idus Januarii. Nondum abſolverant ſtructuram, cum locus probaretur incommodus; translatum eſt itaque Cœnobium in alteram partem anno MCCCCLVI. ſub Calixto Pontifice. Ædificium complevit anno MCCCCLXXII. ſub titulo Dominæ noſtræ de Pietate, Jacobus Lauretus, cujus filius unicus Religionis habitum induerat. Auxilio fuit Bernardus frater, Toſolanus Doctor & Advocatus, qui tum apud Regem, tum apud Pontificem non parum laboravit, ut opus perficeretur, quibuſdam contradicentibus. Occupato oppido ab hæreticis Calviniſtis in primis Galliarum tumultibus combuſtus eſt Conventus, mox piorum Pedenacenſium favore reſtauratus.

Conv. Dulendii. *Idem in Prov. Franc. Conv.* 57. *Mon. MSS. Cuſtód. Picardiæ.*

LVIII. In ſuburbio Dulendii oppidi, diœceſis Ambianenſis, ſubter munitiſſimum caſtrum hoc anno Conventum Fratribus ſub titulo Annunciationis beatæ Mariæ inchoavit generoſus miles, Philippus de Sanduces Ordinis equeſtris, & Philippi Ducis Burgundiæ Conſiliarius. Fundum ad eumdem fundatorem ſpectantem, oppidi Dominus Prætor & alii Præfecti anno MCCCCLII. ab omni onere voluerunt exemptum. Ædificandi facultatem

tem accepit a Bernardo Armaniaco, Marchiæ, Perdriaci & Caſtri Comite, cui ſuperius diximus datam a Pontifice licentiam aliquot Monaſteria hujus Inſtituti conſtruendi. Fundationem confirmavit Pontifex eo præcipue titulo, ut Fratres ſua ope & miniſterio ſubvenirent Monaſteriis Clariſſarum a beata Coleta reformatis: *Iis quæ ad ſacræ Religionis*. XVIII. Kalen. Julii. Huic Cœnobio plurimum faverunt Galliarum Reges, & Duces Burgundiæ, & optima ſuppellectile eccleſiaſtica donarunt, ſed univerſa ſpoliatum anno MDLXII. hæretici incenderunt. Paulatim Fratres priſtino nitori reſtituerunt. Poſtremo Eccleſiam inopinato caſu conflagratam, prædicti fundatoris & oppidanorum auxilio, in meliorem formam Fratres reduxerunt. *An.* 1448. *n.* 41.

LIX. Dixi alias, Guillelmum Iragillich, provinciæ Hiberniæ Vicarium, impetraſſe, ut in quibuſdam dicti regni locis, præſertim in Epiſcopatu Elphinenſi domum poſſet ædificare Fratrum Obſervantum; & monui apud Elphinenſes olim Minorum domum extitiſſe. Hoc anno comperio, ejuſdem conſtruendæ in ipſa urbe facultatem fuiſſe conceſſam, datamque Fratribus Eccleſiam parochialem ſancti Patritii a Cornelio Epiſcopo, Canonicis & Civibus, cum quibuſdam terris, procurante eodem Guillelmo, qui hoc anno non Vicarius, ſed Miniſter erat Hiberniæ. Ut præter hanc etiam alias tres vel quatuor domos ædificaret, conceſſa eſt in diplomate facultas: *Sacræ religionis*. XVII. Kal. Novembris. Quid de hac domo dicam, præter alias dicta non habeo. *Tom.* II. *anno* 1446. *n.* 19. *& hic anno* 1450. *n.* 41. Conv. Elphinen.

LX. Hoc anno XXII. Julii Monaſterium beatæ Mariæ Magdalenæ in urbe Trevirenſi, tertii Ordinis, translatum eſt ad Inſtitutum ſanctæ Claræ. Extinctis Sororibus Pœnitentibus, ſola remanſit ſoror Hilla Matthiæ de Palatiolo, quæ majoris perfectionis, & Monaſterii conſervandi cupida, reſignavit Jacobo Archiepiſcopo reditus, poſſeſſiones, proventus, & domum ipſam; rogans, in ea extingui tertium hunc Ordinem, & introduci ſecundum Clariſſarum. Ita factum die prædicto, datis clavibus ſorori Eliſabethæ de Lindenfels Clariſſæ, nuncupatæ Abbatiſſæ, traditis ei conſodalibus ſeptem, ex Monaſteriis in Guadenthal, & in Alsbach Baſileenſis civitatis & diœceſis evocatis. Cura vero & regimen earumdem commiſſa ſunt Fratribus Obſervantibus, ea acceptante fratre Ivone Hueto Britanno, Commiſſario ad hoc ſpecialiter delegato a Vicario generali Ultramontano. Leguntur hæc in inſtrumento per Petrum de Beſort ſubſcripto. Habebant hæ Sorores contiguam domum Fratrum, in qua aliquot ſub ſuis lectoribus ſtudebant, addita etiam inſtructa Bibliotheca. Hic ſepulti ſunt Joachimus ab Arnheim, & Henricus Regius, olim provinciæ Colonienſis Miniſtri, necnon duæ Duciſſæ Bavariæ, in hoc Monaſterio profeſſæ, quarum effigies lapidibus inciſæ parieti infixæ ſunt. Sorores primum erant Urbaniſtæ, ſed per P. Joannem Hayum reformatæ, vivunt ſub prima regula ſanctæ Claræ. Hinc prodierunt fundatrices Monaſteriorum Antuerpienſis, & in Hochſtrato, & aliquot Coloniam deductæ. Huc confugiſſe ex Belgio Clariſſas aliquot, irrumpentibus hæreticis in earum clauſtra, ſcribit Gonzaga, ſeque præcepiſſe ut benigno exciperentur hoſpitio, & Sorores humaniſſime id præſtitiſſe. Mon. Treviren. *Monum. MSS. Prov. Colon.* *Gonz. in Prov. Colon. Mon.* 1.

LXI. Andreas Petri Calamoris, & Maria Nicolæ conjuges Interamnenſes, petierunt licentiam ædificandi in eadem urbe Monaſterium Sororum tertii Ordinis ſancti Franciſci ſub invocatione ſanctæ Mariæ de Virginibus, ad ſimilitudinem Monaſterii Fulginatenſis, quod *Continentium* nuncupabatur. Aſſenſit petitioni Pontifex, datis litteris ad Abbatem Monaſterii ſancti Benedicti de Stroncono, Narnienſis diœceſis. Similiter conceſſit Raphaelæ de Carreria Barcinonenſi, tertii Ordinis Sorori, ut in eadem urbe pro Mon. Interamnen. 3. Ordinis. Mon. Barcinonen. ejuſdem Ordinis.

ſe & pro aliis ejuſdem Inſtituti Sororibus quamplurimis, ibidem, Perpiniani, & per Aragoniæ regnum cohabitantibus, ædificare poſſet Monaſterium ſub obſervantia regulari. Preces ſuas interpoſuit Rex Alphonſus, & litteræ deſtinatæ ſunt Abbati Montis-Serrati.

Mon. Parmen. Tom. II. anno 1445. n. 27.

LXII. Moleſtas ac diuturnas lites contra Sorores tertii Ordinis Monaſterii ſanctæ Mariæ Gratiarum Parmenſis, de quo alias actum eſt, a nobili viro Ludovico de Valerio, Comite de Banganzola, ac Milite Parmenſi, hærede Chriſtophori de Valerio, ſuper quibuſdam domibus ab eo in pios uſus legatis, & his Sororibus adjudicatis, magno diſpendio excitatas ſopivit. Sorores ejuſdem tertii Ordinis oppidi Weſalienſis, diœceſis Colonienſis, albis veſtitæ, & ſuperpelliceo ſeu rochetto ſubtili albo, libere & ad placitum e ſeptis Monaſterii egredientes, ad preces nobilis mulieris Mariæ de Burgundia, Ducisſæ Clivenſis, ad clauſuram coegit, data facultate iis, quæ ſub clauſura vivere nollent, tranſeundi ad alia ejuſdem Ordinis Monaſteria. Sententiam ab Henrico Heſſel Scholaſtico Xanten. in Sorores refragantes latam, confirmatam voluit Calixtus III. anno II. ſui Pontificatus.

Mon. Weſalien.

Mon. Roman. S. Margaritæ.

LXIII. In regione Urbis Tranſtyberina, Margarita Pauli de Civitate Veteri cum aliis Sororibus tertii Ordinis annis aliquot habitavit. Collectis facultatibus domum capacem ſibi poſuerunt, in qua, conſentientibus vivæ vocis oraculo Eugenio IV. & hoc Pontifice Nicolao, vivere & perſeverare ſtatuerunt. Petierunt & obtinuerunt hoc anno XIV. Kal. Junii, ut ſecundum regularia Inſtituta, & ſub una ex ſua congregatione ab ipſis eligenda, in communi vivere, & tria Religionis vota emittere liceret. Dixi ſuperius, duas eſſe domos vicinas Sororum tertii Ordinis ſanctæ Apolloniæ, & ſanctæ Margaritæ: illic actum de ſanctæ Apolloniæ judicavi, quia hic de ſanctæ Margaritæ Monaſterio inde conjicio agi, quia probabile reputo, primam hanc inſtitutricem Margaritam ex peculiari affectu in ſanctam Margaritam voluiſſe, ut ſub hujus Divæ nomine Eccleſia conſtrueretur, & ſub ejus protectione Sorores Deo ſua vota nuncuparent.

An. 1451. n. 69.

Mon. Beneventan.

LXIV. Clariſſis Beneventani oppidi, Ovetenſis diœceſis, nobilium Sororum numero, regulari obſervantia, vitæ ſanctimonia, & bona ubique fama pollentibus conceſſit, ut non ab alio quam a fratre Sancio de Canalibus, inſtar regii Monaſterii de Jugoſillarum viſitarentur aut gubernarentur. Clariſſi Monaſterii de Denejo, Elienſis diœceſis in Anglia conceſſit fructus & reditus cantariæ ſeu capellaniæ parochialis Eccleſiæ ſancti Andreæ de Hiſton, dictæ diœceſis ad altare beatæ Mariæ Virginis, per Henricum de Colvile fundatæ.

Mon. Deneſii.

Variæ privilegia.

LXV. Fratribus Conventus ſancti Franciſci Ulyſſiponenſis indulſit, ut qui inter eos legebant aut ſtudebant, eorumque collegium cenſerentur aggregata & incorporata Univerſitati generalis ſtudii ejuſdem civitatis, poſſentque Religioſi promovere ad gradum magiſterii, obſervatis Academiæ ſtatutis. Ex alio ejus diplomate de conceſſis Indulgentiis pro ſecundo die Auguſti conſtat, paulo ante hoc tempus conſtructum altare majus cum tota majori capella Eccleſiæ ſancti Franciſci Licienſis, ſub vocabulo beatæ Mariæ de Angelis & ſancti Franciſci per quondam Deliciam de Noye Nicolai Taſtarmi, civis Licienſis uxorem.

LXVI. Vir nobilis Ludovicus, urbis Mantuanæ Marchio, curavit inſignem ejuſdem urbis Conventum ſancti Franciſci a Patribus Conventualibus ad Obſervantes transferri. Attamen cum iſti juxta ſuum Inſtitutum habere non poſſent annuos introitus ex poſſeſſionibus, domibus, vineis, & pecuniis ex impreſtitis Venetiarum, quibus antea gaudebant Conventuales; ro-

ga-

garunt ut liceret prædicto Ludovico, aut ejus fratri Alexandro, prædicta bona quæcumque vendere, ac in reparationem Cœnobii, & reſtaurationem Bibliothecæ, & ſacrarii convertere. Aſſenſit hoc anno VII. Idus Junii Nicolaus, Principis erga Fratres affectum commendans.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MLISSANI DE MACRO.

» I. ATer hic annus infanda commemorare cogit; Boemi, Hungari, » atque Auſtriaci eodem tempore a Friderico Ladislaum ſuum » Regem & Ducem petebant; ob idque etiam Vienna ab Imperatore de- » ſcivit; at coacto exercitu armata manu, dum hic illis reſponderet, at nec » devincere poſſet, ad novam Civitatem ſe recipiens, ibi ſtatim obſidione *Dogl. fol. 447.* » cinctus eſt, interpoſitis vero qui rem tractarent, quieverunt arma. Fri- » derico Ciliæ Comiti conſignato Ladislao ætatis annorum XIV. ut Viennæ » congregati Oratores Boemiæ, atque Hungariæ, de conſtituendis Guber- » natoribus Regni, & Ladislai deliberarent; at Ladislaus ut Viennæ fuit » per ſe ſolum Regni adminiſtratione ſuſcepta, etiam Ducem Auſtriæ ſe » dixit. Mahometus vario ſub colore ad Boſphorum, ubi Europæ littora ab Mahometus Cō- » Aſiæ littoribus vix D. P. diſſident, ex adverſo Chalcedonis urbis Aſiaticæ ſtantinopolim ob- » ſitam, Imperii ſedem, inexpectate invaſit, arctaque obſidione cinxit. ſidet. » Miſera urbs! Celſis circum oppugnata molibus, die noctuque laceſ- » ſita, tamdem ſiniſtro caſu, cum Propugnatorem multitudo fugiens con- » fuſe per portam ingrederetur, & Conſtantinus equo lapſus & pedibus Moritur Con- » conculcatus occubuiſſet, patuit urbs inimicis penultima die Maii an- ſtantinus & ex- » no MCCCCLIII. Corporis Conſtantini adinventi abſciſſum caput, haſtæque pugnatur. » impoſitum omnibus expoſitum fuit. Multa millia Græcorum ſimul cum eo » ceciderunt; poſt quos jugulatis Proceribus, populationi, inflammatio- Magna & lacry- » ni & excidio barbara gens tribus totis diebus ſubjecit urbem: quo tem- mabilis depopu- » pore nullum turpe vitium, nulla violentia, nulla crudelitas a Turcis latio. » prætermiſſa fuit; Nuptas, Virgines, Viduas & Pueros æque ſordide ſee- » lerabant, Senes, & Religioſos quoſvis dire trucidabant; Templa, Al- » taria, Lipſana, direpta ſupellectili impie profanabant, barbare diruе- *P. Bertius in de-* » bant, ac immites conculcabant: in ſummo: erant omnia horrore plena. *ſcript. Peloponn.* » Horrificum & luctuoſum rumorem Veneti ut audiverunt, Hexamilum, *fol. 439.* » quem Amurates II. anno MCCCCXLIV. dejecerat, ſpatio dierum quinde- » cim reſtituerunt. Pontifex vero ingemiſcens clamavit ad Altiſſimum: qui » VI. Idus Martii conceſſerat Fratribus ſepellire mortuos: *Sacræ Re-* » *ligionis &c.* & Fratribus Bitunti Civitatis Epiſcopalis in Apulia Peuce- » tia a Mari Adriatico, vel Jonio P. M. VII. diſſitæ nobilis, & frequentis, » ſuam reparare Eccleſiam & Capellam fundare: *Sacræ devotionis &c.* & Litteræ Pontifi- » Fratribus Tertii Ordinis Jaderæ Civitatis pariter Epiſcopalis in Inſula ciæ. » primaria Liburnorum, Ditionis Venetæ, pro ſua, & quadam alia Domo *Indicul. ex Vati-* » prope ipſam ſcripſerat: *Ut ea &c.* IV. Idus Januarii; & pro Monialibus *can.* » Salerni Archiepiſcopalis Picentinorum, maritimæ in Principatu citeriori » Neapolitani Regni, in Colle amœno ſitæ: *Votis humilium &c.* III. No- » nas Maii; & noſtris Sororibus de Obſervantia Perpiniani Oppidi & Arcis » munitiſſimæ in confinibus Hiſpaniæ & Franciæ ſub Pyrenis ad Mare, ha- » bitationem religioſam ſibi excitare: *Inter ſupremæ &c.* VIII. Idus Maii; » & Fratribus Conventus ſancti Georgii de Monte rubeo Provinciæ Mar- » chiæ poſſe recipere bona, ut idem etiam Fratribus Domus Bellitii: *Sa-* » *cræ Religionis &c.* VIII. Kalendas Junii. Tamdem Petro Baino Boſnenſi

poſ-

» poſſe habere ſecum duos Religioſos conceſſit: *Devotionis tuæ &c.* XIV.
» Kalendas Junii. Levanti in Riparia Orientali a Genua, ejuſque ditionis,
» & Lunenſis Diœceſis Incolas pro Obſervantiæ Fratribus Conventum ſub
» titulo ſanctiſſimæ Annunciationis virginis Mariæ Cœnobium fundaſſe cir-
Wadd. ad ann. 1449. n. 39. » ca ann. MCCCCXLIX. narrat Waddingus: at Pontificiam facultatem tan-
» tum hoc anno habuerunt: *Pia fidelium &c.* Nonis Junii; Parmæ vero
» Epiſcopalis in Togata Ciſpadana ad Parmam fluvium intermeantem &
» dividentem, Ducatus Parmenſis præcipuæ & Sedis, amœnæ & elegan-
» tis, Tertii Ordinis Sorores volentes reædificare ſuum Monaſterium, li-
Ex Topogr. Ferr. » centiam vendendi nonnnlla bona obtinuerunt: *Humilibus &c.* V. Idus
» Junii. Atella, quæ modo Averſa, ſeu potius Adverſa, ex illius reliquiis
» condita, Civitas Epiſcopalis Campaniæ apud Clanium fluvium in plani-
» tie, media inter Neapolim & Capuam Metropolim, ab eis VIII. M. P. diſ-
» ſita eſt. Porro Atellanos Conventum poſuiſſe noſtris ſub titulo ſan-
» ctæ Mariæ de Vita Alba ad annum MCCCCXXXIX. Annaliſta refert: ſed
» tantum hoc anno factam fuiſſe facultatem Rihoardo Angelucio illum con-
» ſtruendi lego: *Affectu benevolentiæ &c.* IV. Idus Junii; aliquantulum a
» Licio Civitate Apuliæ, cum Patres Provinciæ ſancti Nicolai Conventum
» extruxiſſent anno MCCCCXL. Ejus Eccleſiæ ſanctæ Mariæ de Templo Pon-
» tifex Indulgentias conceſſit: *Licet is &c.* XIII. Kalendas Auguſti: cum
» paulo ante, ſcilicet VI. Kalendas Julii Fratres Ulyſſiponenſes ſtudiis Ge-
» neralibus aggregaſſet: *Sacræ Religionis &c.*

» II. Saganum Civitas Ducalis in Diœceſi Uratislavienſi ad confinia
» Luſſatiæ, prope flumen Boberum, ab anno MCCC. grata piiſſimi Princi-
» pis Waldemari, Electoris & Marchionis Brandeburgici, qui ſuis ſumpti-
» bus fundaverat, Conventum ſub patrocinio ſanctorum Petri & Pauli
» Apoſtolorum habebat, a Minoritis nudipedibus vulgo dictis, inhabita-
» tum; qui hoc anno die XIII. Januarii beato Joanni de Capiſtrano Saganum
Chron. MSS. Provinc. Sanctig. de eo Conven. » adventati, mirabiliaque operanti, adhæſerunt. Inſuper etiam Nicolai V.
» munitus præſidiis locum Uratislaviæ delegerat Capiſtranus & piorum
» eleemoſynis Cœnobium conſtruebatur; quando, ne in poſterum diffi-
» cultates, aut id circa lites exorirentur, ab iis, qui videbantur habere
» poſſe aliquid juris, eidem Capiſtrano ceſſio facta fuit, ut copia inſtrumen-
» ti ſubſequentis oſtendit.

Ceſſio Jurium facta ab illis, ad quos ſpectat pro Conventu Uratislav.

» III. *In nomine Domini. Amen. Petrus Dei gratia Epiſcopus Ura-*
» *tislavienſis, ad perpetuam rei memoriam. Tenore præſentium univerſis re-*
» *cognoſcimus has noſtras litteras inſpecturis, lecturis & audituris, quod in*
» *noſtra præſentia conſtituti venerabiles Viri, & Domini Conradus*
» Stechmbegh *Archidiaconus, & Andreas* Skbda *noſtræ Uratislavienſis*
» *Eccleſiæ Canonicus, Plebanus Eccleſiæ Parochialis ſancti Mauritii extra*
» *muros Uratislavienſes, frater in Chriſto nobis ſincere dilectus Joannes Ca-*
» *piſtranus & ibidem pro ſe & ſuis, ac ſucceſſorum ſuorum nominibus; non*
» *vi, dolo, aut metu inducti, ſed ſponte & libere, matura deliberatione*
» *præhabita, pura, irrevocabili, ac perpetua donatione ceſſerunt, dede-*
» *runt, ac perpetuo reſignarunt venerabili & Deo devoto P. fratri Joanni de*
» *Capiſtrano, Ordinis ſacrati & Seraphici Confeſſoris Jeſu Chriſti bea-*
» *ti Franciſci de Obſervantia, auctoritate ſanctiſſimi in Chriſto Patris &*
» *Domini noſtri, Domini Nicolai, Divina Providentia Papæ V. ad perpe-*
» *tuum Divinum cultum exequendum, Monaſterium ſancti Bernardini novæ*
» *plantationis extra muros Uratislavienſes, in terminis, limitibus dictæ*
» *Parochialis Eccleſiæ ſancti Mauritii ſitum & ædificatum pro uſu & ha-*

bi-

„ *bitatione Fratrum, qui de Obſervantia nuncupentur, juxta tenorem litterarum Apoſtolicarum, per ſuam Paternitatem Reverendiſſimam exhibitarum; recipienti (ut hæc & alia in inſtrumento publico donationis, aſſignationis & introductionis per nos, & honeſtos ac circumſpectos Dominos Conſules Civitatis Uratislavienſis jam pridem factarum, quantum ad nos & dictos Dominos Conſules pertinebat, continentur, & ſunt expreſſa) omne jus in primitiis, oblationibus & aliis quibuſcumque, cenſibus, proventibus, obventionibus, & emolumentis conſtitutum, quod eis, aut alteri ipſorum, & eorum ſucceſſoribus nomine, & occaſione dicti Archidiaconatus & Eccleſiæ Parochialis ſancti Mauritii inde & ſupra domibus, hortis, & areis univerſis & ſingulis ſuper quibus ædificatum & plantatum exiſtit, aut extendi & in futurum ædificari poterit Monaſterium memoratum, competiit & competere potuit quomodolibet in futurum nullo penitus dempto; omnia & ſingula pura in Fratres Monaſterii jam dicti & eorum ſucceſſores, necnon in Monaſterium memoratum, & Conventum ejuſdem perpetuo transfundendo, libertando & quitando, ac ex integro abſolvendo eoſdem a juribus ſupra dictis renunciatis; nihilominus hinc inde pro ſe, ac noſtrum legitimis ſucceſſoribus circa præmiſſa & quolibet præmiſſorum, omnibus & ſingulis exceptionibus, defenſionibus, privilegiis, beneficiis & auxiliis utriuſque juris Canonici & Civilis, generalibus & ſpecialibus, reſtitutionis in integrum, non in utilitatem Eccleſiæ converſis &c. & aliis quibuſcumque, per quæ & quas præmiſſa donatio, ceſſio, transfuſio, libertatio, & plena præmiſſorum jurium abſolutio poſſint in toto, vel in parte, in capitulis, clauſulis, articulis & punctis infringi, impugnari, ſeu quomodolibet annullari; quibus omnibus & ſingulis de venerabilium Virorum Dominorum Capituli Eccleſiæ noſtræ Uratislavienſis longo tractu, prævio conſenſu & voluntate, ac beneplacito intercedentibus, auctoritatem noſtram ordinariam præſentibus interponimus, pariter & requiſiti perpetuis temporibus duraturis.*

„ *In cujus fidem, & evidentiam certiorem has noſtras literas, tam noſtro quam Capituli noſtri, necnon dictorum Dominorum Conradi Archidiaconi, & Andreæ* Skoda *Plebani Eccleſiæ ſancti Mauritii extra muros Uratislavienſes, ſigillis majoribus juſſimus communiri. Actum, & datum Uratislaviæ in Capitulo Generali, quod circa dictam noſtram Eccleſiam Uratislavienſem, poſt Feſtum Beatorum Cantii, Cantiani, & Cantianillæ Martyrum, ideſt die ultima Maii, quod annua revolutione celebrari conſuevit. Anno* MCCCCLIII. *Præſentibus ibidem Venerabilibus Legalibus, & egregiis Viris, Domino Magiſtro Franciſco* Woiſtſdorff *Sacri Juris Canonici Doctore Scolaſtico, Magiſtro Nicolao* Tempilfelt *de Brega ſac. Theologiæ Profeſſore Cantore, Andræa* Skoda, *Georgio Octavio Magiſtris, Joanne* Stock *Medicinæ, Nicolao* Wolff *decretorum Doctoribus, Hieronymo* Beckensloer, *Joanne* de Bladen, *Joanne* Steynkeler, *Joanne* Paſiſteritz, *Joanne* Scheſeler *Magiſtris, Petro* Wartenberg *Doctore, Paulo* Gleycuitz *Licentiato in decretis, Balthazaro* de Paulacue *Artium liberalium Magiſtro, Andræa* Wayner *Sac. Theologiæ Profeſſore, & Nicolao* Teynanni *Magiſtro in Artibus, Prælatis, & Canonicis Eccleſiæ noſtræ Uratislavienſis ad ſonum magnæ Campanæ Capitulariter congregatis Fratribus in Chriſto Jeſu Salvatore nobis ſincere dilectis teſtibus ad præmiſſa fide digniſſimis.*

„ IV. Monialium Clariſſarum Znoymæ mentio occurrit; iis enim ſupplicantibus, Hungariæ & Boemiæ Rex, ut Regnum moderari cœpit, antiqua *Chron. M. SS. Prov. Boemiæ.*

„ *noſtris præſentibus & futuris per Regnum noſtrum Boemiæ & Marchionatum Moraviæ ubilibet conſtitutis, cujuſcumque ſtatus, conditionis, ſeu præeminentiæ extiterint, firmiter & diſtricte præcipientes mandamus, quatenus Abbatiſſam, Conventum & Monaſterium prædictum, in hujuſmodi ipſorum privilegiis, juribus, libertatibus, immunitatibus, hominibus, bonis, indultis, donationibus, & conſuetudinibus, ac præſenti noſtra confirmatione, non moleſtent, impediant, aut perturbent; nec per quempiam, quantum in eis eſt, moleſtari, impediri, aut perturbari patiantur; quin potius Abbatiſſam, Conventum & Monaſterium memoratum in eiſdem protegant, & efficaciter tueantur, gratiæ noſtræ ſub obtutu, & pœnis in eiſdem privilegiis expreſſis, harum teſtimonio literarum noſtri ſigilli appenſione munitarum. Datum Brunæ* XIX. *menſis Julii anno Domini* MCCCCLIII. *Coronationis vera noſtræ Regni Hungariæ &c.* XIV. *Mon. MS. Prov. Boemiæ.*

„ V. Venerabilis Chriſti Servus Frater Bernardinus de Peruſio, cui cum beatus Franciſcus Papienſis prædixiſſet fore ut Minorita fieret, ab eodem propheta habitum Religionis accipere voluit, ſub eoque tantopere profecit circa præcipuarum acquiſitionem virtutum, ut ſanctiſſime vixerit. Puteolis in Campania obiit IV. Kal. Auguſti, cum hoc anno floreret; ejuſque meminit Martyrologium Franciſcanum ſecundæ editionis. Fuit & alter Bernardinus a Porſena, quem Gonzaga dicit Bernardinus a Porcina: Hic ergo alter Bernardinus Sacerdos erat devotiſſimus, qui vix ſuo ævo parem in orando & contemplando habuit: Concionator præterea cum eſſet egregius, fere numquam a Divini Verbi prædicatione vacabat: vivens Crucis ſalutifero ſigno pluribus infirmis priſtinam incolumitatem reſtituit, ac multos a malignis Spiritibus miſerrime vexatos in nomine Jeſu liberavit; Abiit in Cœlum X. Kal. Aprilis anno MCCCCLIII. Ejus Cadavere ſepulto apud Conventum D. Bernardini oppidi ſancti Severini, qui eſt nonus Provinciæ ſancti Angeli.

Fr. Bernardinus de Peruſio.

Martyrol. Franciſcan. ſecund. edit. fol. 335. col. 2.

Fr. Bernardinus a Porſena.

Gonz. p. 2. de 10 Con. fol. 423.

„ VI. Per hæc etiam tempora in perantiquo Cœnobio Ruthenæ Urbis in Guyennæ Ducatu, Provinciæ vero Religionis Aquitaniæ antiquioris, florebat fr. Almaricus Guillardis, qui ad Epiſcopales infulas aſſumptus, virtutes, quibus inter Minores ſedulo incumbebat, factus Epiſcopus ad publicam utilitatem animarum, & ſuæ Eccleſiæ fulcimentum augere ſatagebat; quamobrem non tantum doctrina, ſed etiam intemeratæ vitæ exemplo nitidiſſime fulgens, omnibus carus erat, cum omnibus prodeſſet; pie tamdem obdormivit in Domino, & apud ſuos Ruthenæ in Sacello Comitiſſæ Bonæ, quietis locum obtinuit.

Fr. Almaricus Guillardis Epiſcopus.

Chron. MS. Prov. Aquitan. antiq.

ARGUMENTUM.

Capiſtranus e Polonia profectus in Sileſiam, inſigni purgat ſe calumnia de perſuaſo Regi Poloniæ bello Pruteno. Principes Germaniæ excitat ad Chriſtiana fœdera contra Turcas. Cum Rege Ladislao inſtanter agit de aditu in Boemiam. Ad longinquas partes a Regibus vocatus, negotio fidei totus intendit. Sui Sodalitii Obſervantiam modis omnibus defendit. Celebrantur comitia generalia, fitque Miniſter Generalis Jacobus a Mozanica. Obſervantes Ultramontani, convocato capitulo, Vicarium generalem inſtituunt. Ex variis nationibus coaleſcit Auſtriæ provinica, & initium accipit magnificum templum ſancti Bernardini Aquilanum. Moriuntur Polidorus Romanus, conſepultus Antonio a ſancta Regina, & Franciſcus Ticinenſis. Creantur Epiſcopi. Propagatur Inſtitutum.

I. JOANNES Capiſtranus etiam hoc anno, ingenti Polonorum bono, Cracoviæ prædicabat; ſed quo abundantius Catholicis profuit, eo acrius contra ſe Huſſitas provocavit. Submiſerunt quemdam verſipellem Magiſtrum Paulum, in medicina Doctorem Pragenſem (qui vel fide vel vere in urbe Uratislavienſi anno præcedenti die XVIII. Maii publice coram Capiſtrano abjuravit, faſſus ſe Huſſitis adhæſiſſe & faviſſe) ut inſidias ſtrueret, & docentis fidem infirmaret. Hæc ſubdole agentem Capiſtranus qua pollebat auctoritate comprehendit, monuitque capturæ Sbigneum Cardinalem urbis Antiſtitem, Sandomiriæ agentem. Hoc ille dedit reſponſum.

Capiſtran. comprehendit Paulum Pragenſem.

Venerando Patri, Domino Joanni de Capiſtrano, Ordinis Minorum ſancti Franciſci de Obſervantia, fratri in Chriſto amantiſſimo.

S. tit. ſanctæ Priſcæ Card. Cracovienſis.

II. *VEnerande Pater & in Chriſto frater amantiſſime. Commendandus eſt plurimum zelus veſter, in hæreſum extirpatione pro debito officii veſtri hactenus in captione Magiſtri Pauli de Praga demonſtratus. Percrebuerat ſiquidem dudum in regno Poloniæ & civitate Cracovienſi, præfatum Magiſtrum Paulum hæreticis Boemiæ faviſſe, & ex Uratislavia quaſdam litteras Rochyzano hæreſiarchæ, & aliis ſectatoribus ſuis in contumeliam Fidei ſanctæ ſcripſiſſe, & ex Uratislavia clandeſtine fugiſſe, quemadmodum & veſtra Paternitas me ſuis certificat litteris. Aperta itaque fuiſſet via alicui magno ſcandalo, ſi vir ipſe tam notorie erroneus & infamis in civitate Cracovienſi fuiſſet toleratus; præſertim ex quo erroribus ſuis non contentus, in doctrinam & prædicationem V. P. improperiis utebatur, cum non ſolum meo, ſed etiam aliorum prudentum & doctorum judicio, doctrina & prædicatio veſtra non aliud reſonet, niſi plantationem morum & virtutum, & hæreſum vitiorumque extirpationem, nec ab aliquo ſanæ mentis corripi poſſit. Ceſſit itaque mihi in magnam gratitudinem præfati magiſtri Pauli captivitas, quam etiam in V. P. abſentia ſolo ſuperiori rumore commotus ego eram pro debito Pontificali facturus. Scribo itaque venerabili magiſtro Paulo Vicario Scabo, & voladario meo, ut pro cuſtodia præfati detenti diligentiam faciant operoſam, ne arte, dolo vel ingenio ergaſtulum evadat; ingredi autem Cracoviam infra dies paucos propoſui, ubi in hac cauſa omnis aſſiſtentia mea*

Ex autographo.

V. P.

V. P. pro honore & favore fidei ſanctæ non deerit, nec poterit ipſe detentus quibuſcumque interceſſionibus uti, ut judicium de illo juſtum non fiat, juxta veſtram & aliorum Doctorum ſententiam & decretum, dante Domino exequendum. Datum Sandomiriæ XXII. *menſis Januarii* MCCCCLIV.

III. In ſummo honore a Polonis conſtanter exhibito non quieſcebat Capiſtrani animus, ſed in pace amaritudo ejus amariſſima, dum arcem illam Huſſitarum, Pragenſem urbem penetrare, & impiæ gentis capita Pogebratium & Rochyzanam non poterat debellare. Poſtquam itaque multos ſui Inſtituti viros in Pruſſiam & Raſciam gentium doctrinæ deſtinavit, fortiterque diſſuaſit Caſimiro Regi, ne Prutenorum deditionem admitteret, aut protectionem contra Cruciferos, eorumque Magiſtrum Ludovicum ſuſciperet, ſtatuit in Boemiam reverti. Diſceſſit itaque Cracovia die XIV. Maii, equis & commeatu a Sbigneo Cardinale donatus. Ut Uratislaviam ſibi addictiſſimam pervenit, equos remiſit, quod Cardinalis nollet, uti Joannes Dlugoſch a ſecretis, de quo ſupra diximus, his litteris, in quibus de Regis in Pruſſia bello aliiſque paulo poſt attingendis, ſignificavit. Cracovia revertitur in Boemiã.

Reverendo in Chriſto Patri, Domino Joanni de Capiſtrano, Ordinis Minorum ſancti Franciſci de Obſervantia, Domino colendiſſimo.

IV. *Reverende in Chriſto Pater & Domine colendiſſime. Etſi equorum, quos in proprietatem poteſtatemque P. V. Reverendiſſimus Pater Dominus meus Cardinalis Cracovienſis ſciebat ſe contuliſſe, remiſſio non uſquequaque grata videri poterat, paruit tamen ipſe pater optimus veſtræ ordinationi, & equos remiſſos ſuſcipiens, ut priorem donationem in irritum iri non contingeret, mox aliis diſtribuit, non in his ſolum, ſed in cunctis V. P. beneplacitis morem geſturus. Choinga, quam ſcripſeram in poteſtatem Regis deditam eſſe, nondum Rex potitus eſt, licet & ex fame valida univerſos premente ferociter, & ex litteris interceptis, transfugiſque compertum habeatur, deditionem illius prope diem ſequuturam. Caſtrum Navambergh obſidionem fortiter tolerat, & omnis fiducia Cruciferorum illic concluſorum pendet ex Boemis, quoniam Alemannis remota nimis a domo videtur in Pruſſiam diſceſſio, nec ſine copioſo auro profeſſi ſunt pro cauſa Cruciferorum militaturos. Italia adeo ſe bello nuper extincto demonſtrat feſſam, ut ferias agat, & quaſi diutino morbo liberata, de inſtaurando bello contra Turcas omnem curam credatur projeciſſe. Si quæ magis ſcitu præſtantiora occurrerint, non negligam P. V. de ſingulis efficere & certam & participem. Valeat P. V. felicibus ſucceſſibus ſemper jucunda, pro gloria nominis Divini, & populi Chriſtiani conſolatione. Datum Cracoviæ* XVIII. *Junii* MCCCCLIV. Ex autographo.

P. V. *Humillimus capellanus & ſervitor*
Jo: Dlugoſch ſecretarius.

V. Paulo antequam e Cracovia diſcederet, Regem Caſimirum in Pruſſia contra Cruciferos bellantem admonendum duxit, ne Orthodoxorum inimicis faveret, aut hæreticos vel Judæos, quorum plurimi Pruſſiam & Poloniam incolebant, privilegiis muniret; ſin aliter faceret, Dei timeret vindictam. Semper ille Regem ab hoc bello contra Cruciferos retrahere ſtuduit, ſciens probe Ordinem illum militarem, eorumque ſubditos Prutenos ſub protectione Sedis Apoſtolicæ conſtitutos, gentemque illam, excuſſo dominio Cruciferorum, ad liberiorem vitam aſpiraſſe, faciliuſque Diſſuadet Regi Polono bellum contra Cruciferos.

poſſe per ſuos errores divagari. Hujus ſententiæ fuiſſe Capiſtranum vel exinde comprobari licet, quod, dum omnes ferme Regii conſiliarii ſub hujus anni initium exaudiendos Prutenorum Legatos, ſuſcipiendamque gentis deditionem ultroneam, & eamdem contra ſuos Rectores Cruciferos protegendam eſſe ſuaderent, conſtanter diſſenſerit Sbigneus Cardinalis Cracovienſis, ejuſdem ſemper cum Capiſtrano conſilii, quem ſumma colebat reverentia, & bona quæque ſuadentem libenter audiebat. Non defuerunt tamen qui id vitio verterent, Capiſtranumque vehementer incuſarent, quod ille potiſſimum Regi hoc perſuaderet bellum, illo tempore omnino importunum, rebus Chriſtianorum ſumme pernicioſum; quippe diſtractis in partes Principibus Germaniæ, quorum plerique vel juvandis vel coercendis Prutenis erant intenti, non adeo facile convocari poterant contra Turcas, Hungariæ & univerſæ rei Chriſtianæ exitium minitantes. Ita percrebuit ſiniſtra hæc opinio contra Capiſtranum, ut æmuli & Huſſitarum fautores rumorem ſparſerint, etiam hac de cauſa a Principe Moguntino ad ſe declinantem carceri fuiſſe mancipatum. Nicolaus etiam Cardinalis Cuſanus, Epiſcopus Brixinenſis, qui Imperatoris nomine Ratiſponenſi concilio adfuerat, ut de tuenda Republica Chriſtiana contra ſæviſſimum hoſtem ageretur, etiam falſum hunc ſubindicat rumorem. Ipſas exhibeo litteras, clarum totius rei teſtimonium.

Vide Michov. lib. 4. c. 60. Cromer. lib. 23. Spargitur tamen tumor contrarius.

Sereniſſimo Regi Caſimiro &c.

Ex autographo.

VI. *Sacra Regia Sereniſſimaque Majeſtas, cum omni promptitudine obſequendi triumphos inclitos, & gaudia ſempiterna. Non eſt fidelis ſervuli, nec diligentis amici, utile conſilium Regibus vel Principi ſubtrahere. Nec ego fideliſſimus veſtræ Majeſtatis cultor abſtineo ab exhibitione ſani ſaluberrimique conſilii, Deo grati, veſtræ ſaluti proficui, necnon & honori glorioſæque famæ veſtri nominis tam præſentibus, quam poſteris relinquendæ, feliciter accommodi, ut Chriſtianæ religionis dignitas non torpeſcat, nec veſtræ ſacræ Majeſtatis decus regalis culminis diminutionem aliquam patiatur. Ecce etiam poſt adventum veſtri ſervuli ad conſpectum gloriæ veſtræ, corona ſublimitatis veſtræ magnificata eſt, & exaltata tua Celſitudo creditur multipliciter tum ex parentela felicis tui conjugii, tum ex ampliatione tui dominii in ſeptuaginta civitatibus & ultra, in oppidis & villis innumeris, & nomen tuum divulgatum eſt per regiones plurimas, propinquas pariter & longinquas. Crevit cedrus tui viridarii in altitudine valida, & pervenit uſque ad Cœlum, & poteſtas tua in fines terræ. Animadvertere digneris ergo, Sereniſſime Rex, quod ſolus Deus excelſus, Rex Regum & dominus dominantium cuncta hominum regna ſua manu conſtringit, & cuicumque voluerit illa diſpenſat. Sint igitur tuæ Majeſtatis oculi ad Cœlum erecti, & ad Deum intenti, pervigiles atque cernui in obedientia mandatorum ejus; quoniam non ſubtrahit perſonam cujuſquam Dominus, nec verebitur magnitudinem alicujus, quoniam puſillum & magnum ipſe fecit, & omnes æqualiter juxta merita vel demerita judicabit. Supplico igitur reverentia quanta poſſum, non moleſte feras conſilium quod impendo: digneris Chriſtianum nomen amplecti, & quod continet obſervare; inimicos autem crucis Chriſti, quorum finis interitus, quorum Deus venter eſt, & gloria in confuſione ipſorum, qui terrena ſapiunt, non exaltes; nec in Chriſtianos ſæviendi licentiam conferas indecenter: privilegia inconſulte jam de facto conceſſa, & injuſte ſibi tradita revoca, & ad juris communis formam redige; ne forte iraſcatur Dominus, & diſſipet con-*

consiliæ Principum, & pereant de via justa, regnaque transferat ad extraneos correctores. Hæc pro meæ conscientiæ volui excusatione transmittere, de tuæ Majestatis benignitate confisus, ut mentem potius quam verborum folia legas, & fructus libentius quam flores in cistulam tui pectoris condas ad Dei gloriam, tuam propriam salutem æternam, ac tuorum clientulorum & submissorum profectum continuum, Hominis utriusque felicitatem, in prosperum tuorum regimen populorum. Valere feliciterque vivere te cupio in æternum. Ex tua inclita civitate Cracovienſi MCCCCLIV. *mensis Aprilis die* XXVIII. *calamo currente velociter.*

Humilis servus & sacellanus
Fr. Joannes de Capistrano.

Sanctissimo Domino nostro Nicolao Papæ V.

VII. *Beatissime Pater, post beatorum pedum oscula. Auditu quorumdam percepi, oratorem illum D. Joannem Lutko aliqua tuis piis auribus intulisse, quod meo consilio Serenissimus Rex Poloniæ aggressus fuerit Prussiam, quod salva pace cujuscumque dicentis nusquam verum extitit, quin potius totum oppositum: nam præsentibus Reverendissimo Domino Cardinale Cracovienſi, duobus Archiepiscopis duobusque Episcopis, & aliis consiliariis dicti Regis ego consului, quod ad judicium V. S. causam ipsam producerent. Et ipse dictus Rex tamquam perpetua pace juramento ligatus se mediatorem offerret ad reconciliandum subditos cum suis Dominis Cruciferis. Sed consilium meum non tenuit, sicut nec de privilegiis Judæorum, quorum copiam V. S. transmisi cum aliis libellis meis contra hæreses Rothyzani & sequacium. Scio quod propria non quæro, sed Dei gloriam, & salutem animarum. Præsentium latorem Guldonem Joannem Juratum Nuntium Apostolicum, fidelem & diligentem, qui longis temporibus non absque periculis gravioribus humiliter & sollicite servire nisus est, & famulari sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, V.S. in suis juribus facio instantissime commendatum. Francofordiæ.* XIII. *Octobris anno* MCCCCLIV. Ex reg. Capistr. fol. 114.

Reverendissimo in Christo Patri, & Domino Principi Electori, Archiepiscopo Moguntino, Domino suo colendissimo.

VIII. *Reverendissime in Christo Pater & Domine præstantissime, commendationem humillimam cum omni promptitudine animi obsequendi. Mirabilis & inauditus rumor his in regionibus, Satana auctore, insonuit, eaque de vestra splendida fama falsissima infamia egressa est; idque apertissimum mendacium fabricatum & contextum. Nam vulgaris fama delata est ad multorum Principum aures, me a vestra Reverendissima dominatione fuisse carceratum, & tamdem sanctissimi Domini nostri Papæ mandato fuisse privatum, sicque a V. R. D. dimissum & liberatum. Allegant enim id ideo vos fecisse, quia meo consilio, quod longissime a veritate abest, Rex Poloniæ Prussiam sibi usurpavit, & in suam redegit ditionem. Ego enim id Ratisponæ primo audiens, ut debui, non tantum propter me, sed propter proximos, hanc perniciosam infamiam falso illatam una prædicatione, sic Deo favente, purgavi, ut omnium obtrectatorum ora obturata remanserint. Narravi quidem quanto honore, quanta humanitate, quantaque benevolentia me V.R.D. pro innata sua clementia exceperit, tractaverit, quo denique singulari munere donatum licentiaverit, ac ita vestram famam tutatus sum,* Ex reg. Capistr. fol. 115.

& me-

& merito quidem ut nihil præteriſſe exiſtimem, quod intactum remanſerit. Verum quia hujuſmodi infamia ad multas oras remotiſſimas evolavit, & ego ubique adeſſe non valeo; ut omnis murmuratio tollatur; ut Principes, ſi qui ſint ſcandalizati, reconcilientur; ut veſtra fama celeberrima nullam patiatur calumniam, & mea infamia abſtergatur; vos humillime obſecro & obteſtor in Domino, dignemini aliquid illis Principibus de Bavaria & Saxonia ſcribere, pariter & Prælatis Eccleſiaſticis, ut intelligant quo in carcere me detinueritis; mihi quoque & præſantiſſima dominatio veſtra ſcribere velit in eis precibus inſtantiſſime orata, ut veſtro teſtimonio veritas eluceſcat magis, & veſtra innocentia apud omnes illæſa excuſataque remaneat. Quod ſi a V.R. Dominatione impetratum extiterit, non tam care grateque gratiam hanc habiturus ſum, quam pietas erit in referenda gratia jucunda; ut denique, ſicut repertus eſt mendax, qui diſſeminavit, meo conſilio Regem Poloniæ recepiſſe Pruſſiam, ita qui dixit me a V.R.D. fuiſſe carceratum, apertiſſime in mendacio comprehendatur. V.R.D. incolumem, & mei memorem Chriſtus Jeſus tueatur Omnipotens. Pataviæ XXVI. *Novembris* MCCCCLIV.

Reverendiſſimo in Chriſto Patri, ac Domino Fratri Joanni de Capiſtrano &c.

Ex autographo. Epiſtola Card. Cuſani ad Capiſtranum.

IX. *Reverendiſſime in Chriſto Pater, ac domine mi ſingulariſſime, poſt humilem recommendationem. Fuit his diebus congregatio in hoc loco, ut Turcarum propoſito per potentem exercitum obvietur, in qua & ego juſſu ſanctiſſimi Domini noſtri vices agens Sereniſſimi Domini Imperatoris interfui, & intellexi rebellionem in Pruſſia factam adeo omnibus Principibus cordi eſſe, quod niſi tollatur de medio, non poterit contra Turcas occurri; feſtinant enim omnes ad extinguendum illud quaſi propinquum incendium. De Sereniſſimo Rege Poloniæ, qui dicitur protectionem Rebellium recepiſſe, adhuc pauci malum præſumpſerunt, obſtante pacto pacis juramento vallato, atque quod patria illa Deo dicata in protectione Romani Pontificis una cum Ordine poſita exiſtit: unde etſi in his magnis rebus reperiantur multi, qui quærunt complacere, & jura & rationes ſuo ſenſui allegare; tamen nemo hæſitat, Paternitatem veſtram religioſiſſimam, atque prudentiſſimam circumſpectionem veſtram ſane conſuluiſſe: nam famam Regiæ Celſitudinis ſummo ſtudio cuſtodiendam eſſe ſine fucatis coloribus ſapientes ſciunt. Scio rem illam, niſi de medio fiat, periculoſiſſimam maxima mala parituram, & Catholicam fidem vulneraturam. Occurrat igitur R. V. P. omni auxilio & conſilio ante ſanguinis effuſionem, quantum poſſibile eſt fieri: judicio R.V.P. populus ille, ſi gravatus fuit, congrua reformatione reformabitur. Dominus Rex oſtendat, ſe non quaſi adverſarium, & immemorem pactorum juratorum deditionem acceptaſſe, ſed vt ejus manu facilius Apoſtolica Sedes, quæ hanc patriam cum Ordine in ſua tenet protectione, furore ceſſante populi, poſſet retrahere: hoc cedet in honorem ipſius Domini Regis; & ſecus ſi factum fuerit, non poterit quiſque tot mala concipere, quot ventura conſpicio. Parcat mihi R V.P. quia confidentiſſime, & ſine diſſimulatione hoc ſcribo: zelus Domus Dei me angit; oro eamdem R.P.V. feliciſſime valere, cui ſervire opto in omnibus mihi poſſibilibus. Raptim Ratiſponæ* XXVIII. *Maii* MCCCCLIV.

E. R. P. V.

Humilis ſervitor
N. Card. ſancti Petri manu propria.

X. In

X. In quo autem ſtatu res Prutenorum & Chriſtianorum omnium tunc verſabantur, nemo exactius ſcripſit Cardinale Sbigneo, qui propter arctiſſimam cum Capiſtrano amicitiam eum frequenter & diffuſe rerum omnium, quæ Catholicæ Fidei negotium concernebant, admonebat. Teſtes litteras exhibeo.

Venerando in Chriſto Patri &c. fr. Joanni de Capiſtrano &c.

Ex reg. Capiſt. fol. 120. Epiſt. Card. Sbignei ad Capiſtranum.

Venerabilis Pater & Domine, fraterque amantiſſime. Incolumem P. V. cum Fratribus, qui comitantur vos, ex litteris veſtris mihi pridem redditis eſſe agnoſcens, magna voluptate & gaudio replebar, ſimulque cum Venerabili fratre Vicario Ordinis veſtri crebros de poſitione veſtra & tranſitu in Olomutium miſcebam ſermones; ſed & is quoque tranſitus veſter ex Uratislavia in Olomutium, litteris & juſſu Sereniſſ. Regis Boemiæ factus, aliquam mihi, ægram tamen, dedit ſpem Boemorum converſionis; neque enim aliter P. V. Rex ipſe accerſere deliberavit, niſi ſibi aliquam ſpem converſionis Boemorum portenderet. Ego etiam majori in hac re imbuerer ſpe, ſi dux & auriga conſiliorum Regalium Georgius Podiebrachius ad bonam mentem redire vellet, quo auctore ceteri hæretici a pertinacia eorum deduci non poſſunt. Non negligam P. V. neque differam de ſingulis novis, quæ emerſerint, aviſare, & de ſingulis, quæ apud nos occurrent, ſcribere, ratus P. V. tum pro ſua pollicitatione mihi facta, tum pro ſingulari benevolentia in me habita idem facturam. Nunc quoque, quia plura emerſerunt ſcitu digna, volui P. V. non per P. Vicarium, qui hodierna die dehinc ad P. V. profecturus diſceſſit, ſed per hunc curſorem, qui præſentes celerius laturus eſt, quam P. Vicarius, qui obliquum facit iter, tuliſſet, de omnibus certificare. Itaque ſcire placeat, quod licet multi rumores ad Sereniſſimum Regem Poloniæ afferebantur de hoſtium adventu, & de eorum numero atque potentia, & quod Dom. Albertus Marchio Brandeburgenſis cum multis Alemannorum copiis traducturus eſſet exercitum Cruciferorum Ordinis in ſuccurſum, propter quod omnes fere majoris Poloniæ juſſu Regis conſurgentes ſtant continue in armis, hoſtium adventum præſtolando; verum tota æſtate hac nullus ex hoſtibus comparuit, propter hoc tamen diligentia Regis noſtri non ceſſavit, quin non ſtaret in exercitu paratus cuilibet hoſtium multitudini impetere eum volenti occurſurus. Licentiatis autem Dominus noſter Rex ſtipendiariis Boemis; neque enim eorum ſuffragio de cetero ſe indigere rebatur, tum quod intelligebat eos fluxæ ac ambiguæ fidei homines; aliquot millia ſubditorum ſuorum fortiſſima & fideliſſima ſui exercitus robora pro continuanda obſidione caſtri Mariamboren tranſmiſit, quorum adventus ſtatum illius obſidionis multipliciter mutavit; nam & continua cum obſeſſis cum illorum ſtrage fiunt certamina, & turres ac propugnacula, quæ univerſum ambitum caſtri Mariamboren concludunt, eriguntur, ut facilius obſeſſi ad deditionem impellantur. De hoſtibus itaque multi cadunt dietim, & capiuntur. Tranſfugerant autem ad hoſtes in Mariamboren Ni..... Boemus & Miczovoſen cum turmis ſuis, ſed ambo duo tranſfugæ, ſubarta contentione de ſcorto, tantis ſe affecerunt vulneribus, ut uterque illorum expiraret. Caſtrum Stum nihil inferius fortitudine & muris caſtello Mariamboren, imo ſitu & loci natura ſuperius; ab omni enim parte aquis profundiſſimis in lacus modum ſtagnantibus ambiebatur; per gentes Sereniſſ. Regis noſtri die Veneris nona menſis Auguſti conquiſitum eſt, & in poteſtatem regiam redactum, diſtans a caſtello Mariamboren duobus milliaribus. Plures illic incluſi erant Commendatores,

res, & Ordinis Fratres, multi nobiles & terrigenæ Pruſſiæ, caſtri præfati defenſores, in quos, caſtro habito, nihil ſævitum; quinimo Cruciferis data eſt ſecedendi pro libito voluntas; nobilibus & terrigenis bona fiſco regio applicata reſtituta. Quam clementiam Regis in devictos ſatis commendo, non dubitans famam clementiæ ejus nobiles & cives, qui adhuc in caſtro Mariamboren concluſi ſunt, ad deditionem caſtri ipſius facilius inclinaturam. Oppidi Chonicza, quod unicum cum caſtro Mariamboren jam reſtat, continuatur obſidio, cujus etiam ſpes haud dubia conquirendi tenet Regem noſtrum; ægre enim defenſorum pertinacia in hanc diem retentum eſt; nam & media pars oppidi fortuito conflagrata, & magna pars hominum fame crudeli contabeſcit. Plures jam ad noſtros defecerunt, & continue deficiunt non valentes ferre famis angustias. Retinuit ſpes, quam habent in Alberto Marchione Brandeburgenſi, qui cum exercitu forti ſoluturus obſidionem debeat eis præſtare ſuccurſum. Sed priuſquam Choyniczam perveniat, ante eſt ſibi cum gentibus Regis decertandum, qui adventum ſuum continue expectant. Ut autem tam Choyniczæ, quam Mariamboren validior eſſet obſidio, Dominus noſter Rex gentibus Mariamboren obſidentibus terram Debrinenſem, iis vero qui oppidum Choyniczæ obſident, terram Cruriariæ adjunxit, eas etiam gentes, quæ caſtrum Stum obſidebant, in obſidione caſtri Mariamboren trajecit. Venerant pridem ad conſpectum Dom. Regis noſtri nuncii ex dieta Ratiſponenſi miſſi, quorum duo erant Ducis Burgundiæ, Petrus Miles, & Jacobus Provincialis Canonicorum regularium ſancti Auguſtini; Jumber Hannus, Chriſtophorus Davarus, & Prior Ratiſponenſis Predicatorum. Iis in eorum introductis vigeſima nona Julii data audientia, præfatus Jacobus Provincialis, facta brevi oratione, Sereniſſimum Regem noſtrum in donis & virtutibus ultra omnes Reges & Principes orbis efferens, tres virtutes eum habere neceſſario diſſeruit, juſtitiam, clementiam & ſtrenuitatem; ratione juſtitiæ petebat, ut in terras Pruſſiæ, quamvis per eum ſubactas, veteres poſſeſſores Cruciferos reſtitueret; ratione clementiæ, ut Cruciferorum errata ignoſceret; ratione ſtrenuitatis, ut cum ceteris Principibus Catholicis auxilium contra Turcas, pro liberatione Europæ ferret: ſubinferens in expreſſa orationis ſuæ parte profeſto ſancti Michaelis proxime adventanti in Nurimberga, aut in Francofordia ſupra Majum dietam inſtitutam, ut & de traducendo exercitu contra Turcas, & deferenda Cruciferis ope major deliberatio haberetur. Rex noſter etſi digeſtam habuiſſet ad reſpondendum utrique petitioni reſponſionem (Joannes enim Dlugoſch ſecretarius meus per conſiliarios harum partium miſſus erat ad Regem in Pruſſiam, tam honeſtam & efficacem reſponſionem, clariſſimam juſtitiam Regis noſtri deducentem ferens, ut non Rex nec conſiliarii, quorum magna convenerat illuc ad audiendam legationem ipſam frequentia, reſponſioni ipſi hic conceptæ aliquid addi vellent) indignum tamen videbatur, nuncios propria ſponte venientibus, neque per ſummum Pontificem, neque per Cæſarem, neque per Principes, aut aliquot Reges orbis miſſis reſponſionem ipſam dari: nam & Ducis Burgundiæ nuncii in privata audientia ſupplicabant Regi nomine Burgundionum Principis adventum eorum non ægre laturum, cum miſſionem ipſam non ſua ſponte, ſed multiplici inſtantia aliquorum in dieta Ratiſponenſi extortam fecerit, repromittens & offerens ſe rebus & ſucceſſibus Regis noſtri non ſolum fauturum, ſed etiam auxiliaturum. Itaque hoc reſpectu & aliis reſponſum eſt, Regem noſtrum ſemper adnixum eſſe, adniſurum quoque ut omnes præcipuæ actiones ſuæ juſtitia, clementia & ſtrenuitate gubernentur; neque exiſtere aliquod opus, quo contra eas peccaverit, latius id per oratores ſuos, in dietam Norim-

rimbergenſem aut Francofordienſem pro feſto ſancti Michaelis cum reſponſo mittendos, monſtraturus. Accepto hujuſmodi reſponſo petebant & caſtrorum Mariamboren, Stum, & oppidi Choyniczæ ſolvi obſidionem, & licentiam libertatemque Magiſtrum & Ordinem Mariamboren adeundi, & mandata eis commiſſa exponendi. Cum autem hæc conditio expreſſe eis fuiſſet denegata, remunerati a noſtro Rege nobilibus ſcutis & veſtimentis, redierunt. Venerant, ut alias ſcripſi vobis, Tartarorum maximæ potentiæ, terras regni noſtri Ruſſiani & Podoliani ad vaſtandum ingreſſuræ, jamque ſatis longum proceſſum a Ryono verſus Podoliam fecerant. Rex tamen noſter, collecto ex terris & dominiis ſuis quam majori poterat exercitu, illum Tartaris oppoſuerat. Quo Tartari comperto preſſerunt pedem, & circa Creimodo pluribus damnis & ſpoliis commiſſis, parte etiam Moſetquæ vaſtata, redierunt in ſua cubilia. Pridem ex Hungaria certum nuncium ad Sereniſſimum Regem noſtrum & ad nos miſſum excepimus, cujus non relatione tantum, ſed etiam litteris Prælatorum & Baronum Hungariæ certificamur, quod Turcarum Imperator cum quadringentis millibus pugnantium in terram Raſciæ, & confinia Hungarorum deſcendit, & caſtra Albam regalem, Suaderono, Olubecz, ſita ſupra vadum Danubii, obſidione vallavit. Nec ſolum terreſtri exercitu contentus, etiam claſſem, quo terribilior obſeſſis appareat, in undis Danubii poſuit. Habita fuit per Hungaros in Segedino ad providendum huic periculoſo malo dieta, & poſt multas deliberationes ratio iniri non potuit, qua poſſet tantæ multitudini reſiſti viribus Hungarorum, ſuperioribus bellis languidis & exhauſtis. Decreverunt itaque præſtolari aliquorum Regum & Principum ſperata ſubſidia, quæ illis promiſſa aſſerunt, & interim obſidionem caſtrorum prædictorum utcumque perferre; proprio enim milite conſerere cum Turca manus judicant impoſſibile. Supplicant quoque maximis inſtantiis Regi noſtro, ut eorum anguſtiæ ferat opem, ne ipſis victis, Turcas vicinos habere cogatur. Jam nunc Domini Hungari melius experiri diſcereque incipiunt, quanta bona ex Domino Uladislao Rege acceperant, & quantum vires eorum creverant eo vivente, & quam formidoloſi erant Turcis ſolo nomine Regis, & quantum nunc ſpreti, & in periculum adducti ejus morte & occaſu. Eſſet quidem res permaxime ſalubris & neceſſaria, Regem noſtrum ferre fidei ſanctæ & ipſis opem: ad quod ego cum pluribus aliis animum ſuæ Serenitatis multiplicibus reſpectibus inſtauro & accendo; neque enim laude regni hujus & gentis ejus circumſcripta, alium Regem extare video qui terreſtri exercitu res fidei & Catholicorum contra Turcas poſſet & facilius & fortius adjuvare; cum non ſolum gentes regni & dominiorum ſuorum Polonos, Lithuanos, Ruthenos, Valachos, ſed etiam Tartarorum robur poſſet in reſiſtentiam Turcarum traducere, & ad minus de ducentis millibus conficere exercitum, niſi res Pruſſiæ, quibus omnis actio ſua impedita eſt, cum detinerent. Neque enim licet jam rebus Pruſſiæ imperfectis obſidionem caſtri Mariamboren ſolvere, neque terram Pruſſiæ ſine firmiſſimo exercituali præſidio relinquere, quoniam & Magiſter cum illis, qui incluſi ſunt, ſolutus, & ceteri auxiliatores ſubditis & fidelibus Dom. noſtri Regis graviſſima inferre non omitterent bella, poſtquam intelligerent eum externis bellis eſſe occupatum. Deſpotus Raſciæ cum uxore & filiis, primoribuſque ſuis terras ſuas Albaniæ & Raſciæ deſerens, in Hungariam cum omni ſupellectili venit, expreſſe Hungaris denuncians, potentiæ Turcarum ſuis viribus reſiſti non poſſe, & vel eum, terraſque ſuas, & dominia ſua ab invaſione hoſtili tueantur, aut cum Turcis deditionem facere, æquo animo ferant. Itaque ſi Sanctiſſ. Dom. noſter res fidei & Catholicorum ſalvas eſſe velit, pacem in primis in Pruſ-

ſia provideat, & ad conſurgendum contra Turcas Regem noſtrum, miſſo ſibi pecuniali ſubſidio, quo poſſit Tartaros ſuapte natura Turcis infeſtos in ſui ſubſidium accerſere, animet & inducat: in adminiſtrando etenim & gerendo bello contra Turcas, Tartaras gentes, quas habet orbis robuſtiſſimas, primo ordine, primaque acie Turcis opponeret Rex, ut canibus canes vinceret, cum Turcæ ſint viribus multo inferiores; deinde cum vivaci & integro exercitu in feſſos & diminutos Turcas irrueret, reſiduam eorum potentiam cum Dei adjutorio ſuperaturus. Datum Cracoviæ die XVI. *Auguſti* MCCCCLIV.

S. tit. ſanctæ Priſcæ Card. & Epiſc. Cracovien.

Vide coment. Pii II. l. 1.

XI. Ratiſponam convenerant hoc anno Principes multi de conſcribendo ſufficienti exercitu contra Turcas, Conſtantinopolitana victoria inſolentes, & ultimum Chriſtianorum exitium meditantes, communibus ſuffragiis acturi. Præ omnibus Philippus Dux Burgundiæ Turcarum nomini ſe infenſiſſimum oſtendebat; ſolus fuit, qui alios ad expeditionem ſuis oblatis facultatibus excitaret, unuſque omnium a toto conventu judicatus aptus, dignuſque qui belli molem adminiſtraret. Decretum itaque eſt, ut expeditio fieret; præmiſſo tamen alio Germanorum concilio apud Frarcofordiam, ut ibi delectus militum fieret, & belli altrices pecuniæ ſtabilirentur. Hic tamdem conventum eſt, ſed vario & inſtabili Principum ſuffragio, averſiſque a Pontifice & Imperatore animis, quos dicebant aurum corrodere, non bellum gerere velle; unde utrique maledicere, Legatos eorum contemnere, Burgundos irridere, qui proni ad expeditionem videbantur. Tamdem Æneæ Sylvii facundia, dicendique virtute, Capiſtrani aſſidua prædicatione atque ignito ſermone, omnes in priorem belli gerendi ardorem rediere, renovato Ratiſponenſi decreto, promiſſoque Hungaris equitum decem millium, peditum triginta duorum auxilio. Statutum tamen ut ſequenti anno pro feſto Pentecoſtes Imperii Electores, Germaniæque Principes ad Cæſarem irent, reliqua ad expeditionem maturandam neceſſaria decreturi. Pleraque ex his clariora ſient ſubjectis his epiſtolis Æneæ Sylvii, & Capiſtrani.

Agitur de colligendo exercitu contra Turcas.

Reverendo P. F. Joanni de Capiſtrano &c. amico noſtro cariſſimo & honorando.

Ex Autographo.

XII. *Reverende Pater & præceptor optime. Scio me tibi delatum eſſe, quaſi de te male ſim locutus: qui hoc agunt, a vero procul abſunt, nam ego te ſemper magni feci, & tuam virtutem, ubicumque locorum fui, magnopere commendavi. Cupio dari tempus, in quo te alloquar: id ſi Deus permittet, intelliges non bono officio uſos, qui te mihi committunt. Sed de hoc alias. Nunc unum eſt quod tibi velim eſſe perſuaſum. Scis quo vulnere noſtro tempore Chriſtianitas percuſſa eſt in Græcia: nunc dieta tenenda eſt Franefordiæ ad Feſtum ſancti Michaelis; ibi tota Germania convocata eſt, actura de modo tuendæ fidei noſtræ, vindicandique Salvatoris noſtri injurias. Ibi ego te magnopere eſſe cuperem, ut torpentes excitares animos tua vivaci facundia. Nam quod Pragam ire poſſis, ſomnium eſt, & te decipiunt, qui aliter ſuadent. Tua præſentia in Franefordia eſſet ſupra modum utilis; nec ego ſuaderem te ire in Hungariam prædicaturum crucem Chriſti adverſus Turcas; Hungari enim nihil aggredientur adverſus illos, niſi & ceteros Chriſtianos concurrere intelligant. Ideo maxime inſtandum eſt, ut Franefor-*

fordenſis dieta bonum habeat exitum. Id puto futurum, ſi tu illic aderis. Ego, ut arbitror, nomine Cæſaris eo pergam, niſi mutetur opinio. Si te illic inveniam, loquar de omni re longius, & puto quod me non habebis nocentem. Vale in Chriſto. Ex Nova Civitate, raptim die XXVI. *Julii* MCCCCLIV.

Æneas Epiſc. Senenſis.

EIDEM.

XIII. *GRatiſſimæ & jucundiſſimæ fuerunt mihi litteræ veſtræ Paternitatis Reverendæ, atque optimæ, quibus intellexi, ſuaſiones meas de petenda Francfordenſi dieta in veſtro conſpectu placuiſſe. Puto veſtrum iter non erit inutile, & Dom. noſter Sanctiſſ. ut arbitror, complacentiam habebit. Unum volo dixiſſe; quamvis Minervam docere videor. Invenietis in via nonnullos Principes, qui cum erunt veſtro ſermone requiſiti, Francfordiam petere ac Reipublicæ conſulere, negligentiam ſuam ſub umbra Imperatoris excuſabunt, dicentes non eſſe quidquam boni ſperandum in dieta fieri, quia non ſit futurus præſens Imperator. His, oro veſtram ſapientiam, toto conatu reſiſtat: nam Cæſar, quamvis non ibit illuc urgentibus ex cauſis, tamen mittet Legatos ac Præſidentes cum pleniſſimo mandato, nec ex latere ſuo quidquam deerit; & ſi Principes convenerint, qui ſunt propinqui, res poterunt honeſtum exitum habere. Illud autem exiſtimo plurimum conducere, ut ſi fieri poſſit, Marchio Albertus in conventu adſit, qui eſt activus Princeps, & multum eloquentia poteſt, eſſetque hic meo judicio is, qui Dux belli præ ceteris eligi deberet; eſt enim providus in conſulendo, celer in agendo, fortis in periculis, & in omni re expertus. Non dico nunc plura: commendo me orationibus veſtris, quarum me dignum fieri expeto. Datum in Nova Civitate die* XXVI. *Auguſti* MCCCCLIV. *Ex autographo.*

Totus veſter Æneas Epiſc. Senenſis.

Beatiſſimo Patri, & Sanctiſſimo Domino Nicolao Papæ V. &c.

XIV. *BEatiſſime Pater, ad ſanctorum pedum humiliter oſculanda veſtigia. Mœſtiam, lacrymabilemque Conſtantinopolitanæ urbis depopulationem, & Raſciæ expoliationem, quia certior ſum Sanctitatem veſtrum alias latius accepiſſe, idcirco non repetam, ſed ad ea quæ nova ſunt & recentia, calamum convertam. Ut accepi, P. B. immaniſſimum Chriſti hoſtem Mahometh regnum Deſpoti quaſi totum hoſtiliter debellaſſe, & in Hungaros comminari, ſtatui, quamvis multum longe diſtarem, huic dietæ Francfordiæ perſonaliter intereſſe, & abſcedens a civitate Olomucenſi provinciæ Moraviæ, ubi actualiter prædicabam, non fixi pedem, quouſque huc adveni, tali die novem Theutonicis milliaribus equitatis. Allocutus igitur R. D. Epiſcopum Senenſem, Cæſaris Oratorem; qui certe in hac dieta tam ſua mirabili ac copioſiſſima oratione, quam optimis conſiliis adeo ſollicite, prudenter, & peregregie ſe geſſit, ut ne quid magis; perceptoque ab eo, hos Germanos Principes nedum tepidos, verum & totaliter frigeſcentes, publicis & privatis ſermonibus cœpi clamare, quotidie adſtantes alloqui Principes, & quibus poteram rationibus honorem V. S. ut decet, toto niſu defenſans ſecundum intellectus mei miſeram parvitatem. Mordebant enim nonnulli tardum huc legati veſtri adventum; ut autem eum legatum Epiſcopum intellexerunt, V. S. Cardinalem non miſiſſe, ſimiliter increpabant: Sed per Dei gratiam & ante ipſius legati veſtri adventum, & poſt obtrectatoribus ipſis ſic ſatisfactum eſt, ut me legente* *Ex reg. Capiſtr. fol. 113.*

in populo copias bullarum Cruciatæ (cum plumbatas habere non potuerim) diligentia, ſollicitudo ſingularis, & ſancta V. S. proviſio ab omnibus fuerint ſummis laudibus commendatæ. Hæc autem non recito B. P. ut velim teneri quid grande hic a me factum fuiſſe, cum nihil ſim, ſed ut intelligat V. B. continuam fidelitatem erga ſe meam, neque prætermiſiſſe cuncta, ut debellationi tanti hoſtis Chriſti fideique noſtræ vilis ipſe intendam. Et certe, B. P. omittenda ſunt omnia, & huic validiſſimo hoſti, qui Chriſtianum nomen delere protinus jurejurando pollicitus eſt, tantummodo inſiſtendum; nam, cum apud multos appareat in præſenti dieta magna fuiſſe concluſa, mihi vero aut nihil, aut parum boni concluſum extitiſſe viſum eſt. Et advertat, obſecro, S. V. hi enim dietam tertiam apud Novam Civitatem ad feſtum Purificationis Virginis ſtatuerunt; quo fit ut ante menſem Auguſti proximum, ſicut Germani Principes mihi ipſi teſtati ſunt, nullum poſſit Hungaris præſtari ſubſidium, ſitque prius a Turca depopulata vel expugnata Hungaria, quam Theutonum præmiſſus exercitus in Germania congregatus. Interea vero quid Hungari facient? Expectabiturne primo ſubjici Turcis, quam ſecum pro ſui conſervatione paciſci? Multi multa dicunt, ſed Oratores Hungarorum his diebus pluries mecum conqueſti, his verbis uſi ſunt: Quod potuimus, acceptare licuit, ſed ſeptuaginta millium expeditorum hominum ad minus vere proximo a Theutonibus ſubſidium ſperabamus. Si ergo tarditate præſtandi ſubſidii inter Hungaros & Turcas pax vel tregua fiat, væ tibi Italia, væ tibi o Roma. Et quamquam verum ſit, Oratores Hungarorum hic promiſiſſe, novas treguas cum Turca nullatenus inituros fore; id tamen ſe ſervaturos mihi declaravere, ſi fuerit illis expediens ſufficienſque auxilium contributum. Neceſſarium igitur eſt, B. P. ſi guerram vultis habere longinquam, & Chriſtianum defenſare populum, dietam hanc in Nova Civitate deſignatam breviari, ut in Kalendis venturi Maii ad altius Germanus exercitus Hungarorum exercitui ſit unitus. Præterea dubitant aliqui Germani Principes S. V. huic expeditioni contra Turcam non eſſe ferventem, allegantes maxime R. D. Epiſcopum Papienſem; qui certe inter hos Principes egregie peroravit, & bene ſe geſſit in adventu huc ſuo; S. V. faciem non vidiſſe, quaſi pro quadam re levi, ſeu V. S. excuſatione illum miſerit ad dietam. Sed maximum horum dubium eſt, nullum ab Italis terreſtrem vel marinum exercitum fieri, & cum exercitum Germani fecerint, ab Italis non deludi: Generalis namque clades Chriſtiano populo comminatur, cujus Pater & Princeps V. S. eſt, rationem Deo pro nobis omnibus reddituræ: ego enim etſi conſumptus ſenio, cui poteſtas auri & argenti non eſt, pro hac magnificientia nominis Chriſti, pro conſervatione fidei, pro V. S. honore conſtitui vitam exponere, proprium effundere ſanguinem; & cras abſcedens hinc Sereniſſ. Imperatorem, duce Deo, adibo, eum quoad potero expergefacturus, infeſtaturus, propulſaturus, cum ad tanti hoſtis expugnationem, perampliſſimam nationem Alemanniæ majorem duodecim equitum trigintaque millium peditum decuerit exercitum obtuliſſe. Deinde ad Hungariam proficiſcar, a Rege, conſilio, & Principibus Hungarorum reiteratis precibus requiſitus, ſaltem ut coerceam illos, ſi potero, ne repentini cum Turca novum fœdus ineant. Quod ſi plumbatam Cruciatæ bullam penes me habuiſſem, aut alias de V. S. voluntate ſuper hujuſmodi re fuiſſem doctior factus, grandi bono majus forte bonum, concedente Domino, addere potuiſſem. Sed de omnibus fiat voluntas Dei. V. igitur S. erit & Orationibus & litteris Hungaros conſolari, hos Germanos Principes, communitateſque ad expeditionem hujuſmodi commonere ſollicitos, ac Sereniſſ. Imperatorem quotidianis exhortationibus nunciiſque ſenſatiſſimis diligentiorem efficere; nam P. B. omnes Principes, omnes domini,

to-

totus mundus generaliter dicit: Quomodo volumus contra Turcam proprios ſudores, propria noſtra bona, panem filiorum noſtrorum exponere, quandoquidem ſummus Pontifex in turribus, in groſſis muris, in calce & lapidibus theſaurum ſancti Petri expendit, quem in defenſionem ſanctæ fidei deberet expendere? Sed quid reſponderim publice & private, quidque reſpondeam (quamquam nullam ſuper hoc excuſationem acceptent) ſcit Deus & anima mea. Hæc omnia pro conſcientia mea, pro honore V. S. eidem ſignificaſſe volui, ut de veritate informata poſſit honori ſuo, ac tantæ neceſſitati, calamitatibuſque populi ſui conſultius providere. Denique ad ſanctos pedes B. V. me humillime iterato committo. Chriſtus Jeſus largiſſimo ævo B. V. tueri dignetur ad exaltationem & protectionem Eccleſiæ ſuæ ſanctæ. Francofordiæ XXVIII. *Octobris* MCCCCLIV.

Veſtræ Clementiſſimæ S. inutilis creatura
Fr. Joannes de Capiſtrano.

Illuſtriſſimo Principi, Domino Philippo Duci Burgundiæ, Brabantiæ & Limburgiæ; Comitique Burgundiæ, Flandriæ, Arteſii, Hannoniæ, Hollandiæ & Namurci, Domino noſtro honorandiſſimo.

XV. *Illuſtriſſime, ac metuendiſſime Princeps, præceptor ac fautor colendiſſime, fideliſſimis orationibus præmiſſis, cum omni officio ac ſinceritate obſequendi. Dignitatem & amplitudinem magnanimæ ac metuendiſſimæ Dominationis veſtræ jam pridem vehementer admiratus ſum, eo præſertim tempore, quo felix memoria Eugenii ab illa D. V. me receptum eſſe voluit. Verum enimvero majorem in modum admirari non deſino ingenuam ac virilem conſtantiam Sereniſſimæ D. V. qua in majori diſcrimine ſe ardentiorem atque præſtantiorem in dies magis liberaliſſime offerre non ceſſat. Confirmatus ſum a præclaris Oratoribus Illuſtriſſimæ D. V. qui ad dictam hanc convenerunt, quo & me recepi, ſperans Illuſtriſſimam D. V. comperiſſe de egregia ac ſingulari veſtra ſententia, quæ nullo diſcrimine, nulla rerum varietate a defenſione Chriſtianæ religionis, fidei Catholicæ tutela, ac Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ obedientia aliena eſſe poteſt; ſed tamquam Chriſtianiſſimus, ac verus Chriſtianæ fidei defenſor & auctor, ceteris quibuſcumque caducis poſthabitis, ad id ſolum quo immortalitatis nomen apud Deum & homines, ac omni poſteritati relinquatur, ſe aſcivit. Gaudeo ipſe mecum plurimum quidem, ac Deo teſte lætor, necnon & tantæ ſtrenuitati, magnanimitati, atque conſtantiæ congratulor; qui ſaltem cæteris omnibus tepeſcentibus, illuſtriſſimam D. V. divino nutu inſpiratam, ac ſancto Spiritu illuſtratam conſpicio, quæ nedum contempta plurimis per orbem terrarum ad inclytos Principes Oratoribus directis, ſed præſentia, conſilio, opera, ſtudio de remotoſſimis partibus ſuperiori dietæ pro fide conſervanda præſto fuit, quam ſententiam impræſentiarum Legatis Oratoribus digniſſimis magnanime confirmaſtis. Hæc ſunt enim Chriſtianiſſimi Principis divina argumenta, qui more pii parentis Rempublicam privatæ rei, atque res divinas rebus humanis ac temporalibus ſancte præponit. Quam quidem ob rem & mea eſſe ſentio, & pro meo in Illuſtriſſimam D. V. amore, caritate & obſervantia, necnon pro veſtra in me præclariſſima benignitate, ac in Chriſtianam fidem ſummo ſtudio & pietate exoro, ſupplico & imploro, ut lumen, quod Omnipotentis Dei clementia dignata eſt in cor veſtrum infundere, nullo intuitu fruſtretur, ſed ceteris tepentibus, ac ad fidem Catholicam tutandam frigeſcentibus, ſolus is ſitis, quem ſummus Deus præ cunctis elegerit, quemque pro populo ſuo ſerio & conſtanter pugnaturum præ-*

Ibid. fol. 122.

fe-

fecerit. Ita enim mihi videre videor, cunctis rem tantam minime negligendam parvipendentibus, Deum solam hanc palmam inclytæ domui vestræ servasse. Eja, Princeps Illustrissime, exercitum adversus nefandum hostem exponite, atque ceteris mundi Principibus magno ac constanti animo viam veritatis ostendite: si officio ac saluti propriæ atque publicæ deesse omnino videantur, æternum profecto ac indelebile nomen nanciscetur Illustrissima V. D. quæ in rebus gerendis nullis rationibus præpedientibus incommutabilem se servavit. Quam Jesus Christus largissimo ævo tueri dignetur, cuique me plurimum commendo, atque totum trado. Ex Francofordia IV. *Octobris* MCCCCLIV.

Vestræ Illustrissimæ Dominationis inutilis servus, licet fidelis orator Fr. Joannes de Capistrano.

Eidem.

Ibidem.

XVI. *Illustrissime ac Excellentissime Princeps, Domine clementissime, mique præceptor colendissime, orationibus fidelissimis præmissis, commendationem humillimam cum omni officio obsequendi. Etsi eo tempore, quo a sanctæ memoriæ Eugenio ad tuæ Illustrissimæ Dominationis præsentiam missus fueram, satis atque satis tuum ferventissimum ad Catholicæ fidei defensionem cognoverim animum; peramplius tamen cognovi perseverantiam in hoc ferme quatriennio, quo sacri Evangelii fluenta in Germania disseminavimus; dum Imperatoriam Majestatem, ceteroque totius Germaniæ Principes & litteris & Oratoribus in Christi hostes pluries provocasti & excitasti, & quodammodo pungentibus calcaribus impulisti; dum personaliter ad Dietam Ratisponensem te contulisti, veluti Christianæ religionis singularis clypeus, & publicæ salutis fidelium signifer; dum denique nullis sumptibus, nullis laboribus, nullisque periculis parcere intendens, in propria persona cum omni potentia tua ad abolendam extinguendamque Paganorum rabiem te semper paratissimum offeras. Magna profecto est hæc laus tua, magnus Orthodoxæ fidei zelus tuus, magna denique & prædicanda est hæc gloria tua. Sed heu! vel nullos vel paucos cognosco, qui tibi in tuis sanctis respondeant votis, qui de fugando sævissimo Christianorum hoste cogitent, qui tamdem huic imminenti Christianitatis periculo minimum remedium adhibeant. Sed omnes quæ sua sunt, & non quæ Jesu Christi quærentes, vel frivolis se palliant excusationibus, vel præsidium nullum præstare posse asserunt. Sperans Illustrissimam D. tuam huc venturam, ex remotissimis Poloniæ & Moraviæ regionibus ad hanc dietam me contuli, ac intelligens rationes, quibus tua Christianissima Dominatio retardata est, non immerito tuas excipio & tueor excusationes, quandoquidem nihil usque in hanc horam per te omissum dignoscitur, quod ad hoc sanctum & opportunissimum opus conficiendum pertinere videatur. Dieta itaque ista, etsi nondum sit inchoata, vel nullam vel modicam mihi tamen affert spem, sed post Deum in te uno omnis spes mea est fixa & locata: scio equidem te persuasionibus minime indigere meis, quo ad protegendam Christi fidem propensior fias & animosior, cum solus sis qui ceteros miris studiis & exemplis ad eam rem suscipiendam animaveris & quotidie animas. At, ut ibi non timeas, ubi Christo propitio nullus habendus est timor, precor ut dormientibus omnibus, tu solus pro Christi ovibus vigiles: non aliorum Principum negligentia obsecro terrearis, quin in Domino confisus, tu solus cum potentissimo brachio tuo, audacissimo animo, Christi Jesu sævissimum invadas hostem; tibi enim, crede mihi, hæc victoria, hæcque memoranda omnibus seculis laus reservata est. Ad hæc tamdem infelicia tempora divina te servavit providentia, ut de Christianorum sævissimo hoste reportes triumphum, eruasque*

Anno Christi	Nicolai V.	Friderici III. Imp.	Religionis Minorum anno 247.
1454.	anno 8.	anno 15.	

ſque millia millium animarum de Satanæ faucibus pereuntium. Potens eſt autem Deus res difficiles in ſummam vertere facilitatem, excitareque animos dormientium Principum Chriſtianorum: qui proculdubio cum evaginatum tuum in Turcas viderint gladium, ſi non fervore fidei, confuſione tamen mundi & quidem ingenti, ad tui veſtigia ſequenda ſe convertent. Surge igitur, Chriſtianiſſime Princeps, & da non ſolum verbis, ſed facto de te magni animi exemplum, ut noſtræ ſalutis ſignifer videaris. Ecce veneneſiſſimus ſerpens Turcarum Imperator cum quadrigentis millibus Raſciæ terrum invaſit erecta cervice, putans Chriſtianæ religionis nomen prorſus extinguere. Occurre illi, Orthodoxe Princeps, & Hungarorum periculo, qui ſuperioribus annis ſanguinem ſuum fuderunt ut ſervarent noſtrum, præſto adſis; ne regno illo ſubacto, reliquam Chriſtianitatis partem Turcarum ditioni tuis oculis cernas ſubactam; ne calamitatem communem doloroſius deplores, te tamdem in propriis laribus cum Turcis dimicare oporteat. Audite cœli, quæ loquor, audiat terra verba oris mei. Chriſtus Jeſus, peccatorum populi ſui magnitudine provocatus, ni Chriſtiani Principes evigilaverint, & gladium ſumpſerint, oſtendentes non eſſe Dei factoris ſui oblitos, gladium ſuum vibravit, arcum ſuum tetendit & paravit illum, & in eo paravit vaſa mortis, ſagittas ſuas ardentibus effecit: Vindicabor, *inquit Dominus*, de inimicis meis cum hoſtibus meis: *Et excitatus eſt Dominus tamquam dormiens, tamquam potens crapulatus a vino. Parce Domine, parce populo tuo, & ne des hæreditatem tuam in opprobrium, ut dominentur eis nationes. Avertatur furor tuus a nobis, & proſperum iter facias ſervi tui fideliſſimi, Principis populi tui Ducis Burgundiæ, ſit manus tua cum illo, & da ſibi de diro tyranno triumphum. Reaccende illius accenſum animum, ut e veſtigio ſuus pro nobis potentiſſimus occurrat pugil, ne in Turcarum prædam dati, in umbra mortis ſedere cogamur. Quid multis tecum ago verbis, Illuſtriſſime Princeps? Totius Chriſtianæ religionis ſalus poſt Deum a te dependet: in te oculi omnium ſperant; qui Teutrorum ictibus modo percutiuntur, abs te ſolo certum expectant auxilium: tu ſolus Chriſtianiſſimum in præſentiarum tibi vendicas nomen. Stude igitur, ut de hac tanta expectatione neminem fallat opinio: quid enim Deo acceptius, quidve tibi ſalutarius eſſe poterit, quam liberare fideles a tam perfida oppreſſione, quamque eſſe cauſa, ut tam immenſa animarum multitudo a faucibus Satanæ eruatur per auxilium tuum, quas Salvator noſter non bircorum aut vitulorum, ſed pretioſiſſimo ſanguine ſuo turpiſſima crucis morte redemit? Hoc erit ſalutare ſemen theſauri tui, qui in cœlis ſeretur, qui in immenſum fructificabit, qui ſervabitur in æternum, qui denique inter Angelorum ſanctorumque agmina coronatum te ſtatuet. Hæc erit gloria, qua nullis ſeculis carebis; hæc laus ingens, quam omni tuæ poſteritati relinques; hoc perpetuum erit tuum atque tuorum ornamentum & decus, quod omnium ſuperiorum Regum & Principum, qui adverſus infideles pugnare conſtantiſſime conſueverunt, memoriam oblitteratam reſuſcitabit, quodque & Deo gratum acceptumque futurum eſt, ut nihil acceptius, nihilque gratius excogitari poſſit. Singularis affectio quam ſemper erga te geſſi, coegit me, ut feſtina manu aliquid ad te ſcriberem, quod infelici hoc tempore ad ſalutem animæ, & laudem & gloriam tui nominis, & poſterorum memoriam pertinere videretur. Quare fideliſſimi ſervuli tui fideliſſima ſuſcipe conſilia, nullum timorem habiturus, ubi divina opitulante clementia omnis fugabitur timor. Valeat Illuſtriſſima dominatio tua.*

Iſaiæ 1. 24.

Illuſtriſſimæ Dom. Veſtræ
Humilis Orator Fr. Joan. a Capiſtrano.

XVII.

Anno Christi 1454.	Nicolai V. anno 8.	Friderici III. Imp. anno 15.	Religionis Minorum anno 247.

Capiſtranus agit cum Ladiſlao Rege ut Pragam ire liceat.

XVII. Etſi Turcarum furiæ reprimendæ Capiſtranus omnem apud Principes Orthodoxos operam poſuerit, circa heterodoxos Boemos convertendos curam non depoſuit, ſed ubique illorum errores verbo & ſcriptis redarguens, ſæpiſſime Ladislai favore tentavit ad Pragenſes proficiſci, neque potuit tamen ſalvum conductum impetrare, impedientibus ſemper ejus acceſſum Rochyzana & Pogebratio, penes quos ſumma erat rerum poteſtas. Miſit demum Capiſtranus ad Ladislaum doctum libellum de Huſſitarum dogmatibus, juſtaſque querelas contra regni conſiliarios, quod Sedis Apoſtolicæ Miniſtrum admittere, hæreticæ pravitatis Inquiſitorem videre, & divini verbi Concionatorem audire, vel ad diſputationis congreſſum recipere noluerint; rogavitque ut in omnium conſpectu ſcripta hæc legi præciperet. Nihil apud pertinaciſſimam gentem profuit Ladislaus, etſi ab eorum erroribus ſumme alienus, & Rochyzanæ plane adverſus. Etenim inexpertum & imbecillem adoleſcentulum Pogebratii in regno potentiſſimi conſiliis & directioni oportuit acquieſcere, cujus inſidiis paulo poſt miſerabiliter occubuit. Hujus dolis circumventus, die XIII. Junii ſcripſit Petro Epiſcopo Uratislavienſi ad ſe in Boemiam vocato, ut ante diſceſſum Capiſtranum in ea urbe prædicantem, honorificis a ſe cohoneſtatum elogiis, *moneret ne vehementibus & duris verbis Boemos reprehenderet, ſed moderatiori uteretur ſermone in hæreticando* (frequenter mihi occurrit in variis hujus temporis epiſtolis verbum hoc pro cenſura hæreſis in doctrinam quampiam prolata) *nollemus enim*, inquit, *quod contrarium effectum ejus voluntati ſuæ verba conſequerentur, quod eſſet, ſi illorum animi, de quorum unione ſperamus, ob ſuum ſermonem irritarentur*. Ita enim Huſſitæ hujuſmodi unionis ſpem adoleſcenti Regi venditabant, ne ſua auctoritate ad Romani Pontificis obedientiam, aut Capiſtrani admiſſionem compelleret, donec tamdem fuæ perfidiæ adverſum, ſuiſque operibus contrarium traditorie e medo ſuſtulerunt. Paruit dictis Capiſtranus, in hæreticos ſemper acerrimus & Dei zelo ubique infenſus, urbemque Uratislavienſem, quam multis purgavit erroribus, ſibique tenero devinxit affectu, ſummopere Regi commendavit. Hanc etenim Pogebratius per ſuæ perfidiæ miniſtros ad homagium & obedientiam præſtandam, & quædam fidei Catholicæ adverſa ſtabilienda urgebat; quæ tamen Uratislavienſes facere abhorrebant, vellentque potius ipſi Ladislao præſenti omnem exhibere reverentiam, & Catholice omnia ſpondere, quam a ſuſpectæ fidei hominibus doloſe circumduci. Do Capiſtrani ad Regem, & Uratislavienſium ad Capiſtranum hujus rei inſtrumenta.

Nihil profuit.

Cavet ſibi Uratislavienſes ab Huſſitarum fraudibus.

Sereniſſimo atque præclariſſimo Principi & Domino, D. Ladislao, Dei gratia Hungariæ, Boemiæ Regi &c. ſuo ſingulariſſimo Domino, & Chriſtianiſſimo Protectori &c.

Ex autographo. Epiſtola Capiſtrani ad Ladiſlaum Regem.

XVIII. *Sacra Regia Sereniſſimaque Majeſtas, orationibus fideliſſimis præmiſſis, animum ad ſingula grata obſequendi paratum. Totis præcordiis cupiens veſtræ morem gerere voluntati, utriſque Regiis parere juſſionibus, quæ ſumma animadverſione ſunt abſque me magnifaciendæ, relicta Polonia Uratislaviam fideliſſimam civitatem veſtram* XXIX. *Maii adveni. Nunc itaque jubeat ſervulo ſuo Serenitas veſtra quidquid ſibi gratius acceptiuſque cenſebit, quod mei opera vel diligentia effici complerique poteſt, ego quoque libens quam fideliter obſequar, idque accuratiſſime profecto agere curabo, ut exiſtimetis, a nemine vinci in parendi officio aut benevolentia; humiliter rogans & ſupplicans, ut ſi noſtræ litteræ ſuperioribus diebus ad Se-*

Sereniſs. Majeſtatem veſtram delatæ, nondum veſtris Conſiliariis notæ factæ ſunt, dignetur Serenitas veſtra pro ea reverentia & devotione, quam ad ſanctam Sedem gerit Apoſtolicam, illas publicari facere, ne ii veſtri conſiliarii fidei negotia ad ſecularia trahere judicia præſumant, quod alienum a Catholica puritate, imo prorſus non Catholicum nemo bonus, nemo fidelis, nemo peritus Chriſtianus non judicabit. Poſtremo hanc inclitam Veſtræ Serenitatis Wratislavienſem civitatem, quæ unanimi voto præſentiam Veſtræ gratioſiſſimæ Majeſtatis expectat, anxieque præſtolatur adventum, ut veſtris in propriis manibus juramentum perpetuæ fidelitatis, & homagium ſubditi libentiſſimo perſolvant animo, omni, qua valeo inſtantia, facio diligentiſſime commendatam. Valeat S. Majeſtas veſtra, quam incolumem cauſæ fidei, mei, religioniſque meæ memorem Chriſtus Jeſus tueatur Omnipotens. Wratislaviæ XIV. *Junii* MCCCCLIV.

V. S. M.

Inutilis ſervulus, licet fidelis orator,
Fr. Joannes de Capiſtrano manu propria.

Religioſiſſimo ac venerabiliſſimo in Chriſto P. fratri Joanni de Capiſtrano &c. Præceptori ſuo colendiſſimo.

Ex autographo. Epiſtola Uratislavienſium ad Capiſtranum.

XIX. *Seipſos cum humili recommendatione ad omnia mandatorum beneplacita ſemper paratos, Religioſiſſime, Reverendiſſimeque Pater. Noverit P. V. quod Nuncius, qui cum litteris veſtris perrexit ad Tragam, nuper Sabbato rediens Wratislaviam attulit litteras duas P. V. directas, quas hic colligatas mittimus. Deinde ſignificamus P. V. quod poſt lamentabilem receſſum veſtrum a fidelibus oviculis Chriſti hujus urbis, ipſi ſicut boni diſcipuli hactenus non ceſſaverunt lacrymando gemere, ſed veluti poſt benignum Patrem ſuſpirant orphani, poſt fideliſſimum paſtorem balant agnelli, & poſt liberalem benefactorem querulantur egeni; ita revera adhuc lamentantur fideles veſtro doctrinali magiſterio ſubjecti, inquientes gemebunde: cur nos Pater deſeruiſtis, aut quibus nos deſolatos reliquiſtis? Timemus enim ne vobis abſente invadant gregem Chriſti lupi rapaces; quoniam in tempore tribulationis conſpicimus nos fore derelictos: audivimus tamen verbum ſolatioſum nobis ad moderationem mœſtitiæ noſtræ a P. V. promiſſum, videlicet quod etſi P. V. abſentaret ſe a nobis corporaliter, mentali tamen favore, & paterna directione velit nobis adeſſe; eatenus precamur obnixis precibus V. P. quatenus etſi jam non pluviis doctrinarum vocalium nos paſcere poterit, ſaltem tamen quandoque paucis ſcripturis litterarum quaſi ſtillis nos recreare per gratiſſimam conſolationem, & ex paterna benignitate confortare gratioſe velitis, præſertim pro aviſamentis contra machinationes infidelium hæreticorum, ſi quas perceperit P. V. contra nos eos velle callide ſtruere inſidias doloſas, vel etiam inſtantias manifeſtas. Ex quibus veſtris ſalubribus præmonitionibus conſtantius ſinceriuſque agere poterimus, ſicut & Chriſto auxiliante, fideliter agere intendimus, in quo nobis fiduciam præcipuam, & V. P. ſinceram caritatem exhibetis, imo & internæ dilectionis ſignum, quod lacrymæ verbis valedictionis & benedictionis veſtræ commixtis palam teſtabantur, in nobis renovetis. Cupimus P. V. feliciter valere pro defenſione fidei Catholicæ per tempora diuturna. Ex Wratislav. in die ſanctæ Mariæ Magdalenæ anno* MCCCCLIV.

V. R. P. Servuli & diſcipuli
Cives Wratislavienſes.

Omnes Principes rogabant Capiſtranum ut ad ipſos accederet.

XX. In his ſollicite laborantem Capiſtranum multi Principes, Provinciæ & urbes ſummis ad ſe precibus invitabant. Adeo omnium crevit deſiderium & exarſit affectus, ut etiam Oceani fluctus flamma ſuperarit, & ultramarinos Reges, Anglum præſertim & Scotum ſuccenderit. Advocabant in Burgundiam, in Sabaudiam, in Marzoviam illarum regionum Duces; in Hungariam nobiles & Palatini; in Pataviam Uldericus Epiſcopus, atque ut in Cracoviam denuo revertetur, rogabat Sbigneus Cardinalis. Do hujus litteras, & Capiſtrani ad Angliæ Regem Henricum ſextum reſponſivas.

Reverendo P. &c. Fratri Joanni de Capiſtrano.

Ex reg. Capiſt. fol. 122. Epiſtola Cardin. Cracovien. ad Capiſtranum.

*VEnerande Pater, frater in Chriſto dilecte. Curſor, qui redibat ex Urbe, pridie huc adveniens retulit mihi, P. V. in die beati Jacobi in civitatem Olomucenſem pene in nocte intraſſe; ex quo vacillare cœpi de regreſſu V. P. in hunc locum; fiducia enim quadam velut divina inſpiratione ſuggeſta P. V. huc vel alia loca hujus regni regreſſuram detinebar, ſperans V. P. ſalubri ſua doctrina ampliorem plantare profectum in populo hujus patriæ, quem adeo dilatavit, ut ſingula monita V. P. populus ipſe ſingulari devotione obſervet & proſequatur, ſæpenumero P. V. regreſſum ſuſpirans & exorans. Sed & ego pro meæ devotionis fervore, quo V. P. afficior, non minori affectu id evenire deprecabar. Inde hactenus hic ſubſtiti, & ſubſiſtere ampliori tempore nihil faſtidirem, ſi quæ ſpes extaret mihi de veſtra reverſione: quam non inanem judicare præſumo, tum pro devotione populi ex ſanctimonia veſtra accenſi, tum pro ampliatione locorum Ordinis veſtri, qui in pluribus locis, nedum harum terrarum, ſed etiam Ruſſiæ, cujus etiam populus doctrina & exemplaritate ritu ſuo abjecto, facile ad puritatem fidei Catholicæ reduci poſſet, dilatari. Et ne talis ſpes, quam adhuc non animo depoſui de regreſſu V. P. in me excidat, velit P. V. aliquando ſcripto innoteſcere, ut ſaltem conſolatione de illo recreari poſſim. Si autem P. V. potius cenſuerit verſus Turcas proficiſci, vereor ne inanem ſubeat fatigam *; cum nonnullæ communitates Venetorum & Januenſium treguas cum Turcis percuſſerint, ſubmittendo ſe ad notabilem ſummam multorum millium Turcis ipſis ſolvere, conceſſa etiam ipſis hac libertate, ut libere poſſint Turcæ ipſi Venetias venire, & ubi vim in mari eis inferri contigerit, non ſolum fugere in Venetias eis licebit, ſed etiam Veneti eos tutari tenebuntur. Non eſt itaque ſpes, ut quiſquam negotium fidei & Eccleſiæ ſanctæ adjuvare intendat, niſi ſolius Dei benignitate fuerit adjuta. Eccleſia nova Fratrum veſtri Ordinis continuatur in muris, pro cujus continuatione meæ non deficiunt impenſæ. Nuncios S. D. N. Papæ, Imperiales, & Electorum audivi ad præſentiam Domini noſtri Regis pertigiſſe; ſed de reſponſo ipſis duto hactenus ſum incertus. Cetera vero, quæ fuerint certiora, habito nuntio, V. P. non omittam ſignificare. Datum Cracoviæ feria ſexta poſt diem ſancti Petri ad Vincula* MCCCCLIV.

* laborem?

S. tit. ſanctæ Priſcæ Cardinalis, & Epiſcopus Cracovienſis.

Sereniſſimo Principi, colendiſſimo Domino Angliæ Regi &c.

Ibid. fol. 113. Epiſtola Capiſtrani ad Regem Angliæ.

XXI. *SEreniſſime Rex & Excellentiſſime Domine, orationibus fideliſſimis præmiſſis, commendationem humillimam cum omni officio obſequendi. Quam avide imbecillem præſentiam meam erga ſe cupiat Veſtra Serenitas, illuſtriſſimus conſanguineus ſuus Dominus Marchio Badenſis dulciſſimis*

mis

mis gravibuſque verbis nuper expoſuit, ad quam quidem rem excolendam non tantum eadem Serenitas veſtra, quantum ipſe promptior avidiorque fuiſſem, niſi comminata in Chriſtianos clades hujus ſceleſtiſſimi Turcarum Imperatoris, communiſque fidei noſtræ defenſio adventum ad vos meum impediviſſet. Ad invictiſſimum namque Cæſarem, & inde ad Hungaros, abſoluta præſenti dieta neceſſarius, compulſus ſpiritu, erit aditus meus, ut vel ſaltem tepidos excitem, vel ferventes aliquibus ſermonibus contra hunc inimicum Crucis ferventiores efficiam. Accedit ad hoc, ut jamjam ab Hungaris repetitus, polliciſus ſim illis adventum ad ſe meum poſt dietam hanc omnino futurum. Pareat igitur ſacratiſſima Majeſtas Veſtra ſervulo ſuo, ſi inpræſentiarum expetita vota nequeat adimplere; nam & donabit Altiſſimus M. V. futuro tempore parvitate mea frui pro libito, meque inutilem eidem M. obſequi poſſe. Præterea de infirmitate veſtra aliquid mihi relatum eſt, de qua ægritudine me plurimum lætari ſi dixerim, mirabitur forte V. M. An ne de his, quæ inferat Deus, mœſtus debeam condolere? Minime: benedicam dominum in omni tempore, *ſanctus Propheta dicebat. Si ſanus, ſi æger, ſi dives, ſi pauper,* Pſal. 33. 2. *ſiquidem* in omni tempore Dominum benedicam, ſemper laus ejus in ore meo: *non vapulat filius haud dilectus a patre, ſed quem pater diligit natum, reprehendit & verberat, ſicuti ſcriptum eſt*: Quem diligit Deus, ſæpe corrigit & caſtigat. Prov. 3. 12. *Nonne juſtus Job, ſanctuſque Thobias, alter lepra, alter excitate percuſſi fuere? Sed neque peccaverant, unde tanta deberet illis inferri percuſſio. Et quoniam lætanter & abſque murmure & ſine querela patientiam domini ſuſtulerunt, adhuc in hoc ſeculo priſtinam recuperarunt ſanitatem, eamque reſumere a Deo facti ſunt digni. Fortaſſe V. S. & patientiam & virtutem experiri voluit Deus, qui ſemper ferit, ut ſanet electos, qui ſemper novo vulnere antiquum excludit vulnus, quique ardenti excoquit ferro, ut marcidum pus e ſanabili expurget plaga.* Patientiam *igitur* habe, & omnia reddam tibi, *dicit Dominus.* Matth. 18. 26. *Quod ſi eadem V. M. hoc Dei conſilium, veræ ſcilicet patientiæ habendæ effectum fuerit amplexata, non dubito optatam valetudinem a Deo conſecuturam fore. Inſuper ſanctæ diſpoſitioni veſtræ de conſtituendis Monaſteriis novis in decus Dei & ſancti Bernardini, nihil aliud adjicio, niſi, ut dixeram, non valere ſine operibus fidem. Quamobrem eadem ſi conſtruatis Monaſteria, non mihi, non ceteris, ſed vobis ſolum totidem in cœleſtibus æterna palatia contruxiſſe ſciatis velim; breves enim dies noſtri ſunt, & brevi ſpatio cuncta, quæ ſub cœlo præſtantur, præveniente morte relinquimus; virtutes aut vitia, bonumque aut malum, quæ miſeri fecerimus, nobiſcum ſolummodo reportantes. Si igitur M. V. dicta Obſervantiæ loca ſeu Monaſteria fabricare decreverit, ſuæque conſcientiæ conſulere, ad Reverendiſſ. P. Vicarium Franciæ, & ad Guardianum ibi propinquum litteras meas do, confidens, omni devotioni S. V. pro viribus conſulturos. Ceterum portiunculam ſanctarum reliquiarum ſancti Bernardini, quæ apud me ſunt, rogatu ejuſdem Illuſtriſſimi Domini Marchionis ad M. V. mitto; nempe ſi maximo devotionis fideique fervore exceperitis illas, poterunt, miſeratione Divina, optatæ vos valetudini condonare; at fide deficiente, & miſerantis Dei deficiet larga manus. Fidem ergo habeat V. M. ſi ſanari deſiderat, fidem cum operibus dico, cum* ſine operibus mortuam *dicat Apoſtolus.* Jacobi 2. 20. *Qui ergo fidem habet, Deum ſuper omnia diligit, ejus mandata cuſtodit, ludos probibet, tabularia, aleas, taxillos, & hujuſmodi nefanda comburi mandat; Judæos expellit, uſuras vetat, malas conſuetudines tollit, benas adducit, probos evehit, malos odit punitque; ſacra conſtruit, confeſſiones frequentat; audit miſſas, religionem colit, eleemoſynas dat, pauperibus favet, juſti-*

ſtitiam amat, & vitia deteſtatur. Hæc enim hortor, pro aſſequenda fide, pro impetranda ſalute, pro Chriſti honore, pro mundi bona fama, iſta efficere non omittat S. V. O quam cuperem ad vos potuiſſe venire! ſed fidei noſtræ defenſio, quæ in Hungariam proficiſci me cogit, excuſatum me apud veſtram celſitudinem facile reddet. Rogo tamen, S. Rex, atque per effuſum ſanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti obteſtor, ut hoc tempore, quo ab impiiſſimo Chriſti hoſte Chriſtiana fides quatitur, quo Chriſtianorum novus ſanguis ſupra modum effunditur & effundi magis magiſque timetur, quove, niſi celerrime ſuccurratur, facile dabitur de nobis omnibus hoſti triumphus, adeſſe velit potentiſſima manus veſtra una cum ceteris Principibus, quos excitatos ad id jam videmus, quorum multi polliciti jam ſunt cum omni potentia ſua perſonaliter ſe forte ituros. Habet præterea V. M. ad hujuſmodi expeditionem excellentiſſimos Principes, bellicoſiſſimos milites, robuſtiſſimas gentes, numeroſiſſimos populos, auri argentique peramplissimas facultates, ita ut ſi voluerit, ad expugnandum hunc immaniſſimum Mahometh, auxiliante Deo, ſola veſtra celſitudo ſufficiat. Aggredimini ergo, Rex potentiſſime, virili animo expeditionem hanc, & virtutes veſtras, religionem, zelum fidei, & Dei noſtri dilectionem hac in re facto monſtrate, ita ut videat omnis terra vos eſſe Chriſtianiſſimum Regem, & pro defenſione fidei Catholicæ non corpori veſtro, non animæ, nedum perituris opibus pepercisſe. Valete &c. die XXIV. *Octobris* MCCCCLIV.

Nicolaus Pontifex concedit Obſervantibus regreſſum ad Conventuales.

XXII. His tantis curis circumſeptus, & graviſſimo omnium negotio totus intentus Capiſtranus, ſuos Conſodales regularis obſervantiæ Profeſſores, in magno diſcrimine conſtitutos defendere non omiſit. Cum enim Nicolaus Pontifex pio pacis ſtudio, ſed deteriori conſilio, ſublatis cenſuris ab Eugenio latis in eos, qui ſpretis ſuis Obſervantiæ ſuperioribus ad Conventuales tranſirent, & in illos, qui tranſeuntes reciperent aut retinerent, liberam tranſeundi feciſſet poteſtatem, paſſim & ubique hujuſmodi recurſus fiebant & diſcurſus. Siquidem dum errantes corripere tentarent Prælati, ut ſupplicium declinarent, ſubditi fugiebant ad Conventuales, a quibus benigne recepti bene habebant; atque ut amplius allicerentur, laici ad clericatum, clerici ad ſacerdotium, ſacerdotes etſi immeriti ad honores & præfecturas aſſumebantur. Deinde multis ex his in Cœnobiis aliquot collocatis, novum quoddam vitæ reformatæ genus ſub omnimoda ſuperiorum Conventualium poteſtate componebant. Rurſum Obſervantibus hos in populo præferebant; quippe quos abſque aliqua regulæ offenſione religioſe ſub Prælatis legitimis vivere divulgabant, illos vero bullarum privilegiis a vera ſuperiorum obedientia deviare. Demum facilius & liberius Conventuales ad Obſervantum domicilia & conſortia accedebant, quorum aſſiduo commercio & laxiori conſuetudine molliuſcule ſpiritus fervor tepeſcebat, & paupertatis rigor ſenſim decreſcebat.

Capiſtranus pro Obſervantia laborat.

XXIII. His aliiſque inde exorientibus malis excitatus Capiſtranus, omnia datis litteris ad Pontificem diſtincte recenſuit, digneque ponderavit, rogans ut tantis obviaret incommodis, in integrum ſuo robori reſtitutis bullis Eugenianis. Mox ad Cardinalem Firmanum, Ordinis Protectorem, Obſervantibus palam adverſum, Conventualibus propitium (qui etiam in publico conſeſſu contemptibiliter quoſdam Obſervantum Prælatos e ſuo abegit conſpectu; & authentico teſtimonio peculiarique decreto omnibus notum voluit hunc liberum ad Conventuales recurſum) pro ſuo zelo aliquanto ardentiorem, & pro ea, qua apud omnes pollebat, auctoritate audentiorem dedit epiſtolam, objectis his, quæ in religioſum commiſit Inſtitutum. Alias

ad-

addidit ad Latinum Cardinalem Urſinum vere Obſervantum Protectorem, & defenſorem, miſſo exemplari multorum privilegiorum nimis laxorum quæ Miniſter generalis conceſſerat Philippo de Maſſa, aliiſque Obſervantum Prædicatoribus; atque ad Petrum de Noxeto Pontifici a ſecretis, ob priſtina beneficia gratias agens, novumque in præſenti tribulatione auxilium implorans. Poſtremo, omnium provinciarum Vicariis ſerio & diffuſe ſcripſit, ut tanto ſtatus diſcrimini occurrerent, Principes auxiliatores adhiberent, & modis omnibus ſerpentem ignem extinguerent: Ipſe Imperatorem, alioſque in Germania ad ferendam opem excitavit, quorum litteras dabimus anno ſequenti.

XXIV. Amplius etiam movit Capiſtranum, ut iſta perurgeret, nimis ampla facultas a Pontifice conceſſa Roberto Licienſi, quem ſupra diximus, etſi multa contra Obſervantes molitum, tamen Marco Vicario generali reconciliatum. Certe licet inſignis & gratiſſimus fuerit prædicator, tamen adoleſcenti, & ſtrictioris Inſtituti ſectatori nimis viſus eſt Pontifex indulſiſſe. Ecce diploma. *An.* 1453. *n.* 35.

Dilecto filio Roberto de Licio, Ordinis Minorum.

Et reg. Marci Bonon. fol. 19. Facultates ampliſſimæ conceſſæ Roberto Licienſi,

Sacræ religionis, ſub qua mundanis abdicatis illecebris, cum adjectione voluntariæ paupertatis virtutum Domino in humilitatis ſpiritu devotum impendis & ſedulum in animarum ſalutem & famam fidei Catholicæ famulatum, merita promerentur, ut Apoſtolica ſedes te favoribus benignis confoveat, & ſpecialibus gratiis proſequatur, in his præſertim, per quæ cultus divini nominis augeatur, tuque ſtudio piæ vitæ tibi ipſi & aliis proficere valeas ad ſalutem. Attendentes igitur vitæ ſanctimoniam, & Orthodoxæ fidei fervorem, Laudatur. *religioniſque zelum, & litterarum ſcientiam, ac aliarum plurimarum virtutum dona, quibus perſonam tuam etiam fide dignorum teſtimoniis muniri percepimus, multiplices inſuper animarum fructus, quos ex præmiſſis, & in quibus, divina cooperante gratia, populis Chriſti plurimum gratus & fructuoſus exiſtis, divini verbi prædicationibus attuliſti, & dietim ampliores, in Dei Eccleſia afferre deſideras, ac propterea illa, per quæ tam ſanctum & laudabile deſiderium tuum hujuſmodi, ſublatis quibusvis diſpendiis, facilius & efficacius adimplere valeas, tibi concedere, teque ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi volentes; auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium tibi ad quæcumque Conventus, domos & loca dicti Ordinis & regularis obſervantiæ ubilibet conſiſtentia, ad quæ per Generalem Miniſtrum ejuſdem Ordinis te tranſmitti contigerit, cum quatuor vel quinque Fratribus dicti Ordinis & prædictæ obſervantiæ, per te pro tempore eligendis, quos tu in ſocios tuos libere eligere, & dimittere poſſis, quando & quoties tibi videbitur, volumus, ac tibi harum ſerie concedimus accedendi, & inibi cum ſociis hujuſmodi pro tempore, de quo, & quibus etiam tibi & prædicto Miniſtro videbitur, commorandi, ac alias juxta conſtitutionem fel. rec. Bonifacii Papæ Octavi prædeceſſoris noſtri, quæ incipit:* Super cathedram, *in Concilio Viennenſi innovatam, in Eccleſiis, ſeu locis vel plateis communibus Clero & populo publice prædicandi, & proponendi verbum Dei, aliorum quorumvis ſuperiorum dicti Ordinis & regularis obſervantiæ licentia deſuper minime requiſita, plenam & liberam licentiam concedimus, pariter & facultatem; teque & ſocios prædictos interim a quorumcumque inferiorum prædicto Generali Miniſtro ſuperiorum ipſius Ordinis & regularis obſervantiæ obedientia ac ſuperioritate, & poteſtate eximimus penitus & liberamus. Mandantes diſtrictius in virtute ſan-*

ſanctæ obedientiæ, & ſub excommunicationis pœna, quam ipſo facto contrafacientes incurrant, & a qua non niſi a nobis, vel ſucceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus canonice intrantibus, præterquam in mortis articulo conſtitutus, quis abſolvi poſſit, tam Citramontano quam Ultramontano Generalibus Vicariis, necnon omnibus & ſingulis Provincialibus Miniſtris, Cuſtodibus, & Guardianis, illorumque Vicariis, aut ceteris Fratribus dicti Ordinis, quatenus te dictoſque ſocios in eorum Conventibus, domibus ſeu locis benigne recipiant, & ſincera in Domino caritate pertractent, nec te, quo minus cum dictis ſociis inibi morari, & verbum Domini publice proponere ac prædicare, juxta licentiam per nos tibi conceſſam prædictam libere & licite poſſis & valeas, aut te dictoſque ſocios, in te vel illos, ſeu aliquem veſtrum aliquod dominium, juriſdictionem, ſuperioritatem, vel poteſtatem exercere, vel alias quomodocumque vexare, moleſtare, vel perturbare per ſe vel alium ſeu alios, directe vel indirecte, quovis quæſito colore, occaſione, vel cauſa aliquatenus præſumant: decernentes ex nunc omnes & ſingulos proceſſus, & excommunicationes, aliaſque ſententias, & cenſuras eccleſiaſticas, quas haberi, & quas promulgari, & quidquid per ſupradictos Provinciales Miniſtros, Cuſtodes, Guardianos, illorumque generales Vicarios & Fratres prædictos, vel aliquem eorum contra te fieri ſeu attentari, quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit, irrita & inania, nulliuſque roboris vel momenti. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus, ac privilegiis, ac litteris Apoſtolicis, ac præſertim per nos & fel. rec. Eugenium Papam IV. prædeceſſorem noſtrum editis, aut Fratribus de Obſervantia prædictis conceſſis, ipſorumque Ordinis & Obſervantiæ juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtabilimentis, ſtatutis, & conſuetudinibus, quibus omnibus & ſingulis, etſi quoad ipſorum derogationem de illis, eorumque totis tenoribus de verbo ad verbum ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa, non autem per generales ſeu alias expreſſam mentionem importantes clauſulas, mentio habenda, ſeu alia quævis ſpecificatio facienda eſſet, illorum tenores, ac alia ſupradicta præſentibus pro expreſſis habentes, quoad præmiſſa dicta auctoritate, & ex certa ſcientia, harum ſerie expreſſe derogamus, atque pro infectis habemus, illis alias in ſuo robore permanſuris, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo &c. contraire. Si quis &c. incurſurum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLIV. III. *Kal. Junii, Pontificatus noſtri anno* VIII.

XXV. Commovit valde Conſodales hæc tanta Roberti a ſuis Superioribus exemptio, & ægre nimis quo volebat cum tanto comitum numero abeuntem in ſuis domibus recipiebant, ſed & ægrius commorari volentem retinebant. Horum nihil ſcientes Fratres Vicariæ Boſnenſis, ſed putantes quiete cum Obſervantibus vixiſſe, in ſuum elegerunt Vicarium. Miſſis, qui electionem Vicario Generali referrent, & confirmationem peterent, hoc datum eſt reſponſum.

Licienſis eligitur Vicarius Boſnæ.

Vicevicario & Fratribus Boſnæ.

Ibid. fol. 21. *Reverendi ac venerabiles in Chriſto Patres, plurima ac ſalubri commendatione præmiſſa. Pauculis elapſis diebus, quibus me huc Romam contulerim, quoſdam ex veſtris Fratribus, Valentinum ſcilicet & Eliam inveni, qui mihi retulerunt, vos fratrem Robertum de Licio in Vicariæ veſtræ capitulo nuper celebrato in veſtrum Vicarium delegiſſe, quique a me veſtro nomine*

ne

ne efflagitabant, non ut illum ego ipſe ad Vicariatus officium confirmarem, ſed quod cum ſollicitudine curare velim, ut a Reverendiſſ. P. Miniſtro Generali confirmaretur. Cum vero hoc audiſſem, vos ſtatim ignorare putavi, quo pacto illius agantur negotia, & cum nonnullis jam tranſactis menſibus quamdam bullam impetraſſe, qua non a mea tantum, ac Vicarii Generalis Ultramontani obedientia, verum etiam cunctorum Miniſtrorum, Vicariorumque Provincialium, & Cuſtodum, necnon & Guardianorum ſe penitus abdicavit. Quamobrem non poſſum certe non exiſtimare, ſi modo illum a familia noſtra ſegregatum dignoviſſetis, minime talem electionem a vobis factam fuiſſe, & hoc certe mihi perſuadere poſſum. Cum autem profecto meæ obedientiæ, & aliorum ſuperiorum qui antehac univerſæ familiæ noſtræ Citramontanæ præfuerunt, vos ſemper expeditiſſimos atque ceteris in rebus ipſius familiæ recte & ſalubriter indefeſſa opera ſemper egiſſe perſpectum habeam; mihi viſum fuit non debere me huic veſtræ petitioni obtemperare, nec oviculas meas illi ſubjicere aut commendare, qui mihi minime ſubeſt, cuique nequaquam præcipere valeo; quoniam ſi illas paſtori ab ovili ſejuncto committere curarem, eas quoque de noſtro ovili privare exiſtimarem. Quapropter his veſtris Fratribus Valentino & Eliæ ad meritum obedientiæ ſalutaris injunxi, ut ad Vicariam veſtram & ſuam redeant; ipſi namque de voluntate mea, aliiſque nonnullis rebus circa hoc, quas brevitatis cauſa prætereo, non mediocriter informati, vobis fideliſſimis Patribus ac Fratribus meis in Chriſto aliqua meo nomine exponere & injungere habent. Nunc autem expedire puto, ut mihi videtur, vos ſub regimine hujus veſtri Vicevicarii, quem etiam per alias litteras meas, ſibi per memoratos Fratres porrigendas, in ipſa veſtra Vicaria Commiſſarium meum inſtitui, perſeverare debere, uſque dum in capitulo veſtro proxime futuro alius regimini veſtro Vicarius idoneus eligatur &c. Valete ex Aracœli XVI. *Januarii* MCCCCLV.

XXVI. Turcis Hungariam invadentibus, & Raſciam primo quoque tempore aggreſſuris, Georgius Deſpotus cum uxore & liberis in Hungariam aufugit. Multa ab ipſis Raſcianis paſſi Minoritæ, a Vicaria Boſnenſi & provinciis Hungariæ ac Poloniæ per Capiſtranum pridem, & dudum per Jacobum Picenum miſſi: graviora mala & ultimum exterminium, ipſamque mortem certo a Turcis paſſuri, trementes ac pavitantes cogitabant ab illa provincia recedere, & quas acquiſierunt domos inter efferam gentem, ſchiſmate convulſam, Græcanicis aliiſque turpiſſimis erroribus involutam, penitus deſerere. Multa magnaque in gentis converſione illic præſtiterunt, inviſis ſemper & adverſis Calogeris ſeu ſacerdotibus, quorum ſuggeſtionibus frequens inſurgebat in Fratres perſecutio, ex quibus Raſciani multos conjecerunt in vincula, & duos in villa Pudinæ crudeliter transfigentes interemerunt, Georgium Haramich ſacerdotem, & laicum Adrianum. Illorum vices dolens Marcus Vicarius, conſolatorias miſit litteras ad martyrium excitans, turpe dicens in ſacro certamine fuga ſalutem comparare. Ecce litterarum exemplar.

Multa paſſi Minoritæ inter Raſcianos.

Amantiſſimis in Chriſto Fratribus per Raſciam conſtitutis.

XVII. *OB atrociſſimam rerum omnium colliſionem, hujus noſtræ miſerabilis Italiæ populorum flagella, & ob indignantis Dei omnium percuſſionem, magis magiſque in dies reddebar afflictior, ſed a vobis nuper advenientes Fratres auxerunt mihi triſtitiam, auxerunt acerbitatem atque dolorem, quod vobis nihil aliud ſuperſit quam ſummus terror, atque* va-

Ibid. fol. 16.

Eos hortatur ad patientiam Vicarius generalis.

calamitas; vos trepidos, mœstos, atque concussos inopinatam repentinamque pavescere mortem: quæ inauditæ tremendæque divinæ percussiones non plus vobis quam nobis essent miseriores, quæque si irrogentur, non nisi divinitus irrogata esse credendum est. Ecce verbera desuper & flagella non desunt: breviatur in dies singulos, & decrescit ac deficit, quidquid prius in hoc seculo sublime ac magnum videbatur; & adhuc major viget in hominibus audacia facinorum, & struendi argenti atque auri sacra fames. Indignari ergo videtur Altissimus Omnipotens, & nefanda mendaciorum, libidinum, fraudium, crudelitatis, impietatis, furorisque increpare, quia inter tot flagella, inter tot plagas, inter tot fulgura non est, qui eum irritare desinat; non est ex tam multis sceleratis, qui ad innocentiam convertatur, & timeat in terris. Senescit jam mundus, & ejus cuncta pretiosa degenerant, ejusque vires jam enervatæ, vigor ac robur mundi labuntur, ejus omnis decor & pulchritudo elanguit: hæc jam huic miserabili mundo sententia & lex data est, ut infirmentur fortia & magna imminuantur, & omnia in defectionem veniant & finem. Si vero omnia hæc arbitrio & nutu ejus geruntur, sine cujus voluntate nec arboris folium cadit in terram, nec quidquam potest fieri, nisi quod aut fecerit, aut fieri ipse permiserit. Quid est quod vos, qui præ ceteris viventibus in pericula, calamitates, & mortes irruere debetis, præ ceteris aufugere tentatis? Quid est quod cor vestrum a tanta gratia subvertit & deprimit? Quid est quod vos martyrii palmam, quam etiam scelerati optant, parvipendere suadet? Quomodo pertinet hoc ad Christianos? quid ad Dei servos? quid ad eos, quos paradisus invitat, quos gratia omnis & copia regni cœlestis expectat? Clauduntur enim oculi in persecutionibus, sed patet cœlum; minatur diabolus & Antichristus, sed tuetur Christus Jesus; mors infertur, sed immortalitas sequitur; occiso mundus rapitur, sed resuscitato paradisus exhibetur; vita temporalis extinguitur, sed æterna reparatur. Quid ergo timetis? quid lugetis? quid trepidatis? Utinam & ego adessem, ut vobiscum huic tam pretiosæ morti succumbere possem. Peremitur immortalitas, per quam pretiosissimo Christi sanguine accipitur corona de conservatione virtutis. Non ergo mihi videtur, ut inde quisquam vestrum abscedat, aut locum relinquat usque ad nostrum generale capitulum, hoc anno MCCCCLIV. *in solemnitate Pentecostes Bononiæ celebrandum, in quo tunc decernetur, qui ad loca, ubi nunc estis, fuerint mittendi, & qui ex vobis inde fuerint evocandi, dummodo ad illud ipsum capitulum quid velitis, scribere curetis. Ne ergo, quæso vos dilectissimos Fratres meos & Patres, in tantum Religionis dedecus ante præfatum tempus inde abscedatis, sed omnium vestrum alter alterum instruat, hortetur, inflammet ad majora quæque sustinenda, quæ parata sunt, quia quo longior atque acerbior nostra confessio vel pugna est, hoc & corona sublimior. Ex corde loquor: vellem astitisse, ut videre possetis non ea me loqui, quæ & experiri nollem. Quare loca, quæ adhuc nostra sunt, ne deserantur, nisi magna vis compellat, oro. Tu vero mi Pater Vicarie, si quid aut pro te, aut pro minimo tuorum efficere vel hic, vel alibi possum, quamprimum scribe. Ex loco nostro Bononiæ* XXV. *Martii* MCCCCLIV.

Multa decernit Vicarius generalis.

XXVIII. His aliisque, qui in partibus Orientalibus inter armorum strepitus, & Turcarum feritatem habitabant, confirmandis, liberandisque sexdecim Fratribus, qui e strage, & captivitate Constantinopolitana superarant, Vicarii Orientalis Commissarium instituit Jacobum Primaditium. Michaeli Mediolanensi, egregio Prædicatori, ad preces Principis & populi Mantuani ea in urbe evangelizare præcepit. Damianum Patavinum magnopere a litteris, virtute, dicendi facundia commendat, & Florentiæ insti-

tuit

Anno Christi	Nicolai V.	Friderici III. Imp.	Religionis Mino-
1454.	anno 8.	anno 15.	rum anno 247.

tuit eccleſiaſten. Vicario provinciæ Romanæ ſcripſit, ut inutiles diſcurſus Fratrum cohiberet, neque adeo facilem in Urbem præberet aditum; hoſpites vero, qui negotia Ordinis vel provinciarum curabant, comiter & peramanter a Guardiano Conventus Aracœli juberet haberi, nec ei liceret rebus infectis abſque Procuratoris ſcitu e conventu abigere. Quanta etiam eſſet ejuſdem Procuratoris, & Curiæ Commiſſarii in hoſpites auctoritas, voluit declaratum; ſcilicet ut omnem circa eos exerceret poteſtatem, quam ipſe, ſi adeſſet, haberet Vicarius Generalis: ſolum illa negatur poteſtas transferendi Fratres ab vna in aliam provinciam, neque licebat quidpiam circa hoſpites provinciæ Romanæ diſponere, qui omnimodæ diſpoſitioni & correctioni Vicarii ejuſdem provinciæ ſubjiciebantur. Religioſum quemdam provinciæ Bononienſis, qui curam admiſit quarumdam Monialium alterius Inſtituti, graviter reprehendit, palamque oſtendit, quam ægre ſentiat, Fratres regimini ſive noſtrarum, ſive aliarum quarumcumque ſororum immiſceri.

XXIX. Jacobus Picenus hoc anno totus intentus componendis diſcordiis quibuſdam Firmanorum, & populo ſancti Elpidii inſtruendo, non potuit urbis Aſculanæ ſibi gratiſſimæ votis ſatisfacere. Summopere enim docentem audire cupiebant: id natalitii quodam jure, (prope enim exortus Jacobus) & conterranei titulo ſibi præ omnibus deberi contendebant, repetitiſque precibus tam ſuis, quam alienis expoſcebant. Suos Oratores miſerunt ex primoribus duos, datis litteris, quibus teſtificabantur, tanta ſpei ſuæ dilatione cives vehementer affligi, & populum mentis amaritudine continuiſque lacrymis cruciari. Tamdem ſub anni finem plene votis ſatisfecit, magnumque animarum lucrum reportavit. Jacobus Picenus prædicat Aſculi.

XXX. Jacobus Boſolinus de Mozanica, Vicarius generalis totius Ordinis, indixit comitia generalia die VII. Junii Bononiæ celebranda. Marcus Vicarius Obſervantum timens, ne aliquid ſtatueretur contra commiſſum ſibi gregem, præcepit, ut omnes Provinciarum Vicarii convenirent ad ſancti Pauli extra urbem prædictam. Ex inſolita tantæ multitudinis convocatione timens Jacobus, aliquid contra ſe aut electores cogitari, obtinuit ut Pontifex peculiari diplomate Marcum moneret, ne quid novi moliretur, ſed ut omnia pacifice & fraterne tranſigerentur, Jacobo aſſiſteret, & ad bona quæque cooperaretur. Omnia quiete peracta ſunt, univerſis ſuffragiis Jacobo in Miniſtrum Generalem aſſumpto. Vir erat doctus, rebus magnis aggrediendis & peragendis aptiſſimus. Toto ſui regiminis tempore ſummopere contendit, in unum corpus univerſos Franciſcanos reducere, & ſuæ poteſtati Obſervantes ſubjicere. Nihil pro hac re aſſequenda, ut ex dicendis conſtabit, intactum reliquit; ubique vel in itinere, vel in quiete apud Obſervantes declinans, ſive uniendæ Religionis deſiderio, ſive ampliandæ poteſtatis affectu. Statim ut electus eſt, Joannem Capiſtranum commiſſi ſibi muneris admonuit, atque ut ille ſuæ familiæ Fratres hortaretur ad obediendum ſibi in omnibus, multis rationibus ſuadere contendit, eam potiſſimam ſubjungens, non ſibi fr. Jacobo, ſed ſancto Franciſco Ordinis inſtitutori omnem hanc obedientiam exhiberi. Capitulum generale Bononiæ 87. Jacob. de Mozanica Miniſter generalis. Scribit ad Capiſtranum.

XXXI. Solutis comitiis, etiam Vicarii Obſervantum ad propria remearunt, nullo celebrato Capitulo, neque edito ſtatuto. At Ultramontani in Conventu Baſileenſi provinciæ Argentinæ ſub feſtum Pentecoſtes generalem cœtum habuerunt, in quo poſt abſolutum triennium Theodorici Aurigæ, ſubſtitutus eſt Joannes Quieſdeber, Provinciæ Franciæ Vicarius, vir doctus & ſui ſtatus zelantiſſimus. Multa hic decreta ſunt, quæ in ſuum locum Capitulum generale Obſervantum Ultramontanum. Vicarius generalis Jo: Quieſdeber.

cum reſervamus. Miſſis, qui electionis acta ad Miniſtrum Generalem perferrent, confirmari ſupplicavit Joannes; ſed longa mora, fictiſque coloribus ille confirmationem diſtulit, donec tamdem a Pontifice monitus conceſſit. Ejus cauſam juvit Capiſtranus, ad quem Joannes binas dedit totius rei narrativas. Nihil Miniſtri Generalis moræ, aut tergiverſationes a regimine ſuſcipiendo retardarunt, dum ſibi licuit juxta Eugenii conſtitutionem poſt triduum a præſentatis actis, etſi Miniſter Generalis confirmationem negaret, auctoritate Apoſtolica regimen ſubire.

In nova Provincia Auſtriæ &c. celebratur capitulum.

XXXII. Anno præterito indixerat Viennæ Capiſtranus capitulum novæ provinciæ, ex domibus a ſe in Auſtria, Boemia, Moravia & Sileſia conſtructis compactæ, in quo creatus eſt Vicarius Gabriel Mutinenſis, vir religioſus & rigidæ diſciplinæ. Statuta edidit aliquanto ſevera, per quæ regulæ jugum ſatis oneroſum, amplius aggravavit. Poſt acquiſita alia domicilia, hoc anno Uratislaviæ comitia celebravit Capiſtranus, additiſque novellæ provinciæ domo Cracovienſi & aliis, Mutinenſem deprecantem a munere abſolvit, ſubſtituto Chriſtophoro de Variſio, viro probo, Theologiæ & utriuſque juris perito. Temperavit hic prædeceſſoris rigorem & ſtatuta mitigavit, ac prudentem concinnavit vivendi formulam, ab omnibus, præſertim a Polonis approbatam. Orta demum inter Auſtriacos & Hungaros Fratres controverſia, maxime ex idiomatum differentia exorta, Capiſtranus in Hungariam undecim tyrones duce Mutinenſi tranſmiſit. In regreſſu hoc ipſo anno coactus eſt iterum Vicariatus munus ſubire propter Variſii infirmitates in regimine contractas. Rediit ad ſolitum rigorem, arguentibus dicens, in illo rerum principio neceſſarium, maxime in gente molli & frigida, duriori vitæ non aſſueſacta.

Ex Chron. Mſ. SS. Polon.

Obſervantes permittunt Conventualibus cuſtodiam corporis S. Bernardini.

XXXIII. Dixi conſtitutos a civibus Aquilanis ſancti Bernardini corporis cuſtodes Fratres Obſervantes. Verum etſi ſacratiſſimum pignus plurimi facerent, non tamen abſque moleſtia & tædio in alienis ædibus habitabant, & in anguſto ſacello divina perſolvebant officia. Ex converſatione & commoratione cum Patribus Conventualibus aliquid adhærebat indulgentioris vitæ. Statuerunt itaque poſt decennii cuſtodiam, corpus prorſus relinquere Conventualibus. Ita porro decretum in capitulo Obſervantum provinciæ Aprutinæ, prope Sulmonem ad ſanctum Nicolaum coacto, conſentientibus præcipuis Patribus Bernardino de Foſſa, Liberato de Aquila, Franciſco de Pizzulo. Impetranda prius erat licentia Rectorum urbis, qui quinque artium nuncupabantur, quam illi conſtanter & indignabunde negaverunt. Ut facilius darent, Miniſter Generalis a ſuis præmonitus, illius Cœnobii incolas omnes inſtituit, qui ab Obſervantibus tranſierunt, præſecitque Laurentium de Apulia, qui a Conventualibus ad Obſervantes abiit, deinde ab his ad illos regreſſus eſt. Cœperunt Obſervantum modo vivere, modeſtius incedere, parcius agere, longius orare, eaque æmulari chariſmata meliora, quæ civium poſſent animos flectere, ut ſibi corpus crederetur. Durius deinde agebant cum Obſervantibus corporis cuſtodibus, ut moleſtiarum pertæſi facilius recederent. Nihil iſta commoverunt cives ad aſſentiendum: qui firmius in ſententia perſiſtentes, decreverunt inſigne ſacellum in eadem Eccleſia Conventualium corporis depoſito fabricare.

Non id placet Magiſtratui Aquilano.

Capiſtranus urget conſtructionem templi S. Bernardini.

XXXIV. Sed ecce ſuperveniunt Capiſtrani graves & increpatoriæ litteræ, Cracoviæ ſcriptæ, quod nobiliſſimum ſibi creditum theſaurum minus æquo exiſtiment, quod ædificandæ Eccleſiæ a ſe conſtitutum reſcindant, quod cœleſtium indignationem non perhorreſcant. Quinque millia aureorum operi inchoando ſe ab Alphonſo Rege impetraſſe, reliqua debere viros

adde-

addere, tot acceptis a Bernardino beneficiis devinctos. Quod ſi non faciant, magnas prædicit tribulationes & calamitates. Lectis his litteris, omnes timere, omnes lacrymari, omnes errati veniam a Bernardino deprecari; ſtatimque ad monita Capiſtrani, quem ſumme venerabantur, decreverunt alias ſtatutis inhærere, & templum Fratrumque ædes contiguas conſtruere. Vocatus operi præſcribendo, & ſolemnius inchoando Jacobus Picenus, Capiſtrani conſodalis & amicus, qui XXVIII. Julii in area ſancti Franciſci habita concione, lectaque publice epiſtola Capiſtrani ita populum ad lacrymas commovit, ut Chriſti propoſuiſſe paſſionem in die Paraſceves videretur. Ut e ſuggeſto deſcendit, pingues factæ ſunt oblationes, deſtinatuſque locus templi fabricandi. Paulo poſt inſtituta ſolemni ſupplicatione, Rectores urbis, & Clerus, præferentes nobili apparatu Viri ſancti imaginem, pervenerunt ad aream futuri templi, in qua beatus Jacobus deſignato in crucis modum fundo extruendæ Eccleſiæ opportuno, ad crucis verticem ſarculo terram effodit in nomine Patris, ad dexteram in nomine Filii, ad ſiniſtram in nomine Spiritus Sancti, in medio beatæ Virginis Mariæ, ad pedem in nomine ſancti Bernardini. Urbis Camerarius eumdem imitatus ſimiliter fecit, deinde Comes Aquilanus. Sic magno jubilo, multiſque lætitiæ piæque liberalitatis indiciis inchoatum eſt auguſtiſſimum templum, anno, quo abſolutus eſt, a nobis amplius deſcribendum.

Inchoatur.

Anno 1472.

XXXV. Ipſo hoc anno Vir ſanctus inſigne patravit miraculum in urbe Meduntæ juxta Sequanæ flumen in Gallia, diœceſis Carnotenſis, Officialis, Archidiaconi Piſſiacenſis, & duorum notariorum, nobilium virorum, & religioſorum ſigillis & ſyngraphis approbatum & confirmatum, in Eccleſia collegiata beatæ Mariæ Meduntenſi. Abortive nata quædam infantula mortua, deducta ad altare ſancti Bernardini, ejus meritis & interceſſione revixit, & ſacro lavacro ab originali expiata, indito Bernardinæ nomine, paulo poſt animam Deo, qui mirabiliter denuo infuderat, reſtituit, vitæ cœleſti cum eodem gaviſura. Multa alibi quotidie patrabat miracula, propter quæ plurimis in locis ei conſtruebantur integræ Eccleſiæ vel pulchra ſacella. Duo refert Pontifex hoc anno in ejus honorem fabricata, unum Pinaroli, Taurinenſis diœceſis a Giraldo de Torquetis; alterum Venetiis in Conventu ſancti Job, a nobilibus viris, maxime a Chriſtophoro Mauro, hoc anno Reipublicæ Venetæ apud Pontificem Oratore, magnis ſumptibus conſtructum. Utrumque locum viſitantibus Pontifex magnas Indulgentias conceſſit. Omnes ferme Italiæ civitates, apud quas Bernardinus prædicaverat, & miracula patraverat, aliquod hujuſmodi ſuæ gratitudinis monumentum poſuerunt.

Gonz. in Prov. Franc. Conv. 19.

Idem. Mſ. SS. ejuſd. Provinciæ.

S. Bernardinus mortuam reſuſcitavit.

Multæ conſtruuntur aræ in ejus honorem.

XXXVI. Objit hoc anno Polidorus Romanus, vir notiſſimæ virtutis & ſanctitatis. Genere nobilis, ſpecie decorus, ſtatura procerus, aſpectu venerabilis, legum peritia aliiſque diſciplinis inſignis, Senatoria dignitate, multarumque urbium Præfectura conſpicuus, elegit abjectus eſſe in domo Dei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum. Senenſis urbis dum eſſet moderator, audita Thomæ Florentini, cujus virtutem & geſta alias enarravimus, ejuſque diſcipulorum vita admiranda, ſtatuit per omnia æmulari. Vocatum ad ſe Thomam ex propinquo Scarlini Cœnobiolo, interrogat de ſui ſuorumque Inſtituto. De omnibus edocto firma ſubjit cogitatio ſe pio huic cœtui aggregandi. Accepto itaque ſui muneris ſucceſſore, rebus ex integro compoſitis, facultatibus inter filios diſtributis, habitum laicalem ſeu converſi in prædicta ſuſcepit ædicula. Humilitatis adjudicatus officiis, omnia promptiſſime humiliterque peregit. Stabularium demum ac hor-

Moritur Fr. Polidorus Romanus.

Marian. l. 5. c. 27. Marc. part. 3. d. 3. c. 40. Gonz. in Prov. Tuſc. Conv. 11. Tom. 11. anno 1447. num. 20. & ſeq.

Quis & qualis fuerit.

hortulanum ſub diſciplina Antonii laici eum Thomas præſes inſtituit, quo in munere ædificata ſibi in horti angulo anguſta caſella, ad mortem uſque perſeveravit.

XXXVII. Corpus miris modis affligebat, ſpiritum aſſiduis orationibus in Deum dirigebat, ſæpius e terra ſublevatus. In ſuo tuguriolo multoties conſpexit ſanctam Mariam Magdalenam, & D. Franciſcum ſibi familiariter alloquentes. Hominum conſortium diligenter fugiebat, etſi multi viri nobiles Romani, Etruſci, & alienigenæ virum in ſeculo illuſtrem, extra ſeculum illuſtriorem viſum confluerent. In ſenectute bona levi febre correpto apparuerunt ſanctus Franciſcus, D. Antonius, & B. Thomas ſupradictus, a Scarlino ob longum incolatum cognominatus, certamque glorlæ cœleſtis mox ſecuturæ ſpem indiderunt. Paulo poſt decedens, ſepultus eſt in Eccleſia ſanctæ Firmæ prope ſepulcrum Lanceslai Hungari, a nobis alias commendati.

Tom. II. anno 1445. n. 13.

XXXVIII. Cum ipſo jacet ejus pædagogus Antonius a Sanctæ Reginæ vico prope urbem Senenſem. Velut alter Eliſeus boves & aratrum reliquit, ut novum Eliam Thomam ſupradictum Florentinum ſequeretur. Ab eo in humili Cœnobio Scarlini initiatus, ſummo ſtudio magiſtrum per omnes æmulatus eſt virtutes. Caſtitatem ſolertiſſime ſervavit, paupertatis ſtudioſus nihil præter merum corporis tegumentum admiſit, nudis pedibus & plantis incedens, vigiliis, flagellis, jejuniis carnem edomabat. Singulis annis ſeptem quadrageſimas, a ſancto Franciſco inchoatas, rigoroſe obſervabat, ſolo pane & aqua contentus, intermixto abſynthio. Orationi totum quod horto excolendo ſupererat, tempus erogabat, eoque fervore ut extra ſe rapi, & ſuper proceras arbores elevari aliquando contingeret. Cives Groſſetani ad Cœnobium ſancti Benedicti de Nave, ubi habitabat, venientes, viderunt in via quæ Batignanum ducit, in aere hærentem coram arbore quadam, cujus trunco crux magna erat infixa. In eodem Cœnobio Benedictus Senenſis Guardianus, cui ſummo mane celebranti ſolebat quotidie Antonius inſervire, quodam die tardius accedentem juſſit vocari. Invenerunt e terra ſubtractum, capite laquearia attingentem, miro ſplendore circumfuſum. Vocatus Guardianus & reliqui conſodales diu conſpexerunt nihil ſentientem.

Fr. Antonius a S. Regina.

Marian. & Marc. citati.

XXXIX. In ſuo oratorio, quod in horto conſtruxerat, multas habuit viſiones, & ſanctorum apparitiones, Chriſti Salvatoris, Mariæ Virginis, Mariæ Magdalenæ, Hjeronymi Doctoris, & Bernardini Senenſis. Multoties Antonius e Stronconio, vir ſanctiſſimus, de quo alias dicturus ſum, e ſuo Cœnobio hunc viſurus advenerat, longos & ſecretos cum eo protraxerat ſermones. De religionis ſuperventura tribulatione multa collocuti, aliqua Fratribus prædixerunt, maxime Franciſco Tartagliæ Senenſi Guardiano. Suis orationibus viginti quatuor cives Groſſetanos, ab Alphonſi Aragonum Regis militibus, in bello contra Florentinos ſuſcepto, & in expugnatione Caſtilionis de Piſcaria captos, a vinculis liberavit. Nicolæ de Plumbino virum Tuneti captivum, exiguo quadraginta florenorum pretio redimendum dixit. Miſſa itaque pecunia, ſtatim miro quodam modo liberatus eſt. Baptiſtam Miſſum Scarlinenſem ſanguinis fluxu animam agentem, a medicis deſperatum, crucis ſigno perfecte ſanavit. Alia multa patravit miracula, temporis injuria & Fratrum incuria neglecta.

Anno 1471.

Redal. fol. 100. Marian. citat. c. 28. Marc. cit. c. 41. Legenda M. SS. B. Franciſcus Ticinenſis.

XL. Hoc anno deceſſit beatus Franciſcus Ticinenſis ſive Papienſis, vir nobilis, gente Beccaria ortus, militari a juventute exercitus diſciplina, denique ordinum ductor ſub Philippo Maria Duce Mediolanenſi, ac demum

mum religioſiſſimus Minorita. Etſi longo tempore militaverit, & quæ militaris ſuadet libertas, effecerit; tria tamen hæc diligenter obſervavit; ne injuſte aut violenter aliena raperentur; ne mulierum pudicitia violaretur; & ne pauperibus miſericordia negaretur. Occurrit ei ſemel pulcherrimus adoleſcentulus ſciſſis veſtibus, cruentatis cruribus, pedibus nudis, petiitque aliquid conferret, quo nuditatem obtegeret, addens forte ſe aliquando beneficio ſatisfacturum. Protinus Franciſcus caligas largitus, dum alia parat tribuenda, cui tribuat, non intuetur. Longe lateque circumſpicit, diligenter perquirit, nec poteſt invenire. Poſtquam mundo valedixit, & in religione profecit, Chriſtum ſub adoleſcentis forma latuiſſe, monſtratis ſibi caligis cœlitus intellexit. In ſeculo nobilis & miles.

XLI. Nocte ſequenti cum in cubiculo ardentiori oraret affectu, totum vidit magno ſplendore perfundi, & mox apparere Chriſtum Dominum pro tribunali ſedentem, collaterales adſiſtere Mariam Virginem, Joannem Baptiſtam, Franciſcum Aſſiſiatem, & famulantem Angelorum multitudinem; e latebris deinde dæmonem prodiiſſe, & ſuo veluti jure popoſciſſe tradi ſibi hominis iſtius animam tot peccatis implicitam, quot ipſe militeſque ſui in caſtris domique commiſerunt. Omnibus longa ſerie relatis, inſtabat juſtam proferri ſententiam. Divi adſiſtentes quos a multis annis Franciſcus elegerat advocatos, ne proferretur, impetrarunt, objectis, quæ fecerat, bonis operibus, allegato etiam ſuſcepto a ſe hominis patrocinio. Juſſus ut pœniteret, abeuntibus Cœlitibus, ignitum concepit pœnitentiæ deſiderium, ſerioque cogitabat, quem ſibi vitæ ſtatum deligeret. Ne religioſis votis ſe Deo omnino ſacraret, vincula retinebant matrimonii, neque facile adduci potuit uxor, ut aſſentiret. Tamdem poſt triennium illa annuente, & monaſticam ſubeunte vitam, quam ipſe religionem aſſumeret expendenti, in viſu & auditu arcano dictum eſt, ut *cæcorum ordinem* ingrederetur. Obſcurum oraculum non percipiens oravit, quodnam hoc eſſet Inſtitutum, declarari. Secundo dictum, eorum eſſe, qui primi præ foribus adeſſent die ſequenti. Summo mane acceſſerunt Minoritæ duo eleemoſynam petituri, quo manifeſto indicio percepit, hoc ſibi præſcribi vitæ Inſtitutum, proinde *cæcorum* dictum, quia veri Minoritæ avertunt oculos ſuos, ne videant vanitatem, & eruunt, ne ab ipſis ſcandalizentur juxta Salvatoris conſilium; norunt enim quam periculoſa & importuna ſit oculorum concupiſcentia. Mirabili viſione convenitur. Monetur ut aſſumat inſtitutum S. Franciſci. *Matth.* 5. 29.

XLII. Omnia hæc profunde cogitanti, & in campis obambulanti occurrerunt tres ſpecioſi adoleſcentes, per omnia ſimiles, ejuſdem ſtaturæ. Humaniter ſalutatos interrogavit, quo proficiſcerentur? Reſpondentibus per illam viam paululum proceſſuros, ſe comitem adjunxit, illorum verbis mirabiliter confortatus. Parum collocuti evanuerunt ex oculis ejus, admiratione & conſolatione repleti. Revelatum poſtea, ſacræ Triadis fuiſſe perſonas, quod ille facile credidit, recordatus ſacrarum cogitationum, quas ſuis indiderant alloquiis. Apparet ei S. Trinitas.

XLIII. Reſciſſis itaque omnibus, quæ volentem retardabant, vinculis, uxore in Monaſterium præmiſſa, ubi ſancto fine quievit, venditis facultatibus, & in pauperes diſtributis, Minoritis adhæſit. Præcipuas aſſecutus virtutes, obedientiam præ omnibus coluit, vere cæcus effectus, nihil videre cupiens, neque ſcire volens, quam quod a ſuperiore dicebatur. Quare vero dixerit, vel unde præceperit, numquam interrogavit. Non majoribus ſolum, verum etiam minoribus ſe humiliabat, & ne inter ſuos honorificentius haberetur, ad alienas petiit mitti provincias. A Mediolanenſi ad Umbriam, ſive ſancti Franciſci translatus, tyronibus & Fratribus interrogantibus Fit Minorita. Verus obediens.

tibus, quid præcipue facerent, ut Deo magis placerent? dicebat: *Inclinate capita veſtra: in hoc eſt ſumma perfectio noſtra, quia verus obediens errare non poteſt. Obedientiæ virtus, reliquarum fundamentum eſt, & altrix: nihil vere obedienti deeſt perfectionis. Ego*, inquit, *pluris facio perfectum obedientiæ ſectatorem, quam miraculorum conditorem, etiamſi mortuos revocaret ad vitam. Nihil tutius quam in manibus emori ſuperioris; certum eſt quod feliciorem reſurgetur ad vitam.*

Ei obtemperant animalia. *Aug. de Civit. Dei l. 14. c. 11. Idem de Gen. ad litt. l. 9. c. 12.*

XLIV. Ita perfecte propter Deum hominibus obedienti animalia omnia prompte obſequebantur, & quæcumque ad ſe vocabat, ſive volucria ſive quadrupedia abſque mora accedebant. Cum protoplaſto parente ante præcepti tranſgreſſionem *animalia ſubdita & innoxia verſabantur*; ſed dum creatoris ſui mandatum præterivit, ab inobediente ſubdito ſubdita receſſerunt: *Quid hac pœna juſtius, quam ut non ad omnem nutum ſerviat animal Adamo, ſicut domino ſuo ipſe detrectavit ſervire?* ſi obedientiæ ſuave jugum non excuſſiſſet, neque animalia imperium ejus detrectarent. Franciſco itaque perfecte obſequenti obſequuntur & feræ, & quanta ſit obedientiæ virtus oſtendunt. Ad oratorium Eremitæ prope Porcariam commoratus, excepit ruſticorum querelas, nihil ſibi ab immani lupo tutum, neque ſe, neque pecora, neque jumenta, neque quidquam viventium. Per nemus ambulanti occurrit rabidus lupus, & tamquam dominum reveritus ſubſtitit. Ille ferum hunc & prædabundum populis adeo inviſum eſſe ſuſpicatus, tamquam rationis capacem alloquitur, reprehendit, & morte dignum pronunciat; quod ſi malorum præteritorum pertæſus alia non committat, dicit ſe parciturum. Lupus inclinato capite, corporiſque motibus pœnitentiam præferens, veniam videbatur expoſcere. Ut ſe rediturum expectaret, præcipiens vir Dei, abjit celeriter ad Cœnobiolum, ſuoque diſcipulo, quod comederet, eduxit: *Novi*, inquit, *rapinæ tuæ cauſam, eſuriem ſcilicet; duxi itaque hoc ad te edulium, ut hilarius meum excipias mandatum: manduca, ſed ab omni hac regione recede, atque in aliis cave, ne hominibus aut pecoribus damnum intuleris, alioquin quam nunc evadis, mortem non effugies.* Abiit, neque amplius auditum eſt, cuiquam damnum intuliſſe.

Lupum rapacem cicurat.

Humilitatem fectatur.

XLV. Humilitas, obedientiæ germana, adeo ſui juris Dei ſervum effecit, ut nihil inter mortales excelſum, nihil inſolens aut ſuperbum cogitaret; imo ne vel minima ſuperbiendi ſubeſſet occaſio, licet Latine ſufficienter eſſet inſtructus, noluit ſacris initiari Ordinibus, ſolis minoribus plene contentus. Aſſidere numquam voluit ſacerdotibus, neque præire in menſa in ſacris conſtitutos. Presbyteris ſacra facientibus ſumma humilitate reverenter inſerviebat. In omnibus humilitatis officiis indiſcriminatim ſe exercebat, nec quidquam ei magis gratum quam in iſtis occupari. Otioſum nemo vidit vnquam, neque alios a bono feriantes patienter ferebat. Horum conſortium jubebat vitari, ne alios inquinarent. Merito ſane id timebat, quia *otioſi & ignavi homines venenum ſunt civitatis, proni ad libidinem, bonis invident, aliena appetunt, denique ſeditioſi evadunt, & turbulenti.* Si quos videbat tempus in vanis confabulationibus inaniter conterentes, religioſe arguebat, dicens, fratres a Deo vocatos, ut ſuam operentur ſalutem, non ut ignave torperent; tempus breve eſſe, æternitatemque ſuccedere; & ſtultum eſſe, qui brevi levique labore gaudium non acquirat æternum. A longe venientem timebant otioſi, & ad conſpectum ejus vanæ diſſolvebantur converſationes.

Plato l. 8. de republ.

Pauperatis amator.

XLVI. Paupertatis Evangelicæ perquam ſtudioſus, omnia præter vilem & ſegmentitiam veſtem procul faciebat, a ſubditis, quorum curam

age-

agebat, reſecabat ſuperflua, neque domi quidquam volebat, quod præter indigentiam videretur. Erga pauperes, tribulatos, & afflictos viſcera pandebat caritatis, nulluſque ab eo recedebat, cui aliquod non ferret malorum lenimen. Erga alios miſericors, ſecum rigoroſe agebat, cibum omnem & potum præter panem & aquam ſuo negabat corpuſculo alias tenero & delicato; ſeneſcenti & arido parum miniſtrabat juſculi aut pulmenti, & ſi quando ſuperiores præcipiebant, pauculum carnis, aut ovum unum admittebat, frigidamque vino temperabat. Alios autem Fratres amice hortabatur, ut pro ſua quiſque neceſſitate aut complexione diſcrete comederet, dicens regnum cœlorum non in abnegatione potus aut cibi conſiſtere, ſed in operatione virtutum, & propriæ abnegatione voluntatis. A vitiis potius dicebat jejunandum, ab illis præſertim, quæ in clauſtris pullulant frequenter; a temerario judicio, a murmuratione, ab ambitione & livore. Plurimos ab his malis curavit, ſuis conſodalibus religioſo exemplo factus lucidum ſpeculum, & ſacris hortationibus dulce juvamen.

Rigoroſe ſecum agit.

Cum aliis indulgenter.

XLVII. Diei noctiſque horas piis diſtribuit exercitiis orationis & meditationis gratiæ acquirendæ totus intentus. Sine intermiſſione juxta Apoſtoli conſilium orabat: duabus vel tribus horis ante matutinum levi delibato ſomno, in templum deſcendebat, continuo Deum pro ſe & pro univerſo populo Chriſtiano interpellaturus. Media nocte pulſata campana, reliquos Fratres ad Dei laudes excitabat; his finitis, vel remanebat in Eccleſia, vel ad vicinum nemus pergebat, oraturus uſque ad horam Primæ recitandæ deſtinatam. Auditis aliquot Miſſis, ſolitarius in cella, clauſo oſtio, Deo preces fundebat uſque ad horam Tertiam. Abſoluto ſolemni ſacro, & religioſa refectione, utenſilibus lavandis, aquæ bajulandæ, ligno colligendo, domui verrendæ uſque ad tempus inſiſtebat veſpertinum. A veſperis uſque ad Completorium in nemore orabat, vel divina meditabatur arcana. Ab illa hora, & poſt leviuſculam panis ſumptionem, uſque ad ſignum ſalutandæ Virginis Mariæ in Eccleſia perſeverabat. Demum vel ſedens vel male decumbens, ſomno indulgebat breviuſculo. Per omnem fere vitam a religionis ingreſſu hanc vivebat vitam, vitæ contemplativæ præſertim intentus.

In oratione aſſiduus. 1. *Theſſal.* 5. 17.

XLVIII. Tantæ hominis virtuti Satan offenſus multas ei ſtruxit inſidias, & quibus potuit artibus tentavit a perfectionis ſemita revocare. In Eccleſia de Scarzuola ante matutinum ferventer oranti apparuerunt ſpecioſæ puellæ choreas ducentes, inhoneſtiſque actibus ad impudica allicientes. Ille valido clamore Deum in adjutorium vocavit, ſtatuitque firmiter in corde ſuo nihil admittere, quod caſtum corpus temeraret. Immiſſa etiam cœlitus ingens fortitudo, audivit enim ſibi dicentem: *Franciſce eſto conſtans; Chriſti miles non deficiat fides tua; fac viriliter & vinces.* Tamdem ſuperatis non tam robuſtis quam periculoſis hoſtibus, vox altera inſonuit: *Quia Deus te ſtrenuum contra infernales poteſtates bellatorem conſpexit, ſuper eaſdem liberam tibi tradidit poteſtatem.* Hac victoria, & cœleſti gratia adeo ſe ſenſit ſpiritu robuſtum, ut dæmonis artes & tentationes deinceps contemſerit, ingenteſque tanti beneficii gratias reddiderit auctori.

Ei Saran ſtruit inſidias.

Dei adjutorio vincit.

XLIX. In Eccleſia Cœnobioli Carceris in monte Subaſio, qui urbi eminet Aſſiſiati, pro more deprecanti irruebat ſopor, quem ut excuteret, in planitiem proceſſit, ubi plurimos vidit dæmones variis pœnis animam cujuſdam Minoritæ cruciantes. Juſſit ut a torquenda paululum deſiſterent, interrogavitque quis eſſet, aut quæ tot pœnarum occaſio? Reſpondit, ſe Vicarium fuiſſe cujuſdam provinciæ, & pœnas illas ſuſtinere, quia voluit plus homi-

Animam cujuſdam Minoritæ liberat a pœnis.

hominibus placere quam Deo, multaque tulit in Fratribus, quæ non erant perferenda: *Itane*, inquit, *tu ille es, quem omnes bonum & mitem proclamabant, nec tibi quidquam tot Fratrum profuerunt ſuffragia? Imo*, ait, *plurimum adjuvarunt, ne graviora his paterer tormenta. Oro ut alii Fratres adiiciant, ſed tu præſertim, qui Deum poteris mihi reddere propitium.* Multiplicarunt Fratres ſuas orationes, & Franciſcus continuo Deum interpellavit, donec abbreviatis tormentis, in cœlum evolavit.

Rigide inanes abigit cogitationes.

L. Apud civitatem Caſtelli in Cœnobio Bonæ-quietis, dum in nocte Nativitatis Dominicæ myſterium hoc ardenti contemplaretur affectu, tot ei ſuggeſſit Satan cogitationes inanes, ut prima dimiſſa, inconſtantiſſime per alias divagaretur, & quo diligentius multas abegerit, eo plures hoſtis immiſerit. Indignatus ſe levibus telis & quaſi importunis muſcis ſuperari, ſtatuit protinus vindictam ſumere, & in innocuum corpus ſævire. Aſperis flagellis in ſe animadvertit, nec a verbere deſtitit, donec dæmon confuſus abivit, & ipſe ad liberam redivit tanti myſterii contemplationem. Die ſequenti in oratorio quodam in ſilva orantem, ſpecie humana aſſumpta, idem inimicus vanis geſticulationibus, ridiculoſiſque verbis perturbare tentavit. Juſſus abire noluit, ſed amplius infeſtavit. Iratus vir Dei in eum proſiliit, apprehenſumque in terram projecit, & fune quo erat præcinctus verberavit, dicens: *Cruenta beſtia, importune tentator, heri ego tui cauſa flagella ſubivi, hodie te meis manibus oportet ſubire*; neque a verberando deſtitit, donec promiſit ſe numquam deinceps ab oratione turbaturum. Mendacii pater promiſſis non ſtetit: etenim paulo poſt in Cœnobio Spineti orantem moleſtiſſime ſtrepitu, riſu, & variis artibus turbavit. Monuit bis ut recederet, nolenti grave ſupplicium minatus. Tertio orans, fecit ridiculum geſticulatorem in furca ſuſpendi, & graviter torqueri.

Dæmonem in oratione turbantem torquet.

Prævidet & mitigat religioſorum diſcordiam.

LI. Ad Montem Luci prope Spoletum in templo orans audivit magnum armigerantium rumorem. Exivit in campum, ut quid inſolitus & mirus ſonus portenderet, exploraret. Vidit equitum acies continuo præliaturas. Genuflexus Deum oravit, ut quid hæc vellet viſio, apertius ſignificaret. Dictum, equites dæmones eſſe, belli futuri, graviſque in quadam Religione exorituræ controverſiæ incentores. Rogavit ille, ne permitteret Sodalitium illud tot malis concuti, & tribulationibus agitari. Impetravit ut mitigarentur, tribuſque antea annis monuit illius Ordinis profeſſores futuræ calamitatis, quæ tamdem evenit, ſed mitior valde quam dæmones præparabant.

Conſodalem a moleſta liberat tentatione.

LII. Fr. Dominicum a Janua, virum probatiſſimum & pium, terribiliter commotum, in choro agitatum, in altari tentatum, eoſque promentem actus, qui a ſpiritu malo poſſeſſum indicabant, hortati ſunt Conſodales, ut ad notiſſimum hunc Dei ſervum proficiſceretur. Abiit: accedentem Franciſcus conſpicatus, in amplexus occurrit, dicens: *Cariſſime Frater, ita meriti materiam reſpuis, lucrum repellis, & a Deo diſplicet probari? Tentari non vis! non amplius tenteris.* Non prius dixit, quam tentatio deferbuit, neque quidquam amplius ſenſit moleſtiæ. Voluit quidam religioſus ab eo inſtrui, & qua ad perfectionem tendere poſſet, doceri. Dum ſemel in his ſermonem protraherent, vidit Franciſci mammillas turgere, ſeque lacte ex illis acto ad os prodeunte dulciſſime recreari. Tantam inde concepit ſuavitatem & ſpiritus fervorem, quod ſi idem qui indidit non temperaret, vere animam exhalaret.

Alterum mirifice conſolatur.

Multa prophetice prædicit.

LIII. Spiritu prophetiæ clarus multa prædixit, ipſo eventu certiſſima, Ex alto Montis Luci proſpectu oſtendens fr. Joſepho Augubino Monaſterium

rium ſancti Pauli, tunc Clariſſarum, extra muros Spoletinos, dixit eo loco Fratres Minores commoraturos, eorumque primum fore Guardianum ipſum Joſephum. Sub decennium iſta contigerunt. Eidem dixit Deo non placere, quod aliqui Fratres intentabant circa ampliandum aut reſarciendum tuguriolum Montis Luci, vere ſecundum mentem ſancti Franciſci & paupertatis regulas conſtructum; adjecitque, multos Fratres brevi eo in loco morituros, & oſtendit locum, in quo ipſe prope ſtabulum & ilicis arborem erat ſepeliendus; reliquis vero dandam dixit ſepulturam præ foribus Eccleſiæ. Paulo poſt multi ex peſtilentia deceſſerunt, loco quo prædixit tumulati, & ipſe in loco deſignato, uti mox dicemus, ſepulcrum accepit. Ibidem adoleſcenti clerico incompoſito & impatienti, qui ſalutaria Dei Viri monita ſpernebat, prædixit ab iſta familia receſſum.

LIV. In Conventu Bonæ-quietis alterum incurabili odio Fratrem conſodalem proſequentem reprehendit, & ab ejus humero inſidentem dæmonem abegit; nec tamen ut odium omne deponeret, potuit impetrare. Brevi male periturum dixit veriſſime, facto verba comprobante. Similiter hic miſerabilem prædixit exitum adulteræ, quæ ex leviro concepit. Ille ut celaret peccatum, infantulum noctu expoſuit ad oſtium Cœnobioli. Fratres miſerti recentis fœtus nondum baptizati, ſacro fonte intinxerunt, & educari curarunt. Franciſco oranti rei ſeries revelata eſt, & prænunciatum ſeverum genitricis ſupplicium. Dæmon, qui ad peccatum inſtigavit, ut ſe in ignem proiiceret, ubi miſere periit, perſuaſit. Pater poſtea peccatum ſevera pœnitentia ſuperavit.

LV. Scrupuloſe dubitabat Antonius a Monte Falcone Vicarius provinciæ ſancti Franciſci, an tuta conſcientia Fratres regularis Obſervantiæ in Conventu habitarent ſanctæ Mariæ Angelorum Aſſiſiate? Etenim propter multitudinem accedentium & prætereuntium Fratrum, oportebat ſub meſſem frumentum coacervare, & in vindemia vinum reponere; & qui hæc domum ferrent, duos vel tres muliones habere. Præcepit Franciſco, ut ferventi oratione Dei voluntatem exploraret. Obſequutus oravit, percepitque, apparentibus Chriſto Domino, Maria genitrice, Joanne Baptiſta, & D. Franciſco, Deo placere, ut incolatum illic protraherent, omnemque illam rerum copiam a Deo miniſtrari, ut melius & ſolemnius Dei, ejuſque Genitricis cultus exerceatur. Frequentes hujuſmodi habebat apparitiones, Chriſtum Dominum ſæpe videbat, ſanctiſſimam Virginem annis multis per dies ſingulos alloquebatur. In loco Carotæ apud Veronam, Chriſtum Dominum gloria Sanctorum coruſcantem vidit, ingentes ab eo gratias accepit, numerumque audivit dierum, quibus ſuper terram erat victurus.

Incolatus ſanctæ Mariæ Angelorum Aſſiſii Deo gratus.

Frequentes habet cœleſtes viſiones.

LVI. In Cœnobio Eremitæ quidam novitius Hieronymus Perufinus inter reficiendum vitam legebat ſancti Antonii Abbatis. Incenſus admiratione tam auſteræ & ſolitariæ vitæ, eum cœpit æmulari, acceptiſque aliquot panibus, aſportato libro de vitis ſanctorum Patrum, abiit ſolus, omnibus inconſultis, ad ſilvam propinquam. Illic obedientia ſpreta, ſuo uſus magiſterio latitabat, legebat, orabat, ratus ſe brevi perfectionis culmen adepturum. Fratres de juvenis ſalute ſolliciti ubique perquirebant, & non invenientes rogarunt Franciſcum ut pro ipſo precaretur. Dum inſtanter faceret, cœlitus immiſſa viſione conſpexit adoleſcentem, ſub ingentis antro ſaxi dormientem, lupumque prædæ inhiantem ad ſpeluncæ oſtium circuire. Rapacem feram Vir ſanctus abegit, & juvenem excitavit, hortatus ut ad Conventum rediret. Viſa & facta Guardiano ſummo mane retulit; & ecce

Juvenem ab indifferera revocat pœnitentia.

ſub horam prandii reverſus juvenis, ſui errati & inconſultæ fugæ veniam exoravit, proinde ſe rediiſſe faſſus, quod rabidus lupus timorem incuſſerit, & Franciſcus Papienſis redeundi dederit conſilium.

LVII. Ex hoc loco eum accerſivit piiſſima fœmina Andreola, Nicolai V. & Philippi Calandrini Cardinalis Bononienſis genitrix, quæ tunc in arce Spoletana cum Catarina filia morabatur. Expeditis quæ volebat, negotiis, ſub horam vigeſimam ad ſuum cœnobiolum, X. M. P. remotum redire paravit. Socius Andreas Aſſiſias diſſuaſit, nimis ſero adeo longum iter iniri: *Abeamus*, inquit pius ſenex, *& ſi nox ſupervenerit, Dominus erit nobiſcum*. Tacitus ſecum comes obmurmurabat; iterumque ab itinere retrahere cupiens, viam dixit inter montana aſperam nimis, noctem obſcuram multa parituram incommoda. At ille animoſius pergebat. Sed IV. M. P. dimenſi erant, quando ſub obſcuræ noctis velo omnia latebant. Valide præeuntem languide ſequebatur ſocius obmurmurans: *videbimus*, ajebat, *quid hic capitoſus ſenex inter denſas noctis tenebras faciet, in ſaxa impinget, in arbores offendet, oportebit ſub dio pernoctare*. Ita dicens, videt ſplendidiſſimum radium ſuper ſenis caput deſcendere, qui obſcuræ noctis umbram in clariſſimum diei lumen convertit. Stupefactus Andreas, Lunæ fulgorem eſſe cogitavit, cœpitque ſecum obortæ illo menſe Lunæ dies computare. Inanes cogitatus rimatus vir Dei, interrogavit: *Ecquot, Frater mi, Luna tua habet dies*? Deprehenſum ſe videns, & modicæ fidei tacite redargui, in ſilentio & verecundia præeuntem & prælucentem ſequebatur. Ubi ad Cœnobioli limites acceſſerunt, lux illa magno fragore diſparuit. Ingenti ſonitu & repentinis tenebris territus Andreas, in terram cecidit ſemivivus. Animum addens vir Dei, & e terra erigens, manu duxit uſque ad atrium, ubi facto campanulæ ſigno occurrerunt Fratres, ſtupentes ea hora potuiſſe adeo indefeſſum Franciſcum, & Andream ſocium ſemianimem accedere. Rem totam hic narravit, & indignæ incredulitatis ſemet incuſavit.

Obſcura nocte lux ducitur cœlitus.

LVIII. Nicolaum aromatarium Interamnenſem malus genius poſſedit & vexavit. Ductus ad quemdam Dei ſervum, & cruce ſignatus ſenſit ſe melius habere, finxitque immundus ſpiritus ab eo receſſiſſe. Cum lætitia redeunti applaudebant omnes, & peculiari Dei beneficio ejus ſalutem tribuebant. Referentibus hæc Fratribus, ex urbe redeuntibus ad Eremitæ locum, ubi tunc Franciſcus degebat, dixit: *Fraudulenter callidus, & veternoſus hoſtis cum hoc egit miſello; adhuc non dimiſit, quod in eo ſuſcepit domicilium*. Contradicentibus Fratribus, & urgentibus omnino liberatum hominem, eamque eſſe in urbe vocem conſtantem, reticuit, ſed die ſequenti abituros in civitatem duos Fratres monuit, ut aromatarium ſuo nomine ſalutarent, & amplexarentur, diligenterque obſervarent quid tunc efficeret. Obſequuti viderunt in ipſo amplexu hominem toto corpore commoveri, & crudelius vexari quam antea ſolebat. Hæc audientes conſanguinei, duxerunt eum ad Eremitæ tuguriolum, ubi vir Dei impreſſa fronti cruce illum perfecte ſanavit.

Energumenum ſanat.

LIX. Hieronymam nobilem mulierem Spoletanam, Sodalitio addictiſſimam, vehementem perpeſſam dolorem in apoſtematis ſciſſura, continuus invaſit timor, ne alterum poſtea ſimiliter exortum oporteret abſcindi. Inviſenti Franciſco ſuas explicuit anguſtias, cui ille, ut bono animo eſſet, reſpondit, & in Domino certe auxiliaturo firmiter ſperaret. Eo tamen ulceris malitia proceſſit, ut chyrurgici incidendum omnino determinarint. Nocte decretum inciſionis diem præcedente, vidit Minoritam confortantem, & mo-

Mulierem ab apoſtemate liberat.

monentem, diro illo remedio opus non habituram. Erupit illico leniter pus, & cum ſummo mane chyrurgici accederent, a dolore & timore liberam repererunt.

LX. Invaſit urbem Spoletanam, quam prædixit, peſtilentia, eaque correpti plerique Montis-Luci Fratres obiere. Inter alios Gregorius Peruſinus, Franciſci carus diſcipulus, hac lue percuſſus in extremis laborabat. Aderat morienti magiſter, & poſtquam multis ſolaretur, dixit: *Abi fili, & mihi locum para, te poſt octiduum ſequuturo*. Ut expiravit, ſummo gaudio exultabat dicens, diſcipulum in cœlum præceſſiſſe, licet ex dilecti diſcipuli obitu triſtaretur. Tamdem ipſum pro liberatione urbis orantem, & ſe in ſacrificium pro populi ſalute offerentem lues invaſit. Andreas a ſancto Gemino Provinciæ Vicarius, non obſtante peſte, cum aliis Fratribus, quorum unus fuit hujus legendæ auctor, ob Viri reverentiam viſum venerunt. Dimiſſis deinde reliquis, ſolus remanſit Vicarius, præcepitque ut univerſum vitæ curſum, converſionis modum, & in religione progreſſum ad majorem Dei gloriam palam enarraret. Doluit ille ita ſuperiorem præcepiſſe, ut tamen obediret, quæ hic diximus, ſecreto retexuit; dixitque ita completum eſſe ſuæ vitæ terminum, & religioſi ſtatus metam, annis triginta tribus, & menſibus tribus circumſcriptam, jam adeſſe. Acceſſerunt etiam civitatis Priores, & præcipui proceres, nihilque verentes debacchantem contagionem, domum & cellam ingreſſi, ut benediceret, rogaverunt, ejuſque precibus civitatem commendarunt. Quibus ille: *Cum ego deceſſero, civitas liberabitur: ita enim promiſit Dominus, morte mea malum hoc terminandum*. His recedentibus, alii accedebant, & animoſe locum peſte corruptum ingrediebantur, tum meritis Franciſci confiſi ſe non corripiendos, tum ejus videndi, & benedictionis accipiendæ deſiderio allecti. Demum ſacris circa eum completis myſteriis, erectis in cœlum luminibus, facie hilari & venuſta obdormivit in Domino die XVI. Auguſti, poſt diſcipuli obitum, uti prædixit, octavo.

Prædicit ſuam mortem.

Pie moritur.

LXI. Inito conſilio Andreola Pontificis genitrix, & Catarina ſoror, omneſque urbis Conſules decreverunt, ut ſacrum corpus ex alto vertice montis in urbem transferretur digno ſepulchro condendum. Publica indicta ſupplicatione, omnium ſtatuum viri cum univerſo clero & religioſis Ordinibus eo proceſſerunt, & cum hymnis & canticis, multisque luminaribus in urbem aſportarunt. Ingenti ad exequias concurrente populi multitudine, præparatum funus ante fores Eccleſiæ ſancti Simonis, & Cœnobii Patrum Conventualium. Inter Miſſarum ſolemnia ſermonem habuit prædictus Vicarius Andreas, & ſub compendio retulit univerſa, quæ ab ipſo defuncto, obedientiæ præcepto parum ante mortem extorſit. Celebratis exequiis, corpus depoſuerunt in Eccleſia ſocietatis ſancti Angeli, apud quam hoſpitari ſolebant Obſervantes, qui ex tuguriolo Montis-Luci deſcendebant eleemoſynas collecturi. Illic puerulum infirmum loculo a parentibus impoſitum perfecte ſanavit, uti ipſe adoleſcentior effectus Jacobo Oddo Peruſino primo vitæ ſcriptori aperte recenſuit.

Spoletum corpus defertur.

Puerulum infirmum ſanat.

LXII. Menſibus ſex illic corpus depoſitum, poſtea translatum eſt ad Cœnobiolum, in quo obierat, & in loco, quo prædixerat, ſepultum. Hæc translationis occaſio. Paulo poſt mortem ſtatuerunt Fratres habitaculum ſuum ampliare, & nobilius efficere. Ad hæc paraverunt cæmentum, ſabulum, lapides, & quæ erant neceſſaria. Reſtitit fabricæ venerandus ſenex Joſeph Augubinus dicens, opus hoc omnino Deo diſplicere, idque revelatum beato viro Franciſco, uti ipſe ab illo palam accepit. Non audentibus Fratribus manifeſtæ Dei voluntati contraire, decreverunt ex collecta mate-

Nunc jacet in Monte-luci.

ria in atrio Eccleſiæ, ubi ilex & ſtabulum erant, a nobis ſupradicta, ſacellum ædificare ſancti Bernardini, Fratrum uſibus ſumme neceſſarium, quippe in Eccleſiuncula unum dumtaxat erat altare Miſſis celebrandis. Ut hæc facta ſunt, Augubinus ille ſenex ſecum tacite conſiderabat, quæ Franciſcus ſibi dixerat de loco ſepulturæ. Dubitabat tamen illud cuipiam revelare, ne ſuſpicarentur temere aut falſo dictum, quod non viderant compleri, neque adeo facile poſſe, translato in urbem ſacro pignore, neque ſpem ſupereſſe aliquando reſumendi. Immiſſa aliis hæc cogitatio, decentius in illo ſacello apud ſuos, quam in aliena Eccleſia ſervari poſſe ſui Conſodalis exuvias, coactoque cœtu, omnium fuit ſententia, repoſcendum depoſitum, vel ſecreto referendum. Timentes Fratres populi tumultum, & ab urbis Conſulibus negatum iri, quod volebant, clam egerunt cum Eccleſiæ & urbis cuſtodibus, & noctu in montem retulerunt. Occurrerunt Fratres & Eremitæ plerique illius montis incolæ accenſis luminaribus, & cantantes ſacello intulerunt. Viſis tot facibus Spoletani, quid ea nocte actum, die ſequente ſciſcitati, ubi perceperunt ſubductum corpus, turbari cœperant, ſed poſtea intelligentes ipſum ſibi præſignaſſe ſepulturæ locum, quieverunt. Conditus eſt in muro ad dextrum cornu altaris ſepulcro marmoreo, eo ipſo loco, quo prædixerat, ilicis exciſæ.

Monaſterium S. Pauli Spoleti datur Minoritis.

LXIII. Ubi ſenex Augubinus vidit completa, quæ circa ſepulturam prophetaverat, revelavit confidentius, quæ de translatione Monaſterii ſancti Pauli a Monialibus ad Minoritas pranunciavit. Propter Viri probitatem, & aliarum prædictionum complementum facile crediderunt, ſed & viderunt, deturbatis inde Monialibus propter laxioris vitæ incommoda, & ſubſtitutis Obſervantibus optimæ tunc opinionis in populo, inſtituto primo Cœnobii præfecto ſene Augubino. Multa alia de ſancto hoc Viro referuntur, quæ partim ſcripſimus, partim ſuis locis ſcribenda ſuperſunt, præſertim quæ in ſanctorum Fratrum obitu circa illorum felicem ſtatum ei fuerant revelata.

Quinam ejus vitam ſcripſerunt.

Ejus vitam omnium primus diffuſe ſcripſit Jacobus Oddo Peruſinus, qui viventem probe novit, & morientem conſpexit. Potiſſima acta habuit ab Andrea a ſancto Gemino Vicario, quæ ille ab ipſo Dei ſervo ſub mortem, uti diximus, accepit, alia a conſociis & familiaribus, aliquot ipſe conſpexit. Ab hoc acceperunt Marianus Florentinus, Marcus Ulyſſiponenſis, Petrus Rodulphus Toſſinianus. Papia accepi ejus vitam MSS. diffuſe capitibus viginti duobus Italice exaratam, Hyppoliti de Rubeis Cardinalis Epiſcopi Papienſis ſyngrapha approbatam, ut imprimeretur. Hujus Viri ſancti cum laude meminit Antonius Maria Spelta in hiſtoria Papienſi, ſub Epiſcopo SS. Conrado Beccaria Franciſci gentili, eumque in ſeculo vocatum Antonium, & cum gloria militaſſe non ſolum ſub Duce Mediolanenſi, ut diximus, verum etiam Imperatorem egiſſe ſub Venetis & Regibus Galliæ, & ſacellum ſancto Antonio ſacrum erexiſſe in templo Arenæ, recenſet.

Fr. Mich. Epiſc. Chriſtopolitan. Fr. Joan. Ottanen.

LXIV. Epiſcopi creantur hoc anno Chriſtopolitanus in Macedonia frater Michael Caſtault, per obitum Joannis. VIII. Idus Martii. Ottanenſis in Sardinia, ſub Archiep. Turritano frater Joannes de Salnis aureis, per obitum Simonis. pridie Kal. Junii.

Conv. Montis-franci.

Gonz. in Prov. S. Franc. Conv. 40.

LXV. Conceſſit hoc anno Nicolaus Pontifex licentiam Univerſitati & hominibus oppidi montis-Franconis, Spoletanæ diœceſis, ut in ſuo territorio domum Fratribus Obſervantiæ, ſub nomine ſancti Bernardini ædificarent: *Piis votis*. VII. Kal. Julii. Ædificandæ cauſam hanc narrat Gonzaga. Pertranſierat inde ſanctus Bernardinus, & fameſcens, bucellam panis a paupercula petiit muliere. Aſſerentem neque bucellam quidem ſibi ſupereſſe, roga-

gavit ut arculam videret, & ſi quid reſidui eſſet, ſibi erogaret. Illa dictis annuens, arcam, quam paulo antea omnino vacuam reliquit, panibus invenit refertam. Stupens dedit Viro ſancto quantum placuit accipere. Sparſo ſtatim inter oppidanos miraculo, omnes poſt abeuntem cucurrerunt, ejus benedictionem accepturi. Viſis turmatim accurrentibus, extra oppidum ſubſtitit, captaque occaſione congregati cœtus prædicavit. Deinde ſuaſit ut communi bono ſuis Conſodalibus eo ipſo in loco ponerent domicilium. Id hoc anno illic fecerunt, ubi adhuc ſancti Patris cernitur veſtigium.

LXVI. Vir nobilis Urſinus de Urſinis apud arcem Antimi, vulgo *Rocca antica*, in Sabinis, hoc anno aliud, annuente Nicolao, conſtruxit in loco amœno & ſolitario, contemplandis cœleſtibus opportuno. Sub ſuggeſto jacet in Eccleſia Venerabilis Pater Martinus Guſmanius, vir nobilis, Carolo V. Imperatori familiaris, & ſumme carus, de quo alias latius dicemus. In eodem templo jacet Vir ſanctæ opinionis Antonius de Puteo-fidonis Tertiarius, dives & nobilis in ſeculo, pauper & humilis in Religione.

Conv. Antimi. *Idem in Prov. Rom. Conv.* 38. Martin. Guſman. *An.* 1575. Anton. de Puteo-Fidonis.

LXVII. Univerſitas terræ ſeu oppidi Palantiæ, diœceſis Novarienſis, hoc anno petiit a Nicolao, ut liceret in ſuo territorio domum fabricare Obſervantibus. Data poteſtas Epiſcopo Novarienſi licentiam concedendi: *Cognitæ devotionis conſtantia*. IX. Kal. Decembris. An ſtatim manum operi admoverint, vel illi ſoli ſuis ſumptibus abſque auxilio aliorum circumadjacentium oppidorum Cœnobium, quod nunc in margine Verbani (quem lacum majorem Galli Ciſalpini vocant, quia Ticinum copioſum flumen, ex Alpibus defluens excipit, & deinde in Padum tranſmittit) ſub titulo ſancti Bernardini quingentis paſſibus a Palantia conſpicitur, conſtruxerint, non mihi certo conſtat aliunde. Gonzaga circa annum MCCCCLXVIII. & concurrentibus aliorum pagorum incolis aſſerit ædificatum. Ego a Palantinis hoc tempore inchoatum putaverim, quippe in eorum diſtrictu ſitum, eorumque dumtaxat precibus a Pontifice ædificari permiſſum. Forſan ſub illud tempus a Gonzaga aſſignatum, piæ illius fœminæ Tertiariæ, ex familia Morigia facultatibus, & ſolertia Antonii Vercellenſis Vicarii Provinciæ Mediolanenſis, uti ille refert, fuerat completum. Locus eſt ſaluber, amœnus, & frequentis populi ex vicinis pagis adventantis miniſterio opportunus. Commoda habet ædificia, clauſtra duo, pulcherrimam Eccleſiam, anno MCCCCLXXII. ab Antonio de Latiis Salodienſi Epiſcopo, Joannis Arcimboldi Cardinalis Epiſcopi Novarienſis ſuffraganeo conſecratam. Pulchrum & amœnum adhæret Cœnobio ædificium, quo Fratres recreationis gratia utuntur. Domum incolunt religioſi ſtrictioris obſervantiæ, ibique commode ſuos inſtruunt tyrones. Aliqui volunt, in hoc Conventu habitu a ſancto Bernardino donatum venerabilem P. Gaudentium ab Eumenia, ſed falluntur; poſterior enim Bernardino eſt Cœnobii ſtructura.

Conv. Palantiæ. *Gonz. in Prov. Mediol. Conv.* 15.

LXVIII. Prope Citrarium Calabriæ oppidum ex communibus proventibus circa hunc annum Obſervantibus conſtructum eſt domicilium, ſub vocabulo ſanctæ Mariæ de Gratiis. Ut in honorem ſancti Bernardini aliud fabricaretur in Caſtro ſancti Martini Abagerræ, diœceſis Cremonenſis, hoc anno Pontifex indulſit: *Pia fidelium*. Idibus Aprilis. Non tamen fabricatum conjicio, dum apud nullum ex noſtris auctoribus ejus mentionem reperio. Vicario & Fratribus Obſervantibus inſulæ Corſicæ facultatem conceſſit, ut præter jam acquiſitos, alios tres Conventus ædificarent: *Sacræ religionis*. VII. Idus Septembris.

Conv. Cittæii. *Idem in Prov. Calabr. Conv.* 12. Conv. Abagerræ.

LXIX. Miniſtro & Patribus Conventualibus provinciæ Siciliæ dubitantibus an ſufficienti auctoritate, aut præmiſſa Apoſtolicæ Sedis licentia con-

Conv. Bizini, S. Mauri, Ciminnæ, Caſtri-novi, & Bivonæ.

conſtructæ ſint domus Bizini, ſancti Mauri, Ciminnæ, Caſtri-novi & Bivonæ, Siracuſanæ, Meſſanenſis, Panormitanæ, & Agrigentinæ diœceſum, jus omne confirmavit eaſdem inhabitandi, & facultatem conceſſit Archiepiſcopo Panormitano eos a quibuſcumque cenſuris, ſi quas obinde incurrerant, abſolvendi: *Solet Sedis Apoſtolicæ*. VII. Idus Julii. De his Conventibus parum aut nihil mihi occurrit dicendum; ſolum mihi conſtat, præter unum Caſtrinovi, qui reperitur in catalogo Provinciarum & Conventuum a Piſano compacto, alios poſt annum MCCCC. fuiſſe conſtructos, & propterea obtentam Pontificis facultatem, eos abſque conſcientiæ offenſione retinendi.

Redul. fol. 281. Petrus Rodulphus, qui de Patrum Conventualium domibus ſcripſit, levi calamo has præterivit. Ciminnenſem dicit antiquam, a Fratribus & oppidanorum univerſitate, fratre Petro Turco, & fratre Franciſco de Caſtilla auctoribus, ſub ſancti Franciſci invocatione fuiſſe fabricatam. De reliquis nihil ſe reperiſſe fatetur.

Conv. Torturetti.

LXX. Eiſdem Patribus conceſſit, ut Eccleſiam ſanctæ Mariæ extra muros oppidi Tortureti a Jacobo Archiepiſcopo Meſſanenſi, & alteram ſanctæ

Conv. Aſinellæ. Mariæ Magdalenæ oppidi de Aſinella a Luca Epiſcopo Cefaludenſi acciperent, ibique domos erigerent Religioſorum: *Ut quælibet ſacra religio*. XVII. Kal. Junii. Utriuſque domus mentionem agit Rodulphus, primæ ſub cuſtodia Meſſanenſi, & Torturicis appellat, atque ſub annum MCCCXLIV. inſinuat fundatam ſub nomine ſanctæ Marinæ. Vel alia domus hæc eſt, vel iſta ſubſiſtere contra diplomatis fidem non poſſunt. Secundæ meminit ſub cuſtodia Agrigentina, dicitque Eccleſiam Magdalenæ fuiſſe cujuſdam confraternitatis, & in loco paupere & inhoſpite nullum eſſe ſcripturæ monumentum. Fratri Jacobo Modeſtici de Gislandis Conventuali poteſtatem fecit

Conv. Harbuſci. Pontifex, ut in oppido de Harbuſco, Brixienſis diœceſis, & ab ipſa urbe

Conz. in Prov. Brixiæ Conv. 14. Brixiæ XIV. M. P. diſtante, domum admitteret ſui Inſtituti: *Piis ſupplicantium votis*. VIII. Kal. Octobr. Sub annum MCCCCLXV. collata eſt beato Amadeo Luſitano, & Eccleſia titulum ſortita eſt ſancti Bernardini. Abundant illi Fratres vino, ſed panis laborant inedia.

Conv. Valenſay. LXXI. Vir nobilis Robinetus de Stampis, Dominus loci de Valenſayo, diœceſis Bituricenſis, petiit & obtinuit hoc anno, ut poſſet in prædicto loco Conventum ædificare Obſervantum, eumque aggregare provinciæ Turonenſi: *Pia devotorum*. XVI. Kal. Januarii. An tamen ædificaverit, non comperio; neque enim inter reliquos Turoniæ Conventus numeratur.

Conv. Conſeranen. Eadem ratio cogit dubitare de ſtructura Cœnobii Conſeranenſis, quam, ut ſibi liceret aggredi, & provinciæ Aquitaniæ ſubjicere, petiit Triſtandus Epiſcopus Conſeranenſis: *Ut ſacer Ordo*. IX. Kal. Novembris; necnon de altero, quod Gaſco Comes Fuxi & Bigorræ ſtatuit ædificare in altero ex prædictis comitatibus, & Vicario Obſervantum provinciæ Aquitaniæ, aut Guardiano Mirapicenſi tradere. Facultatem ita faciendi hoc anno obtinuit a Nicolao: *Ut ſacer Ordo*. IX. Kal. Novembris. Sed eam per Calixtum III. revocari anno ſequenti fecit Miniſter Generalis, & Ordinis Procurator, dicens provinciam illam Aquitaniæ, & præſertim partem illam, in qua Comes fundare volebat, nimis abundare Minorum Conventibus, & Fratres nimia multitudine ſibi invicem facere anguſtias.

Conv. Mauderoucen. LXXII. Nobilis vir Antonius de Claramonte, dominus locorum de Furgeriis & Mauderoux, Santonenſis diœceſis, anno præterito, pactis quibuſdam conditionibus cum fratre Nicolao Orientis, ei dedit capellam beatæ Mariæ juxta Mauderoux, & infra limites parochialis Eccleſiæ ſancti Laurentii de Furgeriis conſtitutam, a ſuis prædeceſſoribus ædificatam, & ad ſe jure pa-

patronatus plene ſpectantem, necnon tres terræ quarterias, ut ibi domum ædificaret Minoritis. Adjunxit etiam uſum aliquorum nemorum, quæ prope capellam poſſidebat. Pacta & conventiones rata habuit Jacobus de Mozanica, tunc Ordinis Vicarius Generalis, eademque hoc anno ratificavit Pontifex, & fundandi Conventus licentiam impertivit: *Piis &c.* pridie Idus Januarii. In recenſu Conventuum provinciæ Turonenſis, intra cujus diſtrictum eſt diœceſis ſupradicta Santonenſis, iſtum non reperio. Sub anno MCCCCLVIII. lego in regeſto Pii II. domum hanc a Fratribus derelictam, conceſſam tamen a Pio licentiam ad eamdem redeundi.

LXXIII. Dixi, Minoritas in aliquibus inſulis maris Britannici habitaſſe; una ex his erat inculta, & pyratarum injuriis valde obnoxia. Sereniſſima Britanniæ Armoricæ Ducisſa Anna Bernon Fratrum compaſſa, eos in proprium ſuum domicilium transferre conſtituit. Bellorum inter Anglos & Gallos ſævientium incommodis impedita non potuit; fecit tamen Franciſcus filius ſub Eugenio IV. ſed non niſi hoc anno cœpit in formam cœnobiticam adaptari. Eccleſia ſub titulo ſancti Franciſci, altaria, capitulum, & ſacrarium conſecrata ſunt die XVIII. Auguſti. Situs amœniſſimus eſt prope littus maris, ab hominum frequentia in ſilva, quæ domum totam circuit, remotus. Juxta ſummum altare ſepultus eſt Stephanus Brulifer, vir doctiſſimus, Scoti ingenioſus ſectator: Rude hoc inciſum epitaphium. *Anno 1448. n. 11. Conv. Bernonii. Gonz. in Prov. Britan. Conv. 2.* Sepulchrum Stephani Brulifer.

Divi profeſſor Franciſci Relligionis,
Sacræ ſcripturæ Doctor & eximius;
Non minor eſt Scoto cunctiſque authoribus illis,
Ingenuas artes qui cecinere prius.
Hic fuit errores concremans Stephanus ille,
Brulifer ingenio, quem locus iſte tenet.
Syderea loca poſſideat.
Amen.

LXXIV. Nobili viro Ludovico Duci Sabaudiæ conceſſa fuit hoc anno facultas Conventum unum erigendi pro Fratribus de Obſervantia in Eccleſia beatæ Mariæ de ſancto Bono prope urbem Thonon, Gebennenſis diœceſis, & aliam in quocumque loco ſuæ juriſdictionis opportuno: *Pia Deo & Eccleſiæ.* VIII. Idus Aprilis. Non invenio tamen in ſerie Conventuum vllum ab eo ædificatum. Conv. Thononi.

LXXV. Fr. Joannes de la Trecha Hiſpanus obtinuit hoc anno, ut cum duobus Conſodalibus liceret habitare in Eremitorio beatæ Mariæ prope oppidum ſancti Vincentii de la Barquera, diœceſis Burgenſis: *Religionis Zelus.* XVI. Kal. Februarii. Ad annum MCCCCLXVIII. hic fabricatum ex diverſis fidelium eleemoſynis Conventum, ſcribit Gonzaga. Proſpectu gaudet Oceani ſeptentrionalis, & maris fluctibus alluitur. Temperatiſſimo gaudet aere, omnibuſque abundat vitæ neceſſariis. Publicam habent hic Fratres Grammaticæ cathedram populo gratiſſimi. Conv. de la Barquera. *Gonz. in Prov. Concept. Con. 29.*

LXXVI. Diximus anno præcedenti inchoatum a Cardinale Sbigneo conventum Cracovienſem ſancti Bernardini, magnoque ſtatim numero Fratres creviſſe. Hoc anno die IX. Februarii in Sabbato, cum Sereniſſima Eliſabetha Regina, uti narravimus, Cracoviam Regi Caſimiro nuptura veniret, occurrerunt proceſſionaliter ultra octoginta, adeo religioſo & modeſto, ac gravi inceſſu, demiſſis in terram oculis, ut admirationi & ædificationi fuerint populo univerſo. Cœpit hoc anno Cardinalis Sbigneus Eccleſiam ligneam lateritiam facere, ſed ſolo ædificato choro, ſub menſem Aprilis omnium *Anno 1453. n. 4.* *Ibid. n. 7.* Card. Sbigneus proſequitur opus Cracovienſe.

omnium luctu deceſſit. Ut abſolveretur totum opus ex ſuis facultatibus, teſtamento ſcripſit; ſed cui curam commiſit, Joannes Dlugoſſius, etſi alias Capiſtrano addictiſſimus, pecunias in aliis Eccleſiis, lociſque piis vel faciendis vel reſarciendis diſtraxit, aſſerens ea magis neceſſaria, & Fratribus, populo gratiſſimis, non defuturos benefactores, qui neceſſaria operi complendo porrigerent. Præ omnibus paratiſſimum ſe oſtendit Dominus Martenbelſius, Cœnobii Procurator & Syndicus, qui reliquam Eccleſiam ſuis ſumptibus conſtruxit, & Conventum Fratres ex collectis eleemoſynis. Plerique viri pii, Capiſtrani diſcipuli hic jacent ſepulti, quorum nomina & præcipua geſta alias dabimus opportunius. Privilegium Caſimiri Regis Fratribus conceſſum in regeſto ſuo loco exſcribemus.

Conv. Varſaviæ. *Hoc anno n. 20. Gonz. in Prov. Polon. Conv. 2.*

LXXVII. Ad prædictas nuptias regias invitata venerat Cracoviam Anna Maſſoviæ Duciſſa, quam ſupra diximus contendiſſe, ut per ſuum dominium Capiſtranus pertranſiret, & vel ſemel ſe videri permitteret. In hac urbe non ſemel allocuta, ejuſque concionibus aſſueta, tantam de ipſo Viro, ejuſque conſodalibus opinionem concepit, ut Warſaviam regreſſura, impetrarit Jacobum de Glogovia & Fratres ſex ſui itineris comites, quibus abſque mora locum in ipſa civitate prope fluvium Iſtulam verſus Orientem deſignavit, commodumque Cœnobium ædificavit, poſito ſibi in Eccleſia ſepulcro. Poſt annos ſexaginta exuſto toto ferme ædificio, Annæ nepotes præcipuam partem Eccleſiæ & Cœnobii, chorum Joannes Labrankius Epiſcopus Poſnanienſis, reliquam partem Warſavienſium eleemoſynis Fratres refecerunt. Jacent hoc in loco religioſi & venerabiles viri Ludovicus de Varka, Ladislaus a Gelnono, Nicolaus a Coſtikio, de quibus ſuis locis ſermonem inſtituemus.

Con. Hammonæ. *Gonz. in Prov. Colon. Conv. 2. Mon. M. SS. Prov. Colon.*

LXXVIII. Hammonæ, quæ Metropolis eſt ampliſſimi comitatus Marchiæ ad Lupæ, vulgo *Lippiæ* flumen, ſitu amœniſſima, diœceſis Colonienſis, prope terminos Epiſcopatus Monaſterienſis, hoc anno cœpit ædificari Conventus pro Fratribus Obſervantibus a nobili viro Comite Gerardo de Marchia, Joannis Clivenſium Ducis fratre. Facultatem dedit Nicolaus, miſſo diplomate ad Decanum Eccleſiæ ſancti Patrocli Suſatien. diœceſis Colonienſis: *Piis fidelium votis*. XI. Kal. Februarii. Prædictus Decanus nuncupatus Albertus Milinchus, anno ſequenti die XX. Martii dedit pacificam poſſeſſionem fr. Cornelio Gouda, eam acceptanti nomine Joannis Geos Vicarii provinciæ Colonienſis. Fundator ſibi elegit ſepulturam in Eccleſia ſanctæ Agneti ſacra, ubi ſepultus eſt ſub lamina ingenti ænea, tumulo concamerato, juxta aram beatæ Virginis Mariæ. Hujus Cœnobii Fratres in urbe Monaſterienſi multis annis fructuoſe prædicarunt, & Epiſcopum ad arma contra cives paratum, ſuis precibus placarunt, fibris omnibus diſcordiæ reſciſſis. Guardianus ſolebat eſſe Cuſtos per Weſtphaliam, quæ erat Cuſtodia provinciæ antiquæ Saxoniæ. Hic requieſcunt viri docti & religioſi, olim Colonienſis provinciæ Miniſtri, Henricus Bernimk, Henricus de Berca, Antonius Stralen, Michael de Lyra, qui provincias Scotiæ & Daniæ ſemel, & ter prædictam provinciam Colonienſem gubernavit. Intra hujus Conventus terminos natus eſt in municipio Herborni Nicolaus Herbornius, qui doctrina, virtute, laboribus, & multis in Ordinem obſequiis egregie omnes ſuos coævos antecelluit. Conſecrata eſt Eccleſia anno MDXV. die XXI. Maii per Theodoricum Epiſcopum Cyrenenſem, Philippi Archiepiſcopi Colonienſis Vicarium.

Conv. Amberg.

LXXIX. Conventum Ambergenſem provinciæ Argentinæ, qui apud Gonzagam deſideratur, hoc anno in vigilia ſancti Bartholomæi receptum

ſuiſſe

fuiſſe habeo ex monumentis M. SS. provinciæ Colonienſis. Prope Kelhaimum ſuperioris Bavariæ oppidum, diœceſis Ratiſponenſis, ubi Altmonius fluvius in Danubium influit, tuguriolum ſub rupe inſtar Eremitorii anno MCCCCL. ſibi condidit Antonius a Septem-caſtris Tertiarius. Ad perfectiorem vitam aſpirans, prope Viennam Auſtriæ Minoriticum ſubjit Inſtitutum in Conventu Paradiſi; ſed a ſua vocatione reſiliens, dum ad priſtinum ſtatum revertitur, & hoc anno Hungariam eques proficiſcitur contra Turcas bellaturus, incidit in latrones ſex, qui, dum equo & pecuniis ſpoliare conantur, & ille ſe omnibus opponit, vita ſpoliarunt. Bavariæ Duces Joannes & Sigiſmundus, ne in prophanos uſus abiret tuguriolum, cum adjecta ædicula ſancti Nicolai, Fratribus Obſervantibus, conſentiente Nicolao Pontifice, hoc anno XIX. Julii tradiderunt, & in monaſticam formam adaptarunt. Sed cum utriuſque fluvii exhalationibus ſæpe Fratres ægrotarent, anno MCCCCLXXI. relicto hoc loco quibuſdam Tertiariis Franciſcanis, translati ſunt ad montem ſancti Michaelis prope oppidum, ubi commodum & elegans Cœnobium eis prædicti Duces conſtruxerunt. Adverſati ſunt valde Epiſcopus & clerus Ratiſponenſis, nec pacifice illic poterant Fratres habitare, donec Pauli II. auctoritate ſopita eſt controverſia.

Conv. Kelhaimi. *Gonz. in Prov. Argent. Conv. 6. Monum. M. SS.*

LXXX. Fridericus Dux Brunſuigius & Luneburgius opem ferens Monaſterienſibus contra Colonienſem Archiepiſcopum, in acie captus, hoc anno Coloniam abductus eſt. Inde dimiſſus, Cœnobium Minorum Cellis extruxit, in quo conſeneſcere voluit, relinquens filiis, addita graviſſima adhortatione ad pietatem, juſtitiam, humanitatem, & reliquas virtutes ſectandas, Ducatum. Sed immaturo illorum obitu ad gubernationem Ducatus ſuſcipiendam retractus, terris ſuis ſeptem adhuc annis præfuit, defunctus ſenex anno MCCCCLXXVIII. Princeps pacificus, manſuetus & religioſus, ſepultus Cellæ.

Conv. Cellarum. *Reuſner. in Genealog. Imper. pag. 418.*

LXXXI. In Batavia ſuperiori, paulo infra ubi Rhenus (quem ibi *Vahalem* incolæ vocant) Moſæ flumini miſcetur, ad amnis ripam nobile conſurgit oppidum Gorcomiæ, in quo hoc anno conſtructum Obſervantibus commodum Cœnobium, tunc Joanne Ducis provinciæ Vicario. Anno MDLXXII. die VII. Julii a furentibus Geuzis deſtructum eſt, occiſo Nicolao Pikio Guardiano viro nobili & religioſo, & decem Conſodalibus, qui conſtantiſſime pro Romanæ Sedis auctoritate martyrium ſubjerunt; quod ſub illud tempus fuſius dicemus.

Con. Gorcomiæ. *Gonz. in Prov. Germ. inferior. Conv. 13. Mon. M. SS. hujus Prov.*

LXXXII. Nicolaus de Willach, Wayvoda Tranſilvanus, & oppidi de Willach, diœceſis Quinque-eccleſienſis, Dominus, obtinuit anno præcedenti, ut prædicti oppidi Cœnobium, ſanctæ Mariæ nuncupatum, a ſuis prædeceſſoribus conſtructum, transferretur a Patribus Conventualibus ad Obſervantes. Executorem hujus translationis voluit Pontifex Archiepiſcopum Strigonienſem, cui etiam commiſit, ut poſſeſſiones & bona immobilia ad prædictum Conventum ſpectantia applicarentur hoſpitali omnium Sanctorum, & ſancti Nicolai ibidem erigendo. His peractis, domum Nicolaus reſarcivit, & Obſervantibus adaptavit. Illis acceptare renuentibus, ne Fratrum ſuorum offenſionem incurrerent, præcepit Pontifex ut admitterent. Longo diplomate tota rei ſeries & executio recenſetur.

Conv. Willach.

LXXXIII. Dixi alias, domum ſancti Franciſci civitatis Candiæ in inſula Cretenſi ad Obſervantes fuiſſe translatam; ſed cum multa egeret reparatione, paramentis, libris, aliiſque rebus ad divinum cultum neceſſariis, Magiſtratus & Conſiliarii ſtatuerunt, omnia hæc ex facultatibus, quas prius

Tom. 10. *anno* 1431. *n.* 17. Conv. Candiæ.

Cœnobium poſſederat, exhibere. Inſtituerunt itaque quoddam depoſitum, quod *cameram Jeſu Chriſti* cenſuerunt appellandam, in quam per Procuratores, viros nobiles, & fidum Depoſitarium inferri curabant omnes fructus, reditus & proventus, qui pridem percipiebantur, ex quibus neceſſaria Fratribus miniſtrabantur; neque enim aliter, dicebant, ea in urbe, in qua plures erant Græci, qui Fratribus non ſubveniebant, quam Latini, vitam tranſigere poterant Obſervantes. At dum illi hujuſmodi depoſitum ſuo judicabant Inſtituto contrarium, civibus urgentibus, Pontifex factum approbavit: *Sinceræ devotionis*. Pridie Nonas Aprilis.

Mon. Regienſe. LXXXIV. Nobilis vir Borſius, Mutinæ & Regii Dux, civeſque Regini cupientes Moniales habere Clariſſas ad inſtar illarum, quæ religioſiſſime vivebant in Monaſterio Corporis Chriſti Ferrarienſi, rogarunt Pontificem, ut translatis Monialibus Parthenonis ſancti Petri Martyris Ordinis ſancti Auguſtini ad Monaſterium ſancti Laurentii, in quo olim habitabant, liceret ſancti Petri domum Clariſſis conferre. Annuit Pontifex, modo judicaret Epiſcopus Reginus expedire: *Inter cetera opera*. IV. Idus Januarii.

Mon. S. Leonardi de Carignano. LXXXV. Aliquot occurrunt hoc anno in regeſto Pontificio Clariſſarum Monaſteria, de quibus alias partim diſſeruimus: ſancti Leonardi de Carignano urbis Januenſis nimis arctum & anguſtum, cui ampliando additis novis ſtructuris Pontifex indulſit ſancti Salvatoris ad Gratas-ferratas oppidi ſancti Severini, diœceſis Camerinenſis, cujus bona locari, ut augerentur, permiſit. Sancti Ludovici Bononienſis, quod ut ingrederetur quædam nobilis mulier ejuſdem urbis conceſſit. Beatæ Mariæ de la Eſperança de Chamuſcio, diœceſis Palentinæ, cujus regimen & viſitationem commiſit fr. Fructuoſo de Cuelar, viro prudenti & religioſo, qui ſucceſſit fr. Sancio de Canales, de quo ſæpe alias locuti ſumus, in regimine Monaſterii de Jugo-Sillarum, & aliorum inſignium Hiſpaniæ Monaſteriorum. Sanctæ Claræ extra muros Chamberiaci, diœceſis Gratianopolitanæ, quod in moribus nimis diſſolutum reformari voluit per Epiſcopum, ita rogante Anna de Cypro Duciſſa Sabaudiæ. Sanctæ Claræ extra muros terræ Baruli, Tranenſis diœceſis, in quo Sorores aliquas permanere conceſſit, etſi aliam domum intra prædictam terram & Eccleſiam conſtruxerint, & utrumque Monaſterium ſubeſſe regimini & correctioni Miniſtri provinciæ Apuliæ.

Mon. S. Salvatoris ad Gratas-ferratas.

Mon. S. Ludovici Bononiæ.

Mon. Chamuſci.

Mon. Chamberiaci.

Mon. Baruli.

Dom. Valdarragi. LXXXVI. Multa etiam invenio Sororum tertii Ordinis hoc anno vel inchoata, vel in meliorem formam redacta Monaſteria. Cohabitabant copioſo numero Sorores tertii Ordinis in domo ſancti Spiritus ad oppidum de Valdarrago, diœceſis Civitatenſis in Hiſpania, eo tamen vivendi Inſtituto, ut potius collegium honeſtarum Virginum, quam religioſarum Monaſterium videretur. Decreverunt itaque hoc anno jura & bona mobilia ſive immobilia, quæ unaquæque in particulari poſſidebat, abdicare, in commune Monaſterii dominium tranſmittere, omnium uſui applicare, ſub obedientia Abbatiſſæ, a ſe communibus ſuffragiis juxta morem Clariſſarum eligendæ, deinceps vivere, & regularibus Inſtitutis ſe conformare. Id Pontifex hoc anno III. Kal. Auguſti conceſſit, addens, quod juxta ordinationes Nicolai IV. vivere tenerentur.

Domus Montis-regalis. LXXXVII. Nobili mulieri Annæ de Cypro Duciſſæ Sabaudiæ, de qua nunc diximus, hoc anno IV. Idus Aprilis, conceſſit Pontifex, ut propter ferventem quam aſſerebat ſe devotionem erga tertium Ordinem ſancti Franciſci concepiſſe, liceret in civitate Montis-regalis in quodam oratorio, ubi quidam pauperes Eremitæ dudum commorari ſolebant, domum unam, & in ca-

Anno Christi	Nicolai V.	Friderici III. Imp.	Religionis Minorum anno 247.
1454.	anno 8.	anno 15.	

capella ſancti Laurentii prope civitatem Gebennenſem alteram ædificare pro Birgitta de Tricollis, aliiſque mulieribus, quæ ſub habitu & regula dicti Ordinis, ſua vota Altiſſimo reddere proponebant. Similiter pridie Idus Julii conceſſit Andreæ Antonii Leonardi religioſæ tertii Ordinis, ut ſibi aliiſque mulieribus ad illud Inſtitutum aſpirantibus Monaſterium ædificaret in terra Caſtri-novi de Grafiniana, Lucanæ diœceſis, miſſo diplomate ad Leonellum Abbatem Monaſterii de Fratinoro, Mutinenſis diœceſis. Domum tamdem illa ædificavit ſub invocatione ſancti Bernardini. Communitati urbis Cortonenſis IV. Kal. Novembris indulſit, ut ejuſdem Inſtituti domum ædificare poſſent, in quam religioſe victuræ convenirent plurimæ Sorores, quæ in eadem civitate in diverſis locis diſperſæ habitabant, quia domum non habebant religioſæ & honeſtæ manſionis.

Dom. S. Laurentii Gebenten.

Dom. Caſtri-novi.

Dom. Cortonen.

LXXXVIII. Sub cura & directione Minorum locum cum exiguo ſacello acceperunt Tertiariæ apud Antuerpiam dono Henrici Snyderman mercatoris Alemanni, qui domum emit, deditque Sororibus anno MCCCL. dotemque inſignem dare decrevit, ſed in medio magnarum cogitationum naufragium paſſus interiit. Perſeveravere nihilominus Sorores, privata induſtria, & amicorum eleemoſynis ſe tolerantes: diruto priore ſacello, commodum templum extruxerunt, ædeſque ampliarunt. Vixerunt nonnullo tempore ſine clauſura, ſed tertiam ſancti Franciſci regulam amplexantes, hoc anno clauſuram admiſerunt, & in magnum numerum excreverunt.

Dom. Antuerpien.

LXXXIX. Domicilia etiam aliquot Fratrum tertii Ordinis hoc anno occurrunt. In Hibernia & diœceſi Achadenſi nobilis vir Joannes Chadra Domicellus, ac loci de Campo-ligeme dominus, huic Inſtituto valde addictus, dono dedit Andreæ Ocliman presbytero tertii Ordinis, accedente ad id conſenſu Fratrum & filiorum ſuorum, nonnullas terras & poſſeſſiones, videlicet dimidiatam villatam & quartam de Ardubaix, & quartam Juſmud nuncupatas, ac locum Cuirt-willeag in ipſa diœceſi conſiſtentes, cum aquis, molendinis, piſcariis, pratis, & paſcuis, gannis, ſilvis, nemoribus, lapidicinis, & aliis adhærentibus juribus, & pertinentiis univerſis, ut domum ædificaret Fratribus & Sororibus dicti Ordinis in præfato loco de Cuirt-willeag. Donationem confirmavit Cornelius Epiſcopus Achadenſis, & Apoſtolicum hoc anno III. Non. Octobris robur adjecit Pontifex, ædificandæque domus facultatem conceſſit.

Domus Fratrum Cuir-Willeag.

XC. Pauperibus Eremitis ordinis ſancti Franciſci de Pœnitentia Martino & Vito dudum bonæ memoriæ Laurentius Archiepiſcopus Jaderen. conſentiente ſuo Capitulo, & poſtulante Gregorio Merganich viro primario, donavit Eccleſiam ſancti Joannis Baptiſtæ prope & extra muros Jaderenſes, & Eccleſiam alteram ac locum ſancti Pauli primi Eremitæ ſitam ſuper ſcopulum Galenam prope inſulam ſancti Michaelis, ejuſdem Jaderen. diœceſis, ea tamen lege ut in utroque loco boni & probi eſſent illius Inſtituti viri, qui Miſſas & divina officia pro fundatorum animabus celebrarent. Donationem ratam voluit Pontifex hoc anno IV. Idus Januarii, miſſo diplomate ad Archiepiſcopum, qui tunc ſedebat.

Dom. Jaderen.

XCI. Magnum in magnis urbibus Florentina & Bononienſi fuiſſe Fratrum & Sororum hujus Ordinis numerum lego in variis Pontificiis inſtrumentis: & in illa civitate inſigne habuiſſe & adminiſtraſſe hoſpitale ſancti Franciſci opulenter dotatum & fundatum: in iſta vero aliud gubernaſſe & poſſediſſe juxta pontem ſancti Michaelis Archangeli, eiſque pingues facultates & bona immobilia legaſſe Thaddæum Aderati Doctorem Florentinum,

Hoſpitale Florentinum.

Hoſpitale Bononien.

ex quibus illi nobiliſſimum Clariſſarum Parthenonem anno ſequenti, uti mox dicemus, ædificarunt.

XCII. Refert Pontifex, Theſaurarium ſedis Apoſtolicæ in comitatu Venaiſino ante annos triginta dediſſe Fratribus domus Valreati Ordinis Minorum, Vaſionen. diœceſis, capellam ſancti Albani ſitam in territorio loci de Racarenciis, Tricaſtren. diœceſis, eiuſdem comitatus, ruinæ proximam, eamque decenter a prædictis Fratribus fuiſſe reædificatam & conſervatam, ita ut multi febricitantes ad eam devotionis cauſa accedentes ſanitatem impetrarint. Deinde ſupplet, ſi quid in prædicta donatione defuit, eamque hoc anno IX. Kal. Decembris confirmat. Domus hæc Valreati * ſpectat ad Patres Conventuales Provinciæ & Cuſtodiæ Auenionenſis.

* *Alias* Valriaci.

Anno 1450. n. 29.

XCIII. Superius, cum de Cœnobio Cæſenæ Patrum Conventualium agerem, dixi inſignem ibi haberi Bibliothecam, optimis codicibus M. SS. refertam, quam multi commendant ſcriptores. Eam hoc tempore nobilis vir Malateſta Novellus de Malateſtis, Pontificius in ea urbe Vicarius inſtruebat, & proventu annuo dotabat. Scipio Claromontius recens urbis Ceſænæ hiſtoricus ita de ea ſcribit (*Malateſta anno* MCCCCXLVIII. *cruris dolore varie laborare cœpit, itaque domi reſidens ornandæ civitati incubuit. Bibliothecam inſignem in D. Franciſci extruxit, baſilicæ inſtar, duplici columnarum Corinthiarum ordine interſeptam, quam probatiſſimorum auctorum libris manuſcriptis, iiſque prorſus fidis referſit.*) Ut conſervaretur, continuiſque creſceret augmentis, atque ut perpetuo artium & Theologiæ ſtudia ſub doctis illic florerent Magiſtris, trecentis florenis auri de camera bibliothecam dotavit. Ut hæc illæſa conſcientia Fratres poſſent recipere, petiit a Pontifice, & obtinuit ſequens diploma.

Claromont. l. 16. pag. 736. Bibliotheca Minorum Ceſænæ.

Dilecto filio nobili viro Malateſtæ Novello de Malateſtis, pro nobis & Romana Eccleſia civitatis noſtræ Ceſænatis in temporalibus Vicario.

Ex l. de diverſ. form. anno 8. fol. 17.

DEvotionibus &c. annuamus. Cum itaque, ſicut exhibita nobis nuper pro parte tua petitio continebat, tu cupiens terrena in cæleſtia, & tranſitoria in æterna felici commercio commutare, pro cupientibus ſcientiæ acquirere margaritam, de bonis tibi a Deo collatis unam librariam ſeu bibliothecam in Conventu ſive domo Ceſænate ordinis Fratrum Minorum erigere & inſtituere, ac illam quam plurimis libris fulcire & ornare, necnon ut in domo vel Conventu hujuſmodi Magiſtri ſeu Doctores artium & Theologiæ, & in illarum facultatibus ſtudentes commorari, illarumque ſtudiis inſiſtere commodius poſſint, Librariam ſeu Bibliothecam prædictam de tot poſſeſſionibus, & aliis bonis tuis immobilibus, quot eorum fructus trecentorum florenorum auri de camera, ſecundum communem extimationem, valorem annuum non excedunt, ita quod illorum fructus, reditus & proventus in manutentionem dictæ libraria, & librorum illius, necnon in ſuſtentationem, uſum & utilitatem magiſtrorum, Doctorum, & ſtudentium profeſſorum dicti Ordinis ibidem commorantium ac illis deſervientium convertantur, dotare, ſeu ipſi Librariæ vel Bibliothecæ perpetuo donare, concedere & aſſignare ſummopere deſideres, ſed obſtante regula dicti Ordinis, abſque Sedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali id efficere non poſſe dubites; pro parte tua nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut tibi faciendi præmiſſa licentiam concedere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur hujuſmodi tam pium, & laudabile propoſitum in Domino commendantes, devotioni tuæ dictam Librariam

ſeu

ſeu Bibliothecam in domo vel Conventu hujuſmodi erigendi & inſtituendi, ac illam de poſſeſſionibus & bonis tuis immobilibus, quorum fructus, reditus & proventus prædictum ſeu majorem valorem annuum aſcendant, dotandi, ſeu ipſa poſſeſſiones & bona eidem Librariæ vel Bibliothecæ perpetuo donandi, concedendi & aſſignandi, ita quod illorum fructus, reditus & proventus in manutentionem librariæ & librorum, ac ſuſtentationem magiſtrorum, doctorum, ſtudentium, ac ſervientium prædictorum, ut præfertur, convertantur, ac omnia alia & ſingula in præmiſſis, & circa ea neceſſaria ſeu quomodolibet opportuna ſtatuendi & ordinandi plenam & liberam tenore præſentium licentiam concedimus, pariter & facultatem. Volumus autem quod poſſeſſiones & bona, de quibus dictam librariam ſeu Bibliothecam per te dotari, ſeu quæ te illi donare, concedere & aſſignare contigerit, per duos laicos ad id per te, & poſt tui obitum, per Guardianum pro tempore exiſtentem, ac dilectos filios Conventus ejuſdem & domus pro tempore eligendos adminiſtrentur, ipſique laici de geſtis & adminiſtratis tibi, & poſt tui obitum, perſonæ per ipſos Guardianum & Conventum etiam pro tempore eligendæ, annis ſingulis rationem reddere teneantur. Non obſtantibus regula prædicta, ac conſtitutionibus & ordinationibus, &c. quibuſcumque. Nulli ergo, &c. infringere. Si quis, &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno &c. MCCCCLIV. IX. *Kal. Novembris, anno* VIII.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

I. A Deplorabili Urbis Conſtantinopolitanæ excidio, Nicolaus Papa, ut vere Papa, Graios Orientis Filios, licet diſcolos & contumaces, ultimis in utriuſque vitæ diſcriminibus poſitos, deplorabat: Hinc reparare damna, vel reſarcire ſaltem, ſi reſtituere non poſſet, omni conatu ſollicite & anxie procurabat: in hoſtes Crucifixi Crucem prædicari juſſit, nec deerant Præcones, at auditorum animis odio invicem diſſidentibus, difficillimus erat auditus; licet enim de Jeſu Chriſti honore in primis reſtituendo cauſa eſſet, attamen non hanc primo, ſed quæ ſua videbantur, lippiens quiſque quærebat. Hanc rerum faciem Chronica ſignarunt, Hiſtorici fideliter dixerunt; & ab his, ac illis Germaniæ, Hungariæ, Poloniæ, atque Boemiæ cum adjacentibus Provinciis, animi morbos interiores hæreſum, & exteriora belli vulnera, quæ volentes & nolentes patiebantur, didicimus: apud eas Gentes quam pro Eccleſia, & animarum ſalute ſtrenue laboraret Capiſtranus, retulit Annaliſta.

Summus Pontifex jubet prædicari Crucíatam contra Turcas, ſed ſine fructu.

II. His temporibus numero & virtute ſplendens ſancti Bernardini familia, ut a pluribus vocabantur Fratres de Obſervantia, creſcebat, & per univerſas Europæ oras dilatabatur; etiam & Tertii Ordinis ſancti P. Franciſci inſtitutum: & quidem pridie Idus Januarii Pontifex conſtructionem domus pro hujuſmodi Religioſis in loco de Podio Diœceſis Feſularum, Civitatis antiquiſſimæ in Hetruria, ad Arnum fluvium, conceſſit: *Quia ut accepimus &c.* Cum vero querelis pluribus contra Fratres Regularis Obſervantiæ, a Patribus Conventualibus productis, agitaretur, ut eas comprimeret, juſſit ne iſti in ſuis Domibus a nemine moleſtentur: *Cum ad ſacrum &c.* VIII. Idus Januarii. Tertii Ordinis Fratribus Oppidi de Stella, Vaſconiæ in Aquitania, ut Eccleſiæ ſancti Antonii de Aryngo nuncupati poſſeſſionem acciperent libenter annuit: *Commiſſi nobis &c.* III. Idus Januarii. Cum Reate, Urbis antiquæ Sabinorum in valle cincta montibus, per quam Velenus amnis eam dividens decurrit ad Samnii confinia,

Indulget ædificationem Cœnobii Feſulis.

Indic. ex Vatic.

nia, vetuſtate collabens Cœnobium reparari vellet, Pontifex conceſſit, ut pro ejuſdem reparatione nonnulla bona alienari poſſent: *Ea quæ &c.* III. Kalend. Aprilis; Eleonoræ vero, quæ ſuis ſumptibus Monaſterium Palentiæ in Hiſpania conſtruxerat, in illud ingreſſum: *Sinceræ devotionis &c.* III. Idus Julii; nonnulla etiam Sororibus Tertii Ordinis ſancti Pauli Florentiæ indulſit: *Adea &c.* XVII. Kalendas Auguſti; quemadmodum pariter fundationem Monaſterii præfati Ordinis Bononiæ XIII. Kalendas Auguſti: *Inter univerſa &c.* Fratres Nuremburgenſes non poſſe commodare Calices, & alia Ornamenta Eccleſiæ: *Ex debito &c.* VI. Kalendas Octobris; Expeditis ſubinde litteris pro Samaritana Fœmina, quarum vigore poſſet ingredi Monaſterium ſancti Ludovici Bononienſis: *Devotionis tuæ &c.* Nonis Octobris; Statuta facta a beata Coleta pro Monaſteriis & Conventibus ab ipſa reformatis, confirmavit: *Decet & convenit &c.* X. Kal. Novembris. Sed Luca Epiſcopalis & ipſa in Hetruria apud Auſerem fluvium, & Sarculum, ab ora Maris Tyrreni XII. M. P. diſtans, a Piſis X. media quaſi inter Lunam Urbem exciſam, & Volaterras, ſita in planitie amœna, collibus illam non procul exornantibus, Cœnobium habebat antiquum, quod Patres Conventuales inhabitabant: deſiderabat autem eorum vice Fratres Regularis Obſervantiæ; idcirco porrectis ſupplicationibus exaudita fuit, expedito brevi: *Scripſerunt nobis &c.* die VI. Novembris: ac ita ea domus a Conventualibus, qui nuper obtinuerat non debere moleſtari, tranſiit ad Obſervantes: Confirmata pariter fuit Donatio Capellæ ſancti Albani de Racarenis facta Fratribus: *Humilibus ſupplicum &c.* IX. Kal. Decembris.

Inhibet commodare vaſa ſacra & alia.

Ex Copia.

III. Frater Alphonſus *de Borox* Regularis Obſervantiæ in partibus Caſtellæ veteris Vicarius, die IV. menſis Junii, auctoritate Bullæ Domini Eugenii Papæ IV. ſibi a Reverendo P. Theodorico Generali Vicario datæ Conventum Complutenſem, ſive de Alcala, quem Reverendiſſimus in Chriſto Pater, & Dominus, Dominus Alphonſus Carillo Archiepiſcopus Toletanus, ad laudem & gloriam Dei, & beati Patris noſtri Franciſci ad ſupplicationem fratris Joannis *de Pennalver* confeſſoris ejuſdem Domini, aliorum nobilium Virorum ædificare cœperat, & perficere intendebat, prout de facto ſumptuoſiſſime perfecit.

Conv. Complutenſis ampliorem notitiam habes a Waddin ſub an. 1456.

Ex Specul. fol. 70.

IV. Sanctus Briacus, Gallis *San Brieux*, in Britania Armorica Civitas hoc anno Fratribus noſtris de Obſervantia Ædes ad incolatum datas a Joanne *Gomor*, Eccleſiæ Cathedralis piiſſimo Canonico, vidit, & lætata eſt, beneficii ſpiritualis omnium ſuorum Civium ſpe fiducialiter mota: Joannes enim hoſpitale in ſuburbio ſitum, ex ejus cognomine *Gomor* appellatum, in Cœnobium tranſmutandum ut rem ſuam Fratribus ultro ceſſit & dedit: qui legitima facultate muniti illud acceptarunt; verum transformare hoſpitale in domum Regularem non erat Fratrum pauperiei: Cui tamen inopiæ ſuccurrendæ præſto fuit Illuſtriſſimus Petrus Britanniæ Dux, cujus opem Fratres imploraverant: piam liberalitatem tanti Principis, & Ducis, in fronte Sacelli adhuc exiſtentis ejuſdem Gentilitia Stemmata declarant, & Fundatoris nomen, quo vocabatur, confirmant: at pie cœptis impie ſemper novit obſtare malitia, ne ad finem optatum perducantur: mala ſors pietatis hæc eſt? Nequaquam: at nihilominus Cathedralis Capitulum lites movet ob id in Fratres, & cauſam Capitulares ad Romanam Curiam devolvunt, ibique diſcutitur: Verumtamen Fratres, quibus propria pax eſt, hujuſmodi litigia abhorrentes, locum deſeruerunt, in Conventuſque proximiores ſe receperunt circa annum MCCCCLX.

Petrus Britanniæ Dux ædificat Conventum S. Briaci.

Monum. MSS. Provin. Turon. Mai.

AR-

Anno Christi	Calixti III.	Friderici III. Imp.	Religionis Minorum anno 248.
1455.	anno 1.	anno 16.	

ARGUMENTUM.

Capiſtranus vocatur ad Conventum Principum in Civitate Nova habendum. Moritur Nicolaus V. Succedit Calixtus III. Capiſtranus a multis rogatus, in Hungariam proficiſcitur, ubi dejectos Principum animos in meliorem ſpem contra Turcas erexit, & multa ac magna præſtitit in fidei obſequium. Laboranti Obſervantum Inſtituto ſuccurrit. Ejus precibus Calixtus excitatus, commotos animos ſedare conatur. Obſervantes Ciſmontani generalia celebrant comitia, Vicarium eligunt Baptiſtam Tagliacarne, & quoſdam ſeligunt Pontificis ad ſacrum bellum cooperatores. Moriuntur aliquot pii religioſi. Inſtituuntur Epiſcopi. Ædificantur Cœnobia.

I. Germaniæ aliarumque nationum Principes dixi conveniſſe anno præcedenti primo Ratiſponæ, deinde Francofordiæ, ut quibus copiis, quorumve auxiliis Turcarum Imperatori, Europæ exitio omnes ſuas vires colligenti, reſiſtere poſſent, communibus ſtabiliretur ſuffragiis. Etſi vero plurima his duobus conciliis diſcuſſa, atque aliqua fuerint decreta, viſum eſt repetenda, & firmius ſtabilienda in alio conventu coram Cæſare cogendo, eoque vocandos Boemiæ, Hungariæ, & circumjacentium regionum Magnates, ut ſacra unione & ſummo conſenſu communibus auxiliis contra communem decertaretur inimicum. Deſignatus congreſſui locus Nova-civitas haud procul a Vienna Auſtriaca, quo ſub hujus anni initium multi convenerunt. Illuc etiam vocatus Capiſtranus hæſit Viennæ, donec potiſſimi adveniret, & quam opportune accederet, ab amico Ænea Sylvio Epiſcopo Senenſi, & Legato Apoſtolico per litteras moneretur. Tres hujus argumenti Æneæ ad Capiſtranum, Capiſtrani unam ad Æneam, in quibus etiam de temerariis Boemorum & Rochyzanæ auſibus monet; & quintam Joannis Papienſis Epiſcopi, Apoſtolici etiam Legati, ad Capiſtranum invenio. Tertia & quarta habentur inter Sylvii impreſſas: ſed craſſus error eſt in anno datæ epiſtolæ quartæ, quem etiam inde hauſit Henricus Sedulius, alias vir eruditus; non enim anno MCCCCLXV. (decem ferme annis poſt Capiſtrani mortem) ſed hoc ipſo exarata eſt. Tres reliquas ſelegi ex ſchedis Capiſtrani. Singulas exhibeo, ne pereant.

Capiſtran. vocatus ad conventum Novæ Civitatis.

Sedul. in vita Capiſtr. c. 17.

Reverendo in Chriſto P. fr. Joanni de Capiſtrano, Ord. Fr. Minorum Commiſſario Generali, hæreticæ pravitatis Inquiſitori, Patri, & Præceptori ſuo optimo &c.

II. *Reverende in Chriſto Pater, ac Præceptor honorande. Quia non dubito vobis cordi eſſe, quæ hic gerantur, cognoſcere, ac de conventu futuro aliquid perſentire, ſcribam pauca de ſucceſſu rerum; proinde quid agere debeatis circa veſtrum adventum plenius intelligetis. Dominus Treverenſis cum pleriſque Oratoribus Principum eſt in balneis expectans reditum Cæſaris, qui hodie venturus creditur ex Gretz. Marchio Albertus in Uratislavia ægrotus decumbit, quæ res magno impedimento eſt negotiis fidei, cum ipſe unus ſit ad illa defendenda promptiſſimus. Gubernator Hungariæ cum pleriſque Prælatis ac Baronibus infra decem aut duodecim dies huc venturus ſperatur. De adventu Gubernatoris Boemiæ nondum certi ſumus. Dux Saxoniæ ad medium quadrageſimæ aditurus Cæſarem affirmatur: ante primam Dominicam quadrageſimæ parum ſpero hic fieri poſſe. De Italia mirum ſilen-*

Ex arch. Capiſtr.

ſilentium eſt: neſcio quid dicam, timeo ne omnia negligantur, quando nec minimum reſponſum datum eſt ad litteras ex Francofordia ſummo Pontifici ſcriptas. Alia non occurrunt. Commendo me veſtris orationibus. Ex Nova Civitate die 8. Febr. MCCCCLV.

Veſter Æneas Epiſcopus Senen.

EIDEM.

Indid. III. *Reverende in Chriſto Pater, ac Præceptor honorande. Litteras veſtras, quas heri ad me miſiſtis, oſtendi Cæſareæ Majeſtati, præſente Archiepiſcopo Treverenſi, ac de veſtro adventu, quid ſuæ Majeſtati placeret, interrogavi. Reſponſum eſt, omni tempore gratam eſſe præſentiam veſtram. Quia tamen adhuc pauci convenerunt, ſuadet Imperatoriæ ſublimitas, ut cum primum Boemi venerint, hoc eſt Gubernator regni & qui cum eo fuerint, huc greſſus veſtros dirigatis, ac ſermonibus veſtris Principes & plebes ad ea, quæ Dei ſunt, inſtruatis. Valete in Chriſto, in orationibus veſtris mei memores. Ex Nova Civitate die* XII. *Februarii* MCCCCLV.

Veſter Æneas Epiſcopus Senen.

Reverendiſſimo in Chriſto Patri, Domino ſuo colendiſſimo, D. Æneæ Sylvio Epiſcopo Senenſi &c.

Ex epiſt. Sylvii epiſt. 404. Epiſt. Capiſtrani ad Sylvium. IV. *Quando Capellanus tuus me convenit, tamdem a me ſumme rogatus abiit, ut meis precibus & ſupplicationibus id ageret, ut tu de die & tempore receſſus hinc ad vos mei me certiorem faceres: expectavi ſitiens, & magis præſtolor; fertur enim hic, conventum ipſum huc ac nos Viennam translatum iri, cum non videatur in Civitate Nova omnes Principes cum Oratoribus hoſpitari poſſe pro commodo ſuo. Ea de re te iterum atque iterum exoratum velim, ut dubium me clareſcias, & quid acturus ſim, certiorem reddas. De Principibus qui huc convenerunt, etſi mihi perſuadeam te non latere, hoc tamen dicam. Cum Sereniſſimo Rege Ladislao intraverunt Gubernator Boemiæ & plures Barones: de Hungaris, Epiſcopus Varadienſis tantum; expectantur ceteri; ſed adhuc incertus eſt eorum adventus. Erit non alienum, ut ſignificem tibi rem deteſtabilem, ac cuique bono viro ſolo auditu abhorrendam. Quæritant nonnulli Boemorum ſummas preces Divo Cæſari porrigere, quibus favorem & gratiam ſuam impetret ut ad S. D. N. litteras, ſummo ſtudio petentes confirmationem nefandi hæreſiarchæ Rochizanæ in Archiepiſcopum Pragenſem, dirigat; & hoc pacto fieri poterit unio Eccleſiæ. Quam juſte, bene, recte, & ſancte procedere intendant, Tu, mi Pater, pro tua ſingulari æquitate & prudentia judica. Quid autem ad hanc rem facturum velit Catholica fides, cogita: ego indignitatem tacitam non æquo animo fero. Poſtremum ut me de his, quæ acturus ſim, admoneas, te oro vehementer. Vale longiſſimo ævo, cui me unice commendo.*

Clariſſimo verbi Dei Prædicatori fr. Joanni de Capiſtrano &c.

Indid. epiſt. 405. Epiſtola Sylvii ad Capiſtranum V. *Dabis mihi veniam, Pater optime, ſi tuæ reſponſurus epiſtolæ non plurali, quemadmodum uſus modernorum habet, ſed ſingulari numero te compellaverim. Sic enim & Hieronymi & Auguſtini, & omnium vete-*

veterum obſervantia fuit, meo judicio quam noſtri temporis conſuetudo multo melior atque convenientior. Quid enim abſurdius aut inceptius eſſe poteſt, quam ſi unum allocuturus hominem, audite, *inquam? Majores certe noſtri hoc vitium inter barbariſmi ſpecies numeraſſent. Sed mitto hæc quæ te minime fugiunt, & ad ea venio, quæ tuis in litteris continentur. Scripta tua jucundiſſima & acceptiſſima mihi fuerunt, quæ te ſoſpitem ac tuo more lætum in Auſtriam remeaſſe nunciarunt, atque in urbem veniſſe tibi deditiſſimam Flaviam, quam nunc Viennam dicimus. Scio te illic magno exceptum gaudio, multumque illa in plebe proficere; eſt enim Vienna aptiſſimus ager, cui & committere ſemen Domini, & multiplicatum ſperare non fruſtra poſſis. Quod quæris de tuo ad Cæſarem tranſitu, paucis abſolvam. Videbit te libenti animo quovis tempore Majeſtas Imperatoria, ac velut Apoſtolum Chriſti veneranter amplexabitur. Erit quoque præſentia tua Divæ Auguſtæ ad ſingularem lætitiam, quæ quoniam multa de præcellenti doctrina, vitæque tuæ ſanctitate ex auditu didicit, magnopere cupit tuis aliquando ſermonibus intereſſe, videre, ac audire te prædicantem, ac dulcedinem cœleſtis eloquii deguſtare. Quacumque igitur die huc te contuleris, & honorifice, & jucunde, ac ſtudioſiſſime pro benevolentia Cæſaris, & Auguſtæ deſiderio recipieris. Non tamen, ut mea fert quidem ſententia, ſemper æque frugifer tuus adventus erit: multum eſt in tempore poſitum:* Tempus ſeminandi, & tempus colligendi. Veniſti in tempore, quod eſt omnium primum, *inquit ille;* & *apud alium ſcriptum eſt:* Fati plus etenim valet hora benigni, quam ſi te Veneris commendet Epiſtola Marti. *Fateor ego tuam præſentiam in hac civitate, & in hoc populo ſemper futuram utilem, ſed multo magis Eccleſiæ Dei conſules, ſi congregato conſilio huc venias. Nam quemadmodum Francofordiæ mentes hominum ad tuendam religionem tuis ſermonibus erexiſti, ita & in hoc loco, ſi quis tepor & ſomnolentia fuerit, te urgente atque increpante, pelletur. Ego ut animi mei ſecretum aperiam, & aliquando dicam manifeſte quod ſentio. Non ſum ſine magno metu, ne ruant ædificia noſtra, quæ apud Francofordiam ereximus. Titubant, ut video, mentes Principum, torpent Reges, languent populi, navicula piſcatoris grandioribus eliſa procellis in medio mari pene demergitur; ſtant hinc atque illinc contrarii venti, ſcinduntur vela, frangitur malus, carina debiſcit, nulla remigibus cura, neque magiſtro ſpes ſalutis eſſe videtur. Omnes quaſi attoniti tempeſtati cedimus. Opus erit igitur ſermone tuo, calcari tuo, igne tuo: excitandi, urgendi, incendendi ſumus; niſi compellimur benefacere, noſtrapte ingenio nihil eſt quod de republica cogitemus, atque utinam vel compulſi aliquando vigilemus. Aderunt hic, niſi fallor, ex Alemannia, ex Boemia, ex Hungaria multi Proceres. Ex Italia quoque, atque ex ipſa Gallia nonnulli adventabunt: agetur tuendæ religionis noſtræ negotium: quæ mediata ſunt, quæ concluſa ſunt Francofordiæ, in manus recipientur. Tum quæ mens Principes noſtros habeat, intelligemus; ſi fervere videbimus animos, agemus Deo noſtro gratias, qui ſuam nolit Eccleſiam noſtris diebus exterminari. Laudabit oratio tua fortes ac magnanimos Proceres, plenoſque ſpei reddet, ac bene vadentes in curſum provocabit. At ſi timidos vel diſcordes populi noſtri duces inveneris, tunc tuo fungeris officio: tunc ſine ceſſatione clamabis, ac quaſi tuba exaltabis vocem tuam; accuſabis ignaviam, ſuperbiam criminaberis, avaritiam deteſtaberis. Hæc ſunt enim tres perniciоſiſſimæ peſtes, quæ religionem noſtram Turcorum gladio pene ſubjiciunt. Quod ſi humiles, ſi ſolertes, ſi liberales eſſemus, exercitum facile cogeremus, qui nedum Turcorum, ſed omnium infidelium potis eſſet audaciam proterere; ſed alios retinet ambi-*

Eccleſ.3.
Terent. Heaut.2.
Juven.Satyr.16.

tio, ne cujuſque imperio ſubeſſe velint. Omnes Jaſonis morbo laboramus,
Arist. 5. Polit. c. 3. *quo, ut eſt apud Ariſtotelem in Politicis, graviter ferebat, ſi non regnaret, quaſi neſciret privatus eſſe. Sed fortaſſe gnarus imperandi fuit. Nos quamvis domui noſtræ utiliter præeſſe neſciamus, in alios tamen magiſtratum affectamus. Alios in deliciis natos, in plumis enutritos, in voluptatibus merſos, vecordia domi proſtratos habet; hi neque famem, neque ſitim, neque labores ullos perferre poſſunt. Rempublicam perire malint, quam æthere turbido domum exeant, neque ſi generis humani impedire ruinam poſſint, id agent, ſi unius diei propterea fuerit voluptate carendum. Aliis nihil ſatis eſt quod habent, unicum ſtudium eſt rapere, & ad ſe cuncta trahere, quæ mari ac terra vehuntur: nihil magnifice, nihil ſpendide agitant; quidquid agunt, tardi ac moroſi ſunt, ſemper conſiderantes in eo quem nummum expendant, atque hoc ipſum cum querelis agunt, & cuncta majora, quam oportet, ſe facere exiſtimant:* Virg. 3. Æneid. Triſtius haud illis monſtrum (*ut nobiliſſimi Poetæ verbis utamur*) nec ſævior ulla Peſtis, & ira Deum Stygiis ſeſe extulit undis: Virginei volucrum vultus, fœdiſſima ventris Proluvies, uncæque manus, & pallida ſemper Ora fame. *Sic ille ſub harpyarum forma deſcripſit avaros. Difficile eſt cum his hominum monſtris, imo certe impoſſibile rem Chriſtianorum ſoſpitem eſſe. Ruimus, atque in præcipitium labimur, niſi has beſtias aut occidimus, aut noſtris ex finibus propulſamus. Aut perire oportet, aut mutare prave & perverſe introductum morem. Tua erit igitur hæc provincia, tuum erit cum hiſce beſtiis congredi, ſi quas noſtrum conſilium huc advexerit; ego quidem non ambigo adventuras quam plurimas. Theatrum hoc in loco futurum eſt, ludos Circenſes habebimus, ajunt ædiles noſtri ſpectacula magnificentiſſima ſe edituros, qualia neque Julii Cæſaris, neque Gnei Pompeii, neque poſteriorum Cæſarum fuiſſe traduntur. Neſcio cujuſmodi erunt hæc, neſcio an producentur heſterni orbis monſtra, an ſolummodo quæ apud nos habentur, feræ. Nam & iſtæ horribiles ac teterrimæ poſſunt jam:* Virg. 7. Æneid. Hinc exaudiri gemitus, iræque leonum Vincla recuſantum, & ſera ſub nocte rudentum: Setigerique ſues, atque in præſepibus urſi Sævire, ac formæ magnorum ululare luporum; Quos hominum ex facie Dea ſæva potentibus herbis Induerat Circe in vultus ac terga ferarum. *Lycæus quoque Arcadum Deus, neſcio quomodo ad nos convolavit, qui ſui cultores convertit in lupos.*
Vide Aug. l. 18. de Civit. cap. 17. & Iſidor. lib. 8. Orig. c. 9. *Fortaſſis & Boemia nobis aliquam ex Apocalypſi beſtiam mittet, quæ arcum bicornis ambiat. Si fuerit venatio noſtra vel mediocris, multa in caſſes noſtros dabitur præda, implebitur arcus feris diverſis, niſi acutus oris tui gladius dimicaverit. Nemo eſt, qui talibus beſtiis obviam eat, neque tu hanc pugnam infamem duces, quia inteſtabiles velint leges, qui cum beſtiis pugnant: jam ſupra triginta annos hujuſmodi bellum geris; nunc Italiæ, nunc*
ff. de poſtulat. l. 1. §. Item ſenatus. Vide gloſ. in c. qui venatoribus 86. d. *Galliæ, nunc Germaniæ beſtias inſectaris, & alias quidem occidis, alias in humanam redigis formam: nam quas Circe, quaſve Lycæus ex hominibus veneno ſuo feras effecit, has tuus ſermo ancipiti gladio penetrabilior ex feris iterum homines reddit. Quod ſi victrix tua virtus theatrum exierit, ſpes certiſſima majoris victoriæ dabitur; tunc enim exercitum adverſus hoſtes externos parare poterimus, cum domeſtici fuerint ſeparati. Abſit avaritia, faceſſat ignavia, ejiciatur ſuperbia; nihil eſt quod Turcorum potentiam formidemus: vincat ſe quiſque neceſſe eſt, ut ſui potens, ſuique dominus ſit, qui ſuperare alios contendit. Eſt igitur mea ſententia, ſi voci meæ placet auſcultare, huc te demum conferas, cum Principes ad diem conſtitutam comparuerint. Eadem quoque Majeſtati Cæſareæ, quam de re hac conſultam habui, mens eſt: medio tempore pulcherrimam excoles Viennæ vineam, ubi jam torcular*

cular erexiſti, quod vina in cellam Domini puriſſima exprimit. Hæc ad quæſitum tuum, quamvis tua prudentia per ſeſe melius omnia noſcat. Nunc de novitatibus pauca ſubjiciam. Italia noſtra, excepta Etruria, univerſa quieſcit. Sed angulus ille meæ patriæ turbulentus eſt. Domini de Pitiliano, qui ex familia Urſinorum dicuntur, rupto fœdere contra jus faſque, Senenſium agrum populati ſunt, Comes Everſus, ejus fidei, cujus nominis, illis auxilia eſt, neque tamen ſimul junctis pares Senenſibus eſſe poſſent, ſed habent occulta ſubſidia. Sunt qui clanculum pecuniam ſubminiſtrant. Veneti mille equites miſere, qui Senenſium partes adjuvant. His Carolus Gonzaga præfectus eſt. Sigiſmundus Dux exercitus Senenſis habetur; pugnatum eſt utrinque ſumma vi; patria mea & igne deletur: vicini quaſi ludum reſpiciunt. Solus Romanus Pontifex ejus litis arbitratorem ſe fecit, ſed hic propter adverſam valetudinem parum hactenus profecit. Spero tamen ejus ſapientiam hoc incendium prius extincturam, quam ultra ſerpat. Januenſes, quaſi clariſſimus ille Rex Aragonum & Siciliæ ſibi fuerit injuriatus, cum grandi & admiranda claſſe in portum uſque Neapolitanum navigavere, ac veluti incuſſuri metum, tum Regi tum regno ſe oſtenderunt. Et quoniam parum dilectos in terra Catbelanos crediderunt, motus aliquos Procerum ſperavere. Rex autem Alphonſus, quem neque ſecunda extollere, neque adverſa deprimere conſueverunt, forti animo contra reſtitit, urbem ac portum magnifice communivit, bombardis, ac aliis machinis hoſtes appropinquare prohibuit, regni Proceres nunc terrendo, nunc cohortando in fide retinuit; adeoque prudenter & accurate cuncta diſpoſuit, ut ne vel minimus toto regno tumultus exortus fuerit. Ejecti igitur e ſpe ſua Januenſes, relicto Rege, Gilium parvam inſulam in Etruſcio mari Telamoni oppoſitam, quæ Regi parebat, occupavere. Burgum caſtri Leonis, quod in Tuſcia eſt ejuſdem Regis, deprædati ſunt. Rex interea ipſe claſſem non parvam armavit, qua Januenſium triremes inſecutus, ex his ſeptem apprehendit atque excuſſit. Veneti, & qui nunc Mediolanenſi Ducatu potitur, Franciſcus Sforcia Vicecomes, Florentinorum quoque Reſpublica inter ſe fœdus iniere, quod omnibus Italiæ communitatibus volunt eſſe commune. Burſius Dux Mutinæ unus etiam ex confœderatis habetur. Ajunt & Januenſes inſcriptos eſſe. Sunt qui dicunt & Romanum Pontificem confœderationi conſentire, atque accedere rogatum reſpondiſſe, qui pater ſit omnium communis, eum non debere filiorum vinculis alligari; laudaſſe tamen Italiam eſſe unanimem, quod eo modo Turcorum conatus facile poſſit elidere. Alphonſus Rex, de quo ante locuti ſumus, quamvis pacem Italiæ complexus fuerit, de fœdere tamen nihil adhuc recepit; neque puto, magnanimum illum Regem, ſapientia & auctoritate præditum, æquo animo ferre, nunc pacem, nunc colligationes ſe neſcio fieri, ſibique demum, quas nequeat immutare, leges offerri. Cognoſcit & ipſe ſtatum ſuum, & quæ ſuæ dignitati conveniant, mente revolvit. Miſſi ſunt ad eum legati trium Potentiarum, cumque his profectus eſt Cardinalis Sanctæ Crucis, Apoſtolicæ Sedis Legatus, quem Firmanum appellant; illius prudentia, auctoritate, ac vitæ munditia memorabilis, qui medius inter Regem & Oratores eo miſſos arbitrum concordiæ gerat. Rex ob eam cauſam Cajetam ſe contulit, ibique legationes audivit. Neſcio quid inde ſperem; quia tamen inclyto illi Regi res altæ ac magnificæ ſemper cordi fuerunt, fortaſſe, ut adverſus Turcos bellum gerere poſſit, quod eſt unicum ejus propoſitum, unionem Italiæ complectetur. Veneti pacem cum Turcis habent, quam coacti fecerunt, ne civitates Orientis amittant. Id manifeſtant leges utrimque dictæ, quantum ad Chriſtianos pertinet, parum honorificæ. Nequeo meditari quid actura ſit illa Reſpublica, ſi de bello gerendo con-

contra Turcos agamus, neque de Ravennenſibus, quid dicam, ſcio. Omnes de dominio retinendo, quam de fide ſervanda ſollicitiores exiſtunt: Cedit fides
Juven. Satyr. 8. *honori, nummis honor.* Quid enim ſalvis infamia nummis? *inquit ille. Emetur tota Chriſtianitas ſi reperiat emptorem; parebunt omnia Turco, ſi dabit aurum: venalis eſt noſtra religio. Caramanus per hos dies ad Cæſarem noſtrum litteras dedit, quarum exemplar tuæ Paternitati cum præſentibus edo. Videtur ille adverſus Turcos inflammatiſſimus, ſi Chriſtianorum arma concurrere ſentiat. Vetuſtæ litteræ ſunt, & Auguſto menſe ſignatæ: multa interea intervenire potuerunt, quæ Principis ejus abalienarunt animum. Nihil ille faciet niſi ex commodo ſuo. Nam quo pacto Sarracenus cum domino ſuo Chriſtianorum ſigna ſequatur, quando nec Chriſtianus cum periculo Chriſtianis aſſiſtit? Joannes Comes Hiſtricenſis, qui nunc gubernat Hungariam, unicus Turcorum metus, & fortiſſimus noſtræ religionis gladius, triginta duo millia Turcorum ſuperioribus diebus apud Sendelorum conflixit; Fritzbegum ducem exercitus vinctum abduxit, cædem magnam fecit, agros hoſtium uſque ad ipſam Zophiam ferro & igne vaſtavit. Mahometus autem Turcorum Imperator, hoc accepto vulnere, magnum conflavit exercitum, jamque intra Bulgariam in campo ſedet, hinc Budam, inde Pyrotham reſpiciens eo propoſito, ut proximo vere regnum Hungariæ populetur. Nihil ſibi dubius, quin terram ac gentem ſibi ſubjiciat. Idem quoque & Hungari timent, niſi ceterorum Chriſtianorum manibus adjuventur. Hæc noviſſime ſcripſit Joannes iſte Cæſareæ Majeſtati. Tantum eſt quod de novitatibus ſcribere poſſum. Cupio te cum Fratribus bene valere, & in orationibus, quas divinæ pietati die noctuque porrigis, memorem eſſe. Anno* MCCCCLV.

Reverendo in Chriſto Patri Domino Fr. Joanni de Capiſtrano, Vicario generali, & hæreticæ pravitatis Inquiſitori, Patri & amico meo optimo.

Ex arch. Capiſtr. VI. *Reverende in Chriſto Pater, & amice mi honorande. Quia puto de proximo P. V. venturam, non extendam me multum in ſcribendo de his, quæ communicanda veniunt, quamquam non dubito, ex Roma fueritis admoniti de concurrentibus per litteras, quas detulit, ut dicunt, Guido curſor; nam ego eum non vidi. Gaudeo quod intelligo, Viennam adveniſſe aliquos ex Dominis Hungaris, qui etiam huc venturi ſunt pro facto communi Turcarum, quod utinam plus inſideret cordibus iſtorum. Sed de hoc alias. Spero quod ſanctæ veſtræ exhortationes multum proderunt, ideo in adventu prædictorum dominorum jucundiſſimus erit mihi adventus veſter. In Chriſto valete. Ex nova Civitate* VIII. *Martii* MCCCCLV.

Veſter Joannes Epiſcopus Papien. & Comes.

Capiſtranus venit ad dietam. VII. Veniſſe demum Vienna in Civitatem Novam Capiſtranum, atque huic Principum cœtui interfuiſſe, aſſiduiſque prædicationibus populum ad arma contra Turcas excitaſſe, ſcribit auctor commentariorum Pii II. eoque rei promotoribus cooperatus eſt fructu, ut omnia propemodum favorabiliter concluderentur, certaque ferme eſſet ſpes æſtate proxima ingentes copias in hoſtes educendi. Sed ecce, mors Nicolai Pontificis telam longo tempore ordiri cœptam uno momento intercidit, vanaſque hominum cogitationes, & inanes curas oſtendit. Diſſoluto enim concilio, cuncta ad nihilum redacta, ſpeſque omnis evanuit communibus armis quidquid aggrediendi. Primi & præcipui negotii actores erant bini illi legati Apoſtolici,

Vide comment. Pii II. lib. 1.

Moritur Nicolaus V.

lici, qui Pontificia potientes auctoritate, ſalutaria quæque ſuadebant, & Principum animos contra teterrimum hoſtem confœderabant. Ubi tanti nominis dignitas emarcuit, ſtatim in univerſo cœtu rei bene gerendæ omnis ardor elanguit. Incidit mors hæc importuna Nicolai in nonum Kal. Aprilis, poſtquam optime Dei Eccleſiam annis octo, diebus XIX. gubernaſſet. Minoribus ſumme addictus, univerſum Sodalitium multis magniſque beneficiis devinxit. Si tranquillius inveniſſet, nobilius reddidiſſet, & tempus quod pacificandis familiis, ac componendis tumultibus abſumpſit, honorificandis viris, & magnificandæ Religioni libentius conſecraſſet.

Minoribus ſumme addictus.

VIII. Circa ſucceſſorem deligendum diſcreparunt Cardinales, & uno atque altero ſcrutinio incaſſum peracto (in quorum ſecundo Antonium a Monte-Falcone Minoritam, magnæ virtutis & famæ, tunc in Urbe præſentem, cujus merita & publica munera annis ſequentibus referemus, ſuffragiis præter opinionem ſufficienter concurrentibus ferme renunciatum Pontificem, ſcribit Synchronos Marianus Florentinus) tamdem poſt dies ſeptemdecim Alphonſus Borgia Hiſpanus, patria Valentinus, multis ſub Eugenio & Nicolao præclare functus muneribus, Presbyter Cardinalis tituli ſanctorum quatuor Coronatorum, Pontifex electus eſt VI. Idus Aprilis ſub nomine Calixti III. coronatus Kalendis Maii ante fores Baſilicæ Principis Apoſtolorum Vaticanæ, per Proſperum Columnam, Martini V. nepotem, Diaconum Cardinalem ſancti Georgii ad Velabrum, S. R. E. Archidiaconum. Hujus ad Pontificatum aſſumptio omnium animos in ſpem novam erexit; quippe non prius ad ſummam hanc dignitatem evectus, quam animum ad delendam Turcarum legem, & gentem converterit, votumque voverit in hanc formam conceptum: *Ego Calixtus Papa III. promitto & voveo ſanctiſſimæ Trinitati Patri & Filio & Spiritui ſancto, Dei genitrici ſemper Virgini, ſanctis Apoſtolis Petro & Paulo, totique Curiæ cæleſti, quod etiam ad effuſionem ſanguinis proprii, ſi opus fuerit, dabo operam, & adhibebo omnem diligentiam, quantum potero, juxta conſilium venerabilium Fratrum meorum, pro recuperatione civitatis Conſtantinopolitanæ, quæ, heu! peccatis hominum exigentibus, noſtris temporibus occupata, & everſa eſt per Jeſu Chriſti Salvatoris noſtri inimicum, filium diaboli Mahometum & Turcorum dominum; pro liberatione deinde captivorum Chriſtianorum, necnon ad exaltationem fidei Orthodoxæ, ad exterminationem diabolicæ ſectæ reprobi perfidique Mahometi in partibus Orientalibus, ubi maxime lumen fidei occubuit. Quod ſi oblitus fuero tui Hieruſalem, oblivioni detur dextera mea, & adhæreat lingua faucibus meis, ſi non meminero tui, & ſi non propoſuero Hieruſalem in principio lætitiæ meæ. Sic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Evangelia.*

Suffragia Cardinalium coeunt in Antonium a Monte-Falcone.

Marian. l. 5. c. 29.

Marc. 3. p. l. 4. c. 25.

Renunciatur Pontifex Alphonſus Borgia.

Dictus Calixtus III.

Vovet Turcarum exitium.

IX. Deſtinatis itaque in Galliam, Hungariam & Orientem Legatis primariis S. R. E. Cardinalibus, navalia (quod antea inauditum fuerat) Romæ conſtituit, triremes ad ripam Tyberis in civitate Leonina paravit & armavit; Principes omnes ad bellum hoc ſacrum convocavit; Prædicatores per totam Europam ſtatim diviſit, qui Chriſtianam gentem in Turcas excitarent, & ferendis belli ſumptibus pecunias colligerent. Ubi felix hoc nuntium ad aures pervenit Principum Hungariæ, quorum maxime intererat, quem pridem deſponderant animum, læti reſumpſerunt; & Capiſtranum antea concupitum, effuſis precibus, repetitis votis, communibus & ſingulorum litteris, ut in Hungariam proficiſceretur, in tanto rerum diſcrimine opem laturus, & dejectos animos in ſpem meliorem ſuis concionibus erecturus vocarunt.

Bello parat neceſſaria.

Capiſtranus vocatur in Hungariam.

X. Lit-

X. Litteras ei missas habeo Ladislai Regis Hungariæ, Joannis Corvini de Huniad Regni Vaivodæ seu Gubernatoris, Georgii Rasciæ Despoti, Ladislai de Gara Hungariæ Palatini, & Judicis Comanorum; Nicolai de Vilach Vaivodæ & Bani, seu Præsidis Michoviæ, Ulrici Ciliæ, Ortemburgæ, Zagoriæque Comitis, necnon Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæque Bani; Dionisii Cardinalis Archiepiscopi Strigoniensis; Joannis Varadiensis, Andreæ Quinqueecclesiensis, Ladislai Agriensis & Petri Chanadiensis Episcoporum. At ille religiosius duxit, nihil inconsulto novo Pontifice, & absque prævia ejus benedictione intentare. Scripsit itaque Calixto sequentes litteras celsissimæ dignitatis gratulatorias, & rei Christianæ periclitantis monitorias. Orat, suadet, urget, ut inclinanti orbi Christiano humeros supponat, & ne prorsus corruat, sua cura & pietate provideat. Epistolæ exordium obscurum est: mysterium ex alia ad Joannem Legatum missa licet aperire. Nicolaus Pontifex Fratricellos exterminaturus ante aliquot annos, uti narravimus, Fabrianum profectus, inter reliquos Cardinales itineris socium habuit Alphonsum hunc Valentinum. Aderat Capistranus, cui scilicet præcipue negotium extirpandæ hæresis erat commissum. Eo familiariter utebatur Alphonsus, cujus amicitiam a longo tempore probavit, etenim ejus partes amice agebat, & solerter promovit apud Martinum & Eugenium Pontifices. Huic itaque aperte & absque tergiversatione dixit Alphonsus, se Nicolai fore successorem. Ab illo proinde tempore eum in magna veneratione habuit Capistranus; licet alii, quibus ante & post Nicolai mortem hoc ipsum retulit Alphonsus, innixus vaticinio Vincentii Ferrerii, suæ nationis hominis, quem postea Sanctis adnumeravit, eum tamquam senem, utpote septuagesimum septimum agentem annum, plane putaverint delirare. Ecce Capistrani Epistolam, cui subjungo Calixti responsionem.

Gratulatur novo Pontifici, petitque licentiã in Hũgariam transeundi.

Ann. 1449. *n.* 10.

Beatissimo Patri Calixto III.

Ex arch. Capistr.

XI. *Beatissime ac vere Sanctissime Pater, sacros exosculor pedes, & nunc absens calamum depono ob tuæ sanctitatis reverentiam & devotionem, terramque osculor, tribus Fratribus præsentibus & videntibus. Tantus me terror invasit, o Pater sanctissime, cum verbum illud audivi ex ore tuæ Beatitudinis, dum in minoribus agens, in Fabriano diem vigiliæ omnium Sanctorum denotasses, ut ex tunc decreverim numquam T. S. quidquam scribere, nisi prius Christum Domini adorarem, quod & servavi usque adhuc. O altitudo divitiarum Sapientiæ & scientiæ Dei, quam incomprensibilia sunt judicia ejus! distulit Dominus, sed non sustulit quod præsentibus temporibus utilius jam perfecit. Novit ille qui nihil ignorat, cuncta suis congruis dispensare momentis. Multa prædixerunt de Christi adventu Prophetæ quamplures: unus prædixit*: Cito veniet gradiens ad aperiendum. Isa. 51. *Alius dixit*: Veniet desideratus cunctis gentibus. *Aggæi* 2. *Alius inquit*: Deus manifeste veniet, *Psal.* 49. *& alibi*: Excita potentiam tuam & veni, ut salvos facias nos. *Psal.* 79. *Alius autem ait*: Veniat dilectus meus in hortum suum. *Cant.* 5. *Alius vero dixit*: Veniens veniet & non tardabit. *Habacub* 2. *Alius*: Ecce Rex tuus venit tibi justus & Salvator. *Zachar.* 9. *Alius*: Statim veniet ad templum sanctum suum dominator, quem vos quæritis. *Malach.* 3. *Præterit nos tempus, Pater sanctissime, de pœnitentia in Ninive, de Daniele in Babilonia, de Joseph in Ægypto, de Moyse in deserto, & de reliquis qui prænunciaverunt adventum justi Christi Jesu Domini nostri*: At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum. *Ad Galat.* 4.

lat. 4. Ecce agricola expectat pretiosum fructum terræ, patienter ferens, donec accipiat temporaneum & serotinum. *Jac.* 5. Expectat & Dominus ut misereatur nostri. *Isa.* 30. *Elegit ergo te Deus Sacerdotem sibi ad sacrificandum ei hostiam laudis in tempore opportuno, ut zelus domus Domini comedat sanctissimum cor tuum, ad occurrendum incendio jam conflato in opprobrium Crucifixi, & despectum nominis Christiani per diabolicum tyrannum Mahometh Turcarum Imperatorem. De tali ergo & tanto pastore nobis e cœlo lapso, a Deo vocato, tamquam Aaron cum virga florida virtutum Dei, lætentur cœli & exultet terra, commoveatur mare & plenitudo ejus, orbis terrarum, & universi, qui habitant in eo, quia constituit te Deus super gentes & regna, ut evellas hæreses & destruas schismata & dispersas infideles perfidos, & dissipes machinationes & technas impiorum, & ædifices Catholicos, & plantes Catechumenos. Extende nunc primitus tamquam Moyses manus tuas ad Deum, qui te elegit, ut Deus ipse pugnet pro salute fidelium populorum: aperi thesaurum Christi, & Ecclesiæ sanctæ suæ spiritualium temporaliumque munerum. Tempus congregandi & tempus spargendi. Aurum habet Ecclesia non ut servet, sed ut eroget, & subveniat in necessitatibus. Nonne melius in thesauris collecta conflat Sacerdos propter alimoniam pauperum, si aliqua subsidia desunt, quam si sacrilegus contaminet, & asportet hostis? Melius est vasa viventium servare, quam metallorum, dixit Amb. lib. 2. de officiis, & habetur 12. q. 2. c.* Aurum. *Et Hieronymus ait: Gloria Episcopi &c. ibidem. Non ut Minervam docere præsumam hæc exaro, sed ut meam aperiam conscientiam. Vere puto gratius esset Petro, & Deo acceptius, quod in hac evidenti necessitate fideique periculo ornamenta Basilicæ Salvatoris & Apostolorum Petri & Pauli conflarentur, & distraherentur pro tuitione Christianæ religionis, quam si omnes Ecclesiæ Urbis & orbis, turres, & palatia fabricarentur auro mundo, & componerentur lapidibus pretiosis. His in partibus nulla est cura, nec sollicitudo; satis laboravit ornatissimis orationibus & exhortationibus Reverendiss. Dom. Episcopus Papiensis; valde insudavit Reverendiss. Dom. Episcopus Senensis, mei autem labores & pericula taceantur. De Polonia, de Boemia, de Moravia, de Austria, de Bavaria ad Ratisponensem, deinde ad Francofordiensem dietam, ad Viennam, ad dictam Novæ Civitatis in præsentia sacri Imperatoris: ad ultimum conclusum est, quod pro præsenti anno nihil fieri potest, sed anno futuro ad festum Ascensionis Domini se dicunt velle parare. Heu! Pater sanctissime, quot animæ Christianorum interim jacturam patientur, & pericula damnationis æternæ. Melius est ante tempus occurrere, quam post vulneratam causam remedium conferre. Exurgat igitur Deus, & dissipentur inimici ejus, & fugiant, qui oderunt eum, a facie ejus. Exurgat & tua Sanctitas, & Serenissimum Regem Aragonum, Hierusalem & Siciliæ &c. armis orna & robora cælestibus & terrenis, plenaria tibi tradita potestate etiam utriusque imperii, cælestis videlicet & terreni. Huic Serenissimo Regi scripsi me putare, & optare quod suæ Majestati Deus Altissimus hanc nominis & famæ immortalitatem, necnon & ex hoc sancto negotio gloriam perpetuam reservavit. Excita, Pater sanctissime, dormientes, unge & punge pastorali baculo crucis Christi; renova fel. recordat. tui Prædecessoris edictum; deputa tubatores & præcones boni & ferventis zeli, justæ vitæ & sanæ doctrinæ, viros potentes opere & sermone, qui odiant avaritiam, & omnem immunditiam & nequitiam; qui solum Dei honorem & gloriam, animarumque salutem expetant & perquirant, qui parati sint tradere animas suas in mortem pro defensione sanctissimæ Catholicæ veritatis & fidei, ac Reipublicæ Christianæ. O Pater*

Amb. 2. de offic. c. 28.
Hieron. ep. 2. ad Nepotian.

bea-

*beatiſſime, miſerere lacrymis & ſingultibus & gemitibus populorum & Græcorum & Raſcianorum, qui, Dei forte judicio diſponente ſive permittente, propter eorum errores & ſchiſmata, in prædam ducti & venundati ſunt tamquam bruta animalia: miſerere puellis virginibus, nuptis, viduis, orphanis & pupillis; miſerere Italiæ & omni populo Chriſtiano: tolle moras, ne tarditate providentiæ nos etiam par occupet interitus, quaſi tempeſtas ingruens ad perniciem & ruinam. Utinam ego puſillus & inutilis poſſem me, non dico clypeum vel thoracem, ſed * bavatum, vel quid minus ſub pedibus equorum pro Chriſto pugnantium, ſupponere & conculari. Sæpe quippe poſtulatus ſum, & frequentius requiſitus per Sereniſſimum Dominum Regem, ceteroſque Principes & Prælatos tam Eccleſiaſticos quam ſeculares, Hungariam Raſciamque petere cum exhortatione divi Imperatoris, & Reverendorum Dominorum Legatorum Apoſtolicorum Papien. & Senen. cum inſtantiſſimis & efficaciſſimis litteris DD. Deſpoti Raſciani, & Joannis Huniad Gubernatoris Hungariæ, ceterorumque Baronum, quibus me iturum pollicitus ſum, niſi a ſancta Sede Apoſtolica aliud ſuſceperim in mandatis. Sum itaque nunc in itinere progreſſurus Budam ante feſtum Pentecoſtes. Caniculus igitur & vermiculus T. B. me ſubmitto ſanctiſſimis pedibus T. S. ut de vita & morte puſillæ miſeriæ meæ diſponat ad nutum, & mea inutili ſervitute utatur ad libitum voluntatis, tuæ clementiſſimæ gratiæ & liberalitati commendans obnixe, & efficacia quanta poſſum, religionem Seraphici Patriarchæ Franciſci, quammaxime Fratres, qui de Obſervantia nuncupantur, die noctuque orantes omnibus canonicis horis in fine pro conſervatione felicis & ſanctæ vitæ B. T. Quam dignetur Altiſſimus ad vota tueri temporibus longævis & ævo ſempiterno Eccleſiæ ſanctæ ſuæ, & ad ultimum vitæ terminum una cum grege ſibi credito perducere ad triumphum gloriæ Beatorum. Ex oppido Indimburgæ Provinciæ Auſtriæ* MCCCCLV. *die Apoſtolorum Philippi & Jacobi, manu propria, noctis tempore feſtinanter.*

* 1. *ſimus vel ſtercus.*

Tuæ clementiſſimæ Sanctitatis inutilis creatura
Fr. Joannes de Capiſtrano Ordinis Minorum minimus & indignus.

Dilecto filio fratri Joanni de Capiſtrano, Ordinis Minorum de Obſervantia.

XII. *Dilecte filii, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Etſi devotionem tuam libenter videremus, grataque nobis multum eſſet præſentia tua, tamen conſiderantes, quam ſalutares fructus iſtis in locis per te Deus poterit operari, quodque ad intentionem noſtram parandæ expeditionis in Turcos, ad quam indefeſſo ſtudio intendimus, permaxime conducit, te iſtic eſſe, opuſque incæptum ferventer continuare; ideo devotionem tuam hortamur, dilecte fili, & in virtute ſanctæ obedientiæ tibi per præſentes mandamus, ut donec aliud a nobis in mandatis habueris, ex iſto inclito regno Hungariæ & locis infidelibus proximis, ubi utilior eſſe poſſis, nullo modo diſcedas, ſed monendo, prædicando & exhortando tam Prælatos, quam Principes ſeculares, & regni præfati Barones, populoſque iſtos ſancti Petri devotos, omnia privatim & publice opereris gratia cœlitus tibi data, quæ ad conſervationem fidei Chriſtianæ, & everſionem infidelium conducere arbitreris. In quo certe obſequium Deo gratum præſtabis, & iſtis periculoſis temporibus maxime neceſſarium. Nos autem poſt aſſumptionem noſtram ad hujus ſummi Apoſtolatus apicem, ad hoc ſanctum opus ſedulo efficacem operam dedimus, & quan-*

Ex autographo.

quantum donare nobis Deus dignabitur, daturi in poſterum ſumus, firmiter ſperantes auxilia opportuna a nobis, ceteriſque Chriſtianis Principibus cito affutura. Qua ex cauſa te iſthic eſſe hoc tempore maluimus, quem etiamſi hic haberemus, neceſſario ad iſta loca mittendum arbitraremur. Tu igitur juxta datam tibi a Deo gratiam & prudentiam ad cauſam fidei animoſe te accinge, & nobiſcum in tanta re tamque ſalutari cooperare, quod potes, confidens in Domino, qui dat gratias & largitur præmia, quod his noſtris laboribus pie ſuſceptis exitum concupitum miſericorditer præſtabit. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo piſcatoris die XX. *Julii* MCCCCLV. *Pontificatus noſtri anno* I.

Pergit Capiſtr. in Hungariam.

XIII. Antequam reſponſum hoc Caliſti reciperet Capiſtranus, oportuit in Hungariam proficiſci; repetitis enim litteris, miſſiſque oratoribus inceſſanter urgebant Rex Ladislaus & Regni Primates. In itinere intra Hungariæ fines conſtitutus cogitavit, & experimento probavit, confirmandis fidelibus, & convertendis hæreticis omnino ſibi opus eſſe auctoritate Inquiſitoris & Commiſſarii Apoſtolici, qua prius ſub Nicolao Pontifice pollebat, omnemque ſibi poteſtatem ab eodem conceſſam deberi a Calixto confirmari. Ut ita faceret, his litteris exoravit, interceſſoremque adhibuit Dominicum Cardinalem Firmanum, Ordinis Protectorem, ſuumque peculiarem fautorem. Calixtus abſque mora poſtulata conceſſit. Omnium do inſtrumenta.

Petit & impetrat a Calixto priſtinæ poteſtatis confirmationem.

Sanctiſſ. Dom. & Beatiſſ. Papæ Calixto III.

Ex arch. Capiſtr. Hebr. 4. v. 16.

XIV. *Beatiſſime Pater, devotionis oſculum ante pedes.* Ad trhonum gratiæ cum fiducia recurrendum *teſtatur Apoſtolus pro liberali gratia & miſericordia impetranda in auxiliis opportunis. Et quia nihil ad præſens mihi eſt gratius expectandum, quam ut certior factus ſim, quod de mente & beneplacito tuæ clementiſſimæ Sanctitatis, ex tua certa ſcientia, & motu proprio de me tua, quamvis puſilla, tamen fideliſſima creatura diſponere intendat plenitudo auctoritatis & poteſtatis, tibi tamquam Petro cælitus commiſſæ per Dominum Jeſum Chriſtum, hoc mihi ſolum in terris optabile cenſeo, hoc totis viribus concupiſco, ut ſciam, quid acceptum ſit coram oculis tuæ præcellentiſſimæ Sanctitatis. Dixerim hæc, B. P. eo quod jam prope quadrageſimum annum in ſacra Minorum Ordinis religione, etſi perfunctorie, an forte negligenter perſeverans, non meis meritis, ſed quadam pia & benigniſſima ſuper meas vires & minimas facultates percepta confidentia, per Sacroſanctam Romanam Eccleſiam a primo anno laudabilis aſſumptionis fel. rec. Martini Papæ V. exercitatus ſum in nonnullis commiſſionibus & conceſſionibus mihi impoſitis & impenſis; & ab inde in poſterum ſucceſſivis temporibus per ſanctæ memoriæ Eugenium & Nicolaum, tuæ piiſſimæ Sanctitatis prædeceſſores, ut patentiſſime poſſum oſtendere per plurificatas & multiplicatas litteras Apoſtolicas efficaces & authenticas, bulla plumbea communitas, & per Brevia Apoſtolica ab illo primo anno Martini uſque hodie ad numerum forte ſexaginta. Nunc autem & vitam meam & animam & corpus, & præfatas litteras & Brevia, & quidquid in mea parvitate ſubſiſtere poſſet, & libros ad uſum conceſſos, & alia quæcumque utenſilia, vel per ſanctam Sedem Apoſtolicam, vel per auctoritatem Ordinis mei mihi concredita, & ſingula univerſaliter & particulariter ad pedes tuæ felicitſſimæ Sanctitatis offero & repono, ut de vita mea & ceteris omnibus tua Sanctitas diſponat & determinet ad libitum voluntatis. Et ſi me perpetuis carceribus T. S. manciparet, hoc mihi munus*

ſingulariſſimum & gratioſiſſimum a Domino Jeſu Chriſto reputabo collatum, & tamquam ſi ex ore Chriſti Jeſu propriis auribus perciperem, omne minimum tuum verbum curabo fideliſſime & promptiſſime adimplere uſque ad ſanguinis effuſionem, & mortis ultimum exterminium. Hanc ob cauſam ad tuorum ſanctorum pedum oſculanda veſtigia nunc deſtino cariſſimum meum ſocium ac confratrem Fridericum de Thoro de Pruſſia, jam per triennium meum fideliſſimum interpretem in lingua Alemannica, qui T. S. mentis & animi mei promptitudinem fideliter explanabit, & cui T. S. fidem credulam dignabitur adhibere, & tamquam animam meam ſuſcipere commendatum, cum aliquibus copiis litterarum Apoſtolicarum per fel. rec. Nicolaum V. S. T. prædeceſſorem, quæ mihi viſæ ſunt magis utiles & neceſſariæ ad divinum cultum, honorem, & gloriam peragendum, & ad ſalutem fidelium animarum Chriſti ſanguine redemptarum facilius procurandum; ut T. S. de novo confirmare vel infirmare dignetur flamine Spiritus ſancti, qui habitus, geſtus & motus, ac omnes actus & opera tua benigniſſimæ Sanctitatis dirigat, regat, & deducat ad divinæ Majeſtatis beneplacitum uſque ad perfectum diem, quo paſtorem & gregem perducere dignetur ad plenitudinem gloriæ ſempiternæ. Scripſeram pridem de Indimburga in die Apoſtolorum Philippi & Jacobi tuæ feliciſſimæ Sanctitati manu propria, nunc vero pluribus fatigatus ſocii calamo per me dictanda commiſi. Ex Lyndua partium Hungariæ MCCCCLV. XVIII. *menſis Maii.*

Reverendiſſimo in Chriſto Patri, & Domino ſuo colendiſſimo, Domino Cardinali Firmano, totius Ordinis Minorum Protectori.

Indidem.

XV. *Reverendiſſime in Chriſto Pater & Domine, Dom. obſervandiſſime, fautor & protector ſingulariſſime, commendationem humillimam cum omni officio obſequendi. Scripſi ſuperiori tempore ad Reverendiſſimam Dominationem veſtram, uti ad ſingulariſſimum patrem & protectorem, unicumque refugium, quo ſoleo ſemper, cum opus eſt, me tuto conferre. Nec profecto ſecus mihi faciendum eſt in ſenectute & ſenio, quam ætate validior conſuevi. Poſt ſuperiores meas, quia nova quædam emerſerunt, ideo novo & repetito R. D. V. ſtudio, auxilio, & conſilio mihi opus eſſe ſatis intueor. Novus creatus eſt Chriſti Vicarius: noviter ſupplex & humilis expoſcens gratiam & ſolamen V. R. D. eam precor, exoro, & tamdem ſupplico, ut quemadmodum mihi fautor, promotor & tutor apud alios ſummos Pontifices fuit, ita R. D. V. ſui devoti ac deditiſſimi ſervuli memor, Sanctitati Domini noſtri veluti pius pater & protector me vermiculum commendet, offerat, ac unice tradat, gratioſeque omnem favorem, gratiam, auctoritatem & indulta, quæ ab aliis ſummis Pontificibus pro honore Dei, & ſalute animarum benigne conceſſa habui, ab hoc itidem impetrare, & pro confirmatione vires ſuas interponere non dedignetur. Hæc ſunt, Reverendiſſime Pater, quæ a R. D. V. expeto, nec mihi deneganda fore, maxime ob animarum ſalutem, Orthodoxæ fidei conſervationem & incrementum, necnon ob laudem Omnipotentis Dei, atque ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ augmentum, ſatis intelligo. Quamobrem mitto ad R. D. V. cariſſimum mihi ſocium, fideliſſimumque interpretem fratrem Fridericum Alemannum, præſentium latorem, qui plene de intentione mea informatus, omnem animum meum V. R. D. explicet; quem ſummopere V. R. D. commendatum facio. Ea de re humillime peto, poſtulo & imploro R. D. V. ut eum intuitu omnipotentis Dei pro conſervatione animarum expedire dignetur; ut de voluntate S. D. N. certior factus, quid agere*

re debeam, primum intelligam. Super gregem enim Dominicum, etſi rationem omnimodam redditurus non ſim, uſque ad extremum tamen ſpiritum pro viribus invigilabo indeſinenter. Tantummodo mihi hoc unum ſolum ſufficiat obtemperare voluntati S. D. N. & ſanctæ Sedi Apoſtolicæ, cui uſque ad mortem, pro ejus obedientia & reverentia ſubeundam, parere non deſinam indefeſſe; omnibus enim computatis, qui ſuis locis & temporibus pro ſummis Pontificibus habiti ſunt poſt nativitatem meam decimus quartus eſt Calixtus Papa III. Qui habet aures audiendi, audiat, quid Spiritus dicat Eccleſiis, *quia omnes morimur &c. Valeat in longum V. R. D. & me indignum antiquum ſervulum in ſenio conſtitutum non deſpiciat. Ex Limbach ſuperiori oppido regni Hungariæ* XIX. *Maii* MCCCCLV.

Dilecto filio fratri Joanni de Capiſtrano &c.

XVI. *Fragrantis tuæ laudabilis famæ odor a longinquis partibus ad nos uſque perveniens, necnon opera caritate, & zelo domus Dei redundantia, fructus animarum in populis uberrimos afferentia promerentur, ut illa tibi libenter concedamus, per quæ aſſumptum a te onus non ſolum a tramite fidei devios, ſed diſcolos quoslibet ex Chriſtianis, & peccatores in ovile Dominicum per rectam ſemitam perducendi, eo facilius exequi poſſis, quo majori fueris auctoritate a nobis, ac facultate munitus. Cum itaque fel. rec. Nicolaus V. Pontifex Romanus, prædeceſſor noſter tibi partim ituro, partim poſtea exiſtenti ad Boemos, & in partibus Moraviæ ac Auſtriæ nonnullas conceſſerit facultatum infraſcripti tenoris litteras. In prima videlicet pridie Idus Octobris Pontificatus ſui anno* V. *capiendi in quibuſcumque dictarum partium Vicariis viginti loca tui Ordinis, & in illis Fratres tuæ, ut appellatis, familiæ deputandi, cum officinis & ceteris conſuetis; & in ſecunda* II. *Kalendas Martii, data anno* V. *in eiſdem Boemiæ, Moraviæ & Auſtriæ partibus, pro extirpatione hæreſum quoſcumque a quibuſvis criminibus, exceſſibus & delictis, etiam in caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis ſemel duntaxat, necnon religioſos & Eccleſiaſticos viros ex quacumque cauſa, præterquam homicidii ſeu mutilationis membrorum, ab excommunicationis pœna abſolvendi, ac cum eiſdem religioſis ſuper irregularitate diſpenſandi. In tertia* VIII. *Kalendas Maii anno* V. *data, cum Eccleſiaſticis & regularibus, ac etiam laicis vota abſtinentiæ & continentiæ, aliaque, præterquam religionis ingreſſus, & peregrinationis, præterquam viſitationis Dominici ſepulcri & liminum Apoſtolorum, ac ſancti Jacobi in Compoſtella, in alia pietatis opera commutandi. Item in quarta* V. *Kalendas Novembris anno* V. *data, dandi & concedendi his, qui prædicationibus tuis interfuerint, tres annos & totidem quadragenas Indulgentiæ, & abſolvendi ab excommunicatione, ſuſpenſione, interdicto, & aliis Eccleſiæ ſententiis, cenſuris & pœnis etiam hæreſis in foro conſcientiæ, illos ex Boemis, qui ſuo renunciarent errori. In quinta* IV. *Nonas Maii anno* VII. *data, capiendi ac retinendi in dictis partibus domos, loca & Conventus etiam ſui Ordinis, a Fratribus, ut appellatis, Conventualibus ſolitos habitari, pro habitatione Novitiorum per tuas prædicationes ad religionem a ſeculo converſorum, prout in dictarum facultatum litteris latius continetur. Nos litteras eaſdem, facultates, & conceſſiones ad Regna Hungariæ & Poloniæ in omnibus & per omnia extendentes, tenore præſentium, auctoritate Apoſtolica, pro annis tribus a data præſentium ſecuturis confirmamus, innovamus, approbamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus: volentes eaſdem in omnibus & per omnia, prout a nobis emanaſſent,*

Ex Arch. Vatic. l. 4. bullar. an. 2. fol. 192.

integre obſervari. Et cum ad requiſitionem & inſtantiam cariſſimi in Chriſto filii noſtri Friderici Romani Imperatoris ſemper Auguſti, Conventum tui Ordinis Indimburgenſem acceptaveris, in eoque tuæ familiæ Fratres, juxta veſtram conſuetudinem, locaveris, poſtmodumque ad tuam pervenerit notitiam a fel. rec. Nicolao V. prædeceſſore noſtro litteras emanaſſe, quas nos confirmavimus, in quibus expreſſe inhibetur vobis omnibus de Obſervantia appellatis, ne loca Conventualium capiatis, mandaturque ut capta poſt dictarum litterarum datam dimittere debeatis, unde dubitas pœnas & cenſuras in dictis litteris appoſitas, niſi dictum locum dimittas, incurrere. Nos dicto Imperatori morem gerere cupientes, tibi præcipimus & mandamus, ut dictum locum ſic, ut præfertur, captum retineas a Fratribus veſtræ familiæ perpetuo inhabitandum. Non obſtantibus prædictis prædeceſſoris & noſtris litteris, quibuſcumque verborum & cautelarum clauſulis, etiam quod de ipſis & eorum tenoribus de verbo ad verbum fieri oporteat mentionem, cum certorum expreſſione verborum communitis. Quibus omnibus, tenore præſentium, auctoritate Apoſtolica, & ex certa noſtra ſcientia derogamus, aliiſque in contrarium facientibus quibuſcumque. Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno &c. MCCCCLV. VIII. *Idus Decembris &c. anno* 1.

XVII. Convenerant omnes Hungariæ Proceres ad Jaurini oppidum munitum, communi malo omnium conſiliis remedium adhibituri. Huc vocatus Capiſtranus in majorem fiduciam rei bene gerendæ, opiſque magnæ a novo Pontifice miniſtrandæ, palantes & deſperabundos erexit. Opportune id ipſum Calixtus, & ſacrum Cardinalium collegium ſuis litteris, Pontificiæ aſſumptionis enunciativis, ſpoponderunt. Quid itaque hæ litteræ præſtiterint, quidue in conſeſſu fieret, ex re ſua ſignificare judicavit Capiſtranus. Eas hic exhibeo, quibus addo alias a Principibus Jaurino Budam translatis, & Capiſtranum digne commendantibus, miſſas. Adjungo inſuper Pontificis ad Capiſtranum reſponſivas.

Monet Capiſtranum in conſeſſu a Principum.

Sanctiſſimo Domino &c. Calixto III.

Ex arch. Capiſtr.

XVIII. *Beatiſſime Pater, ad ſanctorum pedum humiliter oſculanda veſtigia provolutus. Licet ſuperioribus diebus ad S.V. binas dederim litteras, non tamen præteribo, cum facultas tabellariorum ſe offerat, quin ad B. T. ſcribam ea præſertim, quæ & Dei, & T. S. honorem concernere ſenſero. Venerunt nuper huc ad me duo a Sede Apoſtolica nuntii, unus Rodulphus nomine, Reverendiſi. Domini Januenſis familiaris, litteras deferens a S.T. alter vero Cappellectus curſor R. D. Firmani, ut aſſerit, a ſacro Collegio Reverendiſſimorum* DD. *Cardinalium litteras habens enunciantes electionem Spiritus ſancti, quia ſcilicet divina diſpoſitio te, P. S. elegerit in verum Chriſti Vicarium pro ſancta fide Catholica non tantum conſervanda, verum & adaugenda: hic enim cum major pars Baronum inclyti regni Hungariæ congregata eſſet pro communi concordia inter eos componenda, intuentes litteras hujuſmodi, maximo repleti ſunt gaudio & lætitia, huic divinæ voluntati congratulantes vehementer. Verum non ſine invidia fuit & murmure, quod in cœtu tantorum Dominorum aliquibus minoribus ex parte T.S. præſentatæ ſint litteræ, & potiſſimis fere ejuſdem regni datæ non ſint, Epiſcopo ſcilicet Quinqueecclesienſi, Epiſcopo Varadienſi, & quibuſdam dignioribus regni Baronibus. Huic autem rei facile pro arbitrio S.T. provideri poterit. Deinde S.T. dolens ſignifico, quod hodie feſtinavit tabellarius ſpecialis ad hoc directus ad Deſpotum Raſciæ, qui hic cum his dominis & Baronibus an-*

anhelat ab eis ſubſidium & defenſionem dominii ſui, denuncians ipſi Deſpoto & Baronibus, nefandiſſimum nominis Chriſti hoſtem Mahometh Turcorum Imperatorem occupaſſe potiſſimam Raſciæ civitatem Hobordam nomine, ubi auri & argenti fodina eſt, quæ domino ſuo annuatim, ut ferunt, centum & viginti millia ducatorum reddebat; ceteras vero civitates & oppida omnia ad diſterminium eſſe vallata. Terret omnes, B. P. tantorum flagitiorum, commiſſorumque ſcelerum, & (quod avertat divina pietas) in dies magis patrandorum ſolus quidem auditus; & non fruſtra dubitatur, quod ſi de remedio opportuno cito non provideatur, res in pejorem exitum evadet. Quare B. P. cum tibi a Deo data ſit poteſtas, quemadmodum ſancte inſtituiſti, proſequere, ut ſancta fides Catholica effectu ſortiatur conſervationem & augmentum. Certum equidem habeo, quod non ad aliud te Deus ſervavit in hoc tempus provehendum, niſi ut tu neceſſario tempore parta conſerves, deperdita reſtaures, & male ſe habentia membra ad integrum corpus tua virtute & cura redigantur. Scripſeram pridie T. S. quod Sereniſſimum Regem Aragonum ſpiritualibus ac temporalibus armis ornares, & quamvis excellenter potens exiſtat, adhuc T. S. potentiorem efficeret: opus quidem eſſe puto ac nimis opportunum, ut nedum per mare, ſed etiam per terram huic perfido Chriſti hoſti & reſiſtatur viriliter, & fortius conſligatur. Cum enim hac die colloquium cum iſtis DD. Prælatis & Baronibus habuiſſem, Magnificus & Excellens Dominus Joannes hactenus Gubernator, Comes Biſtricenſis ſe primum obtulit ſuis ſumptibus & expenſis poſiturum in armis, & in exercitu decem millia equitum ſuo arbitrio electorum; dixit inſuper quod Sereniſſimus Dominus Rex Ladislaus pro toto reſiduo regni Hungariæ parabat viginti millia; Deſpotus autem Raſciæ, quamvis valde damnificatus ſit, obtulit ſe paraturum decem millia, licet in ſua fide perduret. Incumbit tamen nobis, periculis noſtris ſalubrius conſulere, & de opportuno remedio providere. Proceſſit Magnificus Joannes præfatus ad ulteriora colloquia, dicens, quod ſi S. D. N. Papa mitteret ſibi viginti millia equitum, & Ser. Rex Aragonum decem millia, & aliæ civitates Italiæ decem millia, cum Dux Burgundiæ offerat ſe venturum cum decem millibus equitum, & decem millibus peditum; & ſic omnibus computatis eſſent centum millia, confidit ipſe Joannes, intra tres menſes tantum conflictum contra Turcum inferre, quod in Europa locus non erit, ubi reclinare valeat caput, maxime cum ipſe ad unguem cognoſcat potentiam Turcorum, ceterorumque infidelium, ac medullitus intelligat cum hujuſmodi rationem bellandi. Proinde in præſentia omnium iſtorum Dominorum & Baronum hoc aſſeruit hodie, quod cum tanto numero armatorum ſperaret etiam recuperare Hieroſolymam, nec peteret ſtipendia pro prædictis equitibus niſi pro tribus menſibus. Expediret equidem quod S. T. aliquem Cardinalem deſtinaret ad partes iſtas tamquam Præſidentem tali exercitui cum ſufficienti pecuniarum ſumma. Vel ſi Tuæ Sanctitati rem hanc committere videatur R. D. Cardinali Strigonienſi, cum virtute, providentia, & conſilio plurimum valeat, bene, ut reor, conſultum eſſet. Obtulit inſuper ſe ipſe Joannes, ſi omnino bellatores ſint, non pueri, ſed viri ſtrenui, & in armis experti, ad perſequendum Chriſti hoſtes idonei, per annum & annos, ſi opus eſſet, cum tali exercitu perſeverare, nec alia ſtipendia requirere, confidens quod de bonis & dominiis ipſius Turcæ conquireret, quod talem exercitum etiam ejuſdem Turcæ ſtipendiis abundantius communiret. Tali igitur modo Sereniſſimum Regem Aragonum per mare decertando, & ipſum Joannem per terram, firma ſpes eſſe poſſet, & recuperandi deperdita, & acquirendi dominium debitum Principibus Chriſtianis, necnon & poſſidendi divitias infidelium cum

am-

ampla dilatatione ſanctæ Catholicæ fidei Ortodoxæ, ad æternam gloriam & immortalem T. S. nominis laudem & memoriam ſempiternam. Tua igitur Sanctitas, B. P. quid in his agendum ſit decernat, quam conſervet Altiſſimus Eccleſiæ ſuæ ſanctæ & populo Chriſtiano per tempora longiora, cui me & Ordinem noſtrum ſupplex commendo. Ex Jaurino oppido Regni Hungariæ XXI. *Junii* MCCCCLV.

E. S. T. Vermiculus, ac indignus ſervulus, licet fideliſſimus orator,
Fr. Joannes de Capiſtrano.

Sanctiſſimo Domino &c.

Eadidem.

XIX. *Beatiſſime Pater, poſt humilem noſtri commendationem ad oſcula pedum beatorum. Concuſſo terroribus infidelium orbe noſtro, graviter ferendum ducebamus lugubrem hac tempeſtate, & inſperatum obitum Sanctiſſimi fel. mem. Domini Nicolai Papæ V. qui videlicet magnam ſuæ probitatis opinionem illis potiſſimum indiciis palam omnibus commendabat, quod in hujus peſtilentis temporis frigoribus ſancto ſuo Apoſtolico nomini curam pariter ac ſollicitudinem Apoſtolici paſtoris adjecerat. At nunc ſuſceptis litteris B. V. ac ſimul Reverendiſſimorum de ſacro collegio, cum intellexiſſemus quam pio Dei noſtri judicio & ipſe prædeceſſor S. V. quieverit, & ipſa V. S. ſucceſſerit, in conſolationem verſus eſt mœror noſter & luctus in gaudium. Æqua communis lætitiæ cunctis oborta eſt ratio, par ſtudium, & conformis devotio inceſſit ad gratias ſuperinde auctori bonorum omnium peragendas, cujus clementi providentia actum percipimus, ut & prædeceſſor ipſe reficeretur digne pro laboribus, & ſucceſſor idoneus piis oneribus præficeretur. Obiit ille felicem mortem, hic pium laborem adiit: uterque puræ devotionis fidelium, puræ venerationis cultu proſequendus. Verum inter hæc eo reſpectu præcipuo gratulamur nunc ſanctæ Apoſtolicæ Sedi; gratulamur & nobis, ac toti ſimul Reipublicæ Chriſtianæ, cui opportuno recte tempore denunciatum: Pontifex datus, ſanctus, religioſus & pius, qui duplicato Sanctiſſimi prædeceſſoris ſui ſpiritu erectus, ad curam fidelium ſalutaria emittit vota, ſalutaria ſpondet obſequia. Significatum enim eſt nobis, S. P. compluribus ſcripturis & litteris, quo pacto & quo fervore S. V. inter ipſa ſui Pontificatus principia ſe & ſua ſaluti fidelium devoverit, quidque promiſerit circa exaltationem Catholicæ fidei, quid pro liberatione civitatis Conſtantinopolitanæ, nuper ab infidelibus captæ, & quid pariter intendat pro eorumdem infidelium ab Europa expulſione. Magna certe voti hujus dignitas, magna dignatio ſic voventis. Hæc ſunt ſigna vera, hæc clara indicia Apoſtolico paſtore digna, qui non ante nobis præeſſe cœpit, quam prodeſſe voluit; prædeſtinavit equidem afflictis fidelibus aperta pietatis remedia, & in ipſo ſimul vocationis ſuæ exordio miſerationis ſuæ officia præſignavit. Reſtat ex dono Domini, ut quo vovente in iis rebus eodem & executore gaudeamus. Quantum autem nunc & quam extreme præſidio S. V. ærumnoſa Chriſtianorum conditio indigeat, tametſi B. V. attentionem non lateat, amplius tamen ex iis, quæ Legatus Apoſtolicæ Sedis ex conventu Novæ Civitatis noviſſime retulit, intelligere poteſt; ubi poſt damnum opportuni temporis, & ſpes deceptas hoc ſolum actum eſt, ut hoſtis noſter nihil actum lætaretur. Neſcimus quid carius vel deferri eidem vel prærogari potuerit, quam ut hoc tempore Chriſtianorum potentatuum jactantia abutatur: ſimulacra ſibi deineeps non homines obviam armari putat. Accedit huc recens caſus calamitatis Chriſtianæ, qui neceſſitati communi ſublevandæ ampliorem cauſam adjicit. Hoſtis*

Tur-

Turcus mox ut didicit, perperam ivisse præconia de viribus, & armis Chriſtianorum commovendis, apparatus omnes tam concitatæ quam coemptæ potentiæ, quos ad reſiſtendum paraverat, contulit ad nocendum. Itaque invaſit de novo Ducatum Raſciæ in ea parte, quæ apud vulgum Scithryeza nominatur, ubi ſolito more prædæ & rapinis vacans, demum opportunitate accepta, arcem & oppidum Novaborda appellatum obſidione conſtrinxit; oppido primum facile capto, poſtea arce ipſa inſultibus & tormentis pulſata, paulo tardius potitus eſt. Miſit deinde ad oppugnandas ceteras arces, paratque totum Ducatum illum in deditionem accipere. Quæ res profectlo, etſi forte relatione tam brevi parva videri poſſit, grande tamen revera vulnus ex ea ſuſcepimus. Hæc erat arx caput illius patriæ; hæc certe patria, nutrix, & robur ſtatus Ducalis in Raſcia, ſolo fertilis, fructibus copioſo, minerarum auri & argenti quam maxime ferax. Noverat hoſtis ipſe præcipuum illum durantis deffenſionis noſtræ nervum; noverat & ſuæ impugnationis contrarium obicem; quem callide cognitum mox præcidere & caſſare properaverit. Is igitur caſus priorum cumulo appoſitus, quid quantumve a S.V. pectore commiſerationis exigat, eidem æſtimandum relinquimus, quæ religioſi & paterni cordis ſui judicio prius flectli cæpit ad pietatis commercia, quam rogari. In hoc dumtaxat vno B.V. ſollicitudinem cum filiali confidentia admonentes, ut in proſecutione voti ſui ſalutiferi opportunitatem conceſſi adhuc temporis non negligat, neve opinetur, fortificato latius hoſte, ſimilem præſenti commoditatem exurgendi redituram, nam ſicut nemo eſt apud nos modo, qui Europam adhuc liberari poſſe non judicet, ita poſt paululum nemo futurus eſt, qui judicet. Nos interim ſolita conſtantia, quantum nobis erit poſſibile, parabimus vires omnes ad conſervationem noſtram, deliberamuſque S.V. beneficia etiam cum damnoſa mora noſtra expectlare. Habemus inter has expectlationis anguſtias confortatorem idoneum Venerabilem fr. Joannem de Capiſtrano, Ordinis Minorum, qui peragratis multis partibus Alemanniæ adierat Poloniam, inde per Sileſiam, ac Moraviam iterato regreſſus, in Auſtriam conceſſit, tamdem ad has partes, clarus ubique in fidei zelo, clarus in doctrina; apud nos vero pro conditione rerum noſtrarum exhortationibus neceſſariis clariſſimus. Hujus ſermonibus recreamur, hujus devotione reficimur, hujus denique merito familiam totam Ordinis illius hactenus nobis caram de cetero carìorem amplectlimur. Utilis eſt ſtatui noſtro, opportunus ſpei, & nec minus gerendis rebus quam maxime neceſſarius: hunc ſua virtute S.V. favore dignum nos ſingulari teſtimonio denunciamus digniorem, in eoque & cum eo totam illam familiam quoad omnem ejus profectlum B.V. devotiſſime commendamus. Quam Dominus conſervare dignetur feliciter conſolationi noſtræ, & regimini proſpero Eccleſiæ ſuæ ſanctæ. Datum Budæ XXI. *Julii* MCCCCLV.

Laudatur Capiſtranus.

E.V.S. devoti filii & Oratores.

Dionyſius Cardinalis Strigonien.
Raphael Colocen. Eccleſiarum unitarum] *Archiepiſcopi.*
Ladislaus Agrien.]
Joannes Varadien.] *Epiſcopi.*
Joannes de Huniad Comes Biſtricenſis &c.
Ladislaus de Gara Regni Hungariæ Palatinus.
Nicolaus de Voylalz. } *Waivodæ.*
Joannes de Rozgon.
Comes Ladislaus de Palocz Judex Curiæ Regiæ.

Jo-

Joannes de Peren Tavernicorum Regalium.
Michael Orzag de Gath Curiæ Regiæ.
Simon Zwdar de Olnad pincernarum.
Simon de Palocz agazonum Regalium. } *Magiſtri.*
Oſualdus de Rozgon Comes Siculorum.
Franciſcus de Chaak Comes Byhorien.
Joannes de Zech Comes Comarovien.
Ceterique Prælati, & Barones, ac Proceres regni Hungariæ, primum Jaurini, nunc Budæ congregati.

Dilecto filio fratri Joanni de Capiſtrano &c.

Ex arch. Vatic. ſupra citato.

XX. *Dilecte fili, ſalutem &c. Legimus litteras tuas proxime ad nos miſſas, & inprimis miramur, eas quas olim ad te miſeramus, non fuiſſe adhuc redditas, quod certe negligentia eorum debuit accidiſſe, qui eas tulerunt; nos enim ad ſcripta tua ſemper reſcripſimus. Nec per hoc eſtimare debes, nos tui parum memores extitiſſe. De Deſpoto autem ex futuris periculis diſplicent nobis ea, quæ ſcribis, ſed ſperandum eſt in miſericordia Dei, quæ non ſinet gregem ſuum diſperdi, & aderit nobis in brachio potenti, adverſus quod non prævalebit infidelium feritas. Neque vero credas, omnem ſpem noſtram poſuiſſe nos dudum in præfato Deſpoto, neque ita neceſſaria eſſe præſidia ſua, ut aliter fieri non poſſit. Nos per Legatos & Nuncios noſtros ad diverſas nationes & loca miſſos, & per nos ipſos etiam hic in Italia operam damus ſine intermiſſione, quod poſſumus, maxime intendentes, ut claſſis opportuna per Italorum potentias præparetur. Cui ſtudio noſtro ſperamus externos Reges & Principes debite reſponſuros: jamque in mari bonam ſlotam navium & galearum tenemus, & quotidie augmentamus. Tu ergo, quod ſemper feciſti, & facturum putamus, monendo, hortando, & prædicando affer quidquid adjumenti & ſancti operis potes ad hanc communem Chriſtianorum cauſam, qua noſtris temporibus nec major ulla nec gravior eſt alia. Negotia autem Ordinis tui, de quo etiam pluribus ſcribis, jam gratia Dei cum pace omnium & conſenſu componere ſperamus, & quaſi pro compoſita tenemus, ita ut optati inde fructus in dies magis ſint conſequuturi. Nec putare debes nos in hac re aliud quæſiſſe aut quærere, niſi quod ſecundum Deum, & ipſius Ordinis rectum regimen viſum fuerit expedire. Quod etiam continuo magis videbis; abſitque a nobis ut adimere aliquam bene vivendi materiam velimus, quam etiam omni ſtudio nitimur omnibus dare. Sed ſi diſcolos quoſdam, qui forte in Ordine ſunt, toleramus, aut non ſtatim oppreſſimus, fecimus id, ut ratio dictat, & divinum præceptum nobis imponit, quo jubemur non mortem peccatoris, ſed converſionem ejus & vitam velle ac quærere. Tibi autem, dilecte fili, propter merita tua, ac toti Ordini tuo, quamcumque ſemper cum Deo poterimus, omnem pii patris curam & caritatem impendemus. Datum &c. XIV. Kal. Januarii.*

Capiſtranus ab omnibus concupitus.

XXI. Non prius regnum Hungariæ ingreſſus Capiſtranus quam Principum & Prælatorum unuſquiſque eum ad ſe allicere & attrahere tentarit. Etſi omnes apud Jaurini & Budæ conſeſſus eum vellent præſentem, ut communem regni & Reipublicæ Chriſtianæ cauſam promoveret, nihilominus ſinguli peculiares ſuas conſolationes, & ſubditorum ſuorum commoda reſpicientes, per aliquot dies eum bono communi ſubducere, & pie aliquantiſper ſuffurari cupiebant. Cardinalis Strigonienſis, aliique Eccleſiarum Prælati ut ad ſe declinare vellet, ſummis precibus contendebant; Rex Ladisla-

dislaus, & Joannes Huniad Regni Gubernator, ut recta ad dietam sive concilium Budæ properaret, ardentius urgebant: Episcopus Agriensis, dum ad se non venturum timet, adolescentem nobilem cognatum oculis affectum, ut sanaretur, amandavit. Horum omnium litteras exscribo, ut lector perspiciat, qualem ubique utriusque Ordinis Ecclesiastici & secularis Proceres Capistranum judicabant.

Reverendo Patri ac religioso Fr. Joanni de Capistrano, Fratri & amico nostro in Christo carissimo: Dionysius Cardinalis Archiepiscopus Strigonien.

XXII. *Reverende Pater, Frater, & amice noster in Christo carissime.* Ex arch. Capistr.
Audientes P. V. huic regno Hungariæ appropinquaturam, sumus tanto majori lætitia perfusi, quanto ejusdem V. P. personalem præsentiam jucundiori animo habere affectamus. Dum autem eamdem in populo hujus regni maximos & uberrimos fructus facere posse a certo teneamus, precamur V. P. cum integerrima diligentia, ut eadem quamprimum gressus suos ad Strigonium dirigere sine longa mora velit, quoniam summum gaudium erit nobis posse V. P. mutua conversatione & consolatione gaudere, & eidem complacere. Alia hic fr. Petrus concomes V. P. præsentium utpote exhibitor, vobis in Christo dilectus, habet eidem referre, cui placeat fidei puritatem adhibere in his quæ idem dixerit P. V. Quam ad vota feliciter valere desideramus. Datum Budæ in die sancti Bernhardini Confessoris anno Domini MCCCCLV.

Eidem. Dionysius Cardinalis &c.

XXIII. *Reverende Pater, atque religiose fr. in Christo nobis carissime.* Indidem.
Quemadmodum hodie mane scribendo P. V. hortati sumus, ita & iterum hortamur eamdem, ut eadem moram faciat in Jaurino usque ad adventum nostrum illac in Jaurinum de propinquo fiendum. Notabilis etiam Prælatorum, Baronum, & Procerum hujus Regni frequentia in faciendâ conventione in facto ipsius Regni in ipso Jaurino, quo isthinc Deo duce constituemur, habebitur. In Jesu valeat P. V. In Strigonio feria VI. *ante festum Sanctissimæ & individuæ Trinitatis anno Domini* MCCCCLV.

Venerabili & devotissimo, sanctæ conversationis viro fr. Joanni de Capistrano, Patri suo præferendo.

XXIV. *Venerabilis &c. De multorum narratione sanctitatis vestræ* Indidem.
devotionem fines hujus incliti Regni Hungariæ in Christi nomine subintrasse, & usque Jaurinum verbum Salvatoris seminando, lætus admodum audivi, ab indeque etiam circumvicinas partes ejusdem regni & loca insignia, ut populus pabulo sanctæ prædicationis & exemplo instruatur, invisere. Revera ego ut Ecclesia mea Agriensis, sub titulo & honore beati Joannis Apostoli & Evangelistæ, per sanctissimum Regem Stephanum fundata & dotata, cui dante Domino, licet indignus, præsideo, quæ inter alias Ecclesias Cathedrales hujus incliti Regni post Metropolitanam sanctam Strigoniensem Ecclesiam minor non est, quæ clero referta decoratur, ex affectu quem ad devotionem P. V. Pater venerandissime, gerit, perinde intuitu considerationis extenditur, ac si P. V. præsentiali intuitu cerneret. Si igitur de-

votio veſtra eaſdem partes regni hujus perluſtrare propoſuit, etiam per me & Eccleſiam meam prædictam recipietur ex affectu, ad quam non dedignetur veneranda P.V. declinare. Ex Agria feria VI. *poſt Feſtivitatem vivifici Corporis Domini noſtri Jeſu Chriſti anno* MCCCCLV.

Ladislaus Epiſcopus Agrien.

EJUSDEM.

Indidem. XXV. *Venerabilis &c. In Dei clementia, meritiſque intemeratæ Genitricis, ac Sanctorum interceſſionibus, & tamdem orationibus P.V. tota fidei radice confiſus, hunc meum cognatum Joannem filium Bani de Loſſoucz nebulis oculorum caliginoſorum infectum, in conſpectu V. P. curavi per quoſdam ſuos miniſtros præſentari, rogando devote ejuſdem V.P. caritatem, quatenus pro ejuſdem debilitatis perfecta medela, & refocillatione ſui viſus dignemini Deum omnium artificem deprecari, ut ſua omnipotentia, præmiſſis meritis & interceſſionibus, veſtriſque orationibus mediantibus, id quod obſtat, removeat, quod deficit ſuppleat, viſumque reſtauret, & perfectæ ſanitatis beneficio eumdem reſtituat. Præterea humiliter & quam devote quæſo ipſius V.P. benignitatem, ut ad viſitandam hanc almam Eccleſiam beatorum utriuſque Joannis Evangeliſtæ & Baptiſtæ accelerare & immorari, prout & pridem ſupplicavi, velitis; ubi promitto ſingulis diebus veſtris prædicationibus & ſermocinationibus divinis ſufficientes miniſtrare auditores. Conſervet Deus Omnipotens V.P. ad vota feliciter. Scriptum Agriæ feria* IV. *poſt feſtum Beati Regis Stephani anno Domini* MCCCCLV.

Ladislaus Epiſcopus Agrien.

Venerabili in Chriſto Patri & Domino, D. Joanni de Capiſtrano, Patri ſuo in Chriſto venerando.

Indidem. XXVI. *Orationes in Filio Virginis glorioſæ devotas. En tranſmiſimus ad veſtræ ſanctitatis conſpectum honorabilem Dominum Aquilam Præpoſitum Eccleſiæ Collegiatæ ſancti Salvatoris, Canonicumque & Archidiaconum noſtræ Eccleſiæ Chanadienſis ad ſcrutandum veſtrum adventum gratioſum huc ad noſtram diœceſim, præſertim vero Chanad. Quare petimus, rogamus & ſupplicamus ex intimis veſtræ reverendæ ſanctitati, quatenus etiam ad iſtas partes prælibatas veſtra devota Reverentia pergere ſuum iter non deſinat, ſed exhibeat nobis ſuum benignum aſpectum, ſicuti & ceteris. Ideo petimus informari per hunc portitorem, quo die & quali ſeptimana ad nos V.R. expectare debeamus, nam totum Capitulum & tota civitas maximis ſuſpiriis veſtrum præſtolantur adventum. In Jeſu Chriſti nomine valeat. Ex Chanad. Sabbatho proximo ante feſtum Nativitatis beatæ Virginis glorioſæ, anno Domini* MCCCCLV.

Petrus Epiſcopus Chanadien. indignus orator V.P.

EJUSDEM.

Indidem. XXVII. *Obſequium famulandi cum humillima precum inſtantia. Vir devotiſſime, religioſiſſime Pater, veſtræ devotionis epiſtolas cum ingenti deſiderio cordis noſtri, caritateque non ficta ſuſcepimus, ubi luculenter earumdem tenorem exhauſimus, multumque congratulati de veſtra devota converſatione, nobis in eiſdem demonſtrata, extitimus. Quare adhuc vice reciproca humilitatis veſtræ devotionem petimus cordiatim & magnis precibus, quatenus ad nos, Domino concedente, venire & properare curetis,*

in

Anno Christi	Calixti III.	Friderici III. Imp.	Religionis Minorum anno 248.
1455.	anno I.	anno 16.	

in domoque noſtra propria prope latus Eccleſiæ ſancti Georgii hoſpitium bonum una cum veſtris Fratribus devotiſſimis diſponere & ordinare fecimus, omniaque ad veſtram religioſitatem neceſſaria ſunt parata. Quidquid vero in hac parte facere volueritis, nobis modo ſimili reintimare per hunc Venerabilem Magiſtrum Paulum Canonicum noſtræ Eccleſiæ non dedignemini, & velitis. Valete in Jeſu Chriſto. Ex Chanad. ſabbatho proximo ante feſtum Exaltationis ſanctæ Crucis anno MCCCCLV.

Petrus Epiſcopus Chanadien. V. P. orator humillimus.

EIDEM.

XXVIII. *VEnerabilis, & religioſe Pater. Neceſſitates regni Hungariæ, quæ celerem præſentiam veſtram requirunt, narravimus P. V. Supplicamus ergo & in perſona Domini noſtri Regis præſentamur P. V. quatenus ſi velit bonum exitum negotii fidei, in nullas divertat partes, ſed recto & continuo itinere Budam veniat, quia nullibi plus proficere poteſt ad honorem Dei & Reipublicæ Chriſtianæ. Datum in Milthemburg die Simonis & Judæ Apoſtolorum.* Indidem.

E. V. R. P. Filii Oratores Regis Hungariæ.

Venerabili & religioſo, Deoque devoto Fr. Joanni de Capiſtrano &c. Patri noſtro in Chriſto nobis honorando.

XXIX. *VEnerabilis & religioſe, Deoque devote vir, Pater in Chriſto nobis honorande. Quemadmodum mediantibus aliis litteris noſtris prioribus patefecimus V. P. ſic & nunc ſciatis quod propter ferventiam magnam peſtilentiæ V. P. inibi non poterit expectare, nam & filia noſtra, videlicet neptis Domini Deſpoti habuit duas apoſtemas, ita ut ferme fuit tranſmigrata; nunc Deo permittente, eadem aliqualiter convaluit. Quare rogamus V. P. quatenus in peſtilentia illac exiſtente moram non faciatis, ſed erga nos ad Hunyad feſtinetis, & nos in Hunyad, prout prædiximus, reperietis. Scripſimus enim civibus Zexedienſibus, ut V. P. uſque ad Temeſtvar, & Ladislaus Pechan Comes noſter Temetuen. uſque ad Hunyad cum honore conducant. Datum in oppido noſtro Joſio in feſto Nativitatis beatæ Mariæ* MCCCCLV. Indidem.

Joannes de Hunyad, Comes Biſtricen.

EJUSDEM.

XXX. *REligioſe vir, Pater in Chriſto nobis honorande. Licet V. P. votive ſpoponderit, quod apud nos in hoc loco feria quarta proxime ventura conſtitui vellet; tamen ex litteris Reverendiſſimi in Chriſto Patris, Domini Dionyſii Cardinalis Archiepiſcopi Strigonienſis vidimus, quod multitudo populi de diverſis partibus, & ſignanter de terra Mathiæ, & de partibus Trempiricien. ubi quodammodo hæretica pravitas eorum ſe erigere aſſeritur, ad audiendum verbum Dei illuc confluxiſſet, & adhuc veſter adventus ad diem prænominatum propter rem prægeſtam eſſet impeditus, petitque idem Archiepiſcopus ut adventus veſter ad hunc locum fiendus, ad diem Dominicum proxime nunc venturum per nos indulgeretur. Nos igitur petitioni ipſius Domini Archiepiſcopi obtemperantes, ſignanter tamen pro eo ut populus in Dei nomine illuc congregatus, ſeminatum verbum Dei metere, & colligere valeat, præſcriptum adventum veſtrum ad ſabbathum nunc proxime futurum diſtulimus; & ipſo die ſabbathi completa prædicatione iter veſtrum* Indidem.

verſus hanc civitatem arripere petimus, nec comparitioni veſtræ noſtra indulgentia & conceſſio plures dies parere & aſſignare poteſt. Datum Budæ feria III. *proxima poſt feſtum ſanctæ Margaritæ V. & M. anno* MCCCCLV.

Joannes de Hunyad Comes Biſtricen.

Conjux Hunyadis cupit videre Capiſtranum.

XXXI. Licet mariti vota preceſque eo tendebant, ut communi obviaretur malo, & Budam ad Procerum Conventum Capiſtranus properaret, tamen conjux Hunyadis Eliſabetha, nobiliſſima æque ac piiſſima fœmina urgentiſſimis litteris, multiplicatiſque nunciis impatientia fœminea rogabat, ut Hunyadum ſe conferret, nurum, Ciliæ Comitis filiam, ſpecioſiſſimam adoleſcentulam a peſtifera febre curaturus, eamque in eo ſe repoſuiſſe ſpem affirmat, quod etſi nurus moreretur, & terræ commendaretur, eam ſibi potuiſſet ex tumulo vivam reſtituere. Sed eo ire non potuit, Budam tot litteris Regis, & Gubernatoris, miſſiſque, qui properantem urgerent, viris primariis, avocatus. Abſoluto cœtu, Themeſvarium & Lippam abiit, ubi ingentem collegit meſſem Valachorum ſchiſmaticorum, quos ibidem, & in propinquis urbibus & oppidis ad fidem reduxit, ab eorum conſortio auctoritate Regia ablegatis Petro Archidiacono Valacho, & pſeudopresbyteris, qui neque baptiſmum, neque dogma admittebant Romanum, numeroſamque hanc gentem impie ſeducebant. Multas circa horum & Petri Vayvodæ ſeu Præſidis Moldaviæ converſionem invenio ad eum miſſas epiſtolas a religioſis & Catholicis presbyteris, quos infidæ gentis converſioni per oppida & municipia diſpoſuit. Quanto deſiderio Lippenſes ejus præſtolati ſint adventum, ex his litteris conſtabit.

Non potuit votis ſatisfacere.

Multos convertit Valachos ſchiſmaticos.

Advocatur Lippam.

Reverendiſſimo in Chriſto Patri Dom. Joanni de Capiſtrano, Domino & Patri honorando.

Ex arch. Capiſt. XXXII. *Orationes in Domino debitas pro veſtra ſalute & vita, Reverendiſſime in Chriſto Pater & Domine noſter honorande. Quia his diebus certiſſime audivimus, ut venerabilis V. P. ad oppidum Themeſvar pergere, & nos quaſi exules a prædicatione ipſius V. P. relinquere prætendat; tamen nos adventum V. P. lætanter animo exultanti expectavimus, tamquam Patris noſtri honorandiſſimi, poſſumuſque notificare eidem V. P. quomodo in medio noſtri multi Pagani, ſchiſmatici & incredyli exiſtunt, quos ipſa V. P. poteſt ad fidem convertere, licet nos univerſaliter perſonali præſentia ad V. P. ire non poſtpendimus, & ire non omittimus, ſed tamen ipſos incredulos nobiſcum ducere non poſſumus, quos nos ad fidem Chriſtianitatis converti optaremus, & ſermonem ejuſdem V. P. audire deſideraremus. Ideo precamur pro Deo ipſam V. P. quatenus dignetur V. P. in medium noſtri venire, quoniam V. P. poterit nobis præbere auxilium ſalutiferum; ecce enim his præſentibus honorabilem Dominum Plebanum ad V. P. duximus deſtinandum, cujus dictis & relatibus fidem adhibeat credentiæ tamquam ſi nos coram V. P. eſſemus vobiſcum colloquuturi. Scripta Lippæ feria* V. *ante feſtum ſancti Matthæi Apoſtoli anno* MCCCCLV.

Judex, & duodecim Jurati, ceterique Cives, & univerſi hoſpites de Lippa.

XXXIII. Ita hic vir Apoſtolicus hinc inde diſcurrens, modo fideles ad meliora æmulanda charismata excitabat, modo infideles verbo veritatis illuminabat, modo Principes & populos contra Turcas ad arma ciebat; numquam

quam feriatus a bono, injunctum ſibi munus Apoſtolicum perfecte exercens, pertranſibat benefaciendo. Sub anni hujus finem revocatus eſt Budam a Joanne Carvajalio Hiſpano, Cardinale ſancti Angeli, Legato Sedis Apoſtolicæ, a Calixto miſſo, ut rei tanti momenti, & exercitui cogendo præeſſet. Quanti fecerit Capiſtrani conſilium & auxilium etiam jubente Pontifice Calixto, ex his litteris lector perſpicet.

Card. Legatus eum Budam vocat.

Reverendo ac religioſo P. Domino fratri Joanni de Capiſtrano, Patri & amico noſtro optimo &c.

XXXIV. *Reverende Pater noſter, optime amice, poſt ſalutem. Maximam fiduciam habet S. D.N. quod divina virtus miniſterio vocis veſtræ permaxime induxit hos populos ad capienda arma, ne rugiens iſte hoſtis, diaboli miniſter venerantes Chriſtum devoret. Velit ergo veſtra devotio miniſterium ſuum præbere, & cooperari cum Domino noſtro, qui omnia cum tanta vigilantia facit, ut obviet noxiis deſideriis Principis Turcorum, ut de Sanctitate ſua merito dicatur*: Ecce non dormitabit neque dormiet, qui cuſtodit Iſrael. *Et quia ex multis nobis conſtat, quod vox prædicationis veſtræ, ingenium & induſtria maxime erunt profutura in partibus iſtis, rogamus devotionem veſtram, quod aliis quoque litteris precati ſumus, ut veniatis Budam, ubi nos in brevi, Deo opem ferente, conſtituemur; ita enim juſſit & mandavit S. D. N. ut quamprimum conveniremus cum P. V. Aliqua intelliget a nobis V. P. nos quoque inſtruemur ab eadem, & ſic conferentibus miniſtris Chriſti, ſalus Chriſtiani populi probabitur. Multa dicturus eſt P.V. Reverandus Pater D. A. Protbonotarius, qui fervorem S. D. N. cognoſcit & omnes Italicos practicavit. Omnipotens Deus noſter V. P. conſervare dignetur. Ex Vienna* VII. *Decembris* MCCCCLV.

Joannes Cardinalis ſancti Angeli, Apoſtolicæ Sedis Legatus &c.

Indit.

XXXV. Tametſi tota hac ſolertia res publicas curaret, peculiares ſui Inſtituti minime neglexit, ſed pro rerum qualitate & tribulationum varietate variis modis ſuccurrebat, nunc ſuis litteris ſummorum Pontificum implorans auxilium, nunc Principum interpellans adjutorium. Diximus anno præcedenti, Nicolaum Pontificem, ut aliqua ex parte ſatisfaceret Patribus Conventualibus, interminatim quærentibus manifeſtam fieri Ordinis ſciſſionem per bullam Eugenii, & rigoroſam prohibitionem, qua fulminatis cenſuris interdixit, ne quis abſque Superiorum licentia ab Obſervantibus tranſiret ad Conventuales, cenſuras revocaſſe, & liberum decreviſſe tranſitum. Quæ inde ſequebantur incommoda plus aliis recogitans Capiſtranus, ut Eugenianæ litteræ priſtino reſtituerentur robori, modis omnibus procuravit, atque ineunte hoc anno epiſtolas has Imperatorias ad Nicolaum Pontificem & Cardinales Firmanum, ac Carvajalium ſupra commemoratum, interventu ſui amici Sylvii Epiſcopi Senenſis ſedulo procuravit. Miſſæ ſunt tradendæ Dom. Henrico Senfleben, Imperatoris apud Pontificem Procuratori. Præmitto Senenſis ad Capiſtranum unum aut alterum epiſtolion, & ſubjungo aliam ejuſdem longiorem epiſtolam ad prædictos Cardinales, quæ inter ejus opera circumfertur impreſſa. Huic Sylvianæ aliam conſimilem dedit ipſe Capiſtranus ad Firmanum ſuum amicum; & Ordinis Protectorem.

Anno 1454. n. 22.

Capiſtr. curat reſtitui bullam Eugenianam.

Re-

Reverendo &c. Joanni de Capiſtrano.

Ex reg. Capiſtr. XXXVI. *Reverende in Chriſto Pater, ac præceptor honorande. Facitis quod boni viri eſt: ante receptum obſequium gratias agitis, & quæ parva ſunt, magni penditis. Alloquutus ſum Cæſarem de re veſtra, quemadmodum frater Philippus ex me veſtræ dignationi retulit. Confeci notulas ad Romanum Pontificem, & ad Cardinales duos Firmanum ac ſancti Angeli hodie ſcriptæ ſunt litteræ, ac per Cæſarem ipſum ſecretatæ: cras, ut arbitror, eaſdem ſigillatas habebo, eaſque P. V. per primum, qui occurrerit, nuncium ſimul cum exemplaribus deſtinabo. Hæc cum perfecta erunt, exiſtimabo me non nihil debiti mei perſolviſſe, neque me dignum eſſe, cui gratiæ referantur. Papienſis Epiſcopus nondum ad nos venit, neque nomine Ducis Burgundiæ quiſquam adhuc Cæſarem adiit; tranſivit tamen hac Monachus quidam, qui ad perſcrutandos Hungarorum animos nomine Ducis profectus eſt. Papienſis quoque Pontifex unum ex ſuis pro capienda domo huc direxit. Sunt hic oratores Comitis Ciliæ, cum quibus de concordia die noctuque tractamus. Alia, quæ nunc ſcribam, non occurrunt. Fratrem Philippum jubeo ſalvere, cui cum aliis litteris reſpondebo. Valete in Chriſto optime. Ex Nova Civitate die* x. *Januarii* MCCCCLV.

Veſter Æneas Epiſcopus Senen. &c.

Ejusdem.

Ex Epiſt. Sylv. epiſt. 403. XXXVII. *Reverende &c. Nicolaus Capellanus meus litteras vobis reſtituet, quas Cæſar Romano Pontifici, ac duobus Cardinalibus, & Magiſtro Henrico Senfleben, Procuratori ſuo in Romana Curia, ſcribit. Ego quoque eiſdem Cardinalibus litteras dedi, quemadmodum frater Philippus expoſtulavit, quarum exemplaria ſimul recipietis, intelligetiſque & quomodo ab Imperatore & quomodo a me ipſo ſcriptum ſit. Veſtrum erit quantocius ad Romanam Curiam dirigere, ac curare per veſtros, ut Magiſtro Henrico conſignentur, qui ea Apoſtolicæ Sedi offerat, ac reſponſum exigat. Si qua deinceps vel pro dignatione veſtra, vel pro Fratribus veſtris curare me volueritis, quoad facultas fuerit, non deerit voluntas. Valete in Chriſto optime, in orationibus veſtris mei memores. Ex Nova Civitate die* XII. *Januarii* MCCCCLV.

Veſter Æneas Epiſcopus Senen.

Beatiſſimo Patri &c. Nicolao Papæ V.

Ex reg. Capiſtr. Laudat Imperator cœtum Obſervantium. XXXVIII. *Beatiſſime Pater, Domine noſter Reverendiſſime. Quam laudabilis ſit, quantumque fructum attulerit Chriſtianæ religioni novella plantatio Fratrum Minorum, qui de Obſervantia ſancti Franciſci nominantur, nec B. V. latet, nec veſtri anteceſſores ignoraverunt. Namque cum gratiſſima eſſent in conſpectu ſanctæ Sedis Apoſtolicæ hujus plantationis opera, congruum ac neceſſarium exiſtimaverunt veſtri prædeceſſores hanc fructiferam, & Deo acceptam vineam vallo ac foſſa munire, circumdare ſepibus, & omni præſidio tueri, ne poſſet illam aper de ſylva exterminare. Fuerunt attentiſſimi ſuper hunt gregem Romani Præſules, modiſque omnibus cavere ſtuduerunt, ne veras Franciſci caulas lupi rapaces ingrederentur, aut inde oves abducerent. Dederunt igitur huic plantationi multa privilegia, præbuerunt litteras Apoſtolicas miræ protectionis, & digni favoris plenas. Cumque*

que magna multitudo Fratrum ejuſdem Ordinis, non tamen ejuſdem vitæ, qui Conventuales *appellantur, ab Inſtitutis, ac vera regula beati Franciſci fundatoris non modice declinaſſent, vellent tamen totum* Ordinem *regere, ac ex ſeipſis Miniſtrum eligere, qui religionem univerſam ſuo nutu regeret; provida veſtrorum anteceſſorum ordinatione cautum fuit, iis, qui* de Obſervantia *dicerentur, quique verum iter ſui magiſtri ſequerentur, Fratribus Generalem Vicarium concedi, qui hujus devotæ familiæ curam gereret, neque Conventualium Fratrum imperio quovis modo poſſet impediri. Placuit etiam anteceſſori veſtro ſanctæ memoriæ Eugenio IV. decretum interponere, ne quis ex Obſervantibus Fratribus ad Conventuales migrare poſſet, anathemate in eos promulgato, qui hoc attentare præſumerent. Fuit igitur hæc novella plantatio in hæc uſque tempora pacifica, nullo ſeditionum turbine agitata, famulata eſt Deo in caritate non ficta. Extendit palmites ſuos in univerſam terram, manipulos in aream Domini multiplices attulit: multum hæc ſancta familia ſub divo Bernardino Senenſi, quem V. B. cœleſtibus Sanctorum adſcripſit ordinibus, ampliata eſt; multum etiam ſub venerabili ac mundiſſimæ vitæ Patre, & optimo Prædicatore fratre Joanne de Capiſtrano crevit, atque profecit. Omittimus, quæ in Italia, quæve ceteris in regionibus per Fratres hujus plantationis geruntur, quos ubique viam Dei in veritate docere non ambigimus. In hac certe Germania noſtra frater Joannes ipſe, & qui eum ſequuntur, plus utilitatis attulerunt, quam noſtris poſſit litteris exponi: etenim cum prædicet hic Vir Dei aſſidue, cum vitia fulminet, virtutes extollat, mortaleſque omnes ad pœnitentiam evocet, neque quidquam ſit, quod in ejus aut ſermonibus aut actibus reprehendi poſſit, ſintque omnia ejus opera digna laude; non facile dixerimus in quanto tum populorum, tum Principum favore ac devotione noſtræ nationis hæc familia teneatur; cujus in dies augeri ſuppoſita, & opera pietatis creſcere animadvertimus. Sed accepimus noviſſime, S. V. ex inſtigatione Conventualium dicti Ordinis, Eugenii antedicti decretum, ſive bullam, ac ejus effectum ſuſpendiſſe, & alia nonnulla privilegia eidem Generali conceſſiſſe, quæ Fratres Obſervantes ad obedientiam Conventualium reducere ac trahere videntur. Credimus equidem S. V. quæcumque agit, ad utilitatem Reipublicæ Chriſtianæ convertere, neque ſine magno conſilio ac matura deliberatione ſuæ mentis conceptum efferre; hoc tamen, inſtantibus dictis Conventualibus, per S. V. ſuper Eugenii decreto factum dicitur. Graviſſimum & inſupportabile, ut intelligimus, Fratribus de Obſervantia videtur, Familiamque illam omnino peſſundat, nec poſſibile creditur eam durare poſſe, niſi V.S. conſilium mutet, & quæ veſtrorum anteceſſorum provida meditatione ſtatuta ſunt, iis curſum eſſe decernat, confoveatque ſuos filios, & Apoſtolico munimine tueatur. Cogitantes igitur indignum eſſe, eos qui pro regula ſuſcepta ac jurata vitam ducunt, neque a dextris, neque a ſiniſtris declinant, iis ſubjici & obedire compelli, qui longe a limitibus vitæ quam profeſſi ſunt, abierunt: Affecti quoque huic novellæ ac ſalutiferæ plantationi, cujus profectum & augmentum magnopere cupimus, ejus autem ruinam veluti Chriſtiano populo damnoſiſſimam formidamus, S. V. obnixe exoratam, eique ſincero & ardentiſſimo ſupplicamus affectu, quatenus Eugenii decretum in ſuum priſtinum valorem reducentes, ac privilegia & indulta quæcumque Fratrum de Obſervantia vocatorum confirmantes, indemnitati ac ſtabilitati regulæ ipſorum ac familiæ providere, & opportune conſulere dignemini. Id erit nobis pro ſingulari & ampliſſimo munere, & apud omnes per æque gentes V.S. commendabitur, qui frugiferam & acceptam Deo familiam in protectionem & tutelam acceperit. Datum ut ſupra.*

Et Capiſtranum.

Re-

Reverendiſſimo Patri &c. Cardinali Firmano &c.

Indid. XXXIX. *Reverendiſſime Pater, & amice noſter cariſſime. Scribimus S. D. N. Papæ ſuper quodam negotio concernente Fratres ſancti Franciſci, qui de Obſervantia nuncupantur; intelleximus enim, quamdam bullam fel. rec. Eugenii Papæ IV. in favorem dictorum Fratrum conceſſam, noviſſime per Sedem Apoſtolicam ſive revocatam ſive ſuſpenſam eſſe. Quæ res præfatis Fratribus multum nocumenti affert, ac familiam eorum penitus diſſipare videtur. Cum autem V. R. P. ſicut accepimus, totius Ordinis Fratrum Minorum Protectrix exiſtat, ad eamque potiſſime pertineat, de felici ſtatu, & utili progreſſu ejus cogitare, ſtatuimus & veſtræ dignationi circa idem ſcribere. Rogamus igitur, & attente petimus quatenus apud S. D. N. ſcripta noſtra promovere, familiam hanc de Obſervantia commendatam habere, privilegia ejus confovere, & omni conatu ſibi aſſiſtere velitis, quando nihil eſt quod ex ejus operibus niſi fructiferum exeat, & Chriſtiano populo ſalubre. In eo autem faciet nobis R. V. P. ſingulariſſimam complacentiam, & Deo rem gratiſſimam, & Chriſtianæ plebi utilem & acceptam. Datum ut ſupra.*

Cardinali ſancti Angeli.

Indid. XL. *Reverendiſſimæ &c. Intelleximus, S. D. N. ad inſtantiam Fratrum ſancti Franciſci, qui Conventuales appellantur, nonnulla privilegia fel. rec. Eugenii Papæ IV. prædeceſſoris ſui revocaſſe ſive ſuſpendiſſe, quæ in favorem Fratrum ejuſdem Ordinis, qui de Obſervantia dicuntur, emanaverant. Scribimus eidem S. D. N. obnixe ſupplicantes quatenus præfatum privilegium ſive bullas Eugenii in priſtinum vigorem reducere velit, ne familia Fratrum Obſervantum, quæ profecto frugifera eſt, penitus diſſipetur; infirmati enim ſumus, niſi Sedes Apoſtolica in hac parte Fratres hujuſmodi confoveat, & Apoſtolico munimine tueatur, imminere ruinam dictæ familiæ. Hortamur igitur P. V. R. ut apud S. D. N. litteras noſtras, quas cum præſentibus dirigimus ſuper hoc negotio ferventi ſtudio noſtro promovere velitis, atque ita curare, ut deſuper gratum reſponſum obtineamus. In ea re faciet nobis V. R. P. ſingularem complacentiam, & rem, ſicut arbitramur, Deo gratam, & acceptam hominibus prōnovebit. Datum ut ſupra.*

Honorabili &c. Magiſtro Henrico Senſleben.

Indid. XLI. *Honorabilis, devote, dilecte. Scribimus S. D. N. in favorem Fratrum ſancti Franciſci de Obſervantia juxta copiam præſentibus intercluſam. Volumus ut rem illam cum Reverendiſſ. Cardinale ſancti Angeli, de quo plurimum confidimus, communices, eumque horteris, ut noſtro intuitu ejus negotii curam ſuſcipiat, quem non dubitamus, ſi voluerit, ad effectum juxta deſiderium noſtrum perducere poſſe. Studebis igitur rem hanc pro tua induſtria, quemadmodum deſideramus, expediri, nobiſque D. N. Papæ reſponſum quantocius ſignificari. Datum anno, menſe, & die prædictis.*

Reverendiſſ. Dom. Cardinali &c.

Ex epiſt. Silvii ep. 412. XLII. *Reverendiſſime Pater, & Domine mi colendiſſime, poſt humilem recommendationem. Quamvis ſcribente Cæſare, ac negotia Fratrum beati Franciſci de Obſervantia commendante, modeſtius fuerit me ſile-*

ſilere, quia tamen ob memoriam Divi Bernardini, conterranei mei, huic familiæ ſingulariter afficior, nequeo me comprimere; cogor aſſiſtere ſanctæ familiæ, neque patrocinia mea his negare poſſum, qui non me ſolum, ſed omnes Chriſtifideles ſuis orationibus, ac piis operibus adjuvant. Utinam eſſet in me auxilii copia, & aliquid poſſet patrocinium meum, profecto nihil his Dei ſervis denegarem; nam etſi ſum ipſe peccator, & iniquitate circumdatus, diligo tamen eos, quorum vitam caſtam mundamque video, quia quanto minus eſt in me virtutis, tanto eos juvare attentius debeo, quorum probitas in aperto eſt, ut ſi nequeam meis actibus Deo placere, horum ſaltem commendationibus reddar acceptus. Sicut enim pavidi & puſillanimes in prælio ſeculari milites fortium virorum virtute ſalvantur, ita & in beati Petri navicula prudentes ac animoſi nautæ vecordes atque ignavos ſervant remiges. Facit hoc Religio beati Franciſci, quæ apud Obſervantes habetur; hæc enim veluti lectiſſima militum manus undique Chriſtianorum luſtrat exercitum: nunc iſtam, nunc illam partem tuetur, arcet inſidias, impetum frangit hoſtium; ſemper armata, ſemper in vigilia, ſemper in negotio eſt, nobis ut otium pariat. Scimus quantum ſub Bernardino Senenſi, jam ſupernæ Hieruſalem Curiæ, hæc religio Eccleſiæ Catholicæ profuerit; quantumque modo ſub fratre Joanne de Capiſtrano utilitatis attulerit. Et quid hæc religio aliud agit, quam quæ jubere novimus Evangelium? Sentes ac tribulos ex agro Dominico divellit, ſemen bonum ſeminat, zizaniam ac lolium ſarculo veritatis præcidit; exterminat avaritiam, pellit libidines, fulminat illecebras; voluptates ſtrangulat, ambitiones & odia fugat, ignaviæ ac ſocordiæ ſtimulum adigit; & aperiens in Eccleſia diebus ſingulis os ſuum, pœnitentiam ſuadet, & viam Domini in veritate docet. Hæc ſunt opera Fratrum, qui de Obſervantia nuncupantur. Neſcio cui hæc non placeant. Credo, quæ non ſunt omnino præciſa ab Eccleſia membra, omnibus horum gratam eſſe converſationem; nec me dubium habet, quin ſancta Sedes Apoſtolica iis Chriſti militibus aſſideatur, nam & Romani Præſules quamplurima huic familiæ privilegia contulerunt, quibus ab infeſtationibus hoſtium perſeveraret illæſa. Sed audio, noviſſimis diebus nonnihil ſuggeſtum eſſe B. P. noſtro Papæ Nicolao V. adverſus hujuſmodi ſacram ſanctamque congregationem; fertur enim, Sanctitatem ſuam litteras Eugenii prædeceſſoris ſui, quæ in favorem horum de Obſervantia Fratrum emanarunt, ſeu revocaſſe, ſeu ſuſpendiſſe; quod minime feciſſet, niſi, ut ajunt, ſiniſtre de converſationibus horum Fratrum fuiſſet inſtructus. Perniciosa res eſt lingua fallax & ſubdola, multumque damni ſæpe in communi affert. Sed magna vis veritatis, quæ contra omnes inſidias facile per ſeipſam emergit. Vita horum Fratrum in aperto eſt. Non poteſt abſcondi civitas ſupra montem poſita. Eſt hæc familia quaſi lucerna ardens ſupra candelabrum, quæ domum Domini, hoc eſt Eccleſiam, miro ſplendore irradiat. Venit adverſus eam jam Princeps hujus mundi, & nihil habet in illa: fundata eſt domus ſupra firmam petram; nihil eſt quod in eam valeant Aquilones. At quamvis creditur cæleſtis Imperatoris ſuſtentata manu, neque timeat verſutias ſerpentinas, cupit tamen ejus auxilio communiri, qui locum magni Dei tenet in terris; nam etſi domus dirui ipſa, ſi demergi beati Franciſci navicula nequeat, poſſunt tamen ex inquilinis ſive ex nautis nonnulli periclitari; neque omnino tuta eſt, niſi Apoſtolicæ Sedis præſidio muniatur. Meum nihil eſt de alto judicio ſacri Senatus cenſere, aut de prima Sede quidquam dicere, cujus opera judicare in terris mortalium nemo poteſt; non tamen errare me putaverim, ſi apud dignationem veſtram animi mei ſecretum aperuerim, & quid ex uſu crediderim, ſapientiæ veſtræ palam fecerim; nam & hoc juraſſe memini me facturum, cum ſacris Pontifi-

Laudatur Obſervantia.

calibus initiarer. Ego, ut aperte loquar cum veſtra dignatione, vehementer timeo, ne novitas hæc ſcandalum pariat, ſi Fratres de Obſervantia ad Conventuales migrare permittuntur; hoc enim inprimis non intelligo licitum eſſe.

Pſal. 75. 12. Vovete & reddite, *Scriptum ſcimus, ſervanda, quæ ſanæ mentis promittunt puberes. Claudenda eſt porta, quæ ducit ad interitum, aperienda quæ monſtrat vitam. Sunt præterea, ut fama eſt, ſupra viginti millia Fratrum qui de Obſervantia dicuntur; tota Chriſtianitas his plena eſt: non eſt leve tantam offendere multitudinem: incautum eſt cum iis contendere. Quod ſi dicatur, multo plures eſſe Conventuales, doctrinamque horum perſpicaciorem videri; prædicationes quoque in omnibus urbibus audiri: Nihil moveor: parum prodeſt ſermo, cui vita contraria eſt; neque ſcientia ſine ſapientia proficit. Monaſteria Conventualium comminui ac ruere cernimus, Obſervantum augentur & florent; his Principum aures patent, neque Pontifices, aut alii Prælati iis adverſantur. Nihil enim ab his parochialium jura læduntur; ſubſidio plebanis, non oneri ſunt: Conventuales autem nunc offertoria cupiunt, nunc de jure ſepulchrali contendunt; ob quas res acceptiores omni populo ſunt Obſervantes quam Conventuales. Taceo de vita diſpari, quæ ipſo nomine deſignatur. Mihi profecto non videtur Romanum Pontificem hanc familiam contriſtari debere. Et quoniam veſtra dignatio protectionem Ordinis Minorum in ſe ſuſcepit, præſumpſi hæc ſibi ſcribere. Intelligetis ex litteris Cæſaris animum ejus. Utile cenſeo provideri. Frater Joannes homo Dei eſt; populi Germaniæ quaſi Prophetam eum habent; poſſet, cum vellet, elevato digito magnam turbam facere. Sentio ex iis, quæ penes eum ſunt, ægre ſibi eſſe, quod de bulla Eugenii fertur. Sed homo ſapiens ſpem vultu ſimulat, premit altum corde dolorem, quamvis ſcio conſtantiam ejus immobilem, neque timendum eſſe, quæ ſemper Apoſtolicæ Sedis dignitatem ac eminentiam prædicavit, retrocedere linguam. Decet tamen ſummi Pontificis providentiam iis benefacere, eoſque conſolari, qui de Romana Eccleſia ſunt bene meriti. Qualem eſſe hunc Patrem Joannem cum ſuis Fratribus nemo, qui ſapiat, inficias ibit. Hæc bona venia dixiſſe veluerim. Veſtra dignatio, quæ libera voce dico, in partem recipiat meliorem, meque ſuo more commendatum habeat. Ex nova Civitate die x. Januarii* MCCCCLV.

Matthæi l. 5. c. 29. Marc. 3. p. l. 3. c. 58. Sub Calixto agunt Conventuales contra Obſervantiam.

XLIII. Paulo poſt acceptas has litteras, corporis ſarcinam depoſuit Nicolaus Pontifex, ſed ſtudium non depoſuerunt Obſervantum adverſarii eos omnino ſub ſuam poteſtatem redigendi; imo majori conatu ſub novo Pontifice Calixto inſtiterunt, ſperantes, hominem univerſo Sodalitio addictum, pacis & unitatis amatorem, facilius in ſuam ſententiam attrahendum. Duo Pontifici ſuggerebant, haud tuta conſcientia Obſervantes in eo ſtatu verſari, magnopere Ordinis diſpendio ſciſſuram hanc utriuſque familiæ quotidie amplius augeri. Ut hæc magis perſuaderent, dicebant, bullam Eugenianam dictam, falſam & ſurreptitiam, ab Eugenio nequaquam emanaſſe, ſed a Joanne Capiſtrano, Nicolao Auximano, & Jacobo Primaditio ſolum excogitatam. Deinde familiam hanc adeo ab Ordinis corpore receſſiſſe, ut omnino cenſeretur ſeparata & diviſa, & deinceps non Minorum aut Franciſcanorum nomine, ſed Fratrum *de bulla* aut Privilegiatorum appellari debere. Etſi vero Obſervantes his objectionibus plene ſatisfecerint, & Flavii Blondi, Eugenio olim à ſecretis, aliorumque teſtimonio plene probaverint, ſciente, conſulente & volente Eugenio bullam integram emanaſſe, neque ex ea ſciſſuram, neque ſtatus, neque nominis ſequi diſcrepantiam: attamen ita importune Pontificem alii interpellabant, turbaſque in curia excitabant, ut decreverit plene utramque partem audire, & matura ſententia litem odioſam dirimere.

Vide Bernard. de Rubeis c. Quod quidam de offic. Ord.

XLIV. Pa-

XLIV. Patienter audita utraque parte, præſentibus Cardinale Firmano, & Jacobo Piceno ſibi gratiſſimo, juſſit, ut ſub feſtum omnium Sanctorum Miniſter Generalis cum Provinciarum Miniſtris, & Vicarius generalis Obſervantum paulo antea inſtitutus cum ſuis Vicariis Aſſiſium convenirent, de concordiæ & unionis modo efficaciter agerent, & controverſiam placide terminarent; ſin aliter, ſe omnes has turbas ſevere cohibiturum comminatus eſt. Deinde Abbatem Monaſterii ſancti Ambroſii Mediolanenſis, tunc Ordinis ſancti Benedicti, nunc ſancti Bernardi, Blaſium Ghilinum, juris utriuſque peritum, virum nobilem, gravem & doctum, etſi annis juniorem, qui univerſo cœtui præſideret, utriuſque partis rationes exciperet, & ad ſe ſcriptas afferret, amandavit. Demum congregatos paterne exhortatus eſt, ut quæ pacis & caritatis ſunt, fraterne ſectarentur, controverſias miſſas facerent, & omnem ſcandali materiam ablegarent. Tribus hæc epiſtolis, diſtinctis menſibus, Fratribus intimavit. Eas hic duximus exſcribendas. Pontifex cogitat controverſiã dirimere.

Dilecto filio Baptiſtæ de Levanto, Ordinis Minorum ſuper Fratres Ciſmontanos de Obſervantia nuncupatos Vicario Generali.

XLV. *Dilecte fili, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cum a fel. rec. Eugenio Papa IV. prædeceſſore noſtro nonnullæ emanaverint Apoſtolicæ litteræ, quæ quamvis tunc bonum concernerent ſtatum regularis Obſervantiæ Fratrum Ordinis Minorum, ſuper eiſdem tamen Apoſtolicis litteris ex poſt, inimico humani generis inſtigante, diſcordias exortas eſſe ſentimus, ita ut majores exinde ſuccreſcere ſit dubitandum, niſi de Apoſtolico remedio provideatur; maxime cum pro varietate gentium, temporumque congruitate digniſſimum ſit ac decens, novas condere leges. Te itaque hortamur in Domino, & nihilominus in virtute ſanctæ obedientiæ præcipimus & mandamus, ut tu cum illis Provinciarum Ciſmontanarum Vicariis & Fratribus idoneis, quos duxeris evocandos, in proximo feſto omnium Sanctorum, & in Conventu beati Franciſci apud civitatem noſtram Aſſiſii debeas perſonaliter intereſſe, ibidem ſimul cum dicti Ordinis Generali Miniſtro, ſuiſque Fratribus a ſe vocatis bonam præfati Ordinis pacem atque concordiam, concedente Domino, tractaturi. Quod ſi, ut ſperamus, ad ſanctum duxeritis finem, nobis mirum in modum complacebitis. Si vero, quod abſit, feceritis ſecus, procurabimus diſcordias hujuſmodi noſtra ſtatim effici proviſione concordes. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die* XXIX. *menſis Julii* MCCCCLV. *Pontificatus noſtri anno* I. Ex regiſt. Ordin.

Dilectis filiis Generali & Provincialibus Miniſtris, Vicariiſque quibuſcumque, ac ceteris Ordinis Minorum Profeſſoribus, in civitate noſtra Aſſiſii in proximo conventuris.

XLVI. *Dilecti filii &c. Licet per alias litteras noſtras devotionem veſtram ſimus hortati ad omnia bene & cum caritate agenda, quæ in iſta congregatione tractanda ſunt, nihilominus adhuc magis ſolliciti de pace & tranquillitate Ordinis veſtri, cui paterne ſumus affecti, mittimus ad vos dilectum filium Abbatem Monaſterii ſancti Ambroſii de Mediolano, latorem præſentium, virum religioſum, gravem & doctum, qui dictæ congregationi interſit, eaque vobiſcum agat & curet, quæ ad honorem Dei, & præfati Ordinis pacem, veſtramque concordiam pertineant. Hortamur itaque* Indid.

que vos in Domino & paterne monemus, ut illum reverenter ſuſcipere velitis, & ſalutaria ejus conſilia & mandata, quæ vobis noſtro nomine exponet, cum debita humilitate audire & ſequi: ſperamus enim, cum vir prudens & integer ſit, interventu ſuo adjuturum quidquid boni operis per vos cogitabitur. Vos autem memores Dei & profeſſionis veſtræ, atque etiam expectationis, quæ de vobis habetur, velitis dignos vos præſtare, qui non ſcandalorum, ſed pacis & obedientiæ filii appellemini. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris XXI. *Octobris* MCCCCLV. *Pontificatus noſtri anno* I.

EISDEM.

Indid. XLVII. *CUm omnium Chriſtifidelium unio & pax ſit procuranda a Romano præſertim Pontifice, quem Deus auctor pacis & amator, Vicarium ſuum in terris conſtitit, illorum certe eſt inprimis quærenda, qui ſeculo renunciantes, ac voto religionis adſtricti, caritatis & bonorum operum exempla præſtare ceteris debent, ut fideles populi eorumdem ſancta deſideria videntes, glorificent Deum Patrem Redemptorem noſtrum qui in cœlis eſt, & ipſi ad bene agendum, retinendamque concordiam devotius incitentur. Sane cum ſuperioribus annis ob quaſdam certi tenoris litteras a fel. rec. Eugenio Papa IV. prædeceſſore noſtro Fratribus prædicti Ordinis, qui de Obſervantia dicuntur, conceſſas, viſum nonnullis ſit & videatur de præſenti, æmulationem quamdam ac ſciſſuram in ipſo Ordine inductam eſſe, ac regulam, a fundatore ipſius B. Franciſco in ſpiritu caritatis & humilitatis datam, a vobiſque profeſſam, male ſervari, nec uni rectori, ſervo totius Fraternitatis, firmiter obediri. Factum eſt tamdem, inimico pacis id procurante, ut diverſo inter ſe ſtudio Fratres ipſi partim ſub Generali & Provincialibus Miniſtris, partim ſub Vicariis novo quodam more regantur, & ad tuendas quique ſuas partes non ſolum per noſtram curiam quotidie diſcurrerint, eamque catervatim repleverint, non tam humilitatis quam libertatis ſpiritu ducti, ſed, quod dolenter referimus, ad præſidia ſecularium, quos maxime his de rebus propter pernicioſum exemplum celare oportebat, necnon & capitaneorum gentium armorum confugerint, litteras contra Fratres ſui Ordinis procurantes, ſeque & alios cum detrimento animarum, & mutua confuſione vexantes, ob quæ diſſenſiones, lites & ſcandala exorta ſunt, & quotidie, niſi occurratur, majora & plura oriri timentur. Nos itaque, cum vos & Ordinem prædictum ſingulari caritatis affectu proſequamur, ac ex debito noſtri paſtoralis officii, his in eo natis ſcandalis, quantum cum Deo poterimus, obviare intendamus, quo perſonæ in illo degentes, ſublatis contentionibus hujuſmodi, cultui religionis ardentius invigilent, & in humilitatis ſpiritu debitum famulatum reddere valeant, ſtatuimus dudum & mandavimus, ut in noſtra civitate Aſſiſii, in qua beatiſſimi Franciſci corpus requieſcit, circa feſtum omnium Sanctorum inſimul congregaremini, & vos invicem honore, humilitate & caritate præveniretis, memoreſque illius ſancti Chryſoſtomi ſententiæ, quod qui primatum deſideraverit in terra, inveniet confuſionem in cœlo, nec inter ſervos Chriſti computabitur, qui de primatu tractaverit; nec quiſquam laboret, quomodo aliis major appareat, ſed quomodo omnibus inferior videatur, quoniam non qui major fuerit in honore, ille eſt juſtior, ſed qui fuerit juſtior, ille eſt major: Ac rurſum Salvatoris noſtri dicentis:* Qui major eſt veſtrum, ſit ſicut miniſter; *necnon etiam vulnera veſtra mutuo lingentes, orationibus ad Deum fuſis in vinculo caritatis & pacis inter vos contendentes, ſcandala hujuſmodi ſopire & componere ſtuderetis, omniaque alia & ſingula diſponere & ordinare velletis, quæ ad honorem Dei, & dicti Ordinis pacem, Fratrum ipſo-*

Auctor operis imperf. in Matth. apud Chryſoſtom. hom. 35.

Matth. 20. 26.

ipſorum unitatem pertinere noſcuntur. Et propterea cupientes id a vobis libere & efficaciter fieri, vos omnes & ſingulos paterna caritate in Domino hortamur, vobiſque prædictis in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub excommunicationis pœna latæ ſententiæ, quam contrafacientes ipſo facto incurratis, vel incurrat ſi quis contrafecerit, diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus in reddendis votis & conſiliis veſtris ſuper pace & quiete dicti Ordinis componenda, & caritate informanda, per ſcrutinium aut alias publice vel ſecrete, prout inter vos erit conventum, omni gratia, metu, & ceteris animi paſſionibus procul amotis, ſolum Deum & animarum veſtrarum, ac eorum qui propter hujuſmodi veſtras contentiones malum exemplum & ſcandalum patiuntur, ſalutem præ oculis habentes, id libere profiteamini, quod ſecundum Deum, & conſcientiam veſtram, ac veſtri Ordinis primævas conſtitutiones, & puritatem regulæ melius & utilius, ac magis ſalutare eſſe judicaveritis, ſcientes ſi ſecus agetis, quamvis homines fallatis, non poſſe effugere vos tamen æternum illud ſummi Dei judicium, quod cum ſempiterno ſupplicio ſubire cogemini. Nos autem quantum in nobis erit, & Deus juvare dignabitur, de oppertuno remedio non ſine eorum, qui ſcandala & zizaniam in tanta religione ſeminare non deſinunt, confuſione providere curabimus. Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLV. XVI. *Kal. Novembris, Pontificatus noſtri anno primo.*

XLVIII. Ut etiam qua poſſet diſſenſionibus & alternis odiis viam præcluderet Pontifex, acceptis multis querelis Conventualium, quod Obſervantes reformationis titulo domos illorum invaderent, aut a Principibus oblatas admitterent; rigoroſo cavit edicto, ne deinceps quoquo modo facerent, ſuiſque litteris alias Nicolai hoc anno ad preces Jacobi de Sarzuela provinciæ Aragoniæ, mox totius Ordinis Miniſtri, de hac re editas, inſeruit; omneſque adhibuit cautiones, quas ad conſtituti obſervantiam judicavit neceſſarias.

Ad futuram rei memoriam.

XLIX. *Regimini univerſalis Eccleſiæ, diſponente Domino præſidentes, juxta paſtoralis officii debitum cura reddimur indefeſſa ſolliciti, ut regulares Ordines, præſertim dilectorum filiorum Fratrum Minorum, quorum religio univerſum complevit orbem, in quorum utique tranquillitate quieſcimus, jurgiorum & litium reſecatis anfractibus, in concordiæ dulcedine & pacis ubique famulentur Altiſſimo. Unde ad ipſorum dirimendas lites, & quæcumque ſubmovenda ſcandala, quæ in ipſo Ordine, ambitione quorumdam faciente, ac inimico humani generis ſuperſeminante zizaniam, pullulare conſpicimus, eo Apoſtolicæ ſollicitudinis ſtudio propenſius occurrimus, quo illorum diſſenſio diſpendioſior fore cenſetur, ac periculoſius aliis cedit in exemplum; illa etiam Apoſtolico munimine roborantes, quæ propterea ſalubribus remediis novimus proceſſiſſe. Sane dudum fel. rec. Nicolaus Papa V. prædeceſſor noſter attente conſiderans, quod ex captionibus domorum, locorum, & Conventuum Fratrum Minorum hujuſmodi, ac monaſteriorum Monialium ſanctæ Claræ, ſub eorumdem Fratrum cura & adminiſtratione degentium, quæ per nonnullos alios Fratres prædicti Ordinis de Obſervantia nuncupatos crebro fiebant, per quæ plurima ſcandala in diverſis mundi regionibus & provinciis exorta erant, & majoribus exinde, niſi deſuper opportune provideretur, aditus pateſcebat; ad præcludendam viam ſcandalis hujuiſmodi nonnullas inhibitiones & mandata eiſdem Fratribus de*

Ex l. 1. bullar. Calixt. anno 1. fol. 80.

Ob-

Obſervantia nuncupatis, ſub variis cenſuris & pœnis fecit, prout in ipſius prædeceſſoris litteris, quarum tenorem præſentibus de verbo ad verbum inſeri fecimus, plenius continetur. Tenor autem earumdem litterarum talis eſt. Nicolaus epiſcopus, ſervus ſervorum Dei. Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopo Cæſarauguſtan. & Epiſcopo Oxomen. ac dilecto filio Abbati monaſterii de Veruela, Tiraſonen. diœceſis ſalutem, &c. Cum ad ſacrum Fratrum Minorum Ordinem, quem merito in viſceribus amplectimur caritatis, intuitum dirigimus mentis noſtræ, illum profecto in Eccleſia militanti, veluti ſtellam matutinam multis coruſcare percipimus inſigniis meritorum. Unde cum ipſius profeſſores votiva pacis dulcedine potiuntur, nos utique in eorum quiete quieſcimus, & quando aliquid ſiniſtri inter eos veriſimiliter emerſurum fore dubitatur, tanto ei accuratius celeriuſque obviamus, quanto id proſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Tranſmiſſa nobis dilecti filii Jacobi de Sarzuela Miniſtri provincialis provinciæ Aragoniæ, ſecundum morem dicti Ordinis, petitio continebat, quod licet olim ſuper diverſis quæſtionibus, controverſiis, & diſſenſionibus, quæ inter Conventuales, & de Obſervantia nuncupatos ejuſdem Ordinis Fratres, tam ſuper captione domorum dictorum Fratrum Conventualium, quam etiam monaſteriorum & aliorum religioſorum locorum Ordinis ſanctæ Claræ, quorum Moniales ſub ipſorum Fratrum Conventualium cura vivere conſueverant, per prædictos Fratres de Obſervantia facta ſeu verius attentata, in pleriſque mundi partibus, retrofluxis temporibus, pluribus vicibus ſucceſſive ſubortæ fuere, & earum occaſione ſuper ſimilibus inantea non attentandis varia & diverſa, ſalubria & rationabilia & honeſta, etiam ſub magnis formidabilibuſque pœnis, inhibitiones & mandata, & aliæ ad id, ut credebatur, ſufficientes proviſiones a Sede Apoſtolica emanaſſe noſcantur. Tamen ex conjecturis veriſimilibus dubitatur, ne inhibitionibus, mandatis, & aliis proviſionibus minime obſervatis, ſimili occaſione ſimiles quæſtiones, controverſiæ, & diſſenſiones de novo oriantur, ſeu jam ſopitæ ſuſcitentur in provincia antedicta, niſi eiſdem Fratribus Conventualibus de vlteriori novoque Apoſtolico deſuper adminiculo provideatur opportuno. Nos igitur illius veſtigiis inhærentes, qui pacem ſuis reliquit diſcipulis in diſceſſu, ſcandalis, quæ exinde (quod abſit) ſuboriri poſſent, viam præcludere, ac quæſtionibus, controverſiis, & diſſenſionibus inter Conventuales & de Obſervantia Fratres prædictos obviare ubilibet cupientes, omnibus & ſingulis de Obſervantia Fratribus hujuſmodi, etiam in quibuſcumque gradibus, officiis, & adminiſtrationibus, ac tam in prædicta, quam in quibuſvis mundi provinciis conſtitutis, auctoritate Apoſtolica, & ex certa ſcientia diſtrictius inhibemus, ne per ſe vel alium ſeu alios quovis quæſito colore vel ingenio de cetero aliquam, aliquod, ſeu aliquem, domum, monaſterium, ſeu locum Fratrum Conventualium aut Monialium prædictorum de novo capere, nec retinere, ſeu de illo vel illis ſe intromittere quoquo modo præſumant. Alioquin in contrafacientes, ac inhibitionis noſtræ hujuſmodi tranſgreſſores, eiſque in præmiſſis quomodolibet dantes auxilium, conſilium vel favorem publice vel occulte, directe vel indirecte, cujuſcumque etiam dignitatis fuerint, etiamſi Pontificali vel alia quavis eccleſiaſtica vel mundana dignitate præfulgeant, excommunicationis, & in domos trangreſſorum Fratrum hujuſmodi interdicti eccleſiaſtici ſententias, tenore præſentium ferimus, ac etiam promulgamus, ita quod per alium quam per Romanum Pontificem, ſic excommunicati, præterquam in mortis articulo conſtituti, ab hujuſmodi excommunicationis ſententia abſolvi nequeant, neque etiam in-

interdictum hujuſmodi ſuſpendi, vel totaliter tolli, ſeu etiam relaxari. Et inſuper vobis per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum per vos, vel alium, ſeu alios præſentes litteras ubi, quando, & quoties vobis viſum fuerit, & deſuper fueritis requiſiti, auctoritate Apoſtolica prædicta ſolemniter publicetis, dictiſque Fratribus Conventualibus, etiam ubilibet conſtitutis, fortis & efficacis defenſionis præſidio eadem auctoritate aſſiſtentes, non permittatis illos aut eorum aliquos, contra tenorem præſentium quomodolibet moleſtari, aut eis injurias irrogari. Et nihilominus illos, quos vobis conſtiterit prædictam excommunicationis ſententiam incurriſſe, tamdiu in Eccleſiis & eccleſiaſticis locis, Dominicis & feſtivis diebus, dum major inibi populi multitudo convenerit ad divina, excommunicatos publice nuncietis, donec ab eadem ſententia abſolutionis beneficium meruerint obtinere, dictumque interdictum faciatis ſtrictius obſervari, quouſque per Sedem Apoſtolicam alias deſuper fuerit ordinatum: contradictores quoslibet & rebelles per cenſuram, &c. invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtan. ſel. rec. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, illis præſertim quibus cavetur, ne quis extra ſuam civitatem vel diœceſim, &c. & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque: Aut ſi Fratribus de Obſervantia præfatis, vel quibuſvis &c. quod interdici &c. Ceterum quia difficile foret, hujuſmodi præſentes litteras ad ſingula, in quibus de eis forſan fides facienda fuerit, loca deferri, eadem auctoritate Apoſtolica decernimus, quod ipſarum tranſumpto, publica manu, & ſigillo alicujus ſuperioris Prælati aut Epiſcopi munito, tamquam præfatis, ſi originaliter exhiberentur, litteris plena fides adhibeatur, & illi perinde ſtetur, ac ſi dictæ litteræ originales forent exhibitæ vel oſtenſæ; irritum quoque & inane ſi ſecus, &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLIV. VIII. Idus Januarii, Pontificatus noſtri anno octavo. *Cum autem, ſicut exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Jacobi de Mozanica Theologiæ profeſſoris, ac Generalis Miniſtri, & univerſorum Fratrum dicti Ordinis petitio continebat, ipſi dubitantes, ne Fratres de Obſervantia nuncupati prædicti, prætendentes ſe quibuſvis Brevibus aut litteris Apoſtolicis fore munitos, inhibitiones & mandata prædicta obſervare contemnant, ac in eorum priſtino propoſito perſeverare nitantur; pro parte Generalis Miniſtri & Fratrum prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ipſius Ordinis quieti, paci, & ſaluti ſuper iis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, ad quorum auditum quamplurimæ querelæ contra Fratres de Obſervantia nuncupatos hujuſmodi ſuper his delatæ fuerunt, non ignari quot & quanta ſcandala ſuſcitare poſſent, quæ ex inexplebili nonnullorum ambitione procedunt, in tanto Ordine tot diviſiones & ſchiſmata, & propterea amplioribus deſuper adminiculis providere cupientes, ac etiam omnia & ſingula tam Nicolai prædicti, quam piæ memoriæ Eugenii Papæ IV. etiam prædeceſſoris noſtri, & noſtris etiam ſuper receptione, occupatione, & extorſione a ſolita Generalis, & provincialium Miniſtrorum, ac aliorum Prælatorum Ordinis Minorum in regula expreſſorum juriſdictione, & obedientia domorum, locorum, ſeu Conventuum prædictorum, aut Monialium ſanctæ Claræ, ſeu Minoriſſarum, eiſdem Fratribus de Obſervantia nuncupatis etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, ac ſub quibuſvis verborum formis conceſſas facultates & indulta, ac acceptationum hujuſmodi, etiam cum ſuppletione defectuum ratihabitiones, approbationes, & confirmationes, tenore præſentium revocantes, caſſantes, & annullantes, ac*

ac pro nullis, irritis, & infectis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, prohibitionem & mandatum hujuſmodi, ac primo dictas litteras hujuſmodi & proceſſus habitos per eaſdem, & quæcumque inde ſecuta, auctoritate Apoſtolica & ex certa ſcientia, tenore præſentium approbamus & confirmamus, ac pleno firmitatis robore ſubſiſtere, & per quoſcumque tam Fratres de Obſervantia nuncupatos hujuſmodi, & eorum Vicarios, quam alios quoſcumque, etiam Pontificali, aut alia quavis dignitate præditos, ſub eiſdem pœnis & cenſuris, perpetuo inviolabiliter obſervari debere decernimus, ſtatuimus, & ordinamus. Et nihilominus univerſis & ſingulis Venerabilibus Fratribus noſtris Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, ac dilectis filiis Abbatibus, ac Eccleſiarum, & religioſorum locorum quibuſcumque Prælatis, aliiſque perſonis Eccleſiaſticis in quibuſvis mundi partibus conſtitutis, ad quos præſentes noſtræ litteræ, aut eorum authentica tranſumpta pervenerint, ſub virtute ſanctæ obedientiæ diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus ipſi, ac eorum ſinguli per ſe, vel alium, ſeu alios inhibitionem, & mandatum prædicta, ac præſentes noſtras litteras, & quæcumque in eis contenta, quoties pro parte Generalis prædicti, aut alicujus ex dilectis filiis Provincialibus Miniſtris, ac Cuſtodibus & Fratribus quibuſcumque Ordinis antedicti fuerint requiſiti, in eorum Eccleſiis, civitatibus, & diœceſibus ac provinciis, ac ubi & quando viderint expedire, ſolemniter publicantes, ac in præmiſſis eiſdem Miniſtris, Cuſtodibus, & Fratribus efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, facienteſque omnia & ſingula in primodictis ac præſentibus noſtris litteris contenta tam a Fratribus de Obſervantia nuncupatis hujuſmodi, quam quibuſvis aliis auctoritate Apoſtolica inviolabiliter obſervari, non permittant eos, vel eorum aliquos circa captionem domorum, locorum, & Conventuum, aut Monaſteriorum Monialium prædictorum directe vel indirecte, aut quovis quæſito colore, ſub cenſuris & pœnis in litteris Nicolai prædeceſſoris prædicti, & quibuſcumque aliis gravioribus imponendis, quomodolibet moleſtari, aut eis gravamina vel injurias aliquas quomodolibet irrogari; reſtituturi & reintegraturi Generalem & Provinciales Miniſtros, Cuſtodes, & Fratres prædictos ad quælibet eis per eoſdem Fratres de Obſervantia nuncupatos poſt emanationem primodictarum litterarum quomodolibet capta uſque in hodiernum domos, loca, ſeu Conventus, aut Monaſteria Monialium ſanctæ Claræ ſeu Minoriſſarum, quæ ſub cura Generalis & Miniſtrorum prædictorum hactenus fuerunt. Et inſuper omnes & ſingulos Fratres de Obſervantia nuncupatos hujuſmodi, eorumque fautores, conſiliatores, & adhærentes, ad quos etiam cenſuras & pœnas in primodictis litteris contentas extendi volumus, quos inhibitioni, & mandato, ac litteris Apoſtolicis hujuſmodi ſcienter contraveniſſe, ac ſententiis præmiſſis irretitos eſſe, per ſolam fide dignorum relationem conſtiterit, in Eccleſiis, Dominicis aliiſque feſtivis diebus, dum major inibi populi multitudo convenerit ad divina, tamdiu excommunicatos publice nunciantes, & ab aliis nunciari, & ab omnibus arctius evitari, ac interdictum prædictum inviolabiliter obſervari facientes, donec inobedientes, rebelles, & præſumptores hujuſmodi ſuum recognoſcant errorem, & domos ſeu loca capta hujuſmodi Miniſtris, Cuſtodibus, & Fratribus prædictis reſtituerint, ac libere & expedite dimiſerint, ac de damnis & intereſſe ſatisfecerint competenter, a nobiſque & Apoſtolica Sede abſolutionis beneficium ac reconciliationis gratiam meruerint obtinere; nullo eis in præmiſſis appellationis obſtaculo quomodolibet ſuffragante. Et inſuper excommunicatos & interdictos præfatos, ſi expedierit, aggravare & reagravare eadem auctoritate procurent. Contradictores per cenſuram &c. invocato ad hoc &c. Non obſtantibus con-

conceſſionibus, indultis, facultatibus, conſtitutionibus, & decretis, etiam in Conſtantienſi Concilio editis, ac prædictis, & aliis confirmationibus, ac litteris Apoſtolicis quibuslibet, etiam per nos conceſſis, & in poſterum concedendis, quorumcumque tenorum exiſtant, aut ſi ad illorum caſſationem & revocationem de illis, eorumque totis tenoribus de verbo ad verbum, ac nominibus & cognominibus perſonarum, quibus illa conceſſa fuerint, aut quævis alia expreſſio facienda foret, quorum omnium & ſingulorum tenores pro expreſſis habemus, illaque revocamus, caſſamus & annullamus, ac pro infectis habemus, & haberi volumus; nec non ſel rec. Bonifacii Papæ VIII. etiam prædeceſſoris noſtri, qua cavetur, ne aliquis extra ſuam civitatem &c. quam aliis quibuſcumque conſtitutionibus a prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus tam de judicibus delegatis &c. obviare: aut ſi Fratribus de Obſervantia nuncupatis, ac præſumptoribus & fautoribus prædictis &c. indultum, quod interdici &c. mentionem. Volumus autem, & auctoritate decernimus antedicta, quod approbationi, confirmationi, conſtitutioni, mandato, inhibitioni, & litteris noſtris hujuſmodi per quaſcumque alias litteras Apoſtolicas etiam ipſis expreſſe derogare videntes, nullatenus poſſit aut valeat derogari, niſi de propriis nominibus & cognominibus dilectorum filiorum Generalis Miniſtri Ordinis prædicti, ac Hjeronymi de Sibinico Theologiæ & dicti Ordinis profeſſoris, ac ejuſdem Ordinis generalis Procuratoris, ac earumdem litterarum non per generales vel alias expreſſam mentionem importantes clauſulas, ſed de verbo ad verbum ſpecialis, ſpecifica & expreſſa mentio fiat; quodque tranſumpto præſentium litterarum, manu publica, ac alicujus Epiſcopi, vel ſuperioris Prælati, aut Collegii Cathedralis, aut etiam ipſius Generalis Ordinis antedicti ſigillo munito, plena fides adhibeatur in judicio & extra, ac ſi originales ipſæ litteræ forent exhibitæ vel oſtenſæ, irritum & inane &c. attentari. Nulli ergo &c. noſtrorum revocationis, caſſationis, annullationis, confirmationis, ſtatuti &c. infringere &c. ſi quis &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno &c. MCCCCLV. XI. *Kal. Septembris &c. anno primo.*

L. Convenientes itaque apud Aſſiſium Conventuales in ſacro Conventu ſancti Franciſci, & Obſervantes ad ſanctæ Mariæ Angelorum, diſcutere cœperunt, in quibus poſſent convenire. Ubi advenit Abbas, ſuæ legationis inſtrumentum expoſuit, ad pacem & caritatem fraternam exhortatus, cœpit compoſitionis articulos excipere. Multa & mirabilia ad ſeptemdecim capita redacta aſperule objecta ſunt contra bullam Eugenianam, quibus diffuſe, productis etiam multorum Doctorum Juriſconſultorum ex præcipuis Italiæ Academiis conſultationibus, Obſervantes reſponderunt; ſed demum eo perventum eſt, ut ea admiſſa probataque ageretur de modo concordiæ, etſi oporteret aliquas ejuſdem conſtituti clauſulas explicare vel mitigare. Demum patienter auditis partibus, habitiſque hinc inde variis collationibus, hos, quos ſubjicio, articulos pars vtraque porrexit. Subjicio Patrum ſubſcriptiones, ut qua maturitate hæc acta ſint, quinam interfuerint, quique etiam fuerint provinciarum ſuperiores, lector excipiat. Miniſter Generalis non interfuit.

Conventuales & Obſervantes agunt de modo concordiæ.

Articuli Patrum Conventualium.

LI. *PRo ſervanda unitate & pace Fratrum Ordinis Minorum, & ut provideri poſſit, quod omnes & ſinguli Fratres ejuſdem Ordinis, quibuſcumque nominibus nuncupentur, juxta expreſſa & clara mandata re-*

regulæ ſubjiciantur, & pareant Miniſtro Generali, Miniſtris Provincialibus, atque Caſtodibus, ſicut hactenus & ſemper fuit in eodem Ordine conſuetum & conſtitutum, quæ infra notantur, conſtituenda etiam auctoritate Pontificis neceſſario viderentur.

Et primo, quod in qualibet provincia, in qua ipſi Fratres de Obſervantia habent loca, licet plura & in diverſis partibus ejuſdem provinciæ conſtituta, una Caſtodia eorumdem præciſe ſtatueretur, quæ etiam gauderet omnibus privilegiis, officiis, exemptionibus & honoribus, quibus quælibet alia Caſtodia dictæ provinciæ uti & gaudere conſuevit. Caſtos vero illius Caſtodiæ atque Guardiani ſecundum ſtatuta Domini Benedicti Papæ XII. conſt. xx. eligantur per Vocales dictæ Caſtodiæ. Similiter & electionum earumdem confirmationes ſecundum eamdem conſtitutionem celebrentur & terminentur.

Secundo, quod talis Caſtos in Caſtodia ſua atque familia habeat omnem auctoritatem, quam nunc habent illi, qui dicuntur Vicarii, ſuperiorum nihilominus obedientia ſemper ſalva.

Tertio, quod non liceat Miniſtris, ſine conſenſu Caſtodis atque caſtodiæ, reliquarum caſtodiarum Fratres Fratribus ejuſdem caſtodiæ quomodolibet immiſcere, vel e contra, ſed in eorum devotionibus, quantum cum Deo potuerint, conſervare laborent. Id ipſum nec dicto Caſtodi liceat aliarum caſtodiarum Fratres ſine Miniſtrorum Provincialium aut Generalis licentia in dicta caſtodia receptare.

Quarto, quod Miniſter Provincialis ſemel in anno aut ſaltem in triennio poſſit viſitare loca præfatæ caſtodiæ, & a Fratribus de familia dictorum locorum inquirere de vita, moribus, ac regimine præfati Caſtodis; non poſſit tamen illum privare, neque publice pœnitentiare, etiam pro quocumque obmiſſo delicto ſive commiſſo, ſine conſenſu majoris partis Diſcretorum prædictæ caſtodiæ, & habitis ſufficientibus cauſis allegatis atque probatis. De correctione vero Fratrum reliquorum dictæ caſtodiæ Miniſter nullatenus ſe impediat, niſi ſpecialiter a prædicto Caſtode, vel a majori parte Diſcretorum ejuſdem fuerit requiſitus etiam in ſcriptis, niſi forte talis eſſet exceſſus, quod Miniſter ſuperiorum ſuorum mandato & auctoritate cogeretur.

Quinto, quod ſi quandoque contingeret Fratres illius caſtodiæ in Conventibus aliarum caſtodiarum diutius immorari, ſint interea Prælatis eorumdem Conventuum aut locorum, ut ceteri illic reſidentiam facientes, per omnia ſubjecti; & econverſo de Fratribus aliarum caſtodiarum, dum caſu quomodolibet diverterent ad Conventus vel loca caſtodiæ, intelligatur.

Sexto, quod omnes Fratres in ſæpedicta provincia commorantes, ad proceſſiones generales in civitatibus aut locis, ubi verſantur, per obedientiam convenire ſeu concurrere teneantur, cum ſuper hoc fuerint requiſiti; & etiam, ſicut convenit, cum ceteris Fratribus ſine differentia, communiterque procedant.

Septimo, quod ad obviandum ſcandalis, quæ de facili poſſent contingere, Fratres locorum antedictæ caſtodiæ, cum fuerint in terris, in quibus loca non habent, non mendicent aut procurent ſine licentia Guardiani, Vicarii, aut majoris partis Fratrum Conventus aut loci alterius caſtodiæ inibi conſtituti; & præterea cum inde diverterint, ad hujuſmodi Conventus aut loca declinare teneantur, ubi etiam gratioſe recipiantur & pertractentur, & econtra.

Octavo, quod Generalis Miniſter a Fratribus ſæpedictis habeat omnem obedientiam, ſicut & a ceteris Fratribus Ordinis in omnibus, videlicet quæ regulæ, divinis aut eccleſiaſticis præceptis non contradicunt, ſervatis ſemper

ſupra

ſupra notatis pro omnimoda videlicet dictæ cuſtodiæ conſervatione & pace. Id ipſum etiam Vicarius Generalis, morte videlicet aut peragratione Miniſtri Generalis ad partes Ultramontanas temporaliter conſtitutus, omnimodam, ut præfertur, obedientiam habeat ab eiſdem.

Nono, quod Cuſtos præfatus nullo modo, nulloque quæſito colore, nec Fratres illius cuſtodiæ ſancti Bernardini præſumant de novo accipere aliquem Conventum vel locum ſine licentia Sedis Apoſtolicæ, Generalis Miniſtri, vel ejus Vicarii Generalis, ac conſenſu capitulorum provincialium & cuſtodialium illarum provinciarum & cuſtodiarum, in quibus loca vel Conventus accipere diſponunt, ſub pœna excommunicationis, quam ipſo facto accipientes, & etiam inibi commorantes incurrant, & a qua nequeant abſolvi niſi a Generali Miniſtro cum conſenſu capituli generalis. Id ipſum intelligatur de non accipiendis Conventibus & locis aliarum cuſtodiarum.

Decimo, quod ſi ſupradictus Cuſtos habuerit juvenes habiles ad ſtudium, & velit eos collocare in ſtudiorum Conventibus, Miniſter provincialis teneatur eos recipere, ibidem collocare, benigne caritativeque pertractari facere, nec illos promoveat ad altiora ſtudia, aut removeat a ſtudiis, in quibus ad inſtantiam ſui Cuſtodis primo fuerant collocati, ſine conſenſu aut licentia præfati Cuſtodis. Tales ſtudentes commorantes in locis ſtudiorum, ab eiſdem nullatenus recedant ſine licentia Miniſtri in ſcriptis habenda, & quandiu manſerint in eiſdem, ſtent ſub obedientia Prælatorum in omnibus, quæ divinis, eccleſiaſticis, ſeu regularibus non derogent Inſtitutis. Item ſi prædictus Cuſtos requiſiverit, & habere voluerit aliquem vel aliquos ex Fratribus Conventualibus habiles ad legendum juvenibus ſuis in locis dictæ cuſtodiæ, de licentia Generalis Miniſtri, aut etiam Provincialis Miniſtri recipere & tenere poſſit durante tempore lecturæ.

Undecimo, quod prædicatores & Fratres prænominatæ cuſtodiæ nullo modo prædicare poſſint in civitatibus, caſtris, villis aut aliis locis, in quibus ſunt Conventus aut loca aliarum cuſtodiarum, ſine licentia Miniſtri Generalis, Provincialis, Cuſtodis, aut Guardiani illius Conventus aut loci, & cum conſenſu diſcretorum, niſi forte ex mandato particulari Sedis Apoſtolicæ, de hoc ſtatuto plenam & expreſſam faciente mentionem, ſub pœnis inferendis juxta ſtatuta Ordinis. Generalis vero Miniſter, Cuſtodes, aut Guardiani tribuant eis libere licentiam, ubi videant expreſſe ex hoc non provenire ſcandalum Ordinis, ſed magis devationem augeri Venerabilium Prælatorum Eccleſiæ, dominorum temporalium, populorum, aut communitatum.

Duodecimo, quod ſuper auctoritate ſeu licentia prædicandi tribuenda Fratribus ejuſdem Cuſtodiæ ſerventur mandata regulæ, Papalium, & generalium ſtatutorum, ſicut ſervantur & ſervari debent ab omnibus reliquis Fratribus Ordinis Minorum, quæ ſancta ſunt & neceſſaria.

Ultimo, quod Procurator electus per capitulum generale ſufficiat tam pro Fratribus Conventualibus, quam pro ipſis, & nullus alius per eos in Curia inſtituatur, cum talis multiplicatio potius obeſt quam proſit.

Et his ſtatutis ſervatis ſeu conceſſis, non erit opus quod dicta familia per Vicarios de cetero gubernetur, ſed per prælatos in regula expreſſos, videlicet Generalem, Provinciales Miniſtros, atque Cuſtodes.

Subſcripſerunt.

Magiſter Uldaricus provinciæ Argentinæ pro familia Ultramontana Procurator Curiæ.
Magiſter Franciſcus Eugubinus Procurator Ciſmontanus.
Hugolinus de Aſſiſio Provinciæ ſancti Franciſci Miniſter.
Joannes de Tybure Provinciæ Romanæ Min.
Diatalis de Padua ſancti Antonii.
Simonettus de Marchia Tuſciæ.
Franciſcus de Arimino Bononiæ.
Ubaldus de Monte-novo Marchiæ.
Ambroſius de Fliſco Januæ.....
Mediolani.
Galaſſus de Neapoli Terræ laboris.
Nicolaus Tirro Siciliæ.
Amicus N. Pennenſis.
Simonettus Foggia ſancti Angeli.
Franciſcus de Tarento Apuliæ.
Onofrius de Biſiniano Calabriæ.
Matthias Doringh Saxoniæ.

Et aliquot graves & docti Magiſtri.

Articuli Obſervantum.

LII. *IN primis, ſint omnes ſubjecti Miniſtro Generali, ut infra. Quod tantum fiat unum capitulum generale in toto Ordine, & quando citra montes fieret, omnes Vicarii & diſcreti familiæ ad illud venire teneantur, & conventi poſt renunciationem Vicarii Generalis, quam in fine ſui triennii ſemper facere teneatur, debeant ſimilem eligere de familia, & electus a majori parte Vocalium, debeat acceptari. Electio fiat in manibus Patris Generalis, ſecum præſentibus duobus ſcrutatoribus eligendis de corpore Congregationis, & ſcrutentur vota Fratrum ſecrete, ut ſemper in Ordine moris fuit. Si electio non fieret a majori parte vocum, in unum conventuri in tribus vel pluribus vicibus procedant electores in electione nihilominus ad alia remedia juris & Ordinis ſtatutorum antiquorum. Quando ultra montes fieret capitulum generale, provideatur Vicario & Fratribus familiæ Vocalibus ſupradictis, ut poſſint venire, & vocari ad congregationem faciendam per ſe de Vicario ſuo eligendo, ut in memoriali clauſularum continetur; ita quod non poſſint impediri, ſi Generalis venire renueret, aut nollet Commiſſarium mittere. Si electum Vicarium ut ſupra P. Generalis confirmare nollet, confirmatio devolvatur ad Sedem Apoſtolicam vel Papam, & interim donec fuerit confirmatus, tamquam Commiſſarius P. Generalis auctoritate Apoſtolica in omnibus familiæ curam gerat: & ſemper, & in omnibus concernentibus Ordinem & bonum Obſervantiæ regularis familiæ, omnes Fratres de familia dicto Vicario obedire teneantur.*

Provideatur quod Generalis contra bonum & regimen familiæ non concedat gratias alicui Fratri, alias pro infectis habeantur tam factæ, quam faciendæ.

Item, quod P. Generalis poſſit viſitare per ſe dumtaxat quemlibet Fratrem & locum, & non poſſit punire nos in Conventibus, neque de conſilio Fratrum Conventualium, ſed in locis noſtris & Fratrum delinquentium; & Vicarium generalem prædictum deponere poſſit, ſed nonniſi ex notorio crimine, & conſilio & aſſenſu majoris partis Vicariorum familiæ. Nec aliter ſe intromittere poſſit Pater Generalis de Fratribus familiæ, neque eos moleſtare, neque Miniſtri, neque Cuſtodes, vel inferiores Fratres ſub pœna privationis actuum legitimorum & officiorum, quam contrafacientes incurrant ipſo facto.

Pro-

Provideatur quod Fratres in familia delinquentes & fugientes ad Conventus capi poſſint, & corripi a Prælatis familiæ.

Provideatur de caſu quando Vicarius Generalis moritur in officio, ut in memoriali continetur. Item, de Vicariis Provincialibus & congregationibus, eorumdemque electionibus ut fiant, & non impediantur, ſed fieri poſſint, uti hactenus conſuetum eſt. Item, quod decreta noſtra omnia firma intelligantur, donec ſupraſcripta auctoritate Apoſtolica ordinentur & confirmentur. Quibus confectis Vicarius Generalis ſupradictus erga Fratres ſuos ea auctoritate fungatur, & tantam habeat, quantam Pater Generalis habet erga Conventuales; & Vicarii Provinciales, quantam hactenus habere conſueverunt.

Subſcripſerunt nullo ſervato ordine Provinciarum.

Baptiſta de Levanto Vicarius generalis.
Jacobus Primaditius & Marcus Bononienſis, olim Vicarii generales.
Antonius a Monte-Falcone Vicarius provinciæ ſancti Franciſci.
Petrus de Anguillaria Vicarius provinciæ Romanæ.
Gabriel de Mezavathis Bononiæ.
Petrus Maurocenus ſancti Antonii.
Franciſcus de Caſtronibus Marchiæ.
Hjeronymus Januenſis Genuæ.
Bonaventura Plantanida Mediolani.
Alphonſus Hiſpanus Terræ laboris.
Paulus de Synopoli Calabriæ.
Angelus de Altamura Apuliæ.
Bernardinus Aquilanus ſancti Bernardini.
Gaſpar Venetus Dalmatiæ.
Julianus de Cortona Tuſciæ.
Jacobus de Corneto provinciæ Orientalis.
Bartholomæus Corſicanus Corſicæ.
Gabriel Veronenſis Auſtriæ.
Joannes de Monte Ilcino ſancti Angeli.
Jacobus de Marchia.
Joannes de Prato.
Auguſtinus de Monte Barotcio.
Barnabas Interamnenſis.
Bartholomæus Fulginas.
Matthæus Narnienſis.
Ludovicus Vincentinus.
Jacobus Reatinus, Vocales peculiariter vocati.
Bartholomæus de Porris Commiſſarius & Procurator Curiæ Ciſmontanus.
Antonius de Mugnano Guardianus Hjeroſolymitanus.

Præter hos ſubſcripſerunt etiam Diſcreti ſupradictatum Provinciarum.

LIII. Acta ſunt hæc ſexto Novembris ſumma tranquillitate, omneſque & voce & ſcripto proteſtati ſunt ſe paratiſſimos ad obediendum ſummo Pontifici in omnibus, quæ circa concordata aut præter illa ſtatuere placeret. Diſceſsurus Abbas deſcendit in Ædem Portiunculæ, ubi frugali menſa ab Obſervantibus excepto, ſummopere placuit in tanta paupertate religioſa munditia, in copioſo cœtu altum ſilentium, in univerſis Fratribus ſumma modeſtia. Ita retulit Pontifici, viroſque adeo impenſe laudavit, ut fecerit propitium. Viſis itaque articulis, ſtatuit Pontifex rem omnem abſque tumultu placidè tranſigere, vocatumque e Marchia Jacobum Picenum conſtituit totius controverſiæ compoſitorem. Ægre tulit vir pacati animi, invidioſum hoc & moleſtum ſibi munus injungi, ſed ſecundo præcipienti Pontifici, ut his intenderet, ponderoſiſque verbis dicenti omnem ſe illi conferre poteſtatem tumultus hos ſedandi, conſcientiam ſuam omnino hac commiſſione ſe velle exonerare, illumque Deo & ſancto Franciſco ſtrictam red-

Pontifex ſtudet partium concordiæ.
Eam committit Jacobo Piceno.

redditurum rationem, niſi cauſam plene ſibi commiſsam integre, ſincere & intrepide perageret, oportuit obedire. Placuit utrique parti talis ac tantus arbiter; etſi enim ex Obſervantibus aſsumptus, Conventualibus non erat ingratus, quibus familiarem & amicum ſe ſemper oſtendit. Diu & mature conſideratis articulis utriuſque partis à Pontifice acceptis, alios, in quibus convenire deberent, excogitavit. Vellent omnes ſcire quid ageret, ſed ſecrete ſecum negotium ruminabat, & in longum pluribus habitis cum Pontifice conſultationibus, protraxit.

LIV. Selegerant ex ſuo grege Obſervantes ſeptem, qui totius Sodalitatis nomine tamquam compromiſſarii negotium proſequerentur: Baptiſtam Vicarium Generalem, Alſonſum Hiſpanum Vicarium Neapolitanum, Bernardinum de Foſſa Aquilanum provinciæ ſancti Bernardini Vicarium, hujus hiſtoriæ ſcriptorem, Bartholomæum de Porris in Curia Commiſſarium, Matthæum Narnienſem, Ludovicum Vincentinum, Joannem Pratenſem doctos viros & illuſtres prædicatores. Addiderunt alios quatuor, quorum judicium in rebus gravioribus erat expetendum, Jacobum Primaditium, Jacobum Picenum, de quo agimus, Auguſtinum de Monte Baroccio, Marcum Bononienſem. Tamdem ordinatos & ſtabilitos articulos Jacobus oſtendit utriſque. Omnibus omnes non placuerunt, ſed modo hos, modo illos hinc inde corrigi, mutari, deleri contendebant. Ipſos articulos produco.

Articuli a fratre Jacobo de Marchia compacti.

LV. *IN nomine Domini. Amen. Primo omnes Fratres de familia tam capita quam membra teneantur obedire R. P. Generali in omnibus & per omnia.*

Omnes Vicarii Citramontani & diſcreti Vocales teneantur accedere ad Capitulum Generale, & ibi poſt renunciationem Vicarii Generalis, quam ibi facere teneatur, debeant ſimilem alium de familia eligere, & electus a majori parte Vocalium debeat acceptari. Electio fiat in manibus Patris Generalis, vel Præſidentis in caſu ſi adeſſe noluerit, ſecum aſſumptis duobus ſcrutatoribus, quos ex numero dictorum Vocalium poſſit eligere Pater Generalis, & ſcrutentur vota Fratrum ſecrete, ut moris & de jure eſt. Electus a majori parte Vocalium gerat Commiſſariatus officium, donec Patri Generali ipſum placuerit confirmare, quique Vicarius habeat illam auctoritatem in Fratres omnes de familia, quam habet Pater Generalis in Conventuales.

Omnes Vicarii familiæ prædictæ habeant voces in Capitulo generali, ita tamen quod non poſſint eligere in Generalem, niſi Conventualem. Miniſtri Provinciales poſſint, ſi voluerint, intereſſe electioni Vicariorum, quamvis hoc hactenus numquam fuerit conſuetum. Et tales Vicarii ſic electi faciant officium Commiſſariatus, donec ſint a ſuis Miniſtris confirmati, & Guardiani inſtituti in congregationibus familiæ Provincialibus legantur in tabula Provincialium capitulorum. Similiter prædicatores & confeſſores noviter electi confirmentur in capitulis Provincialibus, quamvis hoc hactenus numquam fuerit conſuetum. In nullis vero aliis Miniſtri Provinciales vel Cuſtodes de factis & negotiis, aut Fratribus familiæ ſe valeant intromittere.

Reverendiſſimus Pater Generalis poſſit viſitare per ſe dumtaxat ſaum Vicarium generalem, & eum punire & deponere poſſit, ſed non niſi pro notorio crimine, pro quo merito deponendus eſſet, & hoc de conſilio & aſſenſu ſaltem quinque vel ſex Vicariorum familiæ. Et ſi caſus accideret quod aliquis fra-

frater de familia eſſet accuſatus apud Patrem Generalem, ipſe Pater Generalis poſſit per ſe vel per Vicarium provinciæ illius, in qua frater accuſatus reſidet, aut per Vicarium generalem, aut per alium quemcumque Fratrem in familiæ reſidentem viſitare & corrigere in loco ubi convictus eſt.

Nullus Frater de familia amoveatur de locis familiæ, ſed potius foveatur ibidem, prout in Martiniana continetur, ſcilicet Martini Papæ V.

Nullus Frater Conventualis poſſit venire in familiam abſque ſpeciali licentia Patris Generalis. Similiter etiam nullus Frater de familia poſſit accedere ad Conventuales ſine ſpeciali licentia ſuorum Vicariorum. Si quis vero Prælatorum hinc inde receperit aliquem Fratrem fugitivum, ipſo facto ſit ſuſpenſus ab officio & omni actu legitimo. Et nihilominus fugitivus pro crimine commiſſo poſſit a Prælato ſuo ubicumque repeti & puniri, & poſt punitionem, ſi voluerit recedere, petat licentiam ut ſupra; & numquam in perpetuum poſſit a quocumque de familia recipi: ſi vero aliquis ex levitate fugerit ad Conventum, tunc qui receperit, cadat in pœnam ut ſupra, de fugitivo pro crimine. Et nihilominus Prælatus ſuus poſſit eum recipere & punire ut decet, & ſi voluerit ſtare, petat licentiam ut ſupra. Si quis autem Fratrum impedierit prædictas repetitiones, ipſo facto omnibus officiis & actibus legitimis ſit privatus, & ultra hoc Generalis Miniſter poſſit condemnare & punire tales libris & aliis rebus omnibus, quibus utuntur.

Pater Generalis non poſſit concedere gratias alicui Fratri de familia diſcurrendi vel eundi per provincias & ſub ſpecie indulgentiarum, & præcipue abſolvendi in his, quæ tangunt contra votum caſtitatis.

Nullus Frater confeſſor, vel alter de familia poſſit per ſe vel per alium impetrare, niſi capax ſit recipiendi, gratiam permanendi in aliquo loco a R. P. Generali, quia ipſe Pater Generalis forte non eſt informatus de cauſa remotionis illius.

Si Vicarius R. P. Generalis Citramontanus moreretur intra tempus officii ſui, tunc Vicarius provincialis illius provinciæ, in qua mori contingeret, gerat Commiſſariatus officium uſque ad Capitulum generale, & alterius ſucceſſoris electionem.

Prædictus Vicarius Generalis ſic electus gerat officium ſui Vicariatus uſque ad Capitulum generale, in quo capitulo fiat electio alterius Vicarii, nec poſſit reeligi pro vice immediate ſequenti.

Et quia multæ enormitates, & mala exempla, & ſcandala circa ſeculares committuntur circa quæſtus per Fratres vagabundos, ideo quicumque Fratrum de familia aliquid quæreret ſub nomine vel prætextu Fratrum vel locorum Conventualium; vel ſi qui Conventuales alii ſtantes extra familiam quocumque ſub nomine Fratrum vel locorum de familia aliquid quærerent, vel quæſtam vel aliquid procurarent, ſint ipſo facto excommunicati, nec poſſint abſolvi Conventuales niſi a Generali Miniſtro, & Fratres de familia niſi a Generali Vicario familiæ, & priventur a ſuis Prælatis rebus ita procuratis.

Omnes Fratres prædicti Ordinis tam Conventuales quam de Obſervantia, ſub cujuſcumque obedientia exiſtant, venientes ad civitates vel terras, ubi Conventus vel loca noſtri Ordinis fuerint, teneantur ſe repræſentare poſt unum diem naturalem Prælatis Conventuum vel locorum, ita quod extra loca vel Conventus ſine licentia Prælatorum non poſſint permanere ſub pœna privationis omnium actuum legitimorum. Et ſecus facientes Prælati locorum aut Conventuum poſſint eos capere & punire, & ſpoliare rebus, quibus utuntur, & repertis apud eos.

Cum

Cum Vicaria Auſtriæ ſit diffuſa per plures provincias & regna, ac ſub diverſis Miniſtris, quorum diſtantia ſit maxima, ita ut difficillimum eſſet ad omnes recurrere. Vicarius præfatæ Vicariæ in congregatione electus pro tempore confirmetur ab illo Miniſtro, in cujus provincia congregatio prædicta fuerit celebrata.

Diſplicent aliqui ex articulis a Jacobo compactis.

LVI. Obſervantibus diſplicuerunt tres primi articuli; in primo enim nimis ampla & omnimoda tribui videbatur Miniſtro Generali poteſtas in Obſervantes, neque quidquam ſibi ſupereſſe reſervationis Eugenianæ, quin pro arbitrio ſuo mutare & evertere poſſet omnem ſtatum Obſervantum. In ſecundo & tertio diſplicebat commiſceri electionibus Conventualium, & adeo domeſtice cum eis converſari, ut timeri poſſit laxiores mores, immodicoſque ſumptus ab eis paulatim derivandos. Conventualibus vero, præter ſolum primum, reliqui ferme omnes diſplicebant, parumque aut nihil inculcabant Pontifici, ſibi per hanc compoſitionem concedi, & ægerrime ferebant dari Obſervantibus in electione Generalis ſuffragia. Ut vero conſtaret Pontifici, quanta accreverint Conventualibus, & quæ contra vel præter bullam Eugenianam eis concedebantur, ſcriptum hoc eidem porrexit.

Sed immerito.

Quæ & qualia conceduntur Patribus Conventualibus in articulis a fratre Jacobo compoſitis.

LVII. *Primo, quod omnes Fratres de Obſervantia nuncupati teneantur firmiter in omnibus & per omnia obedire R. P. Generali; contra quem Fratres de familia conqueri videntur, quod rumpit omnia jura ipſorum in bullis Domini Eugenii contenta.*

Secundo, juxta eaſdem bullas Eugenianas Fratres de familia non tenebantur accedere ad Capitulum generale, nec electio Vicarii Generalis in manibus Patris Generalis fieri debebat, nec etiam poterat eligere duos ſcrutatores; ego vero in contrarium pono.

Tertio, ſecundum bullas Eugenianas poſt triduum Vicarius erat confirmatus: ego vero poſui confirmationem in poteſtate Generalis, quando ei placuerit.

Quarto, ſecundum bullas eaſdem non tenebantur Fratres ire ad Capitulum generale: ego autem volo quod teneantur, & habeant vocem ſolum activam & non paſſivam in electione Generalis, quod Fratres de Obſervantia ſibi reputant in infamiam.

Quinto, ſecundum bullas ipſas Miniſtri Provinciales in nullo poterant ſe intromittere de familia: ego vero pono quod poſſint intereſſe electioni Vicarii Provincialis.

Sexto, ſecundam eaſdem bullas confeſſores & prædicatores ordinabantur in Congregationibus provincialibus familiæ libere: ego vero pono quod debeant præſentari & confirmari in capitulis Miniſtrorum provincialium, quod numquam fuit conſuetum.

Septimo, ſecundum ipſas bullas Vicarius Generalis non poterat deponi ſine conſenſu majoris partis Vicariorum: ego vero quod poſſit deponi de conſenſu quinque vel ſex Vicariorum.

Octavo, ſecundum eaſdem bullas Generalis Miniſter ſolum viſitare poteſt per ſe: ego autem quod etiam per alium commiſſione ſua, ſcilicet per Vicarium Generalem vel Provincialem, vel per alium Fratrem de familia.

Nono, ſecundum eaſdem bullas Conventuales Fratres poterant venire ad nos

nos ſine licentia obtenta: ego autem quod non ſine petita & obtenta, excepto cum eſſet periculum ſalutis ſuæ evidens, ut in Martiniana continetur.

Decimo, ſecundum ipſas bullas Conventuales qui veniebant ad nos, non poterant a Prælatis eorum repeti: ego autem quod poſſint repeti, niſi in caſu ſupra immediate poſito.

Undecimo, ſecundum bullas prædictæ repetitiones Conventualium ad Obſervantiam venientium poterant impediri: ego autem contra impedientes pœnam appoſui privationis ipſo facto officiorum & omnium actuum legitimorum.

Duodecimo, ſecundum bullas Generalis non poterat concedere gratias in genere, quæ fuiſſent in detrimentum regiminis Vicariorum: ego autem pono quod poſſit, exceptis in duobus caſibus.

Ultimo, ſecundum bullas Fratres familiæ poterant facere congregationem per ſe, & in ea Vicarium eligere: ego autem quod non poſſint, ſed teneantur ire ad Capitulum generale, & ibi Vicarium eligere generalem.

LVIII. Hæſitante adhuc Pontifice, & propter graviſſima, quæ animo voluebat circa ſacri belli apparatum, rei deciſionem differente, ex conſilio ſibi aſſiſtentium Baptiſta Vicarius Generalis acceſſit ad Cardinalem Firmanum Protectorem, ægre ferentem, ſe excluſo rem graviſſimam religionis, ſuæ curæ commiſsæ, ſoli fratri Jacobo fuiſſe commendatam, dixitque omnium illud votum eſse, ut negotium ille perageret, & apud Pontificem promoveret. Homini ſuæ famæ & auctoritatis retinendæ cupidiſſimo placuit propoſitio, acceptiſque propoſitionibus ſive articulis fratris Jacobi, paucuſis ad Obſervantum vota mutatis, dextere egit apud Pontificem, ut tamdem controverſia hæc abſolveretur. Re itaque ſibi & beato Jacobo commiſsa, tamdem gravi diplomate, inſertis Jacobi articulis emiſso, ad initium anni ſequentis, magna hæc tempeſtas ſedata eſt.

LIX. De his turbis monitus Capiſtranenſis per litteras ſui comitis Gabrielis Veronenſis, & inſtantiſſime rogatus a Vicario Generali Baptiſta Levantino, ut perſonaliter tantis malis, quæ Obſervantum ſtatui imminebant occurreret, reſpondit, publica rei Chriſtianæ negotia præponderare peculiaris Inſtituti controverſiis, neque ſibi annis gravi, & laboribus fracto adeo integrum eſſe, ex ultimis Hungariæ finibus per immenſa terrarum ſpatia in Urbem evolare. Scripſit tamen Pontifici Calixto diffuſas litteras, rogans, ne velit a ſuis prædeceſſoribus juſte, mature, & laudabiliter in religioſæ familiæ tutelam & incrementum conceſsa quoquo modo revocare. Alias dedit ad Cardinalem Firmanum, precans, velit ſuo adeſse patrocinio, & in calce duas ſibi factas mirabiles recenſet viſiones. His præmiſit Imperatorias, & Prælatorum ac Procerum regni Hungariæ in conſeſsu generali unitorum. Omnium ſubjicimus hic exemplaria. Alias miſsas facio aliquanto ſeveras ad Miniſtrum Generalem datas, & binas ad Jacobum Picenum.

Capiſtr. a ſociis Romam vocatus non vult fidei negotium negligere.

Sanctiſſimo Domino &c. Calixto III.

LX. *Beatiſſime Pater, ad pedum oſculanda veſtigia beatorum, humillimam & promptiſſimam uſque ad crucis mortem obedientiam mandatorum, nec mihi gratius quidquam. Vehementiſſimum mihi inerat deſiderium ad Tuam Clementiſſimam Sanctitatem perſonaliter me conferre, niſi ſenectutis gravitas retardaſſet, & longa viarum diſtantia terruiſſet, necnon temporum qualitas indiſpoſita retraxiſſet. Sum namque ad præſens in ultima* Ex Reg. Capiſt.

Chriſtianitatis Cathedrali Eccleſia, Chanadienſis appellata, conſtitutus, a Turcis perfidiſſimis diſtante per millaria, ut aſſerunt, ad plus quatuordecim; diœceſis tamen ad ipſos uſque Turcos extenditur. Et in hanc Civitatem noſtra ætate jam bina vice progreſſi, nedum ipſam Civitatem, ſed etiam totam hanc regionem depopulantes ferro & igne vaſtarunt. Abſens igitur & tam extraneus peregrinus ecce jam quinquies diverſis ex locis V. C. S. ſupplici calamo viſitavi, & poſt ceteras notificationes de periculis Reipublicæ Chriſtianæ, nunc inſinuo V. S. quod Deſpotus ille Raſcianorum Princeps pacem iniit cum Chriſti hoſte ſæviſſimo magno Turca Mahometh. Inſtant P. B. tempora periculoſa, & dies mali ſunt. Eſt igitur futuris paratis periculis obviandum, & cautius eſt ante tempus occurrere, quam poſt vulneratam Chriſtianitatem remedium quærere; nam poſt obitum ſero medicina paratur. Ecce tremunt in partibus iſtis quaſi omnes, etiamſi quaſi leones feroces extiterint contra eos. Non repetam quæ in aliis ſcripſeram T. S. Tuum ſit apud Chriſtum Jeſum decernere quid agendum. Omnes animæ tuæ ſunt, Chriſti redemptæ ſanguine pretioſo, ſub tua cura, ſub tuo regimine, ſub tua tuitione ſubmiſſæ:

Gregor. Hom. 9. in Evang. Tanto ergo eſſe humilior, atque ad ſerviendum Deo promptior quiſque debet eſſe ex munere, quanto ſe obligatiorem eſſe conſpicit in reddenda ratione, *& alias oves habes, quæ non ſunt ex hoc vili, Chriſti vice ac jure tibi commiſſæ; quoniam conſtitutus es ſuper gentes & regna, ut evellas & deſtruas omne vitium, & quidquid ſapit criminis atque culpæ, & diſperdas & diſſipes omnes hæreſes & ſchiſmata, gentiumque ſimulacra & Paganorum, & ædifices & plantes omnem fidei veritatem, ac virtutum moralitatem, & Theologicam Sanctitatem. Omnes hominum nationes in te velut in Solem aſpiciunt, tuam Sanctitatem undique ſpeculantes tamquam in eum, qui ſolus in terris Deum hominibus repræſentas. Opus eſt igitur, ut ſit in te plenitudo ſanctitatis, ſicut eſt in te ſolo plenitudo poteſtatis. Spectaculum factus es Deo, Angelis, hominibus, & futuris ſeculis univerſis. Quanto thronus altior, tanto patentior. Exemplum omnium bonorum operum te ipſum oportet exhibere, quia tamquam columna & ſuxum immobile poſitus es in domo Domini, ſuper quam omne pondus fidelium conquieſcit. Quanto gradus celſior, tanto caſus periculoſior judicandus*: Quanto major es, humilia te in omnibus, & coram Deo invenies gratiam, *quam in nos omnes tamquam in tuas oviculas effundere non poſtpones, quia divina gratia tamquam unguentum in capite, ſcilicet in Chriſto Jeſu tamquam in vero Dei filio, quod deſcendit in barbam, ſcilicet in ejus ſanctiſſimam humanitatem, ab ipſo divino Verbo aſſumptam, & barba in capite eſt, & Chriſtus Jeſus caput eſt omnium Catholicorum; caput inquam myſteriale & inviſibile, a quo poteſtatis plenitudo deſcendit in barbam Aaron, & ſic in te tamquam in ſingulariſſimum ſuum Vicarium, qui caput es miniſteriale & viſibile totius Eccleſiæ ſanctæ Dei, totiuſque myſtici corporis Jeſu Chriſti benedicti. Papa es, ſummus Præſul, maximus Pontifex, rector & paſtor omnium Chriſtianorum, cunctorumque viventium & mortalium, Princeps terrarum atque cælorum, quia quodcumque ſolveris vel ligaveris ſuper terram, ſolutum vel ligatum erit & in cœlis. Et cum tanta ſit tua poteſtas, noli extolli, hominem te cognoſce mortalem, quia magna potentia Dei ſolius, & paſtor paſtorum ſuper omnes*

Eccl. 3. 20.

Sap. 6. 8. *eſt, judicaturus magnos & parvos*: Non enim ſubtrahet perſonam cujuſquam Dominus, nec verebitur magnitudinem cujuſquam, quia puſillum & magnum ipſe fecit, cum æqualiter eſt ſibi cura de omnibus &c. (Deinde multis interjectis.) *Ecce dum litteras ad gaudium expectabam a tua piiſſima Sanctitate, a Fratribus e converſo plenas mœroribus, lacrymis, & ſingultibus,*

bus, atque ſuſpiriis & anguſtiis, cordis dolore ſuſcepi, quæ myſtice cor meum gladio penetrabili vulnerarunt; eo quod ad ſiniſtram æmulorum noſtrorum informationem T. S. inclinata videretur ad irritandum noſtra ſalutifera decreta, communi etiam concordia & conſenſu Generalium atque Provincialium Miniſtrorum, qui tunc aderant, nobis, cognita cauſa, tradita & conceſſa, magna juſtitia mediante, ut plene communiter tractatur per Doctores in c. licet. de Regularibus &c. (Demum poſt multas juris allegationes, & varias rationes ſubjungit.) *Quantum autem in me eſt, ut ſcripſi ſcribo quod a Domino Jeſu Chriſto putabo deciſum, quidquid in his & in aliis quibuſcumque T. S. enodabit, confiſus in tua conſcientia & ſanctitate, juſtitia & æquitate, ac poteſtatis plenitudine quod divinum cultum & ſanctæ Catholicæ fidei myſteria dilatare potius intendat quam minuere. T. B. pedibus ſacratiſſimis Fratres meos omnes ubilibet de Obſervantia nuncupatos, meamque puſillitatem facio inſtantiſſime commendatos: qui omnes unanimes & concordes ubicumque fuerint pro T. C. S. quotidie ſpeciales orationes offerunt Altiſſimo, ut ipſe, qui te elegit, in hac graviſſima tempeſtate te dirigat, protegat, & conſervet ad profectum, defenſionem, & exaltationem Eccleſiæ ſanctæ ſuæ, ut in fine cum grege tibi credito ad vitam pervenias ſempiternam. Amen. Ex Chanadienſi Eccleſia die* XXIII. *Septembris* MCCCCLV.

Reverendiſſimo &c. Cardinali Firmano.

LXI. *Reverendiſſime in Chriſto Pater & Domine, D. obſervandiſſime, fautor atque protector noſter ſingulariſſime, humillimam commendationem cum omni officio obſequendi. Significatum eſt mihi per Fratres, in quantis perturbationibus paupercula familia noſtra conſtituta ſit; quod graviter fero. Sed hæc ſola ſpes me conſolatur, quod R. D. V. non patietur nos in ruinam dari, ſi præcipue ad bene vivendum anhelamus; nec mihi perſuaderi poteſt, quod dum vixerit V. R. D. non interponat ſe uſque ad ultimum ſpiritum pro defenſione & conſervatione, necnon & augmento familiæ de Obſervantia tamquam verus ſinceruſque protector noſter, quemadmodum meis temporibus fecit. Quamobrem ſupplico humillime R. D. V. quod cauſam noſtram ita ſuſcipiat R. D. V. coram S. D. N. ut falſis ſuggeſtionibus non acquieſcat S. ſua in diminuendis gratiis & decretis, per ſummos Pontifices, cum omni debita maturitate & conſilio nobis indultis. Sed dignetur B. ſua nos fovere, conſervare, & augere ad bene beateque vivendum ſub Obſervantia regulari. Quæ res facillima eſt ad obtinendum, dummodo R. D. V. ſe interpoſuerit cum ardenti animo. Quod ut faciat, ne in malum exitum res evadat, R. D. V. magis ac magis exoro imploroque. Quam Chriſtus Jeſus feliciſſimo ævo tueri dignetur pro conſervatione filiorum ſuorum atque ſervorum. Ex Chanadino regni Hungariæ civitate* XVIII. *Septembris* MCCCCLV. *Ex Reg. Capiſt.*

E. R. D. V. inutilis ſervus, licet fidelis Orator, Fr. Joannes de Capiſtrano, Ordinis Minorum minimus & indignus, manu propria.

LXII. *Addo, quod ſi qui ſunt detractores adverſum me, quidquid ſiniſtri de me referunt, adhibeatis credulam audaciter fidem: boni autem ex me nihil, niſi quantum ex vacuo inſtrumento clementia Salvatoris dignabitur operari.*

LXIII. *Deterrebat me quantululum mens ambigua, ſi deſcriberem, an ſile-*

Myſterioſa viſio Capiſtrani.

ſilerem; vicit tamdem zelus atque confidentia, quam ſecure diu geſſi in V.R.D. potius exprimere quam ſupprimere, quod vidiſſem in feſto ſancti Bartholomæi anno præſenti in Alba regali prædicans multis millibus Chriſticolis, interpres, quod edixeram, declarante de proximis periculis fidei Chriſtianæ. Vidi quatuor flumina invicem decertantia, quorum primum ab Oriente, ſecundum ab Occidente, tertium a Meridie, quartum vero a Septentrione, & quodlibet nitebatur in mare magnum cum impetu fluere & refluere; in refluxu vero quodlibet violenter agebat, ut aquam totius pelagi ſecum traheret. Vicit poſtremo flumen occiduum. Quid hæc velint, attendite; quid ſpiritus indicet, propulſate. Hac die in feſto ſacrorum Stigmatum Seraphici beati Franciſci, noſtri incliti Patriarchæ, dum interpres exponeret, quod a me prius audierat de impreſſione ſignaculorum Chriſti Jeſu, vidit ſervulus tuus prælium in cælo magnum inter Solem & Lunam & Stellas: luna & ſtellæ contra ſolem irruentes, victoriam referebant. Stupefactus admirans, quid hæc vellent, ignorans audivi: Sol a Luna ſuperatus eſt: Judicia Dei abyſſus multa. Tamquam attonitus deplorabam quod non eſſet Aſtrologus hæc decernens. Iterum vox intonuit ſpiritualis: incomprehenſibilia ſunt judicia Dei: abyſſus abyſſum invocat. Iterum explorabam, & concluſionem hanc percepi: Major ſerviet minori, & finis properat; nec amplius quidquam. Solvat hæc ille, cujus eſt condere & enodare. Amen.

Beatiſſimo Patri &c.

Indidem.

LXIV. *Beatiſſime Pater &c. Intelleximus, poſt divam electionem V.S. aliquod diſturbium illatum fuiſſe Fratribus Ordinis ſancti Franciſci, qui de Obſervantia nuncupantur, per Generalem Miniſtrum & Fratres Conventuales ejuſdem Ordinis contra decreta ſacrorum Conciliorum Conſtantienſis & Baſileenſis, confirmata poſtmodum per fel. rec. Martinum Papam V. & Eugenium Papam IV., qui Eugenius etiam nova decreta in favorem prædictorum Fratrum de Obſervantia edidit & inſtituit. Quæ etiam V. S. prædeceſſor Nicolaus Papa V. immaculata reliquit & intacta, ac vivæ vocis oraculo confirmavit Fratribus antedictis. Cum itaque P. B. per eoſdem de Obſervantia Fratres fructus uberes pullulent in omni populo Chriſtiano, prout rerum bonarum mater experientia docet, tam ſana doctrina ſolemnium prædicatorum, quam exemplo lucidæ vitæ Fratrum eorumdem ubicumque commorantium, ac ſuis orationibus, exhortationibus & conſiliis ad viam ſalutis, & fidei ſtabilitatem, ac morum reformationem continuo ſublevantium & dirigentium. Quamobrem V. S. obnixius exoramus, avido ſupplicantes affectu, ut Fratres ipſos de Obſervantia paternali ſuſcipiat protectione commiſſos, cui ſe immediate ſubeſſe fatentur, prædicantque quotidie & commemorationem faciunt populis Chriſtianis de obedientia debita V.S. & culmini ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ, necnon & Apoſtolicæ Sedi. Et quam maxime teſtimonium perhibere veridicum poſſumus ex prædicationibus Fratrum prædictorum in his partibus prædicantium. Dignetur igitur V.S. ad evitandum ſcandala, quæ exoriri poſſent in populo Chriſtiano apud Reges & Principes, atque vulgares, qui nullo modo paterentur, moleſtiam aliquam aut vexationem inferri ſæpedictis de Obſervantia Fratribus, decreta præfatorum ſacrorum Conciliorum ac prædeceſſorum V.S. favorabiliter confirmare, manutenere & ampliare, potius quam minuere. Quod cedet nobis pro munere ſingulari, & ampliſſima complacentia, tamquam res Deo grata, Chriſtianis Principibus & populis fructuoſa, ac V.S. laude digna memoria immortali. Quam di-*

dignetur Altiſſimus feliciter conſervare pro ſuæ ſanctæ Eccleſiæ regimine ſalutari, & defenſione, & ampliatione ſanctæ fidei Ortodoxæ. Datum . . .

EIDEM.

LXV. *Beatiſſime Pater &c. Differentiam quamdam ſubortam intelleximus apud S. V. inter Fratres Conventuales, & Fratres de Obſervantia ſancti Franciſci: in qua illi Conventuales contendunt & expoſtulant, hos de Obſervantia ſuo & ſuorum Provincialium Miniſtrorum regimini per ſanctam Apoſtolicam Sedem ſubjici atque ſubmitti. Quam quidem ſanctam Sedem Apoſtolicam, licet in omnibus cauſis rectum judicium habere, & juſtam ſententiam ferre non dubitemus; tamen non mirari non poſſumus, ſi illos conſtitueret magiſtros regulæ ſancti Franciſci, qui ſe in his præcipue noſtris partibus numquam ejus obſervatores fuiſſe noverunt. Quod profecto ideo dicimus, quoniam de fructibus utriuſque partis, & modo habendi ſeſe ad alteram, quantum ad has partes, teſtimonium S. V. perhibere poterimus. Recolimus namque, cum adhuc ipſi Fratres de Obſervantia pauca loca in hoc regno, plura vero in partibus Boſnæ habuiſſent, quod tam iſta, quæ in hoc regno habebant, quam illa in partibus Boſnæ exiſtentia, ſub uno Vicariatu ſcilicet Boſnenſi habebantur. Et dum poſtea multiplicatis in partibus iſtis ipſorum Fratrum de Obſervantia locis, placuiſſet eidem Sedi Apoſtolicæ ipſa loca ad duo officia Vicariorum dividere, lociſque in hoc regno exiſtentibus proprium Prælatum ſeu Vicarium deputare, ſemper iſti Fratres de Obſervantia a proprio Prælato ſive Vicario, alio videlicet ab illo qui fuit Miniſter illorum Conventualium, recti & gubernati fuere, quemadmodum etiam de præſenti gubernantur. De fructibus vero eorum & vita aliud dicere non poſſumus, niſi quod ipſi Fratres de Obſervantia modeſtiæ ſtudent, vitam regulatam habent, prædicant verbum Dei continue, adjutores ſunt curæ Prælatorum, docentque verbo & exemplo, ac ita ſe in omnibus exhibent, ut magnam ad ſe populi devotionem compararint. Utque ſine ſcandalo, nobis credat in hoc B. V. illis Conventualibus nullatenus ſubjicerentur, nos etiam quantum in nobis eſt, ſalva auctoritate Sedis Apoſtolicæ, facilius omnes illos Conventuales de regno ejici, quam iſtos de Obſervantia eis ſubjici pateremur. Quamobrem S. V. humiliter ſupplicamus, ut ipſos Fratres de Obſervantia, & totam ejus familiam, quos ipſa virtutum & laboris merita acceptos reddunt, teſtimonio noſtro habeat amplius commendatos; atque in hac cauſa ipſorum Fratrum ita ſe exhibeat, ut & ſcandala vitentur, & populi devotio in ipſorum conſueto & pacifico ſtatu conquieſcat, quorum ſicuti nunc patrocinium parati ſuſcipimus, ita defenſionem opportunam ſub bona S. V. confidentia accurate proſequemur. Conſervet Dominus S. V. feliciter regimini Eccleſiæ ſuæ ſanctæ. Datum Budæ in congregatione noſtra generali* VI. *die Auguſti anno Domini* MCCCCLV.

Indidem.

E. V. S. Filii, Prælati, & Barones Hungariæ.

LXVI. Myſterioſas illas viſiones, quas Capiſtranus in ſua epiſtola ad Card. Firmanum ſe habuiſſe revelat, quis interpetari auſit, cum neque ipſe eas aſſequi potuerit; niſi quis forte ſuſpicetur, primam referri ad quatuor potiſſimum nationum Italorum, Burgundionum, Germanorum, & Hungarorum cum Turca congreſſum, atque hunc immenſa exercitus multitudine exundantem illis tamquam fluminibus comparatum, vere mare cenſeri. *Aque multæ, populi multi*; & poſtremo viciſſe Hungaros, qui reſpectu aliarum gentium Occidui judicentur. Secundam vero ad Fratrum con-

Explicationes viſionum Capiſtrani.

Apocal. 17. 15.

concertationem, ſolemque cenſeri familiam Conventualium, doctrina, litteris, auctoritate regiminis, rerum magnifice geſtarum claritate Solis inſtar radiantem, Lunam & ſtellas cœtum Obſervantum, puritate, & terrenarum rerum omnimoda abdicatione nitentem, variiſque partibus & pauculis domibus per diverſas provincias tamquam ſtellas ſcintillantem: & Solem a Luna ſuperatum, quia tamdem vicerunt Obſervantes, obtinueruntque ſub Leone Pontifice Ordinis ſigillum, & multitudine Fratrum, ac amplitudine regiminis ſuperarunt, a quibus antea lucem & ſplendorem tamquam a ſole ſtellæ accipiebant. Mœſto & gravi corde ſecum volutabat Capiſtranus utrumque diſcrimen, & rei Chriſtianæ ingens periculum, & Obſervantiæ tot procellis fluctuantis jacturam. Forte placuit Deo circa utrumque conſolari, labantem animum duplici hac viſione erigere, ſenſumque alias opportunius aperire.

Quare concionatores Apoſtolici frequenter ex roſtris vident cœleſtia? *Tom. 11. anno 1444. n. 38. Tom. 2. an. 1234. n. 38. Tom. 10. anno 1433. n. 6. Tom. 9. an. 1380. n. 6. Anno 1476. Anno 1480. & an. 1494.*

LXVII. Eſt etiam aliud, quod hic expendam, quod ſcilicet ex ſuggeſto, & inter concionandi munus cœleſtia hæc ſigna conſpexerit, alias in urbe Aquilana prædicans lucidiſſimam ſtellam ſupra caput intuitus, idque frequenter aliis ſanctis obtigerit, ut inter ſermocinandum multarum rerum cœlitus ſpecies & præmonitiones acceperint. Ex noſtris unum aut alterum producam. Sanctus Antonius Patavinus inter concionandum vidit ſuum Inſtitutorem Franciſcum in crucis modum per aera ſublevatum: Bernardinum Senenſem prædicantem pulcherrimum irradiavit aſtrum; eidem concionanti revelata eſt mors piæ fœminæ Tobiæ ſuæ conſobrinæ: Jacobo Piceno eodem fungenti munere ſimiliter innotuit mors ejuſdem Bernardini: Bernardino Feltrenſi genitoris deceſſus; hujuſque generis multa ſunt in Divorum actis exempla. An occulta hæc in ſacra cathedra virtus, ut docentes amplius edoceat? An prædicatores in ſublime poſiti ex ſacra ſpecula res a longe conſpiciunt, aut perſpicaciori mentis acie ſecreta rimantur cœleſtia? An fortaſſe Deus ſuorum miniſtrorum ſermonem cœleſtibus firmat prodigiis? An mirandis ſignis voci ſuæ vocem virtutis infundit? An publicis favoribus ſuos operarios in conſpectu populorum honorificat? Numquid labore fatigatos cœleſtis ſpectri conſolatione reſtaurat? An ut oſtendat, *prædicatores quo ferventius aliis verba vitæ proponunt, eo dulcius ſaginari*? An demum ut monſtret, quod dum *humiliter & debite ſcripturæ alimenta in Eccleſia populis miniſtraverint, ſtatim aperiuntur ſuper eos cataractæ cœli, & effunditur pluvia ſpiritualis, & mandabit nubibus ſuis, ut pluant ſuper eos imbrem, & abundantia rerum omnium perfruentur*?

Gregor. l. 5. c. 4. in 1. Reg. c. 14. Hieron. in c. 3. Malach. & hab. 16. q. 1. c. Revertimini.

Epiſc. Thuſſinenſis Fratribus adverſus.

LXVIII. Ad hiſtoriam redeo. Aliam hoc anno paſſi perſecutionem Obſervantes in Tranſilvania, adjutorem & protectorem habuerunt eumdem Capiſtranum. Matthæus Epiſcopus Tranſilvaniæ, a Thuys reſidentiæ loco Thuſſinenſis nuncupatus, eo uſque ſuæ diœceſeos Fratres inſecutus eſt, ut in publica Synodo graves in eos fulminare cenſuras decreverit. Ut hæc reſcivit Capiſtranus, Joannem Hunyadem Regni moderatione potentem admonuit; ille vero ne ita fieret, his litteris occurrit.

Reverendo in Chriſto Patri & Domino, D. Matthæo Epiſcopo Thuſſinenſi, Domino nobis honorando.

Ex Reg. Capiſtr.

LXIX. *EX relatibus fide dignorum hominum ſimul vulgari fama ad noſtram notitiam his præteritis diebus pervenit, quomodo V. P. juxta morem Eccleſiaſticum ad ſecundam Dominicam adventus Synodum presbyterorum & aliorum clericorum diœceſis Thuſſinenſis celebrare intenderet.*

Quam

Quam intentionem V. R. P. dum agnovimus, laudabilem fore judicavimus, eoque reformationem clericalis ſtatus, & augmentum ſalutis in hujuſmodi Synodo fiendam fore non dubitamus. Sed eſt, quod de V. R. P. intentione voluntateque nobis non parum diſplicuit: intelleximus enim quod V. P. etiam ad hoc aſpirat intentio & voluntas, ut pauperes Fratres Ordinis Minorum de Obſervantia nuncupatos, in veſtra diœceſi mendicitate, & fidelium eleemoſynis degentes, perſecutionibus involuatis, eoſque uſque ad extremam verecundiam veſtris tribulationibus fatigetis, atque, quod gravius eſt præcipuumque, eoſdem in veſtra Synodo excommunicare aut excommunicatos promulgare diſponitis: ſuper qua V. R. P. voluntate non parum miramur, & advertere nequimus, quid tam magni contra V. P. ipſi Fratres exceſſerint: nam ſi pro correctione ſalubri ſacerdotum veſtræ diœceſis eos Fratres perſequimini, & ignominias alias ipſis erogare cogitatis, mirum valde, cur pro bono opere ipſos perſequi non formidatis, pro quo non perſecutionem, ſed dilectionem & favorem veſtrum promerentur, quoniam in hoc opere & aliis, coadiutores veſtri exiſtunt, & populis Chriſtianis fructuoſi. Quapropter V. P. rogamus, quantum poſſumus, quatenus a tali veſtra intentione omnino deſiſtere velitis, & ipſos Fratres perſequi prætermittatis, nec aliquam excommunicationem ſuper eos promulgare velitis. Quod ſi contrarium egeritis, non ſolum nobis, ſed etiam totius Hungariæ regni nobilibus pariter & ignobilibus diſpendium diſplicibile facietis. Si quid vero ipſi Fratres contra V. R. P. exceſſerunt, paternaliter monendo corrigatis; non enim novimus, inter eos tam temerarios fore, qui monitis veſtris nolint obtemperare. Volumus autem dum in medio regni in communi congregatione fuerimus, ut illi quoque Fratres ibi ſint, & ubi eorum exceſſum perſonaliter audiverimus, curabimus ut etiam veſtram correctionem non effugiant. Secus igitur V. P. non faciat noſtri intuitu. Datum Braſſoviæ in feſto ſanctæ Cæciliæ Virginis, anno Domini MCCCCLV.

Joannes Hunyad Comes Biſtricien.

LXX. Hujus perſecutionis meminit frater Joannes de Bezth, Guardianus Cœnobii de Thuys, in litteris ad Capiſtranum ſcriptis, rogans ut ad Tranſilvaniæ provinciam, ſchiſmaticorum multitudine infectam, tranſire vellet, remedium adhibiturus gravi huic ſui Epiſcopi perſecutioni, multamque præparari meſſem in vicina Moldaviæ provincia, Petro Vayvoda, ſeu Provinciæ Præſide, uti dixi, ad fidem converſo. Matthæum hunc Epipum cognominari invenio de *Labiſchino* in libris conſiſtorialibus, & ad Epiſcopatum Tranſilvaniæ. xv. Kalend. Februarii anno MCCCCXLV. fuiſſe promotum. *Hoc anno. n. 31*

LXXI. Celebrarunt hoc anno Comitia Obſervantes Ciſmontani in Conventu ſancti Pauli extra Bononiam, & die Sabbati XXV. Maii abſoluto cum laude triennio ſui regiminis, Marcus Bononienſis egit de reeligendo tertium in Vicarium Joannem Capiſtranenſem, ſibi perſuadens brevi in Italiam reverſurum. Ita cupiebat propter Viri ſanctitatem, regiminis experientiam, & dignam apud Pontificem ac Cardinales auctoritatem, judicans ſolum hunc poſſe quaſſatæ Religionis imminenti diſcrimini mederi. Facile in eum omnium vota concurrebant, ſed diſſiparunt conſilium Gabriel Veronenſis, & Nicolaus de Fara, Capiſtrani ſocii, qui palam dixerunt, id valde ſeni diſpliciturum, & certo ſe ſcire neque eum velle, neque poſſe in tanto rei Chriſtianæ diſcrimine ex Hungaria redire, & proinde conſultius fore, alium præficere, qui præſens poſſet malis occurrere, & Provincias vili- **Comitia generalia Obſervantum Ciſmont.** *Marian. c. 29. Marc. cit. c. 58. Acta Capituli MSS.* **Cupiunt omnes dari ſibi Vicarium generalem Capiſtranenſem.**

visitare. De septem viris dignissimis agebatur, Joanne Capistranensi, Antonio de Monte-falco, Jacobo de Marchia, Jacobo de Primaditiis, Ludovico Vicentino, Ludovico Senensi, Joanne Pratensi. Itum est tamdem in Baptistam Tagliacarne de Levanto provinciæ Genuensis Vicarium, & Definitorem generalem familiæ, etsi ætate adolescentiorem, virum tamen religiosum & doctum, omnium suffragiis commendatum; qui duobus scrutiniis plura habuit suffragia, & tertio universa. Ita de eo ad Capistranum secundo post electionem die scribit prædictus Nicoalus: *Omnes demum convenerunt in fratrem Baptistam, virum dignissimum, qui prudenter valde se gessit in Capitulo, & aliquas habuit ad Fratres collationes ita eloquentes, ita sententiosas & eruditas, ac Spiritu sancto plenas, ut inter magnos & peritissimos concionatores omnes judicarint potuisse censeri. Linguam habet disertissimam, sicut gladium acutam, & animæ viscera penetrantem. Brevis est in verbo, cunctis gratus, singulis acceptus.*

Eligitur tamdem Baptista de Levanto.

Laudatur.

LXXII. Marcus Bononiensis designatus est familiæ Commissarius, donec Baptista a Ministro Generali, qui tunc degebat in partibus Siciliæ, confirmaretur in officio Vicariatus. Egregie omnes hunc hominem laudarunt, & publicis encomiis in Comitiis affecerunt. Ita rem narrat Joannes Pratensis scriptis Bononia xxx. Maii litteris ad Capistranum: *Reticere non possum præconia fratris Marci Bononiensis, qui cum pro sua humilitate se de plurimis genuflexus accusasset, & inde multis lacrymis irrigatus abiisset, mox omnes simul surrexerunt, omnesque in laudem ejus proruperunt, omnino irreprehensibilem dixerunt, & laudes Deo retulerunt, quod talem ac tantum virum pro gravissimo hoc officio in tam adversis & turbulentis temporibus voluerit provideri. Certe munus suum absque querela & laudatissime complevit. De pace autem Capituli quid dicam? Numquam vidi majorem omnium patem, nusquam majora & fortiora vincula caritatis. Confundebatur Satanas cum filis satellitibus, videns omnia machinamenta, omnesque artes suas a nobis confractas, ustas & consumptas igne mutui amoris & fraternæ caritatis.* Similiter Jacobus de Marchia ex eodem Capitulo inter alia ita de Marco testificatus est: *Frater Marcus in suo quidem regimine non pueriliter se gessit, sed magna gravitate & sana conscientia cum consilio virorum timentium Deum. Omnia per gratiam Dei justæ executioni, & debito fini mandavit, omnia recte disposuit, & bene conservavit, & honorificum finem dedit suo officio.*

Marcus Bononiensis commendatur

LXXIII. Calixtus Pontifex plurimum hæc honoravit Comitia, tribus missis litteris Apostolicis, quas hic adnectimus, & se digno subministrato caritatis subsidio.

Dilectis filiis Antianis nostræ civitatis Bononiensis.

Ex autographo.

Renunciantibus nobis dilectis filiis Fratribus Ordinis Minorum beati Francisci de Observantia regulari, in nostra Civitate ista capitulariter congregandis, intelleximus, eos perhumane ac liberaliter a vobis esse tractatos, de qua re vos plurimum commendamus; hæc enim familia pauperum Dei nostri servorum populos, apud quos conservatur, vitæ exemplo, bonis admonitionibus, consiliisque, & orationibus apud Deum adjuvat. Quare ut eosdem, quousque ibi erunt, bene, sicut hactenus tractetis, & necessariis prosequamini favoribus, vestram devotionem in Domino exhortamur. Datum Romæ apud sanctum Petrum die iv. *Maii anno* mccccliv. *Pontificatus nostri anno* i.

Di-

Dilectis filiis Capitulo Fratrum Ordinis beati Franciſci de Obſervantia nuncupatorum, Bononiæ congregatorum.

LXXIV. *Conſiderantes fructus animarum, quos veſter Ordo, dante Domino, ubique facit, ſperamus vos in Capitulo Bononienſi, in quo congregari debetis, multa non ſolum Ordini veſtro, ſed animabus quoque populorum, apud quos deputabimini, profutura ordinaturos. Unde ut veſtra intentio optatum a Domino conſequatur effectum, benedictionem vobis Apoſtolicam nunciamus. Et cupientes veſtris hujuſmodi laboribus aliquid muneris retribuere, vobis omnibus, qui Bononiæ capitulariter congregabimini, atque etiam aliis veſtrarum familiarum ubique conſtitutis Fratribus de ſancti Franciſci Obſervantia nuncupatis, auctoritate Apoſtolica concedimus, ut Confeſſor, quem quilibet veſtrum duxerit eligendum, confeſſionibus veſtris diligenter auditis, abſolutionem ab omnibus peccatis, etiam in caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis, plenariam eadem auctoritate impendere poſſit. Datum ut ſupra.* Ex autographo.

Dilectis filiis Fratribus Ordinis Beati Franciſci de Obſervantia nuncupatis, in Capitulo Bononiæ congregatis.

LXXV. *Quia conſtituimus, Domino concedente, proximis temporibus omnia parare, facere & diſponere quomodolibet neceſſaria ad recuperationem Civitatis Conſtantinopolitanæ, & ad perſecutionem, impugnationemque infidelium, Dei noſtri hoſtium ubique conſtitutorum, volumus ac vobis mandamus in vim obedientiæ ſalutaris, ut ſex ex veſtri Ordinis Obſervantiæ regularis Fratres, in verbi Dominici prædicatione præſtantiores, ita ab omni alio officio & exercitio reſervetis immunes, ut quandocumque deliberabimus, paratos habere poſſimus, quos ad prædicandum in diverſas orbis Provincias tranſmittamus. Præterea cum noſtra expeditio in barbaros infideles, ſicut præfertur, ducenda, regiones quoque Terræ ſanctæ, Domini exercituum auxilio ſit penetratura, conſtitutos ex veſtris Fratribus apud Terræ ſanctæ loca, prout vobis faciendum videbitur, ſecretiori modo certiores facere debebitis, ut qui ſe ad martyrium minus paratos forteſque ſenſerint, inde abeant. Demum benedictionem vobis Apoſtolicam nunciantes precamur, ut Dominum pro nobis oretis, in quo omnis eſt fiducia noſtra oneris ferendi noſtris impoſiti humeris, cum ceteris in tantæ molis partibus, tum maxime in bello adverſus hoſtes ſuos gerendo, ad quod totis animi & corporis viribus auxii anhelamus. De vobis autem, utili ad has aliaſque res omnes inter Chriſtianos membro, ita cogitamus, ut quæcumque vobis neceſſaria aut utilia duxeritis poſtulanda, ſemper libenti animo facturi ſimus. Datum ut ſupra, die* VIII. *Maii.* Ex autographo.

LXXVI. Delecti ſunt autem ad Pontificis votum nullis officiis præpediti, Joannes Capiſtranenſis, Jacobus de Marchia, Antonius Bitontinus, Marcus Bononienſis, Ludovicus Vicentinus, & Joannes Pratenſis, viri in lege Domini doctiſſimi, rerum agendarum peritiſſimi, & zelum Dei ſecundum ſcientiam habentes. Præter hos, etiam alios multos obtulerunt Superiores Pontifici, quocumque vellet mittendos; eique retulerunt, narratum fuiſſe in Capitulo, uſque adeo zelum fidei contra Turcas defendendæ in illo exarſiſſe, ut vitam & ſanguinem pro hac expeditione feliciter terminan- Deſignati Minores ſeu Cruciati prædicaturi.

da libenter effunderet; atque ſubjunxiſſe Vicarium Generalem, ſi qui eſſent, qui Pontifici commori, aut vitas pro re Chriſtiana vellent conſecrare, erectis brachiis demonſtrarent, omneſque confeſtim brachia elevaſſe, & unanimiter acclamaſſe, ſe cum illo ærumnas quaſque & mortem hilariter ſubituros. Delegit itaque ex eis plurimos Pontifex, quos ad varios Principes deſtinavit Nuncios, & in multis Provinciis decimarum inſtituit collectores. Plurimorum ex his, & commiſſæ ſibi auctoritatis anno ſequenti dabimus inſtrumenta. Hoc anno deſignati fuerunt cum ampliſſima poteſtate Apoſtolicæ Sedis Nuncii frater Angelus de Bulſena ad Civitates, terras & loca in Epiſcopatibus Sutrino, Nepeſino, Civitatis Caſtellanæ, Ortano ac Urbevetano, necnon in provincia Patrimonii ſancti Petri citra Tyberim conſiſtentia; Antonius de Monte-falcone ad Epiſcopatus Peruſinum, Civitatis Caſtelli, Aſſiſinatenſem, Fulginatem, Eugubinum, Tudertinum, & Spoletanum; Bartholomæus de Colle ab Sabinenſem, Narnienſem, Interamnenſem, Amerinum, Reatinum, Tyburtinum, & Abbatiam Farfenſem.

Pontifex multos adhibet operarios Minoritas. *Ex l. 3. bullar. Calix. an. 1. fol. 42. 139. 194.*

Angelus de Bulſena Nuncius Apoſtolicus.

Item Anton de Monte-falcone. Et Bartholom. de Colle.

LXXVII. Conſiliarios etiam, & familiares circa hæc cum aliis interlocutores adhibuit fratrem Ludovicum Bononienſem, nuper ab Æthyopiæ & Indiæ partibus, & Hieroſolymorum urbe reverſum, Mahometis Turcorum Imperatoris conſiliorum prudentem exploratorem, quem multis poſtea legationibus honeſtavit, & hoc ipſo anno ad Aſiæ regiones remiſit, ut mox dicemus, ſubjecto miſſionis diplomate; & fratrem Valentinum Tarviſinum hominem audacem, & rei militaris peritum. De his, & indefeſſo ardentique Pontificis ſtudio circa Turcarum vires comprimendas ita Gabriel Veronenſis, poſtea Cardinalis, ſcribit ex Urbe ad Capiſtranum: *Semper de hac expeditione loquitur, ſemper cogitat ſanctus iſte Papa novellus. Frater Ludovicus de Bononia Laicus, qui nunc venit de Hieruſalem, bene verſatus in rebus Turcicis, multoties loquitur cum Papa, & aliquando per duas horas, & frater Valentinus de Tarviſio familiarem, quotieſcumque vult, habet ad illum acceſſum, quem audit libenter, & conſulit frequenter bene & perite de his rebus loquentem. Reliqua negotia uno verbo expedit, hoc vero negotium fidei continuo ruminat & pertractat. Illud ſemper verſatur in ore ejus, illud corde revolvit; non parcit ſomno neque cibo, & omnes mirantur in homine longæ ætate confecto tantam circa arduum & moleſtum hoc negotium aſſiduitatem. Omnia, quæ colligere poteſt, in hoc unum convertit: præſens aderam ſemel, dum ad menſam accumberet, videnſque aureum ſalinum, quod erat ſui prædeceſſoris Nicolai, dixit:* Levate, levate al Turco, di terra me baſta. *Ingentem numerum librorum, quos in bibliothecam Vaticanam invexit Nicolaus, auroque & argento (uti erat bonarum artium ſtudioſiſſimus, & librorum perquam curioſus collector) ditavit, hoc ornamento ſpoliavit, ſpoliumque in nummos redactum in hos uſus convertit. Ducenta millia aureorum habuiſſe fertur, dum ad Pontificatum evocheretur, hæc & alia ferme ſexcenta millia, quæ reliquit Nicolaus, claſſi præparandæ, & militi ſcribendo diſtraxit.*

Ludovic. Bononienſis in hoc negotio cõſiliarius.

Et Valentinus à Tarviſio.

Calixti in hac re indefeſſum ſtudium.

LXXVIII. Sed ut Capituli Bononienſis acta proſequar, illuc regredior, unde digreſſa eſt oratio. Præter deſignatos Prædicatores Pontificio nutui parituros, inſtitutus eſt Procurator in Romana Curia frater Bartholomæus de Porris, doctus concionator provinciæ Mediolanenſis, cujus vice, donec in Urbem perveniret, fungebatur Stephanus Romanus Guardianus Trans-Tyberinus, prius ſubſtitutus Bonaventuræ Plantanidæ electo Vicario Mediolanenſi. Vicarius Auſtriæ, & adnexarum partium confirmatus

Procurator Curiæ Bartholom. de Porris.

tus eſt Gabriel Veronenſis, cui etiam conceſſa eſt ampla facultas conducendi ſecum ex provinciis Italiæ quos vellet Fratres, accedente Vicariorum conſenſu, ut commodius educarentur illarum partium tirones, & civiliori cultu recentes illæ Provinciæ adolerent. Joannes Pratenſis, etſi muneri Apoſtolico inter ſex illos concionatores deſtinatus, annuente tamen, imo & jubente Pontifice, factus eſt Commiſſarius per Dalmatiam, Albaniam, & Boſnam, ut commodius illarum regionum populos in Turcas excitaret. Capiſtranus eamdem auctoritatem accepit per univerſam Germaniam, Boemiam, Moraviam, Poloniam, Hungariam, & Provincias adjacentes. In partibus Romaniæ Ludovicus Ferrarienſis. Guardianus Hieroſolymitanus & Commiſſarius Terræ ſanctæ electus eſt Antonius de Mugnano, cui multa conceſſit Pontifex privilegia per iſtud hujus anni diploma, & alia data anno ſubſequente.

Vicarius Auſtriæ Gabriel Veronenſis.

Commiſſarius Dalmatinus Joan. Pratenſis.

Guard. Hieroſolymitan. Anton. de Mugnano.

Dilecto filio Antonio de Mugnano, Guardiano domus Montis Sion &c.

LXXIX. *Cum te nuper ad partes Ultramarinas & domum Montis Sion Ordinis Fratrum Minorum, cujus Guardianus per Prælatos & Fratres dicti Ordinis de Obſervantia nuncupatos deputatus exiſtis, neceſſario habeas te conferre, & tam pro tua ſociorumque tuorum in eodem viagio, quam aliorum Fratrum dicti Ordinis in eiſdem partibus inter infideles, & Chriſti nominis inimicos converſantium ſuſtentatione, necnon etiam ad redimendam a barbaris immaniſſimis vexationem, Chriſtifidelium ſuffragia tibi fore noſcantur plurimum opportuna. Nos, qui etiam accepimus, quoſdam mercatores, apud quos nonnullæ pecuniarum ſummæ, in hujuſmodi ſuſtentationem, & certorum locorum in partibus illis exiſtentium reparationem convertendæ, Venetiis depoſitæ fuerant, fidem fefelliſſe; cupientes tuæ & eorumdem ſociorum & aliorum Fratrum neceſſitati per eoſdem fideles, ad hoc a nobis piis indulgentiis & peccaminum remiſſionibus invitatos, opportune provideri, omnibus ubique Chriſtifidelibus utriuſque ſexus, qui in eodem viagio tibi vel duobus ad id per te pro tempore deputatis, etiamſi ipſi in eodem viagio non extiterint, pro ſuſtentatione & neceſſitatibus hujuſmodi pro modo facultatum ſuarum, & prout ſecum honeſte duxeris ſeu duxerint componendum, aliquam pecuniæ ſummam perſolverint, dummodo pro uno non minus quinque, & pro viro & uxore non minus ſeptem florenis auri de camera exhibuerint, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus, ut ipſi & eorum quilibet aliquem idoneum & diſcretum ſacerdotem ſecularem, vel cujuſvis Ordinis regularem in ſuum poſſint eligere confeſſorem, qui confeſſionibus eorum diligenter auditis, in ſingulis etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis caſibus debitam illis abſolutionem impendere, & injungere pœnitentiam ſalutarem; quodque idem vel alter confeſſor idoneus, per eorum quemlibet eligendus, omnium peccatorum ſuorum, de quibus corde contriti, & ore confeſſi fuerint, ſemel tantum in vita de reſervatis, & in mortis articulo plenam remiſſionem ipſis in ſinceritate fidei, unitate ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, ac obedientia & devotione noſtra, vel ſucceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum canonice intrantium perſiſtentibus, auctoritate Apoſtolica concedere valeat. Sic tamen quod idem confeſſor de his, de quibus fuerit alteri ſatisfactio impendenda, eam illis per ſe ipſos, ſi ſupervixerint, vel per hæredes ſuos, ſi forte tunc tranſierint, faciendam injungat, quam ipſi vel illi facere teneantur. Et ne (quod abſit) propter hujuſmodi gratiam reddantur procliviores ad illicita in poſterum committenda, volumus, quod ſi ex confidentia hujuſmodi remiſſionis* Ex autographo.

Quædam conceduntur in ſubſidium Terræ ſanctæ.

aliquæ forte committerent, præſens remiſſio quoad illa eis nullatenus ſuffragetur. Et inſuper quod per unum annum, a die quo præſens conceſſio ad eorum notitiam pervenerit computandum, ſingulis ſextis feriis, impedimento legitimo ceſſante, jejunent: quod ſi prædictis feriis ex præcepto Eccleſiæ, regulari Obſervantia, injuncta pœnitentia, voto, vel alias jejunare teneantur, una alia die ſingularum ſeptimanarum ejuſdem anni, qua ad jejunandum, ut præmittitur, non ſint adſtricti, jejunent. Et ſi dicto anno, vel in aliqua ejus parte eſſent legitime impediti, anno ſequenti, vel alias, quam primum potuerint, modo ſimili ſupplere hujuſmodi jejunium teneantur. Porro ſi alias forſan prælibatum jejunium in toto vel in parte quandocumque adimplere commode nequiverint, eo caſu confeſſor idoneus, quem ad hoc elegerint, jejunium ipſum in alia pietatis opera, prout animæ ſuæ ſaluti expedire viderit, valeat commutare, quæ illi pari modo adimplere debeant; alioquin hujuſmodi conceſſio nullius ſit roboris vel momenti: præſentibus poſt annum minime valituris. Nulli ergo &c. ſi quis &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno &c. MCCCCLV. XIV. Kal. Januarii, Pontificatus noſtri anno I.

Dilectis filiis Guardianis & ceteris Fratribus Ordinis beati Franciſci de Obſervantia nuncupatis locorum Montis Sion, ſancti Sepulcri, Bethlehem, vallis Joſaphat, Montis Oliveti, & ſancti Salvatoris de Baruto, necnon aliorum locorum Terræ ſanctæ, aut in Aſia conſtitutorum & in poſterum capiendorum.

Ex Autographo. LXXX. *Licet pro noſtra ad beatum Franciſcum devotione maxima libenter omnia faciamus, per quæ Ordo veſter non ſolum conſervetur, ſed felicibus, dante Domino, ſucceſſibus augeatur, tamen vos inter barbaros habitantes, & continuo pro vitæ corporalis cum variis tormentis amittendæ periculo conſtitutos, ſingulari proſequentes affectu, illa vobis libenter concedimus, per quæ ad hujuſmodi perferenda & dietim ſubeunda pericula reddamini promptiores. Primum itaque, ut loca omnia per Aſiam hactenus capta retinere, & novum etiam in Monte Sinay capere poſſitis, utque dictorum locorum tam captorum quam capiendorum Guardiani & Fratres omnibus privilegiis, indultis, gratiis & indulgentiis a fel. rec. prædeceſſoribus noſtris Pontificibus Romanis vobis hactenus, & pariter gratiis & indulgentiis, Ordini veſtro in Italia, necnon peregrinantibus in Terra ſancta per ſingula anni tempora conceſſis, uti & gaudere valeatis, auctoritate Apoſtolica, præſentium tenore concedimus. Nos enim eadem indulta, gratias, facultates, exemptiones, indulgentias, & privilegia, ſupradictis Terræ ſanctæ locis & Fratribus a noſtris prædeceſſoribus Romanis Pontificibus quibuſcumque, quomodocumque conceſſa, approbamus, confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus, ſupplentes omnes defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem. Inſuper bon. mem. Nicolaus Papa V. prædeceſſor noſter dilecto filio Ludovico de Bononia dicti Ordinis litteras infraſcripti tenoris conceſſit.* Nicolaus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Dilecto filio Ludovico de Bononia Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia nuncupatorum profeſſori, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cum, ſicut pro parte tua nobis fuit nuper expoſitum, tu qui de numero Fratrum Minorum de Obſervantia nuncupatorum in Hieruſalem commorantium exiſtis, pro bono Catholicæ fidei, & tuæ animæ ſalute nullis parciturus tui corporis diſcriminibus atque laboribus, ad Æthyopiæ & Indiæ partes perſonaliter proficiſci deſideres. Nos hujuſmodi tuo laudabili deſiderio annuentes, tibi ad partes

præ-

prædictas, cum duobus aliis dicti Ordinis profeſſoribus, quos ad hoc voluntarios inveneris, accedendi licentiam concedimus per præſentes. Ut autem peregrinationem hujuſmodi tam in acceſſu, quam in reditu, conſiderata ipſarum partium immenſa longinquitate, ſolitudine & difficultate, agibilius perficere valeas, tibi & prædictis duobus in ſocietate tua venturis, quod per Æthyopiæ & Indiæ itinera, durantibus acceſſu & reditu hujuſmodi, ſingulis, quibus commode nequiveritis, diebus Miſſam audire, eccleſiaſtica Sacramenta recipere, temporibus, quibus ab Eccleſia, dictique Ordinis regularibus inſtitutis jejunium præcipitur, ſi illud propter cibariorum defectum, & immoderatum itineris laborem facere commode non potueritis, jejunare minime teneamini, & tam Veneris ac Sabbati quam quadrageſimalibus diebus, ſi nihil aliud pro ſuſtentatione veſtra comedendum habueritis, carnium eſu veſci poſſitis; quodque tam ante acceſſum, quam poſt reditum hujuſmodi, vos & veſtrum quilibet ſacerdotem idoneum in veſtrum poſſitis eligere confeſſorem, qui peccatis veſtris diligenter auditis, quoties oqus fuerit, pro commiſſis debitam vobis abſolutionem impendat, & injungat pœnitentiam ſblutarem, niſi talia fuerint, propter quæ Sedes Apoſtolica ſit merito conſulenda: necnon quod ſi aliquis veſtrum in præfato itinere eundo vel redeundo fortaſse ab hac luce migraverit, confeſſor, quem ad hoc elegerit, plenam omnium peccatorum ſuorum in mortis articulo remiſſionem concedere valeat; quilibet quoque veſtrum pias eleemoſynas petere, illaſque habitas de loco ad locum deferre, aliiſque indigentibus, voſque aſſociantibus erogare, ac per alios peti, deferri & erogari facere pro veſtra & illorum ſuſtentatione poſſitis, quodque per iter prædictum tam ſoli, quam aſſociati, prout neceſſitatis caſus id exegerit, incedere, & per loca infidelium ubi vobis, ſi eſſetis ab eis cogniti, perſonale periculum immineret, proprium habitum, donec periculum hujuſmodi præterieritis, mutare; necnon cum hæreticis & ſchiſmaticis, ſine quorum converſatione tranſitus vobis non aderit, converſari, & ſi oportuerit ſuper equitaturis quibuſvis equitare, necnon cum calceamentis ambulare valeatis, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium concedimus, ac etiam indulgemus: diſtrictius inhibentes univerſis & ſingulis, etiam quacumque dignitate eccleſiaſtica vel mundana præditis, ne te, aut ſocios tuos præfatos quominus acceſſum & reditum ſupradictos incipere, mediare, & finire libere ac expedite poſſitis, impedire quoquo modo præſumant. Non obſtantibus conſtitutionibus Apoſtolicis, ſtatutis & conſuetudinibus præfati Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo &c. Si quis &c. Datum apud ſanctum Petrum anno &c. MCCCCLIV. v. Kal. Aprilis, Pontificatus noſtri anno VIII. *Nos eaſdem litteras in omnibus & per omnia confirmantes addimus, ut non ſolum duos ſocios dictus frater Ludovicus, ſed quotquot volet, ad id voluntarios ducere poſſit. Præterea cum nos prædicto Ludovico nonnulla commiſerimus in partibus Aſiæ ad honorem Dei, & Religionis augmentum facientia, eidem & ſociis, quos ſecum ducendos, vel ad diverſas partes duxerit tranſmittendos, ut verbis noſtris, & noſtro nomine eadem referre, odinare & adimplere poſſint, concedimus per præſentes: circa quæ nos gratias Principibus, populis, & particularibus perſonis ex nunc & harum ſerie concedimus, quas ipſi Fratres noſtro nomine duxerint offerendas; nam quibuſcumque favores, commoda & auxilia prædictis Fratribus afferentibus, pro modo & forma, & qualitate favoris & auxilii, ut præfertur, allati, indulgentias etiam, ſi merebuntur, plenarias elargimur. Conſideran-*

Ludovicus de Bononia ad Æthyopiam & Indiam proficiſcitur.

Multa ei conceduntur privilegia.

rantes etiam magnitudinem expenſarum, quas prædictos Fratres Ludovicum & ſocios tam diverſas peragrando provincias ſubire oportebit, eiſdem cum viginti perſonis quarumcumque provinciarum, quæ vota emiſiſſent peregrinationis tranſmarinæ, ut tantum ipſis Fratribus, quantum in ipſius voti perſonali executione, aut alium per ſe tranſmittendum expendiſſent, aut quantum eis Fratribus videbitur declarandum in pecunia numerata ſolvendo, id votum in alia commutent opera pietatis, diſpenſandi facultatem, auctoritate Apoſtolica concedimus per præſentes. Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno &c. MCCCCLV. V. *Idus Maii, Pontificatus noſtri anno* I.

LXXXI. Recentem plantulam & tenellos Fratres domus Cracovienſis a Capiſtrano, uti diximus, paulo antea fundatæ, per virtutis ſemitam bene ambulantes faſcinavit Petrus Hungarus ex Judæo Chriſtianus, qui ex Conventualibus ante biennium tranſivit ad Obſervantes, vel quiſpiam alius, & tamquam inimicus Crucis Chriſti nolens ejus mortificationem jugiter in ſuo corpore portare, condemnabat omnia genera pœnitentiarum, quæ Capiſtranus aut ejus Vicarius Veronenſis ultra regulæ normam introduxerant, aut ſubeunda præſcripſerant. De his admonuit frater Ladislaus Guardianus Cracovienſis Veronenſem Commiſſarium Viennæ degentem, qui litteras Capiſtrano porrexit. Ille dolens, in ſuis diſcipulis fervorem imminui, aut conturbari ſpiritum iniquis ſeductionibus, a bonis feriantes ad meritoria ſupererogationis opera his litteris excitavit.

Dilectis filiis, quos iterum in ſpiritu parturio, Patribus & Fratribus Cracovienſibus, Ordinis Minorum regularis Obſervantiæ.

Ex reg. Capiſtr. Capiſtr. excitat Cracovienſes ad pietatem. *Iſai.* 49. 15.

LXXXII. *Venerandi Patres, dilectiſſimique Fratres, & filii in Chriſto Jeſu Salvatore noſtro per ſacri ſuſceptionem habitus Seraphici Patris noſtri Franciſci geniti, gratiam ſalutarem, & pacem in Domino ſempiternam. Quia nec debet nec poteſt mater filium ſuum obliviſci, ut teſtatur Iſaias, ſitque mihi erga vos major quam matri inſita dilectio, cogor tamen caritatis ardore, tum viſione litterarum quarumdam R. P. Vicario veſtro per Venerandum P. fr. Ladislaum Guardianum veſtrum directarum, hanc epiſtolam vobis tranſmittere. Ut itaque quæ dicturus ſum exordiar, cum de Rheni partibus maximis cum laboribus & viarum diſcriminibus Viennam applicuiſſem, ubi Fratres & filios in Domino genitos virtutibus & religioſis moribus imbutos velut Angelos reperi, tanto ſum perfuſus gaudio, tantaque repletus lætitia, ut pene laborum omnium, hyemaliumque frigorum, quæ in itinere paſſus ſum, immemor ſum effectus. Sed quia nullum in hac miſera vita gaudium abſque triſtitia eſſe poteſt, teſte Sapiente, qui ait:* Extrema gaudii luctus occupat, *non ſine magno cordis dolore percepi, vos vel veſtrum aliquos terminorum per patres veſtros vobis poſitorum tranſgreſſores effectos, ita ut audeatis contra bonas familiæ noſtræ ordinationes linguam ut ſerpentes acuere, & os veſtrum in cœlum ponere, dicentes:* Non ſunt iſta nobis per regulam impoſita, ut corpora noſtra jejuniis, diſciplinis, vigiliis, ceteriſque mortificationibus affligamus. Quis *Benedictam* *, quis pœnitentiales pſalmos cum Letaniis duplicibus quotidie dicendos, quis mortuorum officium ſemper poſt veſperas perſolvendum, quis culpas in refectorio dicendas, pœnitentiaſque, & diſciplinarum, & panis & aquæ & cetera hujuſmodi pro levibus cauſis publice coram omnibus implenda, quis denique mentales orationes certis horis explendas inſtituit? Quis hæc, & his ſimilia ordinavit? *O filii dilectiſſimi, hæcne eſt doctrina, quam vos, cum adhuc*

Prov. 14. 13.

* *Nocturnum B. Virginis.*

adhuc vobiſcum eſſem, pluribus ſermonibus docui? Nonne præmiſſa omnia a vobis eſſe ſervanda, quantum potui, perſuaſi? An forte tacui vobis, illa per patres noſtros Italicos hactenus ſervata fuiſſe, & modo quidem ſervari? Legite quæſo ordinationes meas, quas dum Vicarius Generalis eſſem, Fratribus omnibus curæ meæ ſubjectis direxi, & comperietis, præmiſſa omnia cum magna ſollicitudine eis ſervanda mandari. Non ſunt ergo iſta, ut quidam veritatis inimici, religionis ignari, morum bonorum deſertores, ac totius boni operis impugnatores, qui ad inſtar ſerpentum virus effundentium, ac inimici hominis zizania ſuperſeminantis, quique docent linguas ſuas loqui mendacium, aſſerere conantur, noviter adinventa, ſed per Patres noſtros tam ſalubriter, quam neceſſarie obſervata. Quis namque ambigat, majora præmiſſis primorum Fratrum tempore, non ſolum ab ipſo Patriarcha noſtro Franciſco, quinimo a ceteris ejus ſociis & Fratribus ferventiſſime fore ſervata? Ubi ſunt nunc loricæ illæ ferreæ, quas ſuper nuda corpuſcula & inedia macerata Fratres illi deferebant? Ubi cilicina tegumenta? Ubi crebra panis & aquæ jejunia? Ubi orationes aſſiduæ? Vigiliæ ſupra modum diffuſæ? Ubi diſciplinæ carnem domantes, ac verbera Chriſti repræſentantes? Quis nunc ex vobis leproſos præ nimia caritate, ut ipſi faciebant, oſculatur? Quis eorum lingit vulnera? Quis nunc ut ipſi viſibiliter cum hoſte pugnam aggreditur? Quis nunc pro ſummis deliciis contemni, & ab omnibus deſpici deſiderat? Quis nunc a ſero uſque ad mane, ut plures ipſorum nimia ſpiritus dulcedine ducti, in oratione perſiſtit? Ubi nunc ſunt Fratres multa terrarum & æquorum ſive marium ſpatia perluſtrantes, ut ſanctum Domini martyrium conſequi valeant, prout beatum Franciſcum, Antonium, & plures alios, quorum aliqui, quod flagrabant, aſſecuti ſunt, alii vero, diſponente Deo, pro multorum ſalute ſervati ſunt, feciſſe legimus? A, A, A, Domine Deus meus neſcio loqui, cum iſta cogito; neſcit enim lingua fervorem dictorum Patrum exprimere: neſcit manus ſcribere; neſcit poſtremo cor aut animus cogitare. O utinam modo noſtra redirent in priſcos tempora mores! vel ſaltem ſi propter corporum noſtrorum fragilitatem præmiſſa non poſſumus, eorum ad minus juxta poſſe imitaremur veſtigia, cum ſcriptum ſit: Qui enim ſanctos Martyres vel in quantum potuerit noluerit imitari, ad eorum beatitudinem non poterit pervenire. *Aug. Serm. 47. de Sanctis.*

Sic & nos, niſi Patres noſtros, prout potuerimus, fuerimus imitati, ad eorum beatitudinem nequibimus pervenire. Attendentes itaque Patres noſtri Italici ſupra memorata, etſi non poſſint primis Patribus adæquari, ſtatuerunt ad minus per hæc pauca, quæ ſupra poſita ſunt, ſcilicet vigilias, jejunia, diſciplinas, & ceteras mortificationes, eorum ſequi veſtigia: per quorum quidem obſervantiam in plures eorum divina gratia ſe abunde diffudit, ita ut aliquos ſpiritus divini eloquii impleverit, alios vitæ ſublimonia exemplaritate dotaverit, quoſdam vero ad tantam perduxerit gratiam, ut etiam in vita & poſt mortem multorum miraculorum patratores eſſecerit, ut patet in ſancto Bernardino, quem pro Sancto univerſa tenet & veneratur Eccleſia. Non audiatis ergo contrarium vobis aſſerentes; & ſi forte vel fr. Petrus Hungarus, quem vobiſcum dimiſi, dum a vobis diſceſſi, qui & Judæus primo & poſtea inter Conventuales nutritus eſt, vel alius quicumque contrarium vobis dixerit, eum tamquam veritatis inimicum, & Patrum veſtrorum operibus contradicentem habete. Ceterum vos per viſcera Domini noſtri Jeſu Chriſti obteſtor in Domino, ut taliter agatis, quatenus ſi iterum ad vos me reverti oportebit, quemadmodum in his Fratribus conſolatus ſum, ita & in vobis conſoler. Valete in Chriſto Jeſu, filii cariſſimi, quos Deus Omnipotens Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus benedicat. Amen. Ex Vienna die 11. *Januarii* MCCCCLV.

LXXXIII. Nuſ-

LXXXIII. Nuſquam deſunt hujuſmodi bonorum operum calumniatores, virtutiſque ſubdoli inimici, qui per rectas divinæ legis ſemitas gradientes remorentur & turbent. In provincia Burgundiæ domos multas reformaverat beata Coleta, ſed Miniſtris Provinciali & Generali voluit per omnia ſubjectas. Tamdem, creſcente illorum numero, qui ſub Vicariis Obſervantum vivebant, & irriſorie a Conventualibus *Fratres de bulla* vocabantur (nimirum quia bullæ Eugenianæ patrocinio contra Conventualium moleſtias defendebantur) vel horum conſilio, vel religioſo exemplo allecti Burgundi ſe illis aſſociarunt, & ab obedientia Miniſtri provinciæ recedentes, ſe Vicariis Obſervantum ſubmiſerunt. Id male habuit Conventualium ſuperiores, omnibuſque modis eos ad ſe revocare ſtuduerunt. Id tamdem hoc anno conſecuti impetrantes iſtud diploma, cujus narratio ex eorum ſuggeſtione & commoto animo videtur compacta, artificioſe etiam excogitata illa Obſervantium differentia, & odioſa diviſione *Obſervantum de bulla*, & Obſervantum aliorum Miniſtris ſubjectorum. Sed & hi poſtea re maturius conſiderata, iterum dimiſſo conſortio Conventualium, ad Obſervantes, quos *de bulla* dicebant Conventuales, redierunt.

Obſervantes Burgundiæ ſubjiciuntur Miniſtris.

Ad perpetuam rei memoriam.

LXXXIV. *Regiminis univerſalis Eccleſiæ, quamvis immeriti, diſponente Domino, præſidentes, curis perurgemur aſſiduis, ut juxta traditæ nobis deſuper adminiſtrationis officium, pro fidelium quorumlibet, præſertim ſub regulari Obſervantia ſtudio vacantium piæ vitæ, ſtatu ſalubriter dirigendo, ſollicite vigilemus, & ut ſemotis quarumvis diſcordiarum & controverſiarum diſpendiis, ſub eorum ordinariis ductoribus proſpere gubernentur, opem libenter & operam impendimus efficaces. Sane pro parte dilectorum filiorum univerſorum Fratrum de Obſervantia nuncupatorum Ordinis Fratrum Minorum provinciæ Burgundiæ, juxta morem dicti Ordinis, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod licet ipſi retroactis temporibus ſub obedientia, regimine, gubernatione, viſitatione & correctione dilectorum filiorum Generalis, & ejuſdem provinciæ provincialis Miniſtrorum, & aliorum Prælatorum dicti Ordinis pro tempore exiſtentium, prout juxta regularia inſtituta dicti Ordinis per Sedem Apoſtolicam, ex certa ſcientia confirmata tenentur, degere conſueverint, necnon in eiſdem partibus grati & accepti, ac in bona æſtimatione habiti extiterint; tamen a quibuſdam annis citra, poſtquam nonnulli alii Fratres etiam de Obſervantia, de Bulla nuncupati, ab eadem obedientia devii, prætendenteſque ſe ac dictos Fratres ab obedientia Miniſtrorum & Prælatorum prædictorum exemptos fore, ſe ad prædictam provinciam contulerunt, ac nonnullas ſectas, & diviſiones ibidem inferre cœperunt, affirmantes ſe ſub obedientia, cura, viſitatione & correctione Generalis & Provincialis, ac aliorum Cuſtodum Provinciæ antedictæ non fore, & non verentes, inter cetera etiam coram Magnatibus aſſeruere & affirmare reliquos ejuſdem Ordinis Fratres in ſtatu damnationis exiſtere, & pleraque ſimilia: propter quod eorumdem Fratrum de Obſervantia ſtatus adeo immutatus & inverſus exiſtit, ut quietis, prout antea ſoliti erant, mentibus Altiſſimo famulatum impendere non poſſint. Quare pro parte eorumdem Fratrum de Obſervantia nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut, cum ſuper iis per reductionem ad priſtinam obedientiam Miniſtrorum & Prælatorum prædictorum ſaluberrime valeat provideri, eorum ſtatui opportune conſulere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui ad prædicti & quo-*

Ex l. 19. Bullar. Calixt. anno 1. fol. 178.

& quorumlibet regularium Ordinum procurandam unitatem, & tollendas diviſiones noſtris temporibus vigilare intendimus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica, & ex certa ſcientia, præſentium tenore ſtatuimus, decernimus & ordinamus, quod omnes & ſinguli tam de Obſervantia prædicta, quam de Bulla, & alii quicumque dicti Ordinis Fratres, eorumque Vicarii præſentes & poſteri, infra limites ejuſdem provinciæ pro tempore commorantes, ſub obedientia, cura, viſitatione & correctione Generalis, & Provincialis Miniſtrorum, & Cuſtodum, & aliorum ſuperiorum Provinciæ antedictæ, prout alias ante emanationem dictæ bullæ conſueverunt, ac juxta regularia inſtituta hujuſmodi tenentur, degere, eiſque ſubeſſe, & ab eis regi, corrigi & gubernari debeant & teneantur. Qui quidem Miniſtri, Cuſtodes & alii Superiores ſuper diviſionibus & aliis præmiſſis ſtudeant ſecundum Deum & dicti Ordinis regularia inſtituta ſalubriter providere. Ut autem ſtatutum & ordinatio noſtra hujuſmodi efficacius obſervetur, omnibus & ſingulis tam de Bulla quam aliis Fratribus antedictis, ſub virtute ſanctæ obedientiæ, ac excommunicationis pœna, quam quoſlibet contrafacientes, ac mandati noſtri hujuſmodi contemptores incurrere volumus eo ipſo, & a qua præterquam a Romano Pontifice, ac Generali vel Provinciali Miniſtris prædictis, præterquam in mortis articulo conſtituti, abſolutionis beneficium nequeant obtinere, diſtrictius inhibemus, ne ipſi vel eorum aliqui publice vel occulte, aut directe vel indirecte talia de cetero aſſerere vel prædicare, aut populo ſeu quibuſvis perſonis perſuadere quoquo modo præſumant, quominus eiſdem Miniſtris, Cuſtodibus & Prælatis obedientiam & reverentiam exhibeant congruentes. Et inſuper dilecto filio noſtro Joanni, tit. ſancti Stephani in Cœlio monte presbytero Cardinali, ac Venerabilibus Fratribus noſtris Archiepiſcopo Lugdunenſi, & Epiſcopo Cabilonenſi per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum per ſe, vel alium ſeu alios eiſdem Miniſtris, Cuſtodibus & Prælatis ſuper ſtatuto, decreto, ordinatione & mandato noſtris hujuſmodi efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, ipſos & eorum quemlibet ad viſitationis, correctionis, & alia per eos juxta formam dictæ regulæ exercenda officia, per de Bulla & alios Fratres prædictos, eorumque Vicarios humiliter & devote recipi & admitti, ac eis reverentiam & obedientiam debitas exhibere, auctoritate noſtra faciant & procurent, non permittentes eiſdem, contra ſtatuti, decreti, ordinationis, mandati, & litterarum hujuſmodi tenorem, impedimentum aliquod vel moleſtiam ſeu injuriam irrogari; præſumptores prædictos, necnon contradictores quoſlibet & rebelles, cujuſcumque præeminentiæ, ſtatus, gradus vel conditionis extiterint, etiamſi Archiepiſcopali, Epiſcopali, aut alia quavis eccleſiaſtica, vel mundana dignitate præfulgeant, per cenſuram eccleſiaſticam, & alia juris remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, invocato ad præmiſſa, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus bulla prædicta, ac fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, quibus cavetur, ne quis extra ſuam civitatem & diœceſim &c. & aliis conſtitutionibus, ac etiam quibuſcumque tam in Conſtantienſi Concilio, quam piæ memoriæ Martini V. & Eugenii IV. in quibus inter alia ſtatuit, decrevit & ordinavit, quod Generalis Miniſter dicti Ordinis Vicario Fratrum de Obſervantia nuncupatorum prædictorum, in Ultramontanis partibus pro tempore deputato, in ipſos Fratres de Obſervantia omnem poteſtatem & facultatem ſuam, corrigendi videlicet, viſitandi, reformandi, & alia tunc expreſſa faciendi concedere & totaliter committere deberet; quodque Miniſtri vel Cuſtodes, aut alii ſuperiores dicti Ordinis Fratres de Obſervantia corrigere, capere, aut captos tenere,

nere, Miniſterque Generalis, aut quiſpiam Miniſtrorum vel Cuſtodum, ſeu Fratrum dicti Ordinis Generali ſeu Provincialibus Vicariis, vel cuipiam Fratri familiæ de Obſervantia nuncupatis hujuſmodi moleſtiam ſeu impedimentum aliquod, ſub excommunicationis latæ ſententiæ, & aliis pœnis tunc expreſſis, inferre non audeant: Quinimo quod ipſe Generalis Miniſter per ſe dumtaxat perſonaliter Generalem Vicarium, & alios Fratres hujuſmodi, & eorum loca, de conſilio aliorum Fratrum viſitare, corrigere & emendare; de regimine vero eorumdem Fratrum de Obſervantia ſe alias nullatenus intromittere poſſet: necnon Nicolai V. & aliorum quorumcumque Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum reductionibus, reſervationibus, privilegiis &c. quorumcumque tenorum exiſtant. Quæ omnia & ſingula illa, ac ſi de verbo &c. pro expreſſis habentes, ad Provinciam præmiſſam volumus non extendi, & quoad illam penitus revocamus, caſſamus & annullamus, ac pro nullis, irritis & infectis haberi volumus: Statutis quoque & conſuetudinibus Ordinis &c. aut ſi aliquibus &c. quod interdici &c. Nulli ergo &c. noſtræ voluntatis, revocationis, caſſationis &c. ſi quis &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno &c. MCCCCLV. *Kalendis Septembris &c. anno primo.*

Moritur Anton. de Gavaciis. *Tom. 10. ann. 1432. n 32. Marian. lib. 5. c. 20. Marc. l. 7. c. 43.*

LXXXV. Deceſſerunt hoc anno tres Fratres Laici, virtute & pietate inſignes: Antonius de Gavaciis Laudenſis, de quo alias diximus, obiit die XII. Januarii, cujus tranſitum Deum ſtella præfulgida in fronte apparente, Angelis concinentibus, & funus deducentibus honoraſſe, ſcripſit frater Aloyſius Brixienſis, Vicarius Provinciæ Mediolanenſis, ex teſtimonio Guardiani Laudenſis, fratris Marci ſocii, & Ambroſii infirmarii, qui morienti adſtiterunt. Idque ipſum habetur ex actis Baſſiani de Melicis notarii Curiæ urbis Laudenſis. Reliqui duo in Provincia Etruriæ ſub finem Aprilis, videlicet Angelus de Civitella agri Reatini, & Joannes Riccius de Florentia, de quibus non ſemel ſumus locuti. Uterque annis gravis perrexit ad Comitia provincialia celebranda apud Caſtilionem Aretinum; ſed antequam terminarentur, ambo ſimul ægrotantes, eodem jumento deportati ſunt ad Cœnobium Sergiani, ubi poſt paucos dies, una eademque hebdomada ſancte deceſſerunt, eodemque tumulo ſunt ſepulti. Eorum corpora poſt annos quadraginta duos integra, hærenteſque capilli conſpecta ſunt: ſed Vicarii Conventus, Aretio oriundi, indigna & inhumana cogitatione timentis moleſtias concurrentis populi, conciſa ſunt, & in locum anguſtum & ſecretum redacta. Angelus bis Provinciam ſumma integritate gubernavit, regularem Obſervantiam indefeſſe zelatus, erga ſe auſterus valde, erga ſubditos manſuetus & miſericors, ignitæ caritatis, ſummæque pietatis vir, bonis operibus ſemper intentus, omnium ſibi animos conciliavit, perpetuamque in illa Provincia laudem acquiſivit. Joannes etiam ejuſdem Provinciæ bis Vicarius, vir magni conſilii, ſingulariſque prudentiæ, Deo dilectus & hominibus, aſcitus eſt director & præceptor Monachorum Abbatiæ ſancti Salvi prope Florentiam, Ordinis Vallis Umbroſæ, & Cœnobii celeberrimi Montis Senariæ Ordinis Servorum, quod alias indicavimus. Ejus conſilio in rebus arduis & graviſſimis utebatur magnus ille vir Coſmas Mediceus inter concives Florentinos primarius. Adeo prudentem, rebuſque agendis peritum, & Ordini regendo idoneum judicabat Guillelmus de Caſali Generalis Miniſter, ut nihil huic muneri digne obeundo illi deeſſe affirmaret præter ſolam litterarum notitiam. Præclara eſt in illa Provincia utriuſque memoria.

Item Angelus de Civitella & Joan. Riccius. *Marian. citat. Marc. ibid.*

Tom. 9. an. 1405. n. 23.

LXXXVI. Obiit etiam circa hoc tempus in eadem Provincia Benedictus

ctus de Gavorraccio Mugellanus, in ſacra ſcriptura, & Theologia ſcholaſtica inſigniter eruditus, qui ex Eremitis Auguſtinianis ad Obſervantes tranſiit, admiſſus in Comitiis generalibus anno MCCCCXLIX. in Cœnobio Nemoris de Mugello. Per omnes Provincias diſcurrens, magno fervore & animarum lucro prædicabat, tamdem in prædicto patrio Conventu pio fine quievit. Deceſſit hoc ipſo anno ſenio confectus Bartholomæus Senenſis ſacræ Theologiæ Magiſter, olim Provinciæ Terræ ſanctæ, mox Tuſciæ Miniſter, ſepultus ad Patres Conventuales Conventus Senenſis ſub ingenti marmore inciſa ejus effigie. Floruit hoc tempore in cœtu Obſervantum vir doctiſſimus & diſertiſſimus concionator Andreas a ſancto Gemino, qui poſtquam præcipuas Italiæ Civitates ſacra erudivit doctrina, factus eſt Vicarius Provinciæ ſancti Franciſci.

Necnon Benedictus de Gavorraccio.

Bartholom. Senenſis.

Andreas a S. Gemino.

LXXXVII. Egregio miraculo notam voluit Dominus apud civitatem Baruthi, celeberrimum Syriæ Emporium, fidei Chriſtianæ veritatem, & aquæ benedictæ virtutem. Frater Franciſcus Surianus Venetus libro de Terræ ſanctæ deſcriptione, quem penes me habeo MSS. ita rem ſuo tempore, dum in iis partibus verſaretur, factam ennarrat: *Prope Eccleſiam noſtram, in qua ſtupendum illud miraculum manantis abunde ex lignea Chriſti imagine cruoris, quod in ſeptima Synodo ex ſermone ſancti Athanaſii recenſitum eſt, Sarracenus quidam cum uxore Adriane, occulto loco in propriis ædibus terram ulnis ſexdecim effoderunt, ſperantes ſe ibi ingentem theſaurum a Nigromantico Africano promiſſum reperturos; ſed dum theſaurum conſpiciunt, erumpentibus inde caliginoſis flammis, uterque intra foveam extinctus eſt. Igne deinde in multorum perniciem perſeverante, & peſtifero fumo latiſſime ſe diffundente, cum nullum neque injectæ aquæ, neque Turcicorum Sacerdotum longius protractæ orationis remedium ſufficeret, advocati ſunt Minores, ut tanto malo mederentur. Antequam illi advenirent, voluit quidam conſanguineus cadavera extracturus per ſcalas deſcendere, ſed non prius pedem unum intulit, quam flamma corriperetur, tibiæque amiſſo uſu, deinceps non potuit ambulare. Præmiſſa in templo oratione, Fratres per modum ſupplicationis præeunte Cruce ad foveam acceſſerunt, aſperſamque aqua benedicta cruce ſignarunt, & ſtatim tetrum incendium ceſſavit, magnaque fiducia deſcendentes in profundum Leonardus Faventinus & Marcus Laudenſis, reliquias omnes diabolici ſpectri effugarunt, & miſellorum corpora integris & illæſis veſtibus extraxerunt. Ex Sarracenis multi effuſis vocibus Fratres laudarunt, fidem Chriſtianam magnificarunt, abjectaque perfidia Mahometana, baptiſmi gratiam ſuſceperunt. Hinc commoto urbis Præfecto, aſſerentibuſque Cadinis & Doctoribus impiæ gentis, artis Magicæ ludibriis Fratres hæc feciſſe, ex converſis Sarracenis oportuit multos in Cyprum exulare, & Fratres a ſuo habitaculo per aliquod tempus abeſſe.*

Friclſc. Surian

Athan. ſive author. libri de paſſ. imaginis c. 4.

Baruthi miraculoſe apparet virtus aquæ benedictæ.

LXXXVIII. Alias diximus, Epiſcopum Faren. Sedis Apoſtolicæ Legatum in regno Boſnenſi inſtanter egiſſe cum Joanne Capiſtranenſi, ne domus Minorum Dalmatinæ ſepararentur a Vicariatu Boſnenſi; id hoc anno Pontifex conceſſit, cavitque hoc diplomate.

Ann. 1451. n. 52.

Conventus Dalmatiæ adjudicantur Vicariatui Boſnenſi.

Ad futuram rei memoriam.

DUm fructus uberes, quos ſedula & pervigilis operatio dilectorum filiorum Fratrum Ordinis Minorum, in Vicaria Boſnæ conſiſtentium, in agro militantis Eccleſiæ produxit hactenus & producit, diligentius attendimus, inducimur non immerito, ut ipſos & eorum loca in ſuis manutenere ju-

Ex arch. Capiſtr.

*ribus procuremus, & ad ea libenter adhibeamus diligentiæ noſtræ partes, quæ ipſorum ſtatum & tutelam reſpiciunt ſalutarem. Sane nuper ex eorumdem Fratrum in dicta Vicaria conſiſtentium conqueſtione percepimus, quod licet Vehulæ & Peigliud apud Spalaten. Inſulæ Capran. apud Silienicen. & Paſmam ac Hugliam, necnon Novi apud Jaderenſem civitates domus ſive loca dicti Ordinis ſub præfato Vicariatu Boſnæ, necnon Fratres inibi pro tempore degentes, ſub cura, gubernatione & correctione Vicarii dictæ Vicariæ pro tempore exiſtentis fore dignoſcatur; tamen nonnulli Prælati, & alii profeſſores dicti Ordinis eaſdem domos a dicto Vicariatu ſegregare & alibi applicare, ſeu in eiſdem Dalmatiæ partibus alium Vicarium eligere moliuntur, in eorum Fratrum dictæ Vicariæ, qui in inſultibus ſæviſſimorum Teuerorum, prædicti regni regiones nonnumquam invadere audentium, & aliis pleriſque neceſſitatibus ſuis ad alias domos partium Dalmatiæ hujus refugium habere conſueverunt, maximum præjudicium & jacturam. Quare pro parte Fratrum Vicariæ hujuſmodi fuit nobis humiliter ſupplicatum, ut ipſorum ſtatui & quieti ſuper his opportune conſulere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur eorum Fratrum dictæ Vicariæ ſtatum proſperum & tranquillum paterno zelantes affectu, ex præmiſſis cauſis, ac etiam intuitu cariſſimi in Chriſto filii noſtri Stephitonis * Regis Boſnæ Illuſtris, Nos ſuper hoc humiliter deprecantis per ſuum oratorem nobilem virum Nicolaum Jacobi Teſta, ad Nos nuper deſtinatum, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, omnibus & ſingulis Prælatis & aliis Fratribus Ordinis antedicti, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, in virtute ſanctæ obedientiæ diſtrictius inhibemus, ne domos & alia loca ipſius Ordinis, in prædictis Dalmatiæ partibus conſiſtentia, a Vicariatu, ſub quo illorum Fratres conſtituti ſunt, ſejungere, ſegregare, aut quomodolibet ſeparare, aut de ſegregando vel disjungendo tractare facere quomodolibet præſumant; decernentes irritum & inane quidquid in contrarium contigerit per quoſcumque, quavis auctoritate fungentes, ſcienter vel ignoranter quomodolibet attentari. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon privilegiis, indulgentiis & litteris Apoſtolicis, domibus ſive locis, aut Ordini, necnon Prælatis vel Fratribus prædictis ſeu eorum alicui in genere vel in ſpecie conceſſis, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus de verbo ad verbum, aut alia quævis ſpecificatio facienda foret, eorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, ac dicti Ordinis ſtatutis & conſuetudinibus juramento &c. roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo &c. contraire; ſi quis &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno &c. MCCCCLV. pridie Kal. Maii, Pontificatus noſtri anno 1.*

* al. Stephani Thomæ.

Fr. Thom. Epiſc. Sodoren.

Fr. Joan. Gebelden.

Inquiſitores Minoritæ.

Lectores publici.

LXXXIX. Epiſcopi creati ſunt hoc anno, Sodorenſis in inſula & Monaſterio ſancti Columbi, inter inſulas Hebrides, ſub Archiep. Eboracen. frater Thomas Burton ſacræ Theologiæ profeſſor, per obitum Joannis, XXV. Septemb. Gebelden. titularis in partibus frater Joannes in ſacra Theologia Baccalaureus VI. Idus Novembris. Inquiſitores hoc tempore erant, in Provincia ſancti Franciſci Magiſter Petrus Fulginas; Venetiis Mag. Baptiſta Faventinus, cui poſt biennium eo in loco ſucceſſit prædictus Fulginas; per Marchiam Anconitanam Magiſter Jacobus Aſculanus. Extra Conventum in urbe Peruſina Fratres legiſſe in aliis collegiis, habeo ex regiſtro Jacobi Mozanicæ Miniſtri Generalis ſub hunc annum. In Collegio ſancti Severi ſeu ſancti Iſidori Univerſitatis Peruſinæ legebat frater Andreas de Monte Politiano. In Collegio Epiſcopatus Univerſitatis ejuſdem frater Joannes Nicolai, Provinciæ Daciæ Baccalaureus. In Collegio ſanctæ Mariæ de Mercato ejuſ-

ejuſdem urbis frater Marinus de Monteſalcone. Pœnitentiarii hoc anno inſtituti ſunt, Dominicus Laurentii Romanus in Eccleſia Lateranenſi & Sacellanus Pontificius, Joannes Antonii Palgiarici de Molari in eadem Eccleſia, Joannes de Franconeyo ſacræ Theologiæ profeſſor in Baſilica ſancti Petri, & Pontificius Sacellanus. Pœnitentiarii.

XC. Etſi adeo rigoroſe hoc anno præceperit Calixtus ne Obſervantes Conventualium domos acciperent, ipſe tamen precibus exoratus Mirandulæ Principum eis tradidit prædicti oppidi Galliæ Ciſalpinæ munitiſſimi Conventum. Eccleſiæ antiquæ ſatis, primum a clericis ſecularibus, deinde a Conventualibus poſſeſſæ, ſancto Franciſco ſacræ, & die XIX. Aprilis conſecratæ, prædicti Principes commodum addiderunt Fratrum habitaculum, veteri reſarcito, & in meliorem formam redacto. Ornatur templum elegantiſſimis Mauſoleis; in eoque jacent plurimi ipſius oppidi Domini, & ex illuſtriſſima Picorum familia. Ibidem requieſcunt piiſſimi Patres Raphael Theutonicus & Innocentius Carpenſis.

XCI. Ante aliquot annos Andrea vidua olim Antonelli de Vannis, oppidi ſancti Elpidii ad mare, Firmanæ diœceſis, teſtamento diſpoſuit, ut ex bonis a ſe relictis, in quodam ſuo fundo, aut alio loco opportuniori extra muros prædicti oppidi, conſtrueretur Fratribus de Obſervantia Cœnobium. Teſtatricis fidei commiſſarii variis de cauſis opus diſtulerunt, hoc demum anno inchoarunt, empta a Clariſſis Eccleſia ſanctæ Mariæ Dominarum, & antiqua fabrica Monaſterii ab eiſdem derelicti extra muros oppidi prædicti. Graviter id tulerunt Patres Conventuales, qui intra oppidum ad templum ſeu Cœnobium ſanctæ Mariæ de Platea habitabant, variiſque ſuggeſtionibus egerunt apud Pontificem, ut, dimiſſa illa fabrica, legatæ ab Andrea facultates ſuæ reparandæ domui applicarentur, vel ideo maxime, quia anguſti oppidi eleemoſynis duo ejuſdem Inſtituti Conventus haud poterant ſuſtentari. Rem commiſit Pontifex Epiſcopo Firmano examinandam: & tandem factum eſt, ut opus perficeretur, & domus Obſervantibus traderetur. Hanc ſuſpicior eam eſſe, quam Gonzaga ſanctæ Mariæ de Jeſu apud S. Lupidium vocat, & ſtructuræ tempus, atque auctorem ſe ignorare fatetur. Conv. S. Elpidii. *Ex l. 4. bullar. Calixt. anno 1. fol. 213.* *Gonz. in Provin. Marchiæ Con. 9.*

XCII. Nobilis vir Petrus Maria de Rubeis, domicellus Parmenſis, dominus Caſtri-Franci, Parmenſis diœceſis, pie conſiderans, quod præfatum Caſtrum longe diſtabat a civitate Parmenſi, aliiſque inſignibus locis, in quibus verbum Dei populis conſuevit prædicari, & propterea plurimi ex incolis circa ea, quæ ad doctrinam Chriſtianam ſpectabant, valde rudes erant, ſtatuit Fratribus Minoribus ibidem domum conſtruere, eamque hoc anno inchoavit, opere juxta illius loci qualitatem ſatis inſigni, petiitque a Calixto licentiam, ut eam Miniſtro Generali & Fratribus conſignaret. Scripſit Pontifex pro informatione Auguſtino Epiſcopo Civitatenſi, Parmæ reſidenti: *Pia deſideria*. VI. Kalendas Auguſti. Quid autem actum ſit, non liquet, dum inter reliquos Conventus Provinciæ Bononienſis Patrum Conventualium aut Obſervantum non habetur. Conv. Caſtri-Franci.

XCIII. Ad Celanum Brutiorum oppidum circa hunc annum ſuſpicari licet, conſtructum fuiſſe Obſervantibus Cœnobium (quod tamen Gonzaga anno MDIII. ab oppidanis fabricatum ſcribit) ex litteris Leonelli Celani Comitis, viri clariſſimi, Joanni Capiſtrano addictiſſimi, quem alias fundum dediſſe Conventui Capiſtranenſi ædificando narravimus. Eas hoc anno ad Capiſtranum in Hungaria pro re Chriſtiana laborantem miſſas hic exſcribo. Conventus ſive a Comite, ſive ab oppidanorum communitate conſtructus, aliquantulum ab oppido diſtat ſub nomine beatæ Mariæ de Valle viridi. Conv. Celani. *Gonz. in Prov. S. Bernard. Con. 20.* *Tom. II. ann. 1747. n. 68.*

Re-

Reverendo in Chriſto Patri fratri Joanni de Capiſtrano.

Ex autographo. XCIV. *Poſt tuas, Pater optime, quas noviſſimas recepi, litteras, crebras meas quamplurimis viatoribus ad te deferendas tradidi, neque propterea deſinam, quin & aliis, quos iſthuc venturos non ignorabo, alias non dem, ut de nobis aliquid ſentias, ſimul ut te ad itidem faciendum provocem. Scito me & conjugem meam dilectiſſimam Cobellam, ac ſobolem noſtram Rogerionem, Petrum, quod ad Dei laudem dictum velim, bene valere; at conſors ipſa præclariſſima mea prægnans eſt. Spero equidem ut orationibus precibuſque tuis apud Deum adjuta, & a mole hujuſmodi liberabitur, & fœtum utero conceptum proſperiorem in lucem edet. Ego, ut omne animi mei propoſitum patefaciam, locum habitationis meæ elegi Celani, ibi & eam arcem Regiam, ſeu malumus vocare, Caſtrum, quod jam, ſi memoria tenes, cœptum erat, perficere aggreſſus ſum. Vellem itaque eo in oppido aliquod, ſi non indignum videretur, Fratrum tuorum Monaſterium habere, in quo quandoque te, licet ipſe credi vetes, incolentem proſpicere valerem, at Fratres tuos jugiter divina miniſtrare videremus. Quod ut nobis ex gratia concedas, quandoquidem teipſum præſentem conſulere & audire nequivimus, te maxime precatum velim, ut Ordinis veſtri Vicario ſcribere digneris, quatenus ſe Celanum conferre non vereatur: oſtendam ei cum locum ipſum, tum omnem circumadjacentem regionem ad deligendum locum veſtris habitationibus congruentem. Vos mihi tantummodo Fratres dabitis, ergo cetera perficiam. Vellem inſuper, notificares mihi, quid agere intendas, numquid aliquando ex Hungaria ad nos reverti velis, & quid magnus ille Turca in Chriſticolas moliatur, quod contra iſti Principes Alemanni & Hungari præparamenti adhibeant. Majeſtas vero Regis noſtri, licet triremes, quas hodie galeas vocamus, plurimas fabrefaciat, & præparamenta alia in Turcas, nondum tamen quidquam expeditum habet. Interim vero ſi quid pro te poſſumus, per litteras jubebis. Vale. Ex Galliano noſtro die* VI. *Auguſti* III. *Indictione.*

Leonellus Acclazomora Celani Comes.

Conv. S. Jacobi de Palude. *Rodul. fol* 271. XCV. In provincia ſancti Antonii & Cuſtodia Venetiarum habent Patres Conventuales Conventum ſancti Jacobi de Palude, qui prius erat Monaſterium Sororum Ordinis Ciſtercienſis. Hoc anno conceſſus eſt Fratribus Franciſco Boldu & Petro Cretenſi; ſed quædam obiicientibus Monialibus, & impedientibus ne in Fratrum poteſtatem deveniret, an. MCCCCLIX. orante Paſchale Maripetro Venetorum Duce, Pius II. Pontificatus anno II. & III. Idus Decembris tradi voluit Magiſtro Franciſco Ariminenſi, ut collabentem domum, ferme deſertam, & cultu divino deſtitutam, translatis Monialibus ad Monaſterium ſanctæ Margaritæ de Majurbio, reſarciret. Sed hæc translatio non niſi ſub Paulo II. & Principatu Chriſtophori Mauri Venetorum Ducis anno MCCCCLXIX. facta eſt, tradito in poteſtatem Minorum Monaſterio, cum omnibus juribus & pertinentiis. Eccleſiam ruinæ proximam Magiſter Baptiſta Berna Venetus ultimo hoc ſeculo refecit.

Conv. Bovinen. XCVI. In provincia ſancti Angeli, & urbe Bovinenſi aliam habebant domum ſub nomine ſancti Franciſci, ſed anguſtam valde, & domibus ſecularium adeo circumvallatam, ut quidquid loquerentur aut agerent, vicinorum ſubjaceret obtutui. Locus etiam magna aeris laborabat intemperie. Statuit itaque Epiſcopus, & nobilis vir Robertus, Dominus Caſtri Paudi, Bo-

Bovinen. diœceſis, & civium univerſitas alteram ædificare domum, modo Pontifex Fratribus conferre vellet Eccleſiam beatæ Mariæ de Rallano. Rei examen commiſit Pontifex Epiſcopo Bovinenſi: *Vacantibus ſub Religionis Obſervantia*. v. Idus Septembris. Quid autem actum ſit, non comperio; neque enim inter Cœnobia illius provinciæ veteris aut novi mentionem invenio.

XCVII. In eadem provincia, & Cuſtodia Capitanatæ, abſorpta urbe Aſculana ferme tota ex terræ motu, & dejecta per Gabrielem de Baucio de Urſinis Ducem Venuſinum Eccleſia Cathedrali, propter metum hoſtium irruentium, rogarunt Alphonſus Rex, Epiſcopus, & Capitulum novæ urbis, in vicino monte conſtructæ, ut Eccleſia beatæ Mariæ, & ſancti Leonis Epiſcopi & Confeſſoris cum adjuncto Cœnobio Fratrum Ordinis Minorum, ſito in urbis meditullio, converteretur in Eccleſiam Cathedralem, & domum Epiſcopalem, & Minoribus concederetur Eccleſia ſancti Joannis intra mœnia dictæ novæ civitatis, olim Monaſterii Monialium Ordinis ſancti Benedicti. Aſſenſit Pontifex, re commiſſa Epiſcopo Trojano: *Romanus Pontifex*. VIII. Kal. Octobris. In provincia Dalmatiæ Patribus Conventualibus juſſit Calixtus reſtitui Conventum Jaderenſem, a Nicolao ſuo prædeceſſore, uti diximus, ad Obſervantes translatum, ſed obſiſtentibus civibus, penes iſtos remanſit. Conv. Aſculanus. Conv. Jaderen. *Ann. 1453. n. 54.*

XCVIII. Henricus Caſtellæ & Legionis Rex, Obſervantibus mirum in modum addictus, obtinuit hoc anno facultatem domum eiſdem intra vel extra muros urbis Segobienſis, ſub titulo ſancti Antonii ædificandi, eamque tradendi fratri Ludovico de Saya Cuſtodi provinciæ Caſtellæ, ut ejus curæ & gubernationi ſubeſſet eo modo, quo Valliſoletanum, Methymnæ del Campo, & alia Obſervantum Cœnobia ejus auctoritate regebantur: *Inter ceteros Ordines*. VI. Kal. Maii. Attamen vel non ædificavit, vel ædificatum poſtea in alios uſus tranſivit. Quid ſi poſtea accepta vetuſta & magna domo ſancti Franciſci, quæ erat Conventualium, Obſervantes alteram ſancti Antonii dimiſerint, fueritque converſa in uſus Clariſſarum, & propterea illarum Monaſterium a ſancto Antonio nuncupetur? Conv. S. Antonii Segobien.

XCIX. Hoc anno incolæ Gemniczii oppidi in Boemia, Joannis Capiſtrani de ſe optime meriti litteris & diſcipulorum precibus, domum SS. Vito & Modeſto ſacram, Obſervantibus conſtruxerunt, olim inter reliquas provinciæ Boemiæ præcipuam, adeoque capacem, ut bina illic celebrata ſint capitula provincialia, primum anno MCCCCLXXI. in quo Jacobus Glogonienſis electus eſt provinciæ Vicarius, alterum anno MCCCCXCVI. in quo Ambroſius Lembergetius ad idipſum munus evectus eſt; qui ex Capitulo generali Mediolani celebrato Vicentiæ anno MCCCCXCVIII. deceſſit ad ſuos conſodales ſepultus. Conv. Gemniczii. *Gonz. in Provin. Boemiæ Conv. 16.*

C. Conventum ſanctæ Barbaræ urbis Oppoliæ, prope fines Sileſiæ, qui inter ejuſdem provinciæ Boemiæ Cœnobia connumeratur, ab incolis communi ære fabricatum ſcribit Gonzaga anno MCCCCLXXIII. ut primum obtinuerunt ab Eugenio IV. facultatem. Sed præterquam quod Eugenii Pontificatus non coincidit cum illo anno, alium & priorem inveni hujus Conventus ſtructorem. Is fuit Bernardus Oppoliæ Dux, qui Capiſtrani intuitu illud fabricavit, & hoc anno ædificii delineationem, & ſitus deſcriptionem eidem tranſmiſit, rogans ut jam conſtructum placeret acceptare. Ubi placere reſpondit, has ei litteras ſubjunxit. Conv. Oppoliæ. *Gonz. ibid. Con. 12.*

Ve-

Venerabiliſſimo in Chriſto Patri fratri Joanni de Capiſtrano &c. Bernardus Dei gratia Dux Oppolien. &c.

Ex reg. Capiſtr.

CI. *Venerabiliſſime in Chriſto Pater, nobis gratantiſsime dilecte. Nobilis Conradus Clavarus, fidelis noſter dilectus nobis ſcripſit, quod Monaſterium hoc Oppoliæ veſtræ Paternitati placet. Credimus, memoriæ veſtræ non excidiſſe, quod pridem ſcripſeramus petentes, vellet hoc ipſum acceptare & ſuſcipere. Nunc, dum percipimus vota veſtra, gaudemus & exultamus in Domino Jeſu, iterum inſtanter & amantiſsime flagitantes, ut illud ad manus V. P. ſuſcipere & acceptare plene propter Deum dignemini, diſponendo uti pius Pater, quod vobis ſalubrius videbitur; nam nos ipſi id confecimus V. P. orationibus. Volumus etiam cum Dei adjutorio noſtra ſubſidia eo ferventius exhibere Fratribus, quo fidentius ſperamus per veſtras & illorum orationes repræmiationem a Domino Jeſu Chriſto in futuro ſeculo recipere. Datum in Stelicz Galliato in feſto ſancti Urbani hora* XXIII. *feſtinanter anno* MCCCCLV.

Conv. Hechtenſtain. Hoc anno n. 10.

CII. Ulricus Ciliæ, Ortemburgæ, & Zagoriæ Comes, Dalmatiæ, Cracoviæ, & totius Sclavoniæ Banus ſeu Præſes, de quo ſupra locuti ſumus, ædificaverat Obſervantibus Conventum ſub caſtro ſuo Hechtenſtain in Engeſtorff, eoque introduxit ante completam fabricam aliquot qui inhabitarent, & opus promoverent. Obſtitit totis viribus Plebanus in Medling, adeoque Fratres perturbavit, ut ſatius illi ducerent omnino recedere, quam controverſias fovere. Capiſtranum, quid facto opus conſulentes, reſponſum acceperunt, ut abirent. Id male habuit Comitem; utque redire juberet, his litteris Capiſtranum rogavit.

Venerabili ac religioſo viro fratri Joanni de Capiſtrano &c.

Ex reg. Capiſt.

CIII. *Venerabilis & religioſe vir, amice noſter dilecte. Intelleximus, ad aures amicitiæ veſtræ perveniſſe, qualiter erectio Monaſterii novi, quam ſub Caſtro noſtro Hechtenſtain, videlicet in Engeſtorff fieri affectavimus, per Plebanum in Medling impediatur; ob quod Fratres Ordinis veſtri dehinc recedere deberent ex commiſsione veſtra. Unde rogamus amicitiam veſtram, quatenus prædictos Fratres ad id novum Monaſterium deputatos ibidem morari & permanere facere velitis, non advertentes aliquod impedimentum de præſenti occurrens, nam ſi aliqua fuerint obſtacula, poſſimus eadem per Dei gratiam penitus amovere, & dicto Monaſterio de quiete bene providere. Tuam erga nos amicitiam ſpecialem & ſolitam oſtendite, pro qua nos ad beneplacita veſtra etiam habere poteritis paratiſsimum. Datum Viennæ feria* II. *poſt Dominicam in Ramis palmarum anno Domini* MCCCCLV.

Ulricus Dei gratia Ciliæ &c. Comes.

Conv. Thuyſſinen.

CIV. Præter hunc Conventum etiam Thuyſſinenſem in Tranſilvania, ut ex ſupra dictis de perſecutione Epiſcopi Matthæi conſtat, alioſque in Hungaria Fratres Obſervantes hoc tempore acquiſiviſſe, ex variis Capiſtrani ſcriptis & litteris mihi compertum eſt. Atque hinc motus Gonzaga dixit, circa hunc annum primo fundatam ac reformatam fuiſſe in Hungaria Provinciam Salvatoris. Exordium vere hoc tempore ſumpſit, Provinciæ tamen norma & appellatio aliquanto eſt poſterior.

Gonz. in Provin. Hungar. Salvatoris in princ.

CV.

Anno Christi	Calixti III.	Friderici III. Imp.	Religionis Minorum anno 248.
1455.	anno 1.	anno 16.	

Conv. Zutphaniæ. *Idem in Provin. Colon. Con. 5. Mon. MSS. Colon.*

CV. Circa hunc annum extra Zutphaniam, opulentiſſimam & vaſtiſſimam Geldriæ Civitatem, Daventrienſis diœceſis verſus pagum Wansfeld, ædificatus eſt Conventus Obſervantum ſub titulo ſanctæ Mariæ Galileæ. Religioſe & ſancte in eo perſeverarunt Fratres uſque ad annum MDLXXII. quo dum vehementius tum privatis ſermonibus, tum publicis concionibus in graſſantem hæreſim inveherentur, a ſectariis funditus everſo Conventu, profligati ſunt. Theodorici Leuti ibidem paſſi ſub illum annum dabimus martyrium. Hanc urbis per hæreticos direptionem longe antea prædixit Joannes Brugman, olim provinciæ Colonienſis, ad quam hic ſpectat Conventus, Vicarius, clarus ſpiritu prophetiæ, ardentiſſimus paupertatis amator. Hic ſepulti ſunt Joannes a Daventria, & Stephanus a Zevener, olim Miniſtri Provinciales. Hinc ortum duxit Henricus Zutphaniæ etiam Miniſter, vir inſignis, Mechliniæ, uti alias dixi, ſepultus.

Tom. 2. anno 1231. n. 51.

Conv. Noviomagen. *Indic. Con. 2. Mon. MSS. Colon.*

CVI. Noviomagi, vulgo *Naimagen*, inſignis Geldriæ urbis ad Wahalim flumen, Colonienſis diœceſis, Conſules & Proconſules licentiam impetrarunt hoc anno a Calixto Obſervantibus domum ædificandi: *Piis Chriſtifidelium deſideriis*. pridie Nonas Septembris. Winmarus de Wachtendonk Præpoſitus Eccleſiæ Sancti Sebiberti Werdenſis, Colonienſis diœceſis, & Officialis Curiæ Colonienſis, ad quem diploma directum eſt VI. Novemb. præmiſſo neceſſario examine, ut ex publico Notarii conſtat inſtrumento, facultatem dedit, ut prope & extra portam, vulgo nuncupatam *Heſelporte*, Conventus ædificaretur. Infra paucos annos completum eſt opus, & chorus, altariaque anno MCCCCLX. navis autem Eccleſiæ, cœmeterium & reliqua anno MCCCCLXIX. die XXII. Auguſti conſecrata ſunt. Succedentibus autem belli tumultibus ſub Carolo Audace Burgundiæ Duce, Philippi filio actum eſt de demoliendo Conventu & transferendo intra urbem. Ut ita fieret, annuit Sixtus IV. cujus diploma anno MCCCCLXXXVII. Innocentius VIII. confirmavit. In hoc novo Conventu tumulum ſortitus eſt Joannes Burgman ſupradictus, in primo Capitulo Provinciali in hoc Conventu celebrato electus Vicarius, unus de primis hujus Provinciæ fundatoribus. Præfuit aliquando huic loco Antonius de Braquey a Konigſtein, vir doctus, cujus opera recenſet Henricus Willot in ſuis Athenis. Prope ſummum altare capita prædictorum Patrum Brugman & Theodorici Leuti martyris decore ſervabantur. Irruentes in urbem Geuzii anno MDLXX. Templum demoliti ſunt, Sanctorum reliquias pedibus conculcarunt, aream Templi & cœmeterium fecerunt forum frumentarium, ab alia parte dejecerunt cameras hoſpitum, & per illam aream & hortum plateam ſtatuerunt in portum, quem intra civitatem effoderunt. Valetudinarium in extremo horti angulo ſitum adhuc perſeverat, ſed qui hactenus illud inhabitarunt hæretici, variis modis Dei vindictam perceperunt.

Conv. Judemburgen. reformatur.

CVII. In provincia Auſtriæ & Cuſtodia Stiriæ habebant Patres Conventuales Cœnobium Judemburgæ pauperculum & pauculorum Fratrum domicilium. Fridericus Imperator cupiens habere in terris ſuis hæreditariis Conventum aliquem Fratrum Obſervantum, vocato Auſtriæ Miniſtro ſuum expoſuit deſiderium, & utrimque convenerunt, ut domus Judemburgenſis eis traderetur. Ut firmius acta conſiſterent, ſcripſit Cæſar ad Miniſtrum Generalem ſequentem epiſtolam. Ille factum probavit, ſed & Calixtus Pontifex translationem, uti ſupra apparet, confirmavit.

Venerabili & religioſo P. fratri Jacobo de Mozanica, Ordinis Minorum Miniſtro Generali, nobis devoto & dilecto.

Venerabilis, religioſe, devote, dilecte. Cupientes religioſis Fratribus Ordinis ſancti Franciſci de Obſervantia locum aliquem Conventualem in terris & dominiis noſtris hæreditariis conſignare, vocavimus ad præſentiam noſtram Miniſtrum Provincialem Ordinis, & cum eodem conſiderationem & reſpectum habuimus ad ſingula loca conventualia ſupradicti Ordinis in terris noſtris conſiſtentia. Et quia inter alia reperimus in oppido Judemburgenſi Ducatus noſtri Stiriæ paucos admodum Fratres Conventuales exiſtere, qui etiam vix aut difficulter ſeſe ibidem hactenus ſuſtentare potuerunt, de beneplacito & conſenſu dicti Miniſtri Provincialis, eumdem locum præfatis Fratribus de Obſervantia tradidimus, atque conſignavimus. Quocirca devotionem tuam attente rogamus, quatenus id nequaquam ægre ferre, neque præfato Miniſtro, aut dictis Fratribus de Obſervantia aliquatenus velis imputare; quoniam id bonis reſpectibus, & magis proprio motu & voluntate noſtra, quam ex petitione & inſtantia dictorum Fratrum proceſſit; quinimo his etiam reſpectibus ac noſtræ contemplationis intuitu ad hoc benigne annuere, & tuum benevolum aſſenſum velis compreſtare nobis ad complacentiam bene gratam, quam erga devotionem tuam & Ordinem ipſum in aliis gratioſe favore recognoſcemus.

Con. Alcmariæ. *Gonz. in Provin. German. inſer. Conv. 14.*

CVIII. Hoc anno ad Alcmariam oppidum Boreale Hollandiæ conſtructum eſſe Obſervantibus Conventum aſſerit Gonzaga, ſed vetuſtus quidam liber MSS. provinciæ Colonienſis id factum anno MCCCCXLV. commemorat, quod verius puto ex litteris Philippi Boni Burgundiæ Ducis, quibus domum hanc ſub ſuam ſuſcipit protectionem. Illic Fratres ab initio Deo cum laude & multorum fructu perſeverarunt uſque ad illum fatalem annum MDLXXII. quo ipſo die ſancti Joannis Baptiſtæ occiſis Fratribus, uti ſub illum annum referemus, Conventum hunc, inſigne Cœnobium Clariſſarum, duo Monaſteria Tertiariarum juxta hoc oppidum, & alia duo ejuſdem Inſtituti Edamæ & Enchuſiæ (oppida ſunt Hollandiæ) Geuzii penitus everterunt.

Conv. Herlemi. *Ibid. Conv. 15.*

CIX. Herlemi (quod Auſtralis Hollandiæ, & tunc Trajectenſis diœceſis, oppidum eſt egregium, ubi templum magnificum, forum maximum, pulchræ domus, frequens mercatura, olim Catholicæ religionis ſtudioſiſſimum, nempe in eo fuere viginti tria Monaſteria utriuſque ſexus) pii incolæ, Philippo Bono Burgundiæ Duce aſſentiente, petierunt a Nicolao V. ut ſibi liceret Obſervantibus domum ædificare. Annuit ille, ſed præveniente morte, diploma non fuit expeditum. Ratum ergo habuit hoc anno Calixtus, quod prædeceſſor conceſſit: *Rationi congruit.* XII. Kal. Maii. Anno ſequenti ex publicis facultatibus conditum Cœnobium piis & religioſis viris floruit uſque ad annum MDLXXVII. cum menſe Auguſti, devicto oppido a Principe Auriaco, Religioſi omnes turpiter ſunt expulſi.

Monaſt. Bononiæ.

CX. Ante aliquot annos Thaddæus Alberotus Florentinus, Artium & Medicinæ Doctor, in urbe Bononienſi decedens, pinguem legavit Fratribus Tertii Ordinis ejuſdem Civitatis facultatem, cum certis conditionibus inter pauperes, infirmos, & Sorores dicti Ordinis, cum conſilio & aſſenſu Prioris Fratrum Prædicatorum, & Guardiani Minorum Bononien. quotannis diſtribuendam. Illi autem poſtquam ex præſcripto teſtatoris, ſopita etiam controverſia per Fratres Servitas mota, cuncta peregerunt; judi-

can-

cantes publico bono conſultius, & multarum nobilium Virginum pio deſiderio opportuuius eſſe, ex bonis, quæ ſupererant, commodum Monaſterium Clariſſarum adinſtar religioſiſſimi Parthenonis Ferrarienſis, *a Corpore Chriſti* nuncupati, cujus laus & ſuaviſſimus odor longe lateque per vicinas Provincias ſe diffundebat, ad Pontem ſancti Archangeli intra urbem conſtruere, in loco hoſpitalis Fratrum & Sororum Tertii Ordinis, quod in uſum hunc converti volebant. Ita faciendi licentiam petierunt a Nicolao Pontifice, qui anno præcedenti XIII. Kalend. Auguſti examen totius rei commiſit Abbati Monaſterii ſancti Pauli Bononienſis, & facultatem omnia ad conſtructionem neceſſaria concedendi. Dum omnia diligenter peraguntur, moritur Nicolaus, & ſuccedit Calixtus, qui ad preces communitatis, civium & regiminis Civitatis omnia ab Abbate facta voluit confirmata, commiſſa ampla facultate Ludovico Joannis Adminiſtratori Eccleſiæ Segobricenſis, urbis Bononienſis Gubernatori: *Ad ea quæ in Omnipotentis.* x. Kal. Octobris. Favit impenſe huic operi Beſſarion Epiſcopus Tuſculanus Cardinalis, Bononienſis Legatus, qui, dum commode non potuerit Monaſterium ædificari in prædicto hoſpitali, conceſſit Monaſterii conſtruendi curatoribus Cœnobium ſeu Eccleſiam ſancti Chriſtophori de Moradellis, Ordinis ſancti Benedicti (revocata prima donatione, quam fecerat ejuſdem Eccleſiæ Fratribus ſancti Hieronymi) à Monaſterio ſancti Bartholi propè Ferrariam ejuſdem Ordinis dependentem.

Vide tom. 10. an. 1451. n. 20.

CXI. Ita omnibus rite diſpoſitis, inchoatum hoc anno opus ad eum ſtatum anno ſequenti redactum eſt, ut ſexdecim Sorores Pontificia facultate ex ſupradicto Monaſterio Ferrarienſi evocatæ, ſolemni & nobiliſſimo comitatu die XXII. Julii huc introductæ ſint. Adfuerunt Cardinales duo, Beſſarion Legatus, & Philippus urbis Epiſcopus, ſupradictus Ludovicus urbis Gubernator, omnes Proceres, Magiſtratus, & Clerus civitatis, atque ex Fratribus Obſervantibus (quorum regimini Pontifex Monaſterium commiſit) Joannes Baptiſta de Levanto Vicarius Generalis, Marcus Bononienſis, & Jacobus de Primaditiis, eodem officio functi, cum reliquis Conſodalibus, qui ad Cœnobium ſancti Pauli extra urbem habitabant. Prima inſtituta eſt Abbatiſſa beata Catarina Bononienſis, & Vicaria beata Joanna de Lambertinis, quarum admirabiles vitas iis, quibus deceſſerunt, annis deſcribemus. Optimis his magiſtris tanta crevit ſanctitatis & virtutis opinione Monaſterium, ut certatim illuc nobiliſſimæ confluxerint Virgines, in eamque crevit amplitudinem & majeſtatem, ut ultra ducentas communi cenſu habeat religioſiſſimæ vitæ ſectatrices. Ait Gonzaga, eas nudis primum inceſſiſſe pedibus, ſed dum variis infirmitatibus gravarentur, Joannem Capiſtranum anno MCCCCXLVI. ab Eugenio obtinuiſſe, ut calepodiis uterentur & mitioribus adſtringerentur jejuniis. Sed qui fieri potuit ut pro Monaſterii hoc anno inchoati Sororibus ille ante annos novem hoc impetraret? Verum eſt, ut ego ſuo loco narravi, illum ab Eugenio impetraſſe mitigationem regulæ in quibuſdam rebus durioribus, quam fœminea facile ferre poſſit imbecillitas.

Gonz. in Prov. Bonon. Mon. 1.

Tom. 11. anno 1447. n. 3.

CXII. Conſules, Proceres, & incolæ Terræ Campli, Aprutinæ diœceſis ſignificarunt hoc anno Pontifici, ſe alias, quod nos ſupra narravimus, extruxiſſe Obſervantibus Cœnobium, eſſe autem apud ſe quindecim mulieres, quæ ſuſcepto habitu ſanctæ Claræ, in propriis domibus vivebant, donec commune recluſorium, in quo habitare poſſent, ædificaretur, atque ut his aliiſque futuris Virginibus proſpiceretur, ſe decreviſſe Monaſterium Clariſſarum regularis Obſervantiæ ex communi cenſu conſtruere. Facultatem

Mon. Campli. *Anno 1448. n. 16.*

tem conceſſit Pontifex, miſſo diplomate ad Epiſcopum Aprutinum: *Piis ſupplicum votis*. XIV. Kal. Julii.

Mon. Novariæ. CXIII. In urbe Novarienſi quamplures Virgines & viduæ aſpirabant ad Inſtitutum ſanctæ Claræ regularis Obſervantiæ, quod in multis civitatibus florere percipiebant. Cives ergo & Magiſtratus oraverunt Pontificem, ut liceret ejuſdem Ordinis Monaſterium conſtruere; diſpendioſum enim & moleſtum reputabant, ſuas Virgines ad alias civitates tranſmittere. Scripſit Calixtus hoc anno in ipſo limine ſui Pontificatus ad Epiſcopi Novarienſis Vicarium, ut ſi expediret, ſuo nomine facultatem tribueret: *Inter univerſa opera*. VI. Idus Aprilis. Quid tunc actum neſcio: Gonzaga Clariſſarum Monaſterio, quod nunc extat, exordium tribuit anno MCCCCLXVII. ſed ſub Inſtituto ſancti Auguſtini, & nuncupatione beatæ Virginis Annunciatæ, incertoque tempore dicit tranſiiſſe ad regulam ſanctæ Claræ propter penuriam confeſſorum Ordinis Eremitarum ſancti Auguſtini, quos ſemper e Mortarii oppido per aliquot milliaria diſtante oportebat evocare, & propter fervens deſiderium Sororum ad arctioris vitæ normam aſpirantium. Relicto porro antiquiori Annunciationis titulo, a ſancta Clara Eccleſia nomen accepit. Ibi jacent duæ religioſiſſimæ Sorores Clara Margarita Torniella, & Concordia Novarienſis, ſanctitatis opinione illuſtres. Tertia his accedit Lucida Novarienſis, eximia erga proximos Caritate inſignis, quæ totum Monaſterii ambitum antè monachatum ſuis ſumptibus firmo muro vallavit. Laudatur etiam a pietate, prudentia & pœnitentia Catarina Franciſca Cerina, olim Abbatiſſa. Eccleſiæ conſecrationem anno incerto peractam celebrant Moniales die XXII. menſis Aprilis.

Gonz. in Prov. Mediolan. Mon. 2. Monum. Mſſ.

Mon. Pergulæ. CXIV. Fuiſſe in oppido Pergulæ in Piceno, & diœceſi Eugubina Monaſterium Clariſſarum ſub invocatione ſanctæ Luciæ antiquum ſatis, & ſub hoc tempus deſtructum, apparet ex ſupplici libello Fratrum Conventus ſancti Franciſci de Pergula Calixto Pontifici porrecto, quo petebant, pro reparandis ſuis ædibus, & emenda ſuppellectili eccleſiaſtica eis adjudicaretur prædictum monaſterium Monialibus deſtitutum; eo enim laxioris vitæ proceſſerunt, ut eas ad alia Monaſteria tranſmitti oportuerit, & Fratrum Conventus bellorum motibus non ſemel magnum paſſus eſt diſpendium. Annuit Pontifex, commiſſa conceſſionis facultate Abbati Monaſterii ſancti Laurentii in Campo, diœceſis Fanenſis.

Mon. Brugenſe. CXV. In Flandria circa hunc annum extructa duo Monaſteria Clariſſarum reformationis Colletaneæ, ſub obedientia Miniſtri Generalis & Provincialis, unum in oppido Brugenſi ſub titulo ſanctæ Mariæ, alterum in

Mon. Inſulenſe. Inſulenſi ſub ſanctæ Barbaræ invocatione. Pro conſtruendis ſuas preces hoc anno miſerunt ad Pontificem Iſabella Burgundiæ Duciſſa, Regis Luſitaniæ filia, & Legislatores, Scabini & incolæ oppidi utriuſque. Exaudiri voluit per Epiſcopum Tornacenſem eorum diœceſanum: *Piis Chriſtifidelium*. VI. Idus Maii. Nihil reperio de his Monaſteriis recenſendum, utrumque conſtructum fuiſſe lego in compendioſâ illa Gonzagæ narratione de Flandriæ Monaſteriis Sanctimonialium.

Mon. Antuerpiæ. CXVI. Ejuſdem Iſabellæ precibus interpellatus conceſſit Calixtus hoc anno facultatem ædificandi in oppido Antuerpienſi, tunc Cameracenſis diœceſis, Monaſterium alterum Clariſſarum, ſub regula ab Innocentio IV. præſcripta, & regimine Vicarii provinciæ Colonienſis regularis Obſervantiæ. Diploma conceſſionis direxit Abbati Monaſterii ſancti Michaelis Antuerpienſis: *Piis Chriſtifidelium*. VII. Idus Junii. Primæ regularis diſciplinæ magiſtræ ſex ex Monaſterio Trevirenſi venerunt, ex quibus prima

Abba-

Abbatiſſa fuit Eliſabetha de Lindevelt. Religioſiſſimum habuerunt exordium, & in ſancta vocatione cum laude in veræ paupertatis amore ſine proventibus annuis, ſine poſſeſſione, mendicatim ex eleemoſyni› ſe tolerantes perſeverarunt. Ceterum neque innocuus hic grex ovicularum a luporum rabie permanſit intactus. Geuzii Antuerpiam occupantes anno MDLXXXI. Sorores prohibuere officio divino templum occludentes, clauſuram Cœnobii violantes. Illæ ut ſe periculis inſtantibus eximerent, abierunt Treviros ad Monaſterium Clariſſarum, a quibus duxerunt originem, quibuſcum ultra triennium cohabitarunt. Redacta poſtea Antuerpia in Catholicorum poteſtatem anno MDLXXXV. menſe Septembri reverſæ ſunt in domum ſuam, in qua commorantur nunc ferme ſeptuaginta Virgines in arctiſſimo recluſorio, vix, certe rariſſime, ſecularium aſpectum admittentes.

CXVII. Tertii Ordinis Pœnitentum a ſancto Franciſco Inſtituti ſodalitium mire hoc tempore propagatum eſt per Germaniam, Poloniam, & Sileſiam, auctore Capiſtrano, qui dum omnes Chriſto vellet lucrifacere, omnibus juxta ſtatus indigentiam & qualitatem vitæ normam præſcribebat ſalutarem. Multas lego hoc anno & ſequenti litteras a Miniſtris, Præceptoribus, & Prædicatoribus Fratrum & Sororum hujus Inſtituti ad eum ex variis provinciis, maxime ex Cracovia, Uratislavia, Vienna miſſas, quibus varia exponunt dubia, magna narrant Ordinis incrementa, & adverſos etiam quorumdam ſignificant conatus. Unas hic ſubjungo Miniſtri Cracovienſis. Propagatur tertium inſtitutum S. Franciſci.

Reverendiſſimo in Chriſto Patri Fratri Joanni de Capiſtrano, hæreticæ pravitatis Inquiſitori, unicæ ſpei noſtræ, & conſolatori.

CXVIII. *Humillima ſubjectione cum debita obedientia & reverentia jugiter præambula, Reverendiſſime in Chriſto, imo ſancte Pater, & conſolatio noſtra ſpiritualis, lumenque unicum oculorum noſtrorum. Pia veſtra Paternitas ſcire non abnuat, quod hæc ſancta congregatio Fratrum & Sororum Pœnitentium de tertia regula Seraphici Patris noſtri Franciſci, quam Dominus Omnipotens in regno Poloniæ ignito ſui verbi eloquio per V. P. innovare, plantare, erigere & ſeminare dignatus eſt, dignatur pariter imbre ſuorum inacceſſibilium chariſmatum irrigare, & quanto ulterius, tanto plus & melius, ipſo Domino cooperante, creſcit & augetur, ſpectabilis & religioſi Patris & Fratris Ladislai de Ordine Minorum, Guardiani Conventus ſancti Bernardini, Viſitatoris dictæ noſtræ congregationis, ſalubribus ſuffulta præſidiis, & documentis vitæ commendabilis pariter & exemplis, cui pro tantis favoribus, laboribus & curis, huic noſtro Ordini per ipſum adhibitis, & in futuro adhibendis, in conſpectu piæ V. P. æquas & condignas gratiarum actiones impendere non valemus. Attamen V. P. ſuper eodem Patre nobis relicto in refugium & ſolatium ſingulare ſimul, & illi grates utcumque veſtris & illius meritis impares impendimus, Deum pro felici ſtatu veſtro, & illius voce concinna, votoque concordi imprecantes, quippe ad noſtrorum nemo poteſt addere plenitudinem gaudiorum, quoties vita fauſta veſtra auditibus noſtris percipitur inſonare, quia vivere veſtrum noſtrum vivere & lucrum, & diſſolvi veſtrum noſtrum reputamus &c. Valeat V. R. P. ſana, læta & proſpera. Datum Cracoviæ ipſo die ſancti Fabiani & Sebaſtiani Martyrum anno* MCCCCLV.

Fr. Bartholomæus indignus Fratrum & Sororum Pœnitentium Ordinis ſancti Franciſci Miniſter.

CXIX. Hu-

Domus tertii Ord. Atellæ. *Ex l. 18. bullar. secret. Nicol. an. 3, fol. 131.*

CXIX. Hujus Inſtituti viris Lucas Epiſcopus Rapollanus in regno Neapolitano ante annos triginta conceſſit Eccleſiam campeſtrem ſancti Antonii de Aringio extra muros oppidi Atellæ, & portionem quamdam terræ cum adjuncto horto pro conſtruendo ibi religioſo domicilio. Hoc anno donationem & domus conſtructionem Miniſter & Fratres petierunt confirmari. Annuit Pontifex Nicolaus paulo ante obitum III. Idus Januarii, ſcriptis litteris ad Epiſcopum Melfienſem.

Mon. tertii Ord. Podii Feſulani. *Ex l. 47. bullar. fol. 121.*

CXX. Catarinæ Ambroſii Joannis, mulieri Florentinæ idem Nicolaus pridie Nonas Januarii facultatem conceſſit, ut in loco Podium Feſulanum nuncupato, diœceſis Feſulanæ, domum competentem, cum parvo oratorio pro ſe & decem vel pluribus piis mulieribus, ſub habitu & regula tertii Ordinis ſancti Franciſci de Pœnitentia victuris, ædificaret; ipſamque, dum viveret, ſuperiorem conſtituit, & Archiepiſcopi Florentini protectioni monaſterium commendavit.

Mon. tertii Ord. S. Antonii Perufii. *Ex lib. 5. bullar. an. 1. fol. 70.*

CXXI. Calixtus indulſit Margaritæ Peruſinæ Miniſtræ & Conſororibus ejus tertii Ordinis, prope Eccleſiam ſancti Antonii de Padua a ſe conſtructam commorantibus, ut libere ſuas conſocias in eadem Eccleſia ſepellire, & a Fratribus Obſervantibus ſacramenta recipere poſſent, eaſque voluit ab omni juriſdictione, jure & cura parochiali & Epiſcopali penitus exemptas. Monaſterium ejuſdem Inſtituti ſancti Joannis Tudertinum a regimine Miniſtræ generalis, per Eugenium IV. conceſſæ ſubtraxit.

Mon. Valentini controverſia. *Ex l. 19. bullar. Calixt. fol. 129.*

CXXII. Ortam controverſiam inter Otum Epiſcopum Dertuſen. & Sorores Monaſterii ſanctæ Claræ Valentini ſuper mille & quingentos ſolidos illis relictos per quondam Sanciam Comitiſſam de Prades, & aſſignatos ſuper Baronia de Torreſtores, & Præbendis hoſpitalis del Infant, Abbas monaſterii Montis-Serrati, Vicen. diœceſis decidit in favorem Monialium, commiſſa ſibi facultate per Nicolaum Pontificem. Ejus ſententiam hoc anno Calixtus confirmavit. Controverſiam alteram inter nobilem mulierem Mariam, Garciæ de Herrera conjugem, Petri Niño filiam, Palentiæ commorantem, & Agnetem Abbatiſſam Monaſterii ſanctæ Claræ Valliſoletani, ejuſdem Mariæ ſororem, ſuper oppido ſeu villa de Cigales, Palentinæ diœceſis, ita deciſam, ut villa Mariæ cederet, & Monaſterio in perpetuum penderentur decem millia morapetinorum in certis locis & bonis aſſignatorum; Agneti vero in Monaſterii uſus, dum illa viveret, viginti millia, etiam hoc anno confirmavit. Monaſterium ſanctæ Claræ Balneoregienſe totaliter ferme deſtructum, ſola quarta parte Eccleſiæ remanente, & domuncula contigua, in qua una ſola Monialis ſenectute confecta habitabat, adjudicavit Minoribus ejuſdem urbis pro ſuo Cœnobio reparando.

Altera Valliſoletani. *Lib. 2. arch. inferior. fol. 287.*

Mon. Balneoregii.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

* *Nicolai V. mortem, Calixti III. aſſumptionem, eſuſque contra Turcas jurejurando firmatos conatus, habes accuratius a Waddingo ad hunc annum n. 7. & ſeq. relatos. Indicul. ex copia. Ex Vatic. Ex archiv. SS. Apoſt.*

» * I. CAlixtus Illuſtriſs. fœminæ Blancæ Mariæ Mediolanenſium Du-
» ciſſæ, ut poſſet conſtruere juxta ſua vota Monaſterium ſub titu-
» lo Corporis Chriſti Cremonæ, licentiam impertivit: *Inter alia &c.* pri-
» die Nonas Maii: pro quadam controverſia vertente inter Moniales ſan-
» ctæ Claræ Valentiæ, & Epiſcopum Bertuſanum breve expedivit: *Ea, quæ*
» *judicio &c.* Pro electione Abbatiſſæ Clariſſarum Perpiniani, Diœceſis
» Elicienſis ſcripſit: *Ea, quæ judicio &c.* VIII. Idus Maii. Pro Fratribus
» Conventus ſanctæ Crucis Jaderæ Civitatis expedivit breve: *Romanus*
» *Pontifex &c.* IV. Kalendas Junii, a Jadero fluvio in Adriaticum Mare
» defluente in Liburnia regione ſupra intimum Adriatici ſinus receſſum,

inter

inter Iſtriam & Dalmatiam, Croatia nuncupata, nomen habet ea Civitas, ad quem ſita, non procul ab Apollonia & Salona abeſt, vulgo dicitur Zara. Fratri Dominico Laurentio Pœnitentiario & Sacellano in baſilica Lateranenſi beneficium contulit: *Religionis zelus &c.* Kalendis Junii; & VII. Idus ejuſdem expedito brevi: *Regimini univerſalis &c.* ad Epiſcopum Civitatenſem pro Monialibus Clariſſis Valliſoleti, Palentinæ Diœceſis (Civitas Hiſpanis *Ciudad Rodrigo* eſt non longe a Luſitaniæ finibus) pro quadam permutatione Clariſſarum beatæ Mariæ *de la Cella* Vicintin, litteras expedivit: *Ad ea, quæ &c.* V. Nonas Julii; & Kalendis Septembris alias pro reparatione Conventus ſancti Franciſci oppidi Bellicardi in Arelatenſi Diœceſi: *Loca Sanctorum &c.* & V. Idus ejuſdem. Conſtantiam in Abbatiſſam Clariſſarum Panormi Civitatis Archiepiſcopalis in Siciliæ ora, quæ Italiæ obvertitur inter Pelorum & Lilybæum, confirmavit: *Humilibus ſupplicum &c.* Fratribus Joanni Antonio de Molatio & Antonio de Turrea beneficia contulit: *Religionis zelus &c.* Primo, ſexto decimo, altero vero quinto decimo Kalendas Octobris, & ſeptimo Kalendas ejuſdem cum fratre Thoma de Burbonio diſpenſavit: *Multiplicum virtutum &c.* XVI. Kalendas Novembris breve: *Cum omnium &c.* pro pace inter Conventuales & Obſervantes expedivit; cum IV. Nonas Octobris circa electionem Generalis Miniſtræ Sororum Tertii Ordinis Tudertinæ Diœceſis ſcripſiſſet: *Iis, quæ pro &c.* Tudertum vero, quod etiam Tuder dicitur, Italis autem *Todi*, eſt Civitas antiqua Umbriæ apud Tiberim fluvium. Colli aſſurgens e plano & collis aſcenſu, partim etiam ſedet in colle, media inter Narniam & Peruſiam, utrinque ad XX. M. P. recedens, Peruſia autem Epiſcopalis eſt in Etruria ampla, præclara Academia Juriſprudentiæ, a Tiberi præterfluente II. M. P. recedens, Arcem habet munitiſſimam, Eccleſiaſticæ tamen Ditionis; in eaque eſt Monaſterium ſancti Antonii de Padua, pro quo X. Kalendis Novembris breve expedivit: *Devotionis ſinceritas &c.* circa Defunctorum ſepulturas: pro Fratribus Conventus ſancti Franciſci oppidi Collis Pergolæ in Piceno, Eugubinæ Diœceſis, & Monialibus ſanctæ Luciæ eſt breve: *Piis ſupplicum &c.* pridie Nonas Novembris. Firmum, vel Fermium, Italis *Fermo*, Civitas Archiepiſcopalis antiqua Piceni, Romanorum colonia, in colle a littore Maris Adriatici ad III. M. P. recedens, media inter Anconam & Caſtrum novum, ſeu ut nunc vocant, Juliam novam ad XXXV. M. P. diſſita, olim totius Piceni clariſſima & potentiſſima; ad hanc urbem domum habendi, ſeu conſtruendi Fratribus Regularis Obſervantiæ Pontifex licentiam fecit: *Ad ea, per quæ &c.* III. Kalendas Decembris. *Ex Vatic.*

II. Oppolium Ducalem urbem conſpicuam & nobilem, a Sileſiæ Metropoli Uratislavia XII. M. P. Ger. ſeu leucis, cum dimidia diſtantem, ſub latitudine Arctoa graduum quinquaginta cum dimidio & longitudine quadraginta, Oderæ fluvio inſidentem, Conventum Fratrum Minorum de Obſervantia ſub invocatione ſanctæ Barbaræ, ex quibuſdam litteris Illuſtriſſimi Bernardi Ducis Oppolienſis ad ſanctum Joannem de Capiſtrano, Waddingus & ejus Epitomator Haroldus, hoc anno admiſiſſe concludit; verum Bernardus *Sannig* diligens Inquiſitor antiquitatum, in Chronicis manuſcriptis ſuæ Provinciæ Reformatæ Boemiæ, illius ædis initia recentiora facit, quod nos ſuo loco expendemus. * Cœnobium Coslenſe ſanctæ Mariæ Angelorum, ſancti Franciſci & ſanctæ Barbaræ, de quo alias dicebamus, cum in Sileſia plures Conventus fundaret Capiſtranus,

Harol. ad hunc ann. n. 11. Vide infra ad annum 1473.

* *Non P. Meliſſano credendum ſed P. Waddingo, qui jub hunc annum n. 101. refert litteras ipſius Bernardi Ducis Oppolienſis ad Capiſtranum.*

Conventus Coslenſis admittit Obſervantes. *Coron. MSS. Provin. Sannig.*

Domina Guiomar de Caſtro fundatrix. *Mon. MSS. Provinciæ Algarbi.*

„ nus, ultro per hæc tempora Regularis Obſervantiæ Fratres admiſit; extra
„ Coslam erat ſitum. Ulyſſiponenſem prope Conventum ſancti Franciſci,
„ vel ſanctæ Mariæ Jeſu, utroque enim nomine appellatur, *de Xabregas*
„ nuncupatum, ad aurea littora Tagi, unde ex adverſo delectabile virida-
„ rium Chellas adſpicitur, hoc anno per *Guiomar* de Caſtro, relictam Al-
„ vari *Joncaulez* Comitis de Atouguia, in ædibus Regiis ſibi ab Alphonſo V.
„ Portugalliæ Rege oblatis, fundatum fuiſſe, ex donatione authentica in
„ archivio ejuſdem Conventus ſervata, plane apparet: ex ea ſiquidem col-
„ ligitur, quod in Hierophilacio illius ſacræ domus, ipſa Domina Comitiſ-
„ ſa vidua præfato Alphonſo V. præſente & Fratribus dixerit, quod ex quo
„ idem Rex per publicam donationem ædis Regiæ (licet fere collapſæ) in
„ extremo convallis de Chellas ad Mare ſitæ, cum quodam pomerio, &
„ parte ruris ad horti ſufficientiam, ſibi ceſſerat; ipſaque ibidem quinque
„ ante annos ad laudem Dei, propriæque animæ utilitatem, Conventus
„ ſancti Franciſci pro Fratribus de Obſervantia jecerat fundamenta & jam
„ opus conſumaverat; velle pariter per publicam in perpetuum valituram
„ donationem ipſis Fratribus offerre; reſervato nihilominus ſibi, ſuiſque
„ poſteris majori Sacello Eccleſiæ in ſui & ſuorum ſepulturam. Hanc porro
„ donationem Rodericus Vicarius Provincialis Fratrum de Obſervantia,
„ virtute cujuſdam brevis Eugenii Papæ IV. quo quinque poterat erigere
„ Monaſteria, acceptavit; coramque Rege graviſſimiſque teſtibus admiſſis
„ conditionibus, quod iis in ædibus ſemper morarentur ſui Inſtituti Fratres,
„ promiſit. Ejuſdem *Guiomaris* de Caſtro ſucceſſores jura patronatus illius
„ Conventus ſibi conſervant, imo etiam totius Provinciæ; cum expenſis
„ Majoratus illius inclytæ Domus, Comitia Fratrum celebrentur.

„ III. Unde autem illius devotiſſimi Conventus incolæ primi aciti fue-
„ rint, ſcire ſi cupias, & Gonzagam legas, tibi offeret Inſulam tertiam;
Fratres qui primum Conventum inhabitarũt unde advocati. *Ibidem.* „ Antiquarius vero illius Provinciæ exactior, a Conventu ſancti Bernardi-
„ ni de Atouguia, quem paulo ante, anno ſcilicet MCCCCLI. eadem præ-
„ fata Domina Comitiſſa cum ſuo Conjuge fundaverat, advocatos fuiſſe aſ-
„ ſerit viros exactæ diſciplinæ, & vitæ Regularis rigidiſſimos cultores; qui
„ ceteris univerſi Ordinis comparati, vitam vere recolectam, juxta me-
„ thodum beatæ Coletæ, exequerentur.

„ IV. Yporiam, ſeu Yporediam, vel Iporegiam urbem in Italia, Salaſ-
„ ſorum inferiorum caput & Emporium, priſcorum Marchionum ſedem,
„ tamdem vero Sabaudiæ ditionis ab anno MCCCXIII. ſub Amadeo Magno,
„ Civium voto, & deliberatione factam, alibi commemoravimus, ejuſdem
„ pietatem, atque in Religionem Franciſcanam ſingularem devotionem
„ commendantes: quæ nihilominus novis argumentis illibatæ ſuæ Religio-
„ nis, nobis haud prætermittendæ recurrit; cum recenti pro Fratribus no-
„ ſtris de Obſervantia conſtructione Conventus ſemper commendabilis oc-
„ curat. Gonzaga hujuſmodi rem expendit, ſed peperam omnino; etenim
„ cum legitima documenta non habuerit, a veritate hiſtorica quam longe
„ aberravit; & ceteris, qui cum ſequuti ſunt, non tam ceſpitandi, quam
„ abſque dedecore falſa commentandi occaſionem dediſſe videtur; cum
„ alioquin Vir ſit omni ævo laudandus, nec ei adſcribendus ſit error, ſed
„ iis, qui vano vulgi rumore de longe venienti, inconſiderate aures præ-
„ bentes, & ſine trutina admittentes, ut omnino verum, ſua auctoritate
„ venditant, verborumque fuco adauctum iniquo pretio piæ credulitatis di-
„ vendunt: conſtructionis Conventus ſub ſancti Bernardini titulo ad eam
„ urbem cauſam præſtruunt divi Bernardini in paliolo veluti ſcapha Duriæ

flu-

fluminis tranſitum, quando ab urbe ſuis prædicationibus ſurda receſſit; eo enim miraculo Cives commotos ædem poſuiſſe affirmant: nihilominus licet non inficiar omnino aſſertum, attamen obſiſtente hiſtorica veritate, quam mox aperiemus, narrata ut intacta ſepono.

V. Provinciæ Mediolanenſis Obſervantiæ Patres lucrandarum Chriſto animarum intenti, verbi Dei præcones doctrina & morum honeſtate, quibus abundabant, ut fideles & ſtrenuos operarios in vinea Domini, ad annunciandam populis ejus miſericordiam, qua ſuum Regnum Pacis, & amoris diſponere & regere hic in Terris ab initio ſancte decreverat, ſolerti & religioſa providentia emittebant. Inter eos quidam P. frater Antonius, cujus cognomen & patria exciderunt, dicendi gratia, & compoſitæ vitæ nitore eximie fulgebat: qui bis Yporiam prædicationis cauſa amandatus, officium Apoſtolicum ſibi commiſſum adeo ſancte & feliciter explevit hoc anno MCCCCLV. ut præter publicas laudes ad honorem Dei aſſequutas, omnes Cives ad conſtruendum ſuis Confratribus Cœnobium excitaverit: etenim congregato Conſiliorum cum Syndicis cœtu, ad propoſitionem ædis conſtruendæ in honorem ſancti Bernardini, & habitationem ſuorum Fratrum de Obſervantia, communi cordis jubilo & nemine contradicente, eſſe erigendum Cœnobium: quamobrem de mandato Communitatis, piiſſimam epiſtolam, tenoris, qui mox ſequitur, Vicario Provinciali & aliis Provinciæ primoribus miſerunt, cujus inſcriptio talis eſt.

Frater Antonius prædicat Yporiæ. Decernunt fundare Cœventum pro Obſervantibus.

VI. *Venerandis in Chriſto Patribus, ac Fratribus, Domino Vicario Provinciæ Mediolani, & aliis Patribus Capituli Fratrum Minorum de Obſervantia ejuſdem Provinciæ in loco congregatis.* Epiſtolæ vero tenor ſequitur.

Scribunt pro hac re Vicario Provinc. Mediolan.

VII. *Habemus gratias, venerandi in Chriſto Patres, & quidem magnas omnipotenti primum, & clementiſſimo Deo noſtro, a quo (ut Apoſtolus Jacobus hodie canit)* omne datum optimum & omne donum perfectum eſt; *necnon humanitati & caritati veſtræ: qui ſemel, & ſecundo miſiſtis ad nos fratrem Antonium veſtrum Prædicatorem, ac ſpiritualis doctrinæ docti verbi nuncium verum, atque ſatorem, cum Fratribus conſociis, quorum exemplo & moribus, ſparſo præſertim ac diſeminato per ſingulos dies gratiſſimo animarum noſtrarum pabulo, hoc eſt, ſuaviſſimo verbi Dei cœleſti rore, factum eſt (cooperante Domini Jeſu miſericordia & gratia) ut apertis cæcutientium oculis, ſicut Dominus ipſe per Prophetam teſtatur:* Populus, qui ambulabat in tenebris, lucem viderit magnam; quandoquidem habitantibus in regione umbræ mortis lux orta eſt eis. *Hac igitur tanta præventi gratia ſtatuimus pulſanti Domino haud ſurdas præbere aures, ac vocanti ad miſericordiam non tenuì & ſubmiſſa, ſed clariſſima atque ultronea voce reſpondere.*

VIII. *Itaque ſtatuimus omnes & quidem unanimiter, nemine reclamante, parare vobis domicilium, & vobis conſtruere Cœnobium apud urbem hanc noſtram, quo ſpirituali ac ſancto commercio veſtro, vitæ exemplo, morum ſanctimonia, regulari diſciplina, orationibus, denique conſiliis, ac ſpiritualibus aliis ſubſidiis veſtris, & Domino depoſitis peccatorum ſarcinis, reconciliari, & bonis operibus gratiam ejus ſuper nos & ſuper filios noſtros, & ſuper univerſam Civitatem, atque Diœceſim noſtram ſtabilire poſſimus. Quamobrem rogamus vos in Domino, & per caritatis ac miſericordiæ viſcera obſecramus, ut amore ipſius & animarum noſtrarum, pro quibus non modo ſudorem, ſed pretioſiſſimam ſanguinem fundere dignatus*

„ *eſt, compaſſione, ac zelo velitis in ſacro hoc veſtro celebrando Capitulo ſta-*
„ *tuere, ut nobis, ſicut & aliis Provinciæ veſtræ convicinis Civitatibus ſpi-*
„ *ritualiter obſequentes, locum apud nos, & ut ſupra conſtruendum Cæno-*
„ *bium acceptetis: quod quidem a nobis libere exhiberi, atque conſtrui, ipſo*
„ *etiam præſente fratre Antonio, communiter & unanimiter decretum eſt*
„ *hoc modo.*

„ IX. *Primo, quod acceptantibus vobis, & mittentibus ad nos Fratres*
„ *quatuor, electos a vobis, & inſtructos ad ſitum eligendum, & ædificia*
„ *veſtro more conſtruenda, aſſignabitur eis, primum ſitus quidam, qui præ*
„ *ceteris fratri Antonio, & Alexandro Vercellarum Guardiano placuit, vel*
„ *alius ad habendum poſſibilis, qui magis mittendis ipſis Fratribus idoneus*
„ *videbitur; & hoc libere ſumptibus noſtris. Hoc facto deputabuntur Cives*
„ *quatuor Procuratores ad recipiendas eleemoſynas pro ædificiis, & aliis ne-*
„ *ceſſariis, quæ nimirum abunde ſufficiant; cum jam tot in voce oblatæ ſint*
„ *ut etiam hodie inchoari, & bona ad Cœnobii perfectionem, offerimus ex nunc*
„ *nos in communi ſuppleturos, quoadusque expedienter perfectum ſit, & de-*
„ *putati poſtmodum Patres, ac Fratres ibidem poſſint religioſe & commode*
„ *reſidere.*

„ X. *Verum hæc & alia ad tale opus petinentia plenius & particula-*
„ *rius cum ipſo fratre Antonio coram tractata ſunt, ſicuti ab eo præſentium*
„ *quidem latore ſerioſius audietis. Veſtrum igitur erit, venerandi Patres, de-*
„ *liberare, & nobis animabuſque noſtris pro veſtra caritate non deficere;*
„ *nam cetera operante Domino facile perficientur. Datum Yporegiæ die* IV.
„ *Maii* MCCCCLV. *Veſtrarum Reverentiarum Filii, Procuratores, Syndici*
„ *& Cives Civitatis Yporegiæ.*

„ XI. A Provinciæ Patribus Obſervantibus acceptis ac lectis tantæ de-
„ votionis litteris, & audito fratre Antonio earumdem latore, habitis
„ Deo gratiis, quod parvulum ſuum gregem cuſtodire, & multiplicare
„ dignaretur, juxta petitionem piiſſimorum Civium, expoſtulatos dimiſe-
Cives Yporegiéſes emunt locum pro Conventu. „ runt Fratres; qui humaniſſime excepti propoſitum ſitum pro conſtruen-
„ dis ædibus approbarunt: Erat autem locus Menſæ Epiſcopali obſtrictus:
„ ſed Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Domino D. Joanne de Parella ex
„ Comitibus ſancti Martini urbis Antiſtite, facultatem concedente Bartho-
„ loto Stubaldo, & ejus Fratribus ſuæ Eccleſiæ Feudatariis per publicum
„ inſtrumentum, ſeu per litteras teſtimoniales in forma legitima, datas in
„ Aula Epiſcopali die XXVIII. Auguſti MCCCCLV. alienandi, cives pro
„ pretio, & nomine veri & juſti pretii, trecentorum octuaginta quatuor
„ aureorum Januen. juſti ponderis loca emerunt, & hoc eodem anno ſub
Vide infra ad annum 1457. „ XVIII. Kal. Octobris die Feſto Exaltationis ſanctæ Crucis, a præfato An-
„ tiſtite jacto primario lapide ad Baſilicam conſtruendam, omnium Cleri
„ & Civium applauſu, & ſpirituali gaudio, ſub invocatione ſancti Bernar-
„ dini Cœnobii ſtructura cœpit, & lapis ſuper lapidem omine feliciſſimo
„ crevit, quam vero feſtinanter ſuo loco dicetur.

„ XII. Venerabilis Chriſti ſervus frater Vincentius a Como ſingulari
„ ſanctitate his diebus florebat: Ex Nobili Ruſconum familia, Comi ini-
„ tiatus a Reverendo Patre Silveſtro ſancti Bernardini ſocio, & Loci
„ Guardiano, vitam in Religione tranſegit immaculatam, perpetuo virtu-
„ tum exercitio intentus: ſancte obiit ibidem; ſepultus in Conventu ſan-
„ ctæ Crucis, & in ejus optimæ religioſitatis, ingentiſque perfectionis, &
„ probitatis teſtimonium ſuper ejus ſepulcrum hyberno tempore pulcher-
„ rima & recentiſſima roſa fragrantiſſimum exhalans odorem miraculoſe

re-

» repente, non ſine omnium admiratione apparuit: præter id ingentis » gaudii & ſtuporis, in vita & poſt obitum miraculis claruit, quorum ſe- » riem Bellarinus enarrat.

Bellarin. in biſtor. cement. par. 3.

» XIII. In religioſiſſimo autem Monaſterio Novariæ ſanctæ Claræ ve- » nerabilis Soror Concordia miræ virtutis & ſanctitatis cum eſſet, patriam » (Novarienſis enim erat) & Religionem ſuo felici obitu, clara miraculis » in vita & morte, illuſtravit hoc anno Kalendis Auguſti, ut in Chroni- » cis Daza commemorat: Ibidem Catarina Franciſca Cærina, olim Abba- » tiſſa, a pietate, prudentia & pœnitentia laudata, floruit: ſpiritum » vero reddidit ſuo Creatori hujus anni MCCCCLV. ultima die, ut Monu- » menta docent.

Soror Concordia, & Catarina floruit.

Mon. MSS. Provincie Mediolan.

ARGUMENTUM.

Capiſtranus ubique cum fructu prædicans, Valachos ad Eccleſiæ unionem reduxit. Fraudes detegit Boemorum circa confirmanda Compactata. Legato Apoſtolico multa cooperatur contra Turcas, quos tamdem profligat. Inde multa cumulata invidia paulo poſt glorioſus occubuit, virtute & miraculis illuſtris; eique demum ſacri decernuntur honores. Ludovicus Bononienſis ad Indos & Æthiopes amandatur. Componendis Conventualium & Obſervantum controverſiis grave Calixtus ſcribit conſtitutum. Guardiano Hieroſolymorum multa conferuntur privilegia. Fructuoſe prædicat Jacobus Piceno. Initiatur Bernardinus Tomitanus. Floret Bernardus Hungarus. Sanctus Didacus Compluti mirifice proficit. Decedunt Petrus Regalatus, Gabriel Anconitanus, & Philippus Aquilanus, quorum geſta referuntur. Epiſcopis & Cœnobiis magnificatur inſtitutum.

I. Joannes Capiſtranus etſi ſcribendo militi, & colligendis contra Turcam auxiliaribus copiis hoc anno totus intenderet, nihilominus a Dei verbo prædicando nullo loco, nullo tempore deſiſtebat, ſed ubicumque labefactari, aut ſanam doctrinam corrumpi, aut ab etherodoxis inſidias rei Chriſtianæ parari, aut Catholicos ritus eliminari, & bonos mores depravari conſpiciebat, pro rerum indigentia & temporis brevitate, ad modum fulguris coruſcantis per urbes & oppida, per provincias & regna diſcurrebat. Præter præcipuas Hungariæ partes, Valachiam, Moldaviam, Tranſilvaniam, & Ruſciam perluſtravit, & ubi major urgebat neceſſitas, diutius hærebat, vel ſocios dimittebat, qui inchoatum a ſe converſionis aut catecheſis opus juxta præſcriptas leges proſequerentur. Petrus Vayvoda, ſeu Præſes Moldaviæ, anno præcedenti, uti diximus, converſus, hoc anno ex univerſa provincia Valachos Schiſmaticos ejecit, & ubique voluit veram fidem, & doctrinam Chriſtianam prædicari. Huic operi præfecerat Capiſtranus fratrem Joannem de Gezth Guardianum Thuiſſineſnem; in Tranſilvania fratrem Michaelem Siculum, qui impigre injunctum ſibi a ſuo Magiſtro munus exercuit, obtinuitque ut Tranſilvaniæ Epiſcopus, & Waradini Dominus ſerio agerent de ſuorum Jobagionum (genus erat ſilveſtrium mancipiorum, quorum ingens erat multitudo in Boſna, & Croatia, & ad finitimas diffundebatur regiones) converſione. Valachi difficulter reduci poterant, dum pſeudopresbyteri perpetuos inſtillabant errores, atque hi hauriebant a peſſimo & ſubdolo viro, Joanne de Capha Wladica, pſeudo-Epiſcopo, ſummæ auctoritatis in populo. Egit itaque Capiſtranus cum

Capiſtr. ubique magno fructu prædicat.

E Moldavia ejicit ſchiſmaticos.

Eorum comprehendit & reduxit seductorem.

Joanne Hunyade, ut e suis dominiis pseudopresbyteros expelleret, & Wladicam tamdem comprehenderet, quem ipse ad se sub custodia ductum, diligenter examinatum, & in fide instructum, Romam misit absolvendum, & honoribus restituendum. Expulsionis exhibeo instrumentum, & capti Wladicæ documenta.

Ex Archivo. Capitul.

II. *Nos Joannes de Hunyad Comes perpetuus Bistricensis &c. Vobis egregiis Castellanis Castrorum nostrorum Solymus, Hunyad, & Deura, & eorum Vicegerentibus præsentium serie firmissime committimus & mandamus, & aliud contrarium nolumus, quatenus, visis præsentibus, omnes presbyteros Valachorum per Wladicam ordinatos, in terris nostris existentes, comperta prius legitima comprobatione & veritate, quod per dictum Wladicam in presbyteros ordinati sint, & ante hoc presbyteri non fuerunt, qui ad prædicationem & salubrem admonitionem religiosi fratris Michaelis Zekel fidem suscipere noluerint, de nostris bonis expellatis & ejiciatis, & tales presbyteros in præsentiam dicti fratris Michaelis adducere faciatis propria in persona, nostra auctoritate præsentibus vobis attributa mediante. Datum in Lippa* 11. *die festi beatæ Dorotheæ Virginis & Martyris anno* MCCCCLVI.

Venerabili & religioso viro, Deo devoto, fratri Joanni de Capistrano, Domino nobis in Christo honorando.

Indidem.

III. *Venerabilis &c. Die hesterna ille perfidus Wladica est adductus captus in hunc locum, libenter vero ipsum post vestram P. misissemus, sed equi sui erant fessi, ac etiam ignoramus ad quem locum ipsum ad V. P. mittere debeamus. Ideo petimus V. P. diligenter, quatenus mox visis præsentibus, velitis nobis rescribere ad quem locum ipsum mittamus ad vos, quia, prout nos assecuravimus V. P. peramplius ipsum in isto regno permanere non permittemus. Ideo non velitis renuere tam celerrime respondere, ut possint milites ad V. P. cum ipso pervenire. Ex Themeswar die festi sancti Antonii anno* MCCCCLVI.

Joannes de Hunyad Bistricen.

Nobili viro Ambutesio Camerario nostro dilecto. Joannes Hunyad Comes Bistricen.

IV. *Nobilis, nobis sincere dilecte. Ecce misimus illac per hunc Besau, perfidum Wladicam. Ideo committimus vobis fiducialiter, quatenus visis præsentibus ipsum captum ad postem ad sanctum Petrum teneatis, & juxta instructionem fratris Bartholomæi mittere debeatis & teneamimini. Secus non fiat. Datum in Themaswar die Dominico proximo post festum sancti Vincentii Martyris anno* MCCCCLVI.

Reverendissimo &c. Cardinali Firmano.

Indidem.

V. *Reverendissime in Christo Pater & Domine, D. mi observandissime, Protector noster singularissime, humillima commendatione cum omni officio obsequendi præmissa. Ea mea semper fiducia, ut in necessitatibus ad V. R. D. confugiam. Præsentium latorem idcirco commendatum facio, ut V. R. D. ope & opera gratiam a S. D. N. obtineat: nam cum esset princeps Schismaticorum & hæresiarcha inter Valachos infideles, sub umbra illius foverentur schismata & errores plurimi in infimis partibus regni Hungariæ,*

di-

diſponente Deo, illuminatus eſt, & ad me ductus ſponte abjuravit omnes errores & ſchiſmata, ſubmittens ſe obedientiæ Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ; & quondam ſe gerebat pro Epiſcopo, ſed neque cognoſcebat ſanctæ Sedis Apoſtolicæ veritatem, neque ab ea confirmatus, conſecrabat Valachos ſuo modo. Ego autem cum examinarem eum longo tempore in omnibus ſacramentis Eccleſiæ, & articulis fidei, & pertinentibus ad ſalutem, errare, & penitus deviare comperi. Apertis autem januis veritatis & lucis, cum ſe in malo ſtatu cum omnibus ſuis eſſe cognoſceret, petiit baptizari. Quod curavi fieri, & baptizatus eſt ad cautelam ſecundum formam juris. Quamobrem neceſſe eſt ut auctoritate ſanctæ Sedis Apoſtolicæ reſtituatur ad dignitates. Ea de re V. R. D. commiſſum facio: Quam Chriſtus Jeſus largiſſimo ævo tueri dignetur ad conſervationem fidei Catholicæ, & pauperculæ familiæ noſtræ, quam V. R. D. unice commendo. Ex Buda XV. *Aprilis* MCCCCLVI. Deinde ſubjungit propria manu: *Relatum eſt mihi per quemdam R. D. V. de mea puſillanimitate conqueſtum, cujus ad me eſt comparatio tamquam leonis ad muſcam. Dicam cum Job*: Etiamſi occiderit me, in ipſo ſperabo. *Numquam dubitavi me tuo humaniſſimo judicio ſubmittere, ſed & nunc tuæ correctioni me ſubmitto libenter, & pœnitentiam agens, intendo amplius non peccare. Nec animus meus quieſcet, priuſquam per V. R. D. litteras certior factus ſim de veſtra mihi benevolentia ſincere reſtituta.* Job. 13. 15.

E. V. R. D. minimus ſervulus, licet fidelis orator, Fr. Joannes de Capiſtrano Ordinis Minorum minimus, & indignus.

Beatiſſ. P. & D. &c. Calixto III.

VI. *Beatiſſime Peter &c. ad ſanctorum pedum oſcula. Cum eſſem in inferioribus regni Hungariæ partibus, ubi omnes fere ſchiſmatici erant & infideles ante acceſſum meum, etiam exhortatus & impulſus a primis Regni, viriliter evangelizabam Verbum Dei, prout eloqui dabat Deus. Commotio magna facta eſt: Illuminati plurimi, multi reſiſtebant confugientes ad D. Joannem de Capha præſentium latorem, qui ſe pro Epiſcopo, hæreſiarcha, & Magiſtro omnium ſchiſmatum & hæreſum gerebat. Hic enim cum multitudine ſequacium & complicum ſuorum neque Romanum, neque Græcum ritum tenebat. Factum eſt autem poſtea, ut ad manus meas ductus eſſet per Magnif. D. Joan. de Hunyad olim Gubernatorem regni. Examinavi illum ſubtilius, & comperi ipſum promotum uſque ad Epiſcopum, ſed nulla unquam auctoritate ſanctæ Sedis Apoſtolicæ confirmatum. Non enim Eccleſiam Dei, non Papam, non ſanctam Sedem Apoſtolicam quidquam pendebat, ſed abſciſſus & alienus effectus.* Reliqua deſunt. *Ex Reg. Capiſtr.*

VII. Ad ſaniorem mentem reducto Wladica, & cum auctoritate ſuper ſuos ex Urbe remiſſo, mire profecit fides in Valachia, & qui prius contradicebant, promotores fuerunt doctrinæ Chriſtianæ, & juris Pontificii antea ſpreti, per illam Provinciam defenſores, uſque adeo, ut a Capiſtrano petierint ſibi mitti Romani Ritus Sacerdotes, & aliquot Minoritas, quibus parabant domicilia; & quidem ex Ualachis & Sclavis decem millia ad fidem, & Romanæ Sedis obedientiam converſa fuiſſe, Scarga Polonus Societatis Jeſu, vir doctus aſſeverat. *Scarga in vita Capiſtrani.*

VIII. Boemi perſiſtentes, & quotidie ultra procedentes in ſuis erroribus, abutentes adoleſcentis Regis Ladislai miti natura, multa auſi ſunt circa res fidei, & contra Pontificis Romani auctoritatem, quam tamen ſpecie

Boemi ſubdole quædam volunt a Calixto extorquere. *An.* 1452. *n.* 5. *& ſeqq.*

ſaltem vellent ſibi ſuffragari, ut facilius incautos populos caperent, & ſpecioſius ſuos intruderent errores. Quare apud novum Pontificem, quod apud defunctum non potuerant, intentarunt ſub religioſo prætextu unionis & pacis obtinere errorum licentiam, ſcilicet ut compactata Baſileenſia, quæ perpetuo obtendebant, & ego ſuperius uberius explicavi, confirmarentur, eorumque auctor & defenſor Rochyzana ad inſulam Pragenſem promoveretur. Monitus de his Capiſtranus, quod alias fecit ſub Nicolao Pontifice, etiam nunc valde reſtitit ſub Calixto. Scriptis itaque litteris Pontificem occultæ fraudis admonuit, & Æneam Sylvium in his rebus bene verſatum, Boemorumque perfidiæ oculatum teſtem, in Urbem hoc anno ab Imperatore miſſum, ut novo Pontifici Obedientiæ obſequium ſolemne præſtaret, rogavit ut circa hæc mature & caute ageretur, ſuæque conſuleret famæ, dum Boemi ſpargebant, ſuum circa hæc fore promotorem, & Rochyzanæ fautorem, eumque ut Romam pervenerat, jam creatum Cardinalem. Circa primum vere hominem puræ fidei zeloſiſſimum calumniabantur; circa ſecundum, etſi mentiti ſint, tamen commenti rationes non deerant; etenim hominis illuſtre genus, præclarum ingenium, rara facundia, agendi dexteritas, plurima in Eccleſiam merita, magna apud Cæſarem auctoritas dignitatem hanc certiſſime conferendam ſpondebant. Hæ ſunt porro Capiſtrani ad Pontificem & Sylvium præmonitiones.

Reſiſtit Capiſtranus.

Æneas Sylvius Cardinalatu ante acceptum digniſſimus.

Beatiſſimo P. &c. Calixto III.

Ex Reg. Capiſtr.

IX. *Magno dolore affectus eſt ſpiritus meus, poſteaquam a R. Dom. ſanctæ Sedis Apoſtolicæ Legato, ſancti Angeli digniſſimo Cardinale relatum eſt mihi, quod apud S. T. a nonnullis ventiletur, quod compactata Boemis ſint confirmanda auctoritate Apoſtolicæ Sedis & roboranda. Non poſſum tamen adduci, ut mihi ſit perſuaſum T.B. Pater ſanctiſſime, tantam rem abſque matura deliberatione aggredi velle, cum in ejuſmodi & aliis rebus arduis matura & prudentiſſima ſapientia ſemper uſam eſſe cognoverim. Conſideravi, B. P. ſæpenumero multa hominum genera & Deo & ſuis Principibus infida, nullum tamen peſſimo Huſſitarum genere pejus, aut ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ rebellius eſſe percepi, qui nec Deum, nec homines verentur, nec quod rectum juſtumque ſit, ſervare, ſed poſt pravitatem cordis ſui ambulare volunt omnino. Video, P. S. Eccleſiam Dei tanto diſcrimini exponendam, quantum nec noſtris ſeculis, nec Apoſtolorum tempore viſum eſt, ſi quod callide quærunt, conſequantur: nam cum tanta petulantia atque faſtu audeant in ſuis fractis invalidis compactatis gloriari & ſuperbire, in quibus ſpes omnis eorum eſt locata, quidnam erit in conceſſis & confirmatis? Exurgent procul dubio qui latitant inter Catholicos Huſſitæ, nedum in Boemia & Moravia, ſed in Hungaria, in Tranſilvania, Moldavia, & ceteris convicinis regnis & partibus, quæ penitus infectæ ſunt, & hac maledicta hæreſi ad guttur uſque pollutæ. Non eſt hominis ingenium, nec cor credulitati pronum, quæ poſſent adduci ad credendum tot & tantos errores, atque abominationes, quæ in latebris ab iis perpetrantur. Nihil enim in eis judicari poteſt, niſi quod Chriſtianum nomen retinent. Unicum eorum eſt refugium compactata, quæ numquam ſervaverunt, imo prorſus ab eis fuerunt alieni. Teſtis erat tuus prædeceſſor Eugenius IV. Teſtis D. Joannes de Polemar ejus Auditor: teſtis quicumque vel minimus, qui eorum acta palpaverunt. Illum felicem, illum diem prædicabunt beatum, quo ſe auctoritate Apoſtolica viderint ſuffultos ad obtinendum ſub compactatorum ratione eorum deteſtanda de-*

ſide-

ſideria. Quamobrem, P. S. meo puſillo imbecillique judicio magna in his maturitate & prudentia eſt utendum, ne, cum ſperemus & laboremus hinc tueri & augere fidem Catholicam, inde profierni & peſſundari ſentiamus. Ex Buda XXIV. *Martii* MCCCCLVI.

Reverendiſſimo &c. Æneæ Sylvio Epiſcopo Senenſi.

X. *R. P. Inſonuit auribus meis lætus nuncius, quod ſcilicet divina diſpoſitione votis noſtris ſit ſatisfactum, & S. D. N. te. P. R. aſſumpſerit in Cardinalem. Sed cum nec R. D. Legatus, nec Catholicus quiſpiam hoc intellexerit, incertus ſum, an huic feſtivo novo congratuler. Congratulor vehementer, ſi verum eſt; ſin autem, det divina pietas, ut ſerio gaudeamus. Sed cum propalaverint Boemi hæretici, qui jactant ſe habere promotorem te apud S. D. N. ut compactata ſibi confirmentur, non faciles adhibeo aures: dicunt enim & prædicant te in Cardinalem aſſumptum, teque hanc provinciam aſſumpſiſſe, ut compactata reſtaures, & perfidiſſimum hæreſiarcham Rochyzanam in Archiepiſcopum Pragenſem confirmare ſtudeas, ac proinde promittas ad Cardinalatum dictum Rochyzanam aſſumendum. Non adducor ut credam, nec fidem Catholicam credere poſſum a T. R. D. peſſundari, ſed augeri indefinenter. Pejora non audivimus diebus noſtris, quam quæ in præſentiarum geruntur ab hæreticis etiam in regno Hungariæ. Tu autem R. P. pro tua caritate conare ut tale opprobrium veritatis jaculis a te longiſſime alienetur &c. Ex Buda* VIII. *Aprilis* MCCCCLVI. *Indit.*

E. T. R. D. inutilis ſervus licet fidelis orator Fr. Joan. de Capiſtrano.

XI. Qualis autem etiam hoc tempore, quo ad Pontificatum Pragenſem aſpirabat, fuerit Rocyzana, & qualiter in populo ſub oculos Regis ſe habuerit, ex litteris Decani Pragenſis, viri integerrimi, & pure Catholici, ad Capiſtranum ſub finem anni præteriti ſcriptis, aperte lector perſpiciet. Rochyzana multa molitur contra Catholicos Pragenſes.

R. P. Fr. Joanni de Capiſtrano Inquiſitori generali hæreticæ pravitatis.

XII. *Reverendiſſime Pater. Tuas litteras recepi; quare gaudio & jucunditate plenus contenta curabo implere. Utinam Paternitatem veſtram propinquiorem ad confundendas nequitias verſuti hominis felici oculo intuerer. Scit Deus, non aliud me optare animo; neque enim majorem profectum exiſtimarem huic negotio noſtro, quam ereptionem a faucibus diaboli animarum miſere ſeductarum: eſt tamen diabolicus diſcipulus aſtutior filiis lucis. Quotidiana malitia cogitat qualiter ſubvertat, qualiter graſſetur, & ulterius intumeſcat. Non ceſſat etiam hodie magis contra Catholicos machinari perſecutiones, ſacra Regis Majeſtate præſente, non ceſſat per omnes articulos, quos prius tenuit, contra Eccleſiam per fictam Regis nominationem ita practicare, agere, prædicare ſuper & præcedenter. Sed hoc magis diſplicet, magiſque tabeſcere facit, quod Regis nomine dicit, ſe cleri ſtatum accepiſſe, impudens homo illum innocentem, & ſibi ex corde adverſum deturpare intendens &c. Periculis inſtantibus, non licet plura ſcribere. Quid ego, dum abfuerit Rex, hic agam neſcio; ſi remanſero, inſtant pericula; ſi Eccleſiæ poſſeſſionem relinquam, vereor ne celerius & facilius gregem Catholicorum pavitantem invadant lupi rapaces &c. In Caſtro Pragenſi* XVII. *Novembris.* MCCCCLVI. Ex Reg. Capiſtr.

Veſter ſervulus & orator Wenceslaus Decanus Pragen.

XIII. Ita

XIII. Ita ſchiſmaticis reducendis & hæreticis convertendis Capiſtranus totus inhærebat, ut nihil aliud cogitaſſe videretur; ita verbo & doctrina fidei diſſeminandæ & propagandæ anhelabat, ut gladio vibrando, aut armis contra Turcas præparandis nulla ei cogitatio, nullum tempus potuerit ſupereſſe. Atqui ita Inquiſitorem in hæreticos egit, ut ſimul & Imperatorem in Sarracenos ſe præſtiterit formidabilem. Animum pluſquam monaſticum, ad negotia publica expeditum, & arduis intrepidum perſpectum habens Calixtus, Cardinalem ſancti Angeli a ſe Legatum miſſum, & expeditioni in Turcas Præfectum juſſit ut conſiliarium & cooperarium aſſumeret Capiſtranum. Ejus litteras Capiſtrano paſſim ſcriptas, omniumque rerum occurrentium enunciativas plurimas habeo; potiſſimas ſeligam, & quæ hiſtoriæ dilucidandæ magis videbuntur idoneæ, ſparſim in medium producam. Primæ occurrunt Viennæ ineunte hoc anno exaratæ, in quibus & Regis Ladislai e Boemia in Hungariam per Viennam tranſitus, & circa res fidei tuendas ardentiſſimi conatus certiorem reddit, & quid Joanni Huniadi, unico promotori, & commendatiſſimo exercitus Imperatori ſuggerendum ſit, præſcribit. His ſubjungo Capiſtrani reſponſum.

Capiſtr. magna cooperatur contra Turcas. *Ex Arch. Capiſtr.*

Reverendo P. D. fratri Joanni de Capiſtrano &c. Patri noſtro optimo. Joannes Cardinalis ſancti Angeli Apoſtolicæ Sedis Legatus.

XIV. *Reverende in Chriſto Pater noſter optime. Petentes orationes veſtras, notificamus. V. P. quod Sereniſſimus D. Rex Hungariæ, ut hodie nobis dixit, intendit iſta ſeptimana cum Dei adjutorio verſus Hungariam iter ſuum incipere. Speramus, per acceſſum ſuum ad illud regnum res fidei bene componi, quia ipſe Seren. Dom. Rex fervorem non parvum Religionis habet, & iſti Domini qui cum eo ſunt. Omnipotens Deus noſter V. P. conſervare dignetur. Quantum ſumus lætati conſolatique in his, quæ dicta ſunt nobis ex parte Illuſt. Dom. Gubernatoris, non poſſumus verbis nec litteris exprimere, quando audivimus ſponſionem ſeptem millium pugnatorum.* 1. Machab. c. 7. 8. 2. c. 15. 2. Macc. 8. *Meminimus incontinenti eorum, quæ fecit Deus in Patribus noſtris; nam Machabæus ille magiſter militiæ ſanctæ in tali numero Nicanoris & Gorgiæ exercitum fudit. Interemerat autem Iſraeliticus populus in tali numero centum viginti millia. Itaque ſperamus in Domino, quod exercitus ille ſeptem millium, ſi omnia alia humana auxilia deficerent, ſub dicto noſtri temporis Machabæo D. Gubernatore vincet, & dabit Deus populo ſuo victoriam. Cuperemus quod idem Illuſtris D. Gubernator ſcriberet illis Principibus, cum quibus habet commercium in iſto negotio, ſicut eſt Imperator, Rex Aragonum, Dux Burgundiæ, & aliis, quod exercitus mittendi in Hungariam debent eſſe in menſe Junii, & ad tardius in Julio, & quod ipſe Gubernator erit paratus illo tempore, nec eſt petendum quod habeant tot vel tot millia, quia poſtquam plane intellexerint quod illo tempore D. Gubernator debet eſſe paratus; in cujus nomine magnam fiduciam ponunt, & dicetur quod eſt ibi* Exod. 26. *Legatus Apoſtolicus cum cruce,* Cortina cortinam trahet, *& alii ex devotione, alii pro honore venient in tanto numero, ut ſperamus in Deo, quod potius timebimus victualia deficere quam homines. Itaque P. V. in hoc verſetur quod ſcribat D. Gubernator, ſe paratum futurum pro tempore prædicto, quia Deus providebit de victima & neceſſariis ad victimam. Unus Aulicus, ſatis notabilis vir, dixit mihi, hodie habuiſſe de Curia, quod R. in Chriſto Pater, Dom. Ludovicus Patriarcha Camerarius erat pronunciatus Legatus contra Turcam per mare. Scitis qualis vir ſit ille, & quam aptus ad illud miniſterium*

rium undique omnia ſunt ordinata. Faciat P. V. quod non ſit defectus in Provincia vobis a Deo decreta. Sereniſſimus D. Rex ſervntiſſimus eſt in iſto negotio, tantum quod expectemus, quod erit alter David, & in innocentia ſua puriſſima interficiet Imbaptizatum Turcam, Chriſtianorum interfectorem. V. P. ſuſcipiat ipſum Sereniſſ. Regem in ſuis orationibus commendatum, ut Deus det ei correctum. Etiam Illuſtris Dom. Comes Ciliæ pollicetur omnia facere. Iterum atque iterum Deus conſervet V. P. Ex Vienna XVI. *Januarii* MCCCCLVI.

Reverendiſſimo in Chriſto Patri, & Domino Obſervandiſſimo, Joanni Cardinali ſancti Angeli, Apoſtolicæ Sedis Legato &c.

XV. *Reverendiſſime in Chriſto Pater & Domine, Domine obſervandiſſime, fautor & præceptor ſingulariſſime, humillimam commendationem cum omni officio obſequendi. Cum in ultimis Chriſtianorum finibus ad regnum Tranſilvaniæ ſecundum gratiam Dei puſillanimitas mea ſeminaret verbum ipſius, unde ſeges multum frugifera creſcebat, nam infidelium multitudo baptizata eſt, & baptizantur in dies, ecce in ipſa meſſe, juſſu litterarum V. R. D. poſtpoſitis omnibus, iter verſus hanc civitatem Peſtren. continuo arripui. Etſi mens mea nonnihil amaritudinis tulerit ob fructum animarum, quem ſic imperfectum reliqui, nihil tamen gratius, aut jucundius contingere poſſet, quam ut ſanctæ Sedi Apoſtolicæ promptiſſimo paream animo, quam unicam ſemper obſervavi, & uſque ad extremum ſpiritum obſervabo. Nam & alias cum prope Pragam per unam dietam eſſem, ubi mordentium labia, Rochyzani ſcilicet & complicum, ita ſcriptis contuderam, ut penitus jam obmuteſcerent, & ex hæreticis catervatim ſingulis fere diebus plurimi ſuos errores abjurarent, ecce litteræ R. D. ſancti Petri ad Vincula Cardinalis me cito gradu ad dietam Ratiſponenſem advocant; poſthabitis omnibus parui libens. Tertio denique cum a Polonia in Moraviam deſcendiſſem pro reductione dictorum hæreticorum, ibique nonnihil proficerem, ecce dantur mihi a R. D. Senenſi, qui tunc ſe Legatum ſcribebat, ut ad dietam Francfordienſem me conferrem; obſequutus ſum illico. Tot utique partes, tot provincias, tot linguarum genera luſtravi, ut longitudine itineris, & laborum difficultate etiam ſaxa defeciſſent; nulli tamen unquam labori ſuccubui aut peperci pro augmento ſanctæ fidei Catholicæ, & pro obedientia ſanctæ Sedis Apoſtolicæ conſervanda. Hæc porro a me dicta ſunt, ut intelligat V. R. D. me nihil avidius expetere, quam ut S. D. N. & Legatis ſuis ad profectum Chriſtianæ religionis omne feram obſequium. Nec omittendum puto, quod cum in Francfordia eſſem, proprio me ore præfatus R. D. Senenſis ſollicitavit, ut ad dietam in Nova Civitate me transferrem, quod & feci, parens ejus mandatis libenter. Veni tamdem ad Peſtren. quo me vocarunt litteræ V. R. D. hic autem, quid jubeat, præſtolor, paratus promptiſſime tua juſſa ſubire. Recepi tamen a S. D. N. Breve, ut nullo pacto a Regno Hungariæ aut circumſtantibus infidelium partibus, abſque ſpeciali mandato diſcedam. Porro eadem, qua applicui, die datæ mihi ſunt V. R. D. litteræ, quæ ad ſuſcitandum animum Magnifici D. Joannis de Hunyad, Comitis Biſtricenſis, plurimum excitabant. Poſſum hoc unum ſignificare V. R. D. ipſum nulla indigere perſuaſione vel adhortatione: nam cum ipſe mihi ore proprio pollicitus ſit ſeptem millia equitum armatorum, omnibus neceſſariis ornamentis munitorum, & in dies magis confirmet, ac S. D. N. Invictiſſimo Romanorum Im-* Indidem.

peratori, Sereniſſimo Regi Aragonum, Illuſtriſſimo Duci Burgundiæ, aliiſque Dominis ſcripſerit, ſe cum decem millibus paratum fore, quandocunque ſit opus, ad obviandum perfidiſſimo hoſti Chriſti, non dubitet V. R. D. ipſum ullo pacto a promiſſo deficere, nam in armis continue accinctus eſt; ſed vereor ne tanta procraſtinatio periculum Chriſtianis pariat; ſpondent enim ceteri ad futurum menſem Julium ſe expeditos fore. Turcæ non dormiunt, nam fere quotidie invadunt partes inferiores, & depopulantur ſatis miſerabiliter, adeoque fortificantur, ut nobis maxime ſit timendum etiam ante Reſurrectionem Domini. Quamobrem maturiori obſtaculo peropus eſt ad reſiſtendum ſævienti hoſti, qui nullas niſi ſanguine fuſo habere vias gaudet, præſertim contra Chriſtianos, quos perdere, obſequium ſe putat præſtare Deo. Quare quid agendum ſit, judicet R. D. V. quam Chriſtus Jeſus largiſſimo ævo tueri dignetur ad defenſionem ſuæ ſanctæ fidei. Ex loco noſtro de Peſtren. XIX. Februarii MCCCCLVI.

V. R. D. Inutilis ſervulus, licet fidelis orator,
Fr. Joannes Capiſtranus.

Suſcipit e manu legati Crucem.

XVI. Ex urbe hac Peſtrenſi Budam a Rege & a Legato vocatus confeſtim abiit, ibique præſtolatus utriuſque adventum, in publico Procerum conventu, præſente Rege, ſuſcepit e manu Legati crucem, ſibi a Calixto Pontifice miſſam, a quo etiam accepit multa Pontificiæ benevolentiæ argumenta. Hæc ipſe ſcripta ad Calixtum refert epiſtola.

Beatiſſimo Patri &c. Calixto III.

Ex reg. Capiſt.

Beatiſſime Pater, ad ſanctorum pedum veſtigia provolutus humiliter deoſculanda. Perabunde his præteritis diebus mihi declaravit R. D. ſancti Angeli dignitſimus Cardinalis, a Sede Apoſtolica Legatus, quanta dilectione & affectu T. B. Pater S. in die tuæ per Spiritum ſanctum aſſumptionis, illo præſente & audiente, quatenus commiſerat, ut ad gaudium mihi ſcriberetur; quod & per Fratres meos illo tempore mihi ſignificatum fuerat. Exultavit inde ſpiritus meus, cum Chriſtum Domini deſideratum cunctis gentibus aſſumptum intellexi, eum præcipue noſtra ætate neceſſarium, cujus ardens pro fide Catholica deſiderium jampridem noveram. Ea me ſiquidem fides & devotio compellebat, ut audens & libens unico in terris Chriſto meo ſemper occurrentia intimarem. Feceram ſedulus; & poſt quinque litteras, cum expectata conſolatione privatum, ac vel minima me indignum reſponſione conſpicerem, ſatis me quidam mœror afficiebat. Ecce mœrenti & laboranti mihi in metus Chriſtianorum a Turcis per ſex milliaria diſtanti traditum eſt prima Decembris a S. meo Breve datum XX. Julii; quod me ſummo & ineffabili complevit gaudio & lætitia. Præcepiſti, P. S. ne ſine T. B. ſpeciali mandato ab Hungariæ Regno, & ab infidelium circumvicinis partibus me abſentarem. Dantur mihi interea a R. D. Legato litteræ vocantes ad præſentiam ſuam Budæ: pareo, a remotis per frigora, nives, glacies, & ventos feſtinans, Budamque ante ſuæ R. D. adventum appuli. Præſtolor expectatum, & demum una cum Sereniſſimo Rege ſexto Februarii reverenter ſuſpexi. Hic vero quanta de benignitate, pietate, ac ſanctitate T. B. necnon de ardenti deſiderio, ſancto voto, ac divina ſiquidem intentione mecum retulerit, alias enodabo. Dantur mihi poſtea a T. clementiſſima B. duo Brevia, unum VI. Februarii X. Novembris datum; alterum XXII. Februarii datum tum bulla plumbea, conceſſiones mihi per prædeceſſores T. S. in-

indultas confirmante & roborante. Quanta hiſce rebus ſim completus jucunditate, tum ob ardentem in populum T. S. creditum caritatem, tum ob ſingularem in me indignum ſervulum ſuum inutilem, ſed fidelem, & ineffabilem dilectionem, qua me tam pie & paterne alloqueris, P.B. tum ob confirmatas gratias, tum denique ob conſervationem pauperculæ familiæ ſancti Franciſci, nequeo, P.B. nequeo, inquam, fari: & hæc me ſola cura mordet, hæc angit ſollicitudo, quod his tantis pro rebus unde referam gratiarum actiones non habeo, nec ſola cogitatione concipere valeo; qualeſcumque tamen poſſum ingentes refero, & immortales. Laborat indefeſſe R.D. Legatus, & mirum in modum pro religione Chriſtiana. Ego autem etſi prius laborabam, eo nunc ardentius operabor, quo certior a Tua ſum factus Sanctitate de re jam cœpta, & cauſa nullatenus poſtponenda. Acceperunt quamplures & Prælati & Barones ſignum vivificæ Crucis, de inferioribus multitudo, & in dies plures ſignamus. Ego omni devotione adjecta Crucem a T. S. benedictam per manus R. D. Legati ſuſcepi, ſuſceptamque uſque ad effuſionem ſanguinis, etſi centies per dies opus fuerit, ſervabo. Ex Buda XXIV. *Martii* MCCCCLVI.

XVII. In urbe hac Budæ coacto Procerum cœtu, actum eſt de totius rei momento, decretumque, cunctis viribus occurrendum communi Chriſtianorum hoſti, & celeriter congregandos eſſe exercitus, ne moroſos aut deſides ille, qua pollebat, obrueret potentia. Ut omnes in unam abirent ſententiam, ignitis eloquiis, quotidianis exhortationibus excitavit Capiſtranus, cujus ſumma erat apud omnes auctoritas, & mira in perſuadendo poteſtas. Dehinc per Principum & Dynaſtarum cœpit diſcurrere provincias, omnes ad arma ciere, innumeros cruce ſignare, & ſacræ deputare militiæ. Mox alii eum ad ſe vocare, alii nuncios deſtinare, ut ejus ope & conſilio facilius ſe ſuoſque tantæ expeditioni pararent. Omnium ferme, qui e conſeſſu aberant, litteras ad illum miſſas habeo, & inter reliquas Stephani Thomæ Regis Boſnæ, & Georgii Caſtrioti, nuncupati *Scandarbegh*, Albaniæ Principis, fortiſſimis Romanorum Ducibus merito conferendi. Miſſas facio, vel quia ut plurimum voce barbaras, vel quia re jejunas, & Nunciorum honorarias, ſive quas appellant *Credentiales*. Omnibus ſe accommodans, & per omnes partes diſcurrens, Archiepiſcopis etiam & Epiſcopis morem gerens in cleri reformatione, & populorum inſtructione, ex Urbe accepit epiſtolam hanc Ludovici Scarampi, ſeu de Media Rota, Patavini Cardinalis, Patriarchæ Aquilejenſis, Apoſtolici Camerarij, viri non minus virtutibus in Cardinalatu, quam gloria militari in caſtris ſub Eugenio IV. ante ſuſceptam purpuram celeberrimi, a Calixto claſſi & expeditioni maritimæ Præfecti, in cujus Patriarchatu multa quoad morum reformationem præſtitit Capiſtranus, Ludovico rogante eo anno, quo in Germaniam deſcendit.

Indefeſſus in negotio fidei, & verbi prædicatione.

Scribit ad eum Ludovicus Camerarius Legatus.

Religioſo viro, amico noſtro cariſſimo, Fr. Joanni de Capiſtrano &c.
Aquilejenſis, Camerarius &c.

XVIII. *INtelleximus, quanto ardore, & ſollicitudine V. P. pro communi Chriſtianorum ſalute laboret, idque nobis facile perſuaſit jam diu cognita vitæ probitas, ſanctis operibus comprobata. Hortamur autem, ut in hoc propoſito eo libentius perſeveret, quo certius novit, Sanctiſſimum Dominum Papam ſe in eodem opere habere ſumme concordem. Ejus animus quotidie magis & magis contra hoſtes inflammatur, itaut nihil tam cupiat,* Indidem.

quam ut expedita claſſe noſtra, cujus magna pars jam in Tyberim deducta eſt, quantocyus illam conſcendamus, & in hoſtes proficiſcamur. Nos etiam ſuæ Sanctitati ſummo ſtudio obſequentes, nihil prætermittimus induſtriæ, ut quamprimum cum univerſa claſſe ſolvamus. Infra breve ſpatium abſolvetur magna quadriremis, quam pro noſtra perſona fabricari curavimus, omni bellico apparatu inſtructam. Rogamus itaque V. P. ut ſicut hactenus fecit, omni diligentia & ſtudio curet Principes & Reges ad neceſſarium & meritorium hoc bellum excitare, eoſque exhortari, ut depoſitis odiis & diſſenſionibus, contra communem Chriſtiani nominis hoſtem accingantur, ita ut in tempore debito cum expeditione maritima ſint parati: quod ſiquidem fecerint, ſperamus, & in Domino confidimus felicem rerum gerendarum eventum. Alia nunc non licet ſcribere; paratus ad veſtra beneplacita. Bene valete. Ex Urbe die XXVI. *Aprilis* MCCCCLVI.

Multi Minoritæ inſtituuntur Nuncii & collectores.

XIX. Antequam ulterius progrediamur, & ad expeditionis finem, aut partæ victoriæ narrationem perveniamus, viſum eſt alios hic recenſere Minoritas, quos Calixtus operarios adhibuit, tanto operi ſubſidium præſtituros. Fr. Laurentium Panormitanum in regno Siciliæ, & inſulis Orientalibus, & Matthæum Rheginum in regno Neapolitano, ſuos & Apoſtolicæ Sedis Nuncios & Oratores inſtituit, necnon eumdem Laurentium in vtroque regno Siciliæ citra & ultra Farum Collectorem decimarum, & uſurarum a Judæis ſolvendarum deſtinavit. Huic etiam collectioni alios ad varias partes deſignavit; Jacobum de Marchia ad civitates, terras, caſtra, & loca in provinciis Marchiæ Anconitanæ, Maſſæ Trebariæ, Ducatus Spoletani, & terris Arnulphorum: Robertum de Carazolis de Licio in Urbe, & in provinciis Patrimonii, Campaniæ, ac Maritimæ; Ludovicum de Vincentia in Romandiola, & dominiis Ducis Mutinæ & Regii, in civitate Ferrariæ Vicarii in temporalibus Eccleſiæ Romanæ, necnon Ludovici Marchionis Mantuani; Petrum de Carchano Sac. Theologiæ profeſſorem in partibus Lombardiæ Ciſpadanæ & Tranſpadanæ. Nuncios & collectores decimarum declaravit Franciſcum de Viterbio in Patrimonio ſancti Petri, in Tuſcia, & in Epiſcopatibus Urbevetano & Civitatis Caſtellanæ, Angelum de Sicilia in Epiſcopatibus Oſtienſi & Veliterno, Franciſcum de Carbonibus in urbe & Riparia Genuenſi. Unum aut alterum dabimus commiſſionis aut Nunciaturæ diploma, inſtar cujus aliorum Nunciorum & Collectorum, paucis mutatis, leguntur inſtrumenta.

Dilecto filio Fr. Laurentio Panormitano, Ordinis Minorum profeſſori, Evangelicæ veritatis idoneo prædicatori, Apoſtolicæ Sedis, & noſtro Nuncio, & Oratori.

Ex lib. 4. Bullar. an. 1. fol. 51.

XX. *Metientes jacturam magnam, quam damnati Turcæ, Chriſti hoſtes immanes, religioni Chriſtianæ ſuperioribus temporibus intulerunt, & quotidianis inſultibus ac præliis nomen Chriſtianitatis delere, & omnino abolere procurare non ceſſant, deliberavimus de conſilio pariter & aſſenſu Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium atrociſſimam Turcalem rabiem, quantum ex alto nobis conceditur, pro viribus retundere, prout in aliis noſtris litteris plenius continetur. Nos igitur de tua vita honeſta, fidei & religionis ſinceritate, morumque gravitate & maturitate, ac litterarum ſcientia plurimum confidentes, in virtute ſanctæ obedientiæ præcipimus, & in remiſſionem peccatorum tuorum injungimus, ut populos a via Dei devios, propter quod malu pridem, & nonnulla alia religio Chriſtiana me-*

merito patitur, tua ſana doctrina & verbis, prædicationibus atque monitis ad viam ſalutis, & obſervantiam mandatorum Dei, ſecundum gratiam tibi a Domino collatam, revocare ſummopere procurare non recuſes, & ad lamenta pœnitentiæ reducere pro viribus non deſiſtas, ut ſic Omnipotens & miſericors Deus pœnitentia placatus, ab imminentibus periculis Chriſtianum populum præſervare dignetur, & cunctos Chriſtifideles ad debellationem inimicorum Chriſti, & fidei defenſionem moveas & inducas. Nos cupientes perſonam tuam ſpiritualibus attolli præeminentiis, ac facultatibus & gratiis proſequi, ut exinde populum claſſis, & armatæ hujuſmodi ad tam inſigne opus exequendum reddere valeas aptiorem, tibi ut ad regnum Siciliæ, ac ad partes & inſulas Orientales perſonaliter te transferre, tecumque quatuor Ordinis Fratrum Minorum Fratres quorumcumque locorum, de quibus tibi videbitur, & qui tecum ire voluerint, dirigere, tecumque tenere valeas, ipſi quoque tecum tranſire poſſint, alicujus etiam ſuperioris dicti Ordinis licentia ſuper hoc minime requiſita; quodque tuo hujuſmodi durante viagio, in quibuſvis Eccleſiis & locis, apud quæ te declinare contigerit, verbum Domini prædicare, ac pro omnibus etiam contra Turcas & infideles tranſire, ac præterea crucis ſignaculum recipere volentibus illud benedicere, eiſque proponere, & eorum pectoribus affigere: Præterea, ut in abſolvendis perſonis quibuslibet, & eorum animarum ſaluti conſulendo, omnibus & ſingulis facultatibus, gratiis, conceſſionibus & indultis, per nos dilecto filio Michaeli Yſalguet, noſtro in dicto regno decimæ, & pecuniarum pro cruciata hujuſmodi provenientium, Collectori per nos deputato, conceſſis & indultis, & quibus præter decimæ collectionem, & quitantiarum exhibitionem utitur & gaudet, abſolutionem, & animarum ſalutem, ſeu eccleſiaſtica Sacramenta concernentibus, in prædicta inſula Siciliæ dumtaxat, & de conſilio & aſſenſu dicti Michaelis Collectoris, uti, frui & gaudere libere liciteque valeas, de ſpeciali dono gratiæ concedimus pariter & indulgemus. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac ſtatutis & conſuetudinibus & ſtabilimentis dicti Ordinis, & locorum ejuſdem etiam juramento &c. roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno MCCCCLV. III. Non. *Januarii &c. anno primo.*

Dilecto filio Fr. Laurentio Panormitano, Ordinis Fratrum Minorum profeſſori, ac Evangelicæ veritatis idoneo prædicatori, in Regno Siciliæ citra & ultra Farum contra Judæos in eodem regno decimarum & uſurarum Collectori noſtro.

XXI. *Novit ille, qui nihil ignorat, quod nos quamquam immeriti ad ſummi Apoſtolatus apicem aſſumpti inter cetera juſta & honeſta deſideria noſtra nihil magis optamus, neque magis in corde noſtro tenemus, quam ut veneranda fides noſtra Chriſtiana proſpere conſervetur, & noſtro præſertim tempore feliciter augeatur, ac perfidiſſimus ille Mahometus, Turcarum Dux iniquiſſimus, Redemptoris noſtri crudeliſſimus hoſtis, & nefandiſſimus Chriſtianæ religionis perturbator, cum ejus ſuperbia deprimatur, ac illius temeritas pariter & ſuperbia conteratur. Cum autem ad obviandum ne hæc crudeliſſima bellua ſuas perverſas cupiditates explere valeat, ad recuperandum etiam terras & civitates, præſertim illam inſignem olim civitatem Conſtantinopolitanam, ac Eccleſias, quas hic omnium ſcelerum artifex detinet occupatas, plurimis militum & gentium armorum copiis tam terreſtribus quam maritimis, ac maximis opus ſit impenſis, & quamplurima diverſorum* Indid. fol. 119.

forum hominum auxilia ad ipſius Turcæ depreſſionem, & fidei Chriſtianæ exaltationem, ſint plurimum opportuna. Nos matura conſideratione cogitantes, quod decimæ per Judæos ſolvendæ, nec non uſuræ per eoſdem Judæos reſtituendæ, in nullo magis pio, neque magis pro ipſa fide noſtra Chriſtiana neceſſario opere, quam contra illum ſceleratiſſimum Turcam deputari aut converti poſſent, decimas & uſuras hujuſmodi in hoc ſancto opere convertendas deputantes, & ut in ſubſidium, ac ipſius fidei Chriſtianæ exaltationem, & illius crudeliſſimæ feræ depreſſionem convertantur, de noſtræ poteſtatis plenitudine, tenore præſentium decernentes, te, de cujus ſincera fide & integritate plenam in Domino fiduciam obtinemus, in Regno Siciliæ citra & ultra Farum contra Judæos in eodem regno commorantes, decimarum & uſurarum Collectorem, & executorem noſtrum ad hoc, cum poteſtate ſubſtituendi vel delegandi idoneos viros religioſos cujuſcumque Ordinis, ſpecialiter deputamus, ac tibi per Apoſtolica ſcripta committimus & mandamus, quatenus præfatos Judæos ad ſolvendum decimas omnium bonorum ſuorum, quæ detinent mobilium & immobilium, necnon ad reſtituendum omnes & ſingulas uſuras, quas hactenus uſque in præſentem diem quomodolibet recepe-runt, ſeu recipient in futurum, & quas in dicto ſancto opere converti volumus, auctoritate Apoſtolica, harum ſerie cogas & compellas, invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio tam brachii Eccleſiaſtici, quam ſecularis. Nos enim univerſos & ſingulos Venerabiles Fratres noſtros Archiepiſcopos, Epiſcopos, & dilectos filios Duces, Marchiones, Principes, Dominos temporales, Capitaneos, Barones, Milites, Nobiles, Communitates, necnon Juriſconſultos, Advocatos, Procuratores, & ceteros quoſcumque Chriſtifideles Eccleſiaſticos & ſeculares, in præfato Regno commorantes, cujuſcumque ſtatus, gradus, vel conditionis exiſtant, per aſperſionem ſanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti hortamur in Domino, eiſque eadem auctoritate mandamus, quatenus ſub pœna excommunicationis, quam audaces & præſumptores hujuſmodi incurrere volumus ipſo facto, decimarum prædictarum ſolutionem, & uſurarum prædictarum reſtitutionem aliquo conſilio, auxilio, vel favore impedire, ſeu quoquo modo retardare non audeant vel præſumant; quinimo tam ad dictarum decimarum, quam ad prædictarum uſurarum in dicto ſancto opere convertendarum recuperationem, favores & auxilia opportuna tibi totis viribus præbere teneantur. Et ſi forſan prædicti Judæi ad ſolvendum dictas decimas, ſeu ad reſtituendum uſuras hujuſmodi contradicerent, ſeu rebelles eſſent, volumus quod ipſi, tamquam Sedi Apoſtolicæ contradictores & repugnantes, & in hac pertinacia perſiſtentes per quindecim dies, a die publicationis præſentium, in loco, in quo ipſi degunt, faciendæ, computandos, privationis ſeu amiſſionis omnium bonorum ſuorum mobilium & immobilium pœnam incurrant: quæ quidem bona, ſeu eorum pretium per te exigendum, contra dictum nefandiſſimum Turcam exponi decernimus per præſentes; & nihilominus nos tibi omnia bona prædicta tamquam ad Sedem Apoſtolicam legitime devoluta, nomine Cameræ Apoſtolicæ vendendi, & ipſorum bonorum emptoribus inſtrumenta publica ad conſilium ſapientis eorum faciendi, ipſoſque Judæos, ſi opus eſſe tibi videbitur, incarcerandi, necnon omnia & ſingula, quæ circa præmiſſa, & quodlibet præmiſſorum neceſſaria videris, ſeu quomodolibet opportuna, agendi, mandandi, diſponendi, & exequendi plenam & liberam, tenore præſentium concedimus facultatem. Mandantes omnibus & ſingulis, quorum intereſt, ſeu quomodolibet intereſſe poterit in futurum, quatenus tibi efficaciter parere, & obedire non poſtponant; nos enim ſententias & pœnas, quas ſtatueris in rebelles, ratas habebimus, ac

eas

eas faciemus inviolabiliter obſervari. Et inſuper, ut tam Chriſtifideles quam Judæi in prædicti regni partibus commorantes ad harum litterarum obſervationem noverint efficaciter ſe teneri, nec vigore ſeu prætextu quorumvis privilegiorum, exemptionum, libertatum, immunitatum, conceſſionum, & indultorum eis quomodolibet, & a quibuslibet conceſſorum, ab obſervatione prædicta valeant aliquatenus ſe tueri, omnia & ſingula privilegia, exemptiones, libertates, immunitates, conceſſiones, & indulta, per fel. record. Martinum Papam V. Eugenium IV. & Nicolaum V. ceteroſque prædeceſſores noſtros Romanos Pontifices, etiam forſan per nos ad aliquorum ſuggeſtionem ſeu importunitatem, ac alios quoſcumque quibuſvis Chriſtifidelibus, ac eiſdem Judæis in ſpecie vel in genere, ſub quibuslibet verborum formis, etiam motu proprio, & ſub quacumque forma vel expreſſione verborum, contra præmiſſa, vel aliquod prædictorum facta vel conceſſa; quæ omnia, etiamſi in illis eſſet expreſſum, quod niſi certa verba vel clauſulæ ad illorum derogationem inſerendæ eſſent, & in eiſdem expreſſa & ſpecifica mentio habenda foret, derogari non poſſet, ſimiliter præſentibus, ac ſi de verbo ad verbum inſerta forent, pro ſufficienter expreſſis haberi volumus; necnon quæcumque inde ſecuta, eadem auctoritate caſſamus, revocamus & annullamus, ac nullius decernimus exiſtere roboris vel momenti. Volumus autem quod decimæ & uſuræ hujuſmodi exigendæ, penes idoneos mercatores deponantur, & ad manus noſtras fideliter perveniant, ac in hoc ſancto opere convertantur. Tu ergo hoc onus prompta devotione ſuſcipiens, ſic illud ſtudeas cum præſidio Cariſſimi in Chriſto filii noſtri Alphonſi Aragonum Regis Illuſtris, cujus Regiam amplitudinem in præmiſſis noſtro nomine requires, diligenter & fideliter adimplere, prout in tua ſolertia confidimus, quod fructus exinde ſperati proveniant, tuque apud nos & Sedem Apoſtolicam valeas non immerito commendari. Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno &c. MCCCCLV. XIV. *Kal. Februarii anno primo.*

Univerſis & ſingulis, ad quos litteræ iſtæ pervenerint, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

XXII. *CUm dilectus filius Laurentius Panormitanus, Ordinis Fratrum Minorum profeſſor, Nuncius & orator noſter, prædicando verbum Dei ad diverſas mundi partes pro ſubſidio Catholicæ fidei opportuno habeat perſonaliter ſe transferre, nos cupientes, eumdem Laurentium cum ejus comitiva, ſociis, familiaribus equeſtribus & pedeſtribus uſque ad numerum ſex, cum equis, ſalmis, valiſiis, fardellis, biſaciis, libris, rebus, & bonis ſuis omnibus in eundo, ſtando, redeundo, plena ubique ſecuritate, immunitate, ac favorabili tractatione gaudere, univerſitatem veſtram, & veſtrum ſingulos requirimus & hortamur in Domino, ſubditis vero noſtris & gentium armigerarum, ac galearum & navigiorum quorumcumque Capitaneis & conductoribus, ad noſtra & Apoſtolicæ Sedis ſtipendia ubicumque militantibus, diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus præfatum Laurentium cum comitiva, ſociis, familiaribus, equis, ſalmis, rebus, & bonis prædictis, tam per aquam quam per terram per noſtra & veſtra territoria, civitates, terras, caſtra, paſſus, portus, pontes, & loca quælibet irrefrare & redire, abſque alicujus datii, gabellæ, pedagii, paſſagii, fundinavis, thelonii, angarii, aut alterius realis, vel perſonalis indicti vel indicendi oneris ſolutione vel exactione, pro noſtra, ac Sedis, & fidei earumdem reverentia & devotione libere permittatis, nullamque ſibi, ſociis, familiaribus, equis, rebus & bonis* Indid. fol. 121.

bonis hujuſmodi injuriam, moleſtiam, noxiam, vel offenſam inferatis, nec ab aliis, quantum in vobis fuerit, inferri permittatis, ſed potius ei & ſociis, ac familiaribus prædictis, ſi opus fuerit, & ipſe duxerit requirendum, de ſecuro tranſitu, receptu, ſcorta, aut ſalvo conductu ita benigne & liberaliter providere curetis, quod veſtra exinde devotio apud nos & ſedem prædictam valeat non immerito commendari. Præſentibus poſt ſeptennium minime valituris. Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLV. XVI. *Kalendas Februarii, Pontificatus noſtri anno* I.

Fratrum Crucefignatorum Præfectus Matthæus Rheginus.

XXIII. Sed dum plurimi ex Fratribus ſive per hos, ſive per alios Nuncios & Collectores cruce ſignarentur, & vel exercitui terreſtri, vel claſſi maritimæ aggregarentur, ſed non omnes eodem ducerentur zelo fidei propugnandæ, aut deſiderio martyrii ſubeundi, præfecit Vicarius Generalis Obſervantum omnibus ad bellum profecturis, & cruce inſignitis Commiſſarium Generalem fratrem Matthæum Rheginum Calabrum, virum doctum, probum & induſtrium, qui delectum faceret, idoneos mitteret, ineptos retineret, libertatem coerceret, crimina puniret. Ut ita faceret, opus erat Pontificis facultate, & Cardinalis Aquilejenſis Legati Apoſtolici, claſſis Præfecti aſſenſu; nihil enim cruceſignatis poterant religionum ſuperiores præcipere, per quod ab hac profectione poſſent impediri. Ecce commiſſionis inſtrumentum.

In Chriſto ſibi Reverendo P. fratri Matthæo de Rhegio, Ordinis Minorum Provinciæ Calabriæ prædicatori clariſſimo: frater Baptiſta de Levanto ejuſdem Ordinis in partibus Ciſmontanis quoad Fratres de Obſervantia nuncupatos immeritus Vicariorum Vicarius ſalutem &c.

Ex reg. Ord. fol. 55.

XXIV. *Impoſiti mihi oneris me cura ſollicitat ea ſedulo cogitare, quæ honorem Dei concernentia & ſalutem animarum commiſſæ mihi familiæ conſervationi eſſe poſſint & profectui, S. D. N. ejuſdemque Legati Reverendiſſ. Domini Camerarii honore & beneplacito cunctis agibilibus ſingulariſſimo quodam objecto mentis meæ oculis antepoſito. Cum itaque ex voluntate S. D. N. ejuſdemque R. Dom. Camerarii nonnulli Fratres meæ curæ commiſſi, ab eiſdem, quampluribuſque Sedis Apoſtolicæ Collectoribus, aliiſque ſuper hoc facultatem habentibus, cruce ſignati, marittima claſſe, terreſtrique exercitu contra inimicos crucis Chriſti tranſmeaturi ſint, ne (quod abſit) ex defectu capitis aut correctionis aliquem in tam pio, laudabili, favorabilique prorſus negotio quoquo modo inſolenter ſe habere contingat, in Sanctitatis ejuſdem, Dominique Legati diſplicentiam, jacturamque Ordinis, infamiamque familiæ mihi commiſſæ, debitum mihi cenſui, ituris eiſdem quibuslibet virum præferre, vices meas gerentem, qui vita, ſcientia, regendique peritia, exemplaritate morum, maturitate conſilii, experientia agibilium, omnium denique prærogativa virtutum, & negligentes ad fervorem excitet, & indoctis conſulat, & inſolentes compeſcat, & omnibus regiminis idoneitate ſatisfaciat in tam arduorum expeditione arduis pluribus comprobata. Qua ex re, te, Pater optime, de cujus integerrima vita, virtute egregia, morum ſanctimonia, religionis amore, juſtitiæ atque fidei zelo, diſcretione præcipua, prudentia circumſpecta, ceteriſque virtutum prærogativis, atque aptitudine ſingulari ad prædicta, veridico multorum relatu, & ipſe teſte ſum experientia informatus, in antedictis quibuslibet cruceſignatis, aut cruceſignandis in poſterum, partes illas judicio tuo (ſuper quo tuam onero conſcien-*

Laudatur.

ſcientiam) *petere idoneis maritima claſſe terreſtrive exercitu, de aliquorum venerabilium Patrum conſilio, Commiſſarium meum inſtituo, inſtitutumque denuncio per præſentes, dans tibi ſuper Fratres antedictos ſponte venientes actualiter plenam & integram tenore præſentium facultatem, ac etiam poteſtatem viſitandi, vocandi, citandi, conveniendi, examinandi, inquirendi, procedendi, amovendi, puniendi, arctandi, carcerandi & de carceribus liberandi, contradictores quoslibet & rebelles per cenſuram Eccleſiaſticam, & alia juris remedia compeſcendi, omniaque & ſingula ſuper antedictos Fratres cruceſignatos aut in poſterum cruceſignandos, maritima claſſe terreſtrive exercitu venientes, faciendi & exercendi, quæ ipſe ego poſſem, ſi perſonaliter intereſſem. Mandans tibi ad meritum obedientiæ ſalutaris, ut præfatum Commiſſariatus officium ſuſcipias humiliter, ſuſceptumque, juxta conceſſam tibi a Domino gratiam multiplicem pro honore Dei & Apoſtolicæ Sedis reverentia, Reverendiſſimique D. Legati complacentia, cum Vicariorum Provincialium gratificatione, diligentius exequaris. Fratres autem omnes antedicti ſponte venientes actualiter eam, quam mihi tenentur exhibere, in omnibus officium tuum concernentibus reverentiam & obedientiam tibi præſtent, per meritum ejuſdem obedientiæ ſalutaris. Tu autem, Pater optime, ut in ceteris arduis conſueviſti, ſic & in hoc prudenter te gere, ut commiſſi tibi Fratres orationi & devotioni, exemplaritati vitæ, religioſitati & ſanctimoniæ inhærendo, nedum fidelibus, inter quos converſaturi ſunt, verum etiam infidelibus, ad quos tranſituri, luminaria ſanctitatis effundant. Vale in Chriſto Jeſu, & ora pro me. Ex loco noſtro ſanctæ Mariæ della Nova Neapoli* IV. *Auguſti* MCCCCLVI.

Capiſtr. a multis expetitur & vocatur.

XXV. Ad Capiſtranum regredior. Etſi jam præ foribus hoſtis adeſſet, & colligendo militi, atque aggregando exercitui totus Dei ſervus incumberet, nihilominus ſummis votis modo ab his, modo ab illis populis, & Eccleſiarum Prælatis vocabatur, ut in propinquis urbibus & oppidis Dei verbum proponeret, vel ſaltem ſe conſpici permitteret. Innumeræ ſunt hujuſmodi deprecatoriæ ad eum litteræ: dabo aliquot Archiepiſcopi Colocenſis & Bacchienſis, cui ut ſatisfaceret, binis rogavit Franciſcus Epiſcopus Aſſiſias, Legati Conſiliarius & Aſſiſtens, quem ad Petrovaridini urbem munitam, ut cruceſignatos illic congregandos exciperet, deſtinaverat Legatus, addamque alias ejuſdem argumenti.

Venerabili &c. Fratri Joanni de Capiſtrano &c.

Ex arch. Capiſtr.

XXVI. *Sæpe ſuppliciter rogavimus, ut P. V. vellet hanc noſtram Eccleſiam Bacchienſem viſitare, ubi multum animarum fructum colligere poſſet, & de propinquo invigilare, ne repente Turcæ invadant has terras Chriſtianorum. His octo diebus ſitibundi præſtolamur adventum V. P. & hac ſpe commoti populi circumvicini, huc in tanto numero convolarunt, ut jam deſint victualia, & ob annonæ caritatem poſſit rationabiliter timeri ne fame multi pereant. Oramus itaque inſtantiſſime, ne amplius differre velit gratiam hanc, quam toto affectu petimus & avide expectamus. Datum in Apathy feria* II. *in die ſanctæ Crucis.*

V. P. ſervus obſequentiſſimus Raphael Herczegh de Zekekio, Eccleſiarum Bacchien. & Colocen. Archiepiſcopus.

Ejuſdem ad eumdem.

Indid. XXVII. *Reverendiſs. Dom. Legatus e ſuo itinere regreſſus eſt, & Budam ſe tranſtulit, proinde opportunius V. P. poterit ſua præſentia conſoluri populum & Eccleſiam noſtram Bacchienſem, ad quam propter ſpem viſendæ V. P. populi multi de variis civitatibus & oppidis huc confluxerunt. Certo credimus quod ſi V. P. id faciet, multum fructum afferet, & innumeros excitabit ad Crucem ſacram ſuſcipiendam, & animoſe pergendum contra fidei Chriſtianæ adverſarios. Veni vir Dei, & noli amplius tardare. Ex Bacchia die Sabbati Veſperis Pentecoſtes.*

Venerabili &c. Joanni de Capiſtrano, Patri ſuo optimo &c.

Indid. XXVIII. *Credo V. P. jam ſcire Reverendiſs. Dom. Legatum me huc miſiſſe, & miſſionis cauſam tibi manifeſtam eſſe, & proinde nihil circa hæc immorandum cenſeo. Dom. Archiepiſcopus Colocenſis inſtantiſſime mecum egit per litteras & nuncios, ut perſuaderem V. P. quatenus omnino illuc ſe transferret. Ego humiliter rogo, ut tanti viri, & optimi Prælati votis ſatisfaciat; & ſi opus fuerit, ego V. P. illuc comitabor. Ad hæc, quæſo, quamprimum reſcribe. Me tuis orationibus ex corde commendo, paratus continue ad veſtra beneplacita; quem Deus ad commune Reipublicæ Chriſtianæ bonum conſervare dignetur. Ex ſuburbio Petrovaradini* XIV. *Junii.*

E. V. P. filius Epiſcopus Aſſiſii.

Ejuſdem ad eumdem.

Indid. XXIX. *Harum lator accedit ad V. P. vir devotus Plebanus Eccleſiæ ſuburbii Petrovaradini ex parte trium civitatum & multarum villarum, quæ ſunt ſub dominio Abbatiæ ſanctæ Mariæ Bellifontis, ad rogandum & ſupplicandum, ut ſi poſſibile ſit, dignetur ad eas deſcendere, & proponere eis vel una tantum vice verbum Dei. Mihi videntur optimi Chriſtiani, & ſincerum inter eos vigere cultum Dei. Digni itaque ſunt, qui a V. P. exaudiantur; pro quorum conſolatione meas etiam preces inſtantiſſime exhibeo. Novi quod maximum ibi faciet profectum animarum, & diſponet plurimorum animos contra Crucis inimicum &c. Ex ſuburbio &c.* XIX. *Junii.*

Reverendiſs. P. Dom. fratri Joanni de Capiſtrano, per Hungariam Prædicatori Apoſtolico, & pravitatis hæreticæ Inquiſitori, Patri noſtro honorandiſſimo.

Ibidem. XXX. *Reverendiſſime Pater, mira famæ per mundum patentis univerſum V. R. P. nos inducunt ad eamdem habere recurſum affectuoſum, in qua nimirum nihil aliud niſi pabulum veræ ſalutis reperitur, & nos proinde ſummo deſiderio deſideravimus videre diem hanc, qua in his partibus, veſtigia greſſuum R. P. V. cupientes ſequi per ſemina vitæ, quæ ſeritis, in nobis meſſem bonam produceremus. Cum vero nobis non liceat ad V. R. P. proficiſci, & ei omnem laudem & honorem, uti deceret, exhibere, quia ex commiſſione Domini noſtri Comitis Palatini, hujus caſtri cuſtodiæ in periculoſo hoc tempore deputati ſumus; ideo humiliter oramus & ſupplicamus, quatenus non ſpernat nos ſimul cum hac civitate Palatinali, ſed ipſam viſitare, & in ea ſemen verbi Dei, a te per magnam orbis partem fructuoſe ſparſum, ſevere & communicare digneris, ut tandem participes hujus gratiæ effecti, Deo glo-*

gloria, laus & honor, animabus noſtris ingens lucrum, & Domino noſtro Palatino ſumma accedat lætitia. Ut vero magis viva voce V. R. P. urgeat, mittimus religioſum & gravem virum fratrem Fabianum harum latorem, cui noſtro nomine placeat omnem adhibere fidem. Datum in Saklas feria VI. *poſt feſtum Aſcenſionis anno* MCCCCLVI.

Veſtri humiles ſervi & devoti filii, Magiſtratus & Caſtellani, ac domeſtici D. Palatini in caſtro de Saklas.

XXXI. Ubi vero per tempus licebat, & lucrum animarum, aut Cruceſignatorum incrementum ſperabat Capiſtranus, nulli parcebat labori, ſed ad omnes partes avolabat, donec jam præcurrente rumore adventus Turcarum, Legatus Apoſtolicus eum deſtinare ſtatuit ad Imperatorem, ut torpentes, & periculoſe cunctantes Germanos ad mittendas & augendas copias auxiliares excitaret. Joannes Huniad improbavit conſilium, judicans ejus præſentiam in regno Hungariæ perquam neceſſariam, ut profecturis ad bellum animum adderet, & aliorum faceret delectum. Binas do Legati litteras hujus rei enunciativas.

Reverendo &c. Joanni de Capiſtrano: Joannes Cardinalis ſancti Angeli &c.

XXXII. *Etſi Sanctiſſ. Dominus V. P. ſcripſerit, ne ab Hungariæ partibus, durante magno hoc Chriſtianitatis periculo, diſcederet, ego quidem credo ſuæ Sanctitatis intentionem eſſe ut illuc verſetur circumſpectio veſtra, ubi majora detrimenta hoſti, & potiora compendia fidei poſſitis conferre. Pro certo novi, quod utile ſatis & proficuum erit, ſi V. P. velit Viennam ad Imperatorem proficiſci, quia celerius & in majori numero mittet ſuum exercitum Germanorum. Ego vellem, ſi fieri poſſet, te habere in pluribus locis, quia novi quantum valeas & poſſis apud omnes, & quantum fructum V. P. poſſit ubique facere. Dignetur, obſecro, me quamprimum monere, an poſſit ad Imperatorem ire, & quantum crevit numerus Cruce-ſignatorum. Omnipotens Deus V. P. conſervare dignetur ad opus ſanctum Evangeliſtæ, in quod vos ſegregavit. Mitto V. P. copiam litterarum Scanderbeck, ex quibus percipiet, quibus copiis & machinis ſe præparet ad reſiſtendum Turcico furori. Vale ex Buda* II. *Junii.*

Ex reg. Capiſtr. Capiſtr. invitatur Viennam.

Illuſtri & magnifico Dom. Joanni de Huniad, Comiti Biſtricenſi, amico noſtro optimo: Joannes Cardinalis ſancti Angeli &c.

XXXIII. *Illuſtris &c. ſalutem & proſperitatem. Omnia tentavimus & tentare non omittemus, ut tibi in arduo & periculoſo hoc rerum ſtatu undique ſubveniatur. Quantum ad venerabilem P. Joannem de Capiſtrano attinet, nos decrevimus cum rogare, ut iret ad Imperatorem, apud quem nunc ſunt duo Auſtriæ Duces & alii proceres, & ſperabamus quod eos induceret ad multa faciendum pro negotio fidei. Sed quia veſtræ Illuſtr. Dominationi videtur contrarium expedire, ſcribimus eidem Patri, ut ſecundum veſtrum deſiderium & conſilium faciat. Nos judicavimus, quod non erat adeo neceſſaria illius præſentia in partibus inferioribus Hungariæ, credentes quod ibidem Hungari facile poſſent ad bellum vel auctoritate veſtra, vel proprio incommodo, & Turcarum timore excitari; & propterea non curabamus quod ibidem laboraret, majorem ab eo ſperantes fructum apud Impe-*

Indid.

Jubetur aſſiſtere Comiti Biſtricenſi.

ratorem. Sed nunc veſtræ diſpoſitioni condeſcendimus, & eum veſtro judicio committimus. Quia igitur nos pridie ad dictum Patrem litteras dedimus per peculiarem curſorem, quem ad hoc ſolum conduximus, & hodie nobis epiſtolam reſtituit, quia eum illic non invenit, dignetur V. Illuſt. dominatio ei litteras incluſas mittere, & nos, quantum eſt ex noſtra parte faciemus ut ubique vobis aſſiſtat. Ex Buda XV. *Junii ea ipſa hora qua veſtras recepimus.*

Contraria Huniadis & Legati conſilia.

XXXIV. Illud erat Huniadis conſilium, ut ſibi aſſiſteret Capiſtranus, Cruceſignatos turmatim per varia loca conſtitutos aggregaret, & ſua apud omnes auctoritate multiplicaret; Legatus vero apud Regem hæreret Budæ, urgeretque majores copias mitti, quam quæ videbantur parari. At hic ſtatuit magno fidei zelo pugnæ ineundæ intereſſe, Cruceſignatos ducere, & propterea ad inferiores partes Hungariæ deſcendere, atque in ipſis regni terminis minitanti hoſti ſuis copiis occurrere. Profectus itaque Zegedinum obviam habuit Huniadem, qui ulterius ad Petrovaradinum abire volentem rogavit, ut Budam regrederetur: & dure audienti palam proteſtatus eſt, multa damna rei Chriſtianæ ex ejus profectione proventura, tum quia majorem incuteret Turcis abſens quam præſens timorem; deſpicerent enim cum exiguo & inermi exercitu advenientem, quem alias ſuſpicarentur abſentem magnas habere copias ſubſidiarias, quibus feſſum aut imminutum in prima acie exercitum poſſet reficere, & fatigatum hoſtem recenti virtute comprimere. Deinde apud Regem deſuturum, qui neceſſaria polleret auctoritate, ut ſucceſſiva curaret ſubſidia tranſmitti. Ut Comiti morem gereret, & ne mala, ſi quæ evenirent, ſibi imputarentur, Legatus Budam reverſus eſt, unde tribus vel quatuor litteris Capiſtranum admonuit omnium a ſe pactorum, & demum venationis Regiæ, ſub cujus ſpecie Rex ab Hungaria Comitis Ciliæ & aliorum receſſit conſilio, timens ne repentino ab hoſte circumdaretur excurſu. Litteras exſcribo.

Reverendo &c. Joanni de Capiſtrano, Patri noſtro optimo &c.

Ex reg. Capiſtr.

XXXV. *Reverende &c. ſalutem & omnem proſperitatem. Meminit V. R. P. quanta inſtantia nobiſcum actum ſit ut cum Cruceſignatis deſcenderemus, idque ſimiliter V. R. P. efficeret. Nos vero qui nullam in armis fiduciam habemus, ſed in Deo, qui orationibus ſuæ ſanctæ Eccleſiæ placatus mitigat iram ſuam, promiſimus deſcendere, non tam conſiderantes vires humanas, quam divinam potentiam, neque quidquam in contrarium nobis ſcripſit Comes Biſtricenſis. Deſcendimus itaque Zegedinum, quo etiam paulo poſt Comes pervenit, qui plurimum humanitatis & honoris nobis exhibuit. Tandem de Chriſti obſequio, & fidei negotio multis habitis ſermonibus, viſum eſt Comiti, ut rediremus ad Regiam Majeſtatem, ſed nos duximus iter proſequendum uſque ad Petrum Varadini: quod ille non ſolum improbavit, ſed amplius proteſtatus eſt contra nos, damna omnia, quæ inde ſequerentur, nobis attribuenda; palam adjungens inde ingens detrimentum toti Chriſtianitati ſecuturum. Acquievimus proinde ejus monitionibus, & rediimus ad Sereniſſ. Dom. Regem: ſed quia aliquos Cruceſignatos deſcendiſſe audivimus, miſimus R. in Chriſto P. Dom. Franciſcum Aſſiſii Epiſcopum, qui eos reciperet, & ſuis diſponeret ſtationibus. Inter alia, quæ Comes contra noſtrum allegabat deſcenſum, illud præcipuum fuit, quod valde minueretur reputatio & expectatio, quam omnes habebant de exercitu, quem Legatus Sedis Apoſtolicæ dicebatur congregare, & timor hoſtis de valido ſuperventuro ſubſidio converteretur in noſtri contemptum, & majorem ſuorum audaciam.*

Ce-

*Ceterum ad copias militum & Cruceſignatorum congregandas opus eſt maxime auxilio V. R. P. cum qua libenter in aliquo loco, abſque aliorum interventu conveniremus. Sancti Romani Pontifices in principio naſcentis Eccleſiæ ſe offerebant martyrio, idque certe nos libenter nunc faceremus, uti dicto Dom. Comiti dixeramus, & obtulimus ei manere in quocumque loco ille vellet: & ne videremur ſpem ullam ponere in armis, noluimus noſtris familiaribus permittere, ut arma, quæ emerant, deferrent; omnem enim ſpem noſtram poſuimus in orationibus Eccleſiæ, a quibus omnem noſtram defenſionem ſperamus. Venit ad nos nudjuſtertius quidam Frater Ordinis Prædicatorum, quem Venetias deſtinavimus, & refert, ſe habuiſſe a nobili Veneto, Balio ſeu Legato Conſtantinopolitano, Venetias regreſſo, quod Villamarimus * Capitaneus galearum Regis Aragonum viſus erat in illis partibus cum copioſa multitudine galearum & navium, & quod Rex in dies augebat robur claſſis, mittebatque nunc duodecim galeas dicto capitaneo; dixit etiam, quod Dominus de Scanderbeck erat jam in campo, eique miſerat Rex Aragonum mille equos & aliquos pedites: & quod viderat quemdam militem Gallicum Cruceſignatum proficiſcentem in Albaniam cum quinquaginta armigeris Cruceſignatis volentem per annum integrum in hoc bello ſervire. Credendum eſt quod propter moram noſtram hic, dum non incipimus bellum, maximus concurſus Cruceſignatorum fiet in Albania. Omnipotens Deus noſter V. R. P. diu conſervare dignetur. Ex Buda* XIV. *Maii.*

* for. Filomaitinus.

Veſter devotus filius Joan. Card. ſancti Angeli Apoſtolicæ Sedis Legatus.

Eidem.

XXXVI. *Recepimus hodie epiſtolam V. R. P. datam die Penteceſtes, ex qua intelligimus, te non recepiſſe litteras noſtras datas apud Zegedinum & Budam. Reverende Pater, cum magna difficultate deſcendimus ad Zegedinum, quia Regi & conſilio non videbatur deſcendendum. Ivimus tamen, ut ſatisfaceremus deſiderio Illuſtr. & Mag. Domini Joannis Huniadis, Comitis Biſtricenſis; & quia ſemper fuit propoſitum noſtrum deſcendere ad confinia, ibique manere: ſed Comiti viſum eſt, quod deberemus redire & ſollicitare Regem alioſque Principes, & proteſtatus eſt contra nos, quod ſi deſcenderemus, ingens ſequeretur damnum toti Chriſtianitati. Poſt multa cum eo habita colloquia, dimiſſo Rev. Domino Epiſcopo Aſſiſii, qui Cruceſignatos reciperet, venimus ad Dominum Regem, cui multa diximus, & ſuaſimus in negotio fidei, eumque rogavimus, ut ipſe in perſona deſcenderet, & copias quam citiſſime cogeret, ſed adhuc nobis non eſt reſponſum. Quidquid ab eo habuerimus, communicabimus R. P. V. cum qua plurimum cupimus ſerio loqui, & aliqua communicare. A R. Domino meo Firmano habuimus litteras, & plurimum ſe commendat orationibus veſtris, dicitque ſe optimam habere ſpem, quod ex parte Italiæ omnia recte tranſigentur pro negotio fidei. Nos ex parte noſtra in nullo deerimus: an vero debeamus deſcendere, noſtramque ducere familiam & capellam, & circa alia pleraque vellemus cum V. R. P. conferre; & proinde rogamus, ut dicatis nobis locum, in quo poſſimus convenire. Omnipotens Deus V. R. P. conſervare dignetur. Ex Buda* XXIV. *Maii.*

Indidem.

Eidem.

XXXVII. *Sta hora recepi ultimas V. R. P. litteras, in quibus nos monet ut mature & ſolicite agamus circa Cruceſignatos. Id ſummo-*

Indidem.

mopere curabimus. Jam ſcripſimus bis de noſtro deſcenſu uſque ad Zegedinum, & de reditu ad Budam ex conſilio & inſtinctu Comitis Biſtricenſis, & qualiter dimiſimus Rev. Dominum Epiſcopum Aſſiſii, ut deſcendat ad Petrovaradinum, & recipiat Cruceſignatos, exploretque loca omnia, & nos de univerſis admoneat. Huic tamen non multum placuit, quod dimiſerimus Epiſcopum; & Comes vult, ut nos inflemus apud Regem & Principes Germaniæ pro mittendo ſubſidio militum. Dixit etiam mihi Comes, ſe ſcripſiſſe V.R.P. quod non mitteret Cruceſignatos, donec ipſe admoneret. Conſideratis tamen omnibus mihi videtur opportunum, ut V.P. deſcendat exploraturus illas partes, & excitare homines illius regionis ad bellum, ut tempore ſuo inveniantur expediti, & deinde poterit venire ad Dominum Regem, & poſtea tranſire ad Imperatorem, & hic ſimul poſſemus multa operari, & impetrare ab iſtis Principibus. Si Spiritus ſanctus aliud dictat V.P. oro ut ſcribat, & ſi venire non poſſit, ego ad vos deſcendam. Multa hic dixi, & propoſui, ſed nihil profeci. De Roma aliqua accepi, quæ non bene, nec tuto litteris committuntur, ſi tamen V.P. videatur, committam. Omnipotens Deus &c. Ex Buda XXV. *Maii.*

Eidem.

Eidem. XXXVIII. *Per proprium Nuncium miſi ad V.R.P. Breve Apoſtolicum, & copiam epiſtolæ Comitis de Huniad, in qua monet adventus Turcarum. Rogo V.P. ut me certiorem reddat omnium, quæ illic aguntur & audiuntur. Sereniſſimus Dominus Rex jvit venatum, neque amplius eſt reverſus. Procura, Pater optime, ut quam cito deſcendant Cruceſignati: id etiam nos facimus diligenter. Omnipotens &c. Ex Buda* V. *Junii.*

XXXIX. Vere jam adveniſſe Turcas, & obſidionem Albæ regalis, ſive Nanderalbæ inchoaſſe, ab ipſo urbis Præfecto, ſeu Capitaneo, Michaele Zilago Capiſtranus accepit, quare miſſis feſtinis nunciis & repetitis ad Banum Machovienſem Joannem de Koregh, ad Judicem Comanorum Sungiæ & Zaladiæ Comitem, ad alios etiam Proceres, per quorum ditiones Cruceſignatos diſtribuerat, ad Petrovaradinum cum ſuis militibus deſcendit. Ibi inito conſilio cum Huniade, tamdem in hoſtem procedere, & arci ſubvenire decretum eſt. Quibus copiis, quanta virtute, quo periculo, & ingenti utriuſque gloria id factum ſit, ex hiſtoria Hungarica Bonfinii exſcribam; deinde aliam diffuſam, exactamque totius rei per rerum & dierum momenta diſtributam hiſtoriam, ab ipſius Capiſtrani ſocio, geſtorum omnium oculato teſte, ſincere, & humili ſtylo compactam, & Jacobo Piceno, Capiſtrani fidiſſimo & ſanctiſſimo conſodali tranſmiſſam, adjungam, præmiſſo tamen brevi Apoſtolico, a Cardinale Legato in poſtrema epiſtola commemorato, in quo Calixtus operæ egregie præſtitæ Capiſtrano gratias agit, & hortatur, ut quod laudabiliter incepit, laudabilius perficiat, & Legato Apoſtolico indeeſſe collaboret.

Capiſtr. in hoſtem proficiſcitur.

Dilecto filio Joanni de Capiſtrano &c.

Ex autographo. Pontifex Capiſtranum a ſolertia in negotio fidei commendat.

XL. *Dilecte fili &c. Continuo teſtimonio dilecti filii Joannis ſancti Angeli Diaconi Cardinalis, noſtri & Apoſtolicæ Sedis Legati, intelleximus, quanta diligentia incumbas non ſolum ad ſolerter juvandum munus legationis ſibi injunctæ, ſed cetera perficienda, quæ conducere ad ſanctum hoc opus fidei exiſtimas. Quod certe etſi ita eſſe nobis perſuadebamus, tamen hujuſ-*

hujuſmodi tuus zelus noſtram in te dilectionem adauxit; ac quamvis tibi, & cuique Chriſtiano hæc communis cura ſit debita, nihilominus devotioni tuæ gratias agimus, teque hortamur, ut quemadmodum cœpiſti, ſine intermiſſione proſequaris, cauſam hanc Dei viriliter adjuvans. Habes autem duces laborum tuorum Legatos iſthic noſtros, qui fervori tuo plurimum fidunt, & quibus adnitentibus ſperandum eſt cum gratia Dei per vos ſimul fructus ſalutares eſſe conſecuturos. Itaque inſtate pro viribus, & certate certamen hoc bonum, quod vobis Deus propoſuit, ut demum coronam gloriæ mereamini accipere. Et quia novit devotio tua, quanti exiſtimandum ſit robur Hungaricum, & quale eſſe conſueverit in hujuſmodi caſibus, ideo cura, dilecte fili, ut opera exhortationibuſque tuis præſtetur Chriſtianitati obſequium hoc bene placitum; quo certe nullum eſſe tibi glorioſius, aut majoris apud Deum meriti poterit. Nos autem in præparanda claſſe vigili cura intendimus, quam abſque craſtinatione indubie in mari poni juſſimus & ponemus. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris IV. *Maii* MCCCCLVI. *Pontificatus noſtri anno* II.

XLI. Quam præclare autem ſuo functus ſit munere, & Pontificiis votis obaudierit Capiſtranus, ex his tum exterorum, tum domeſticorum hiſtoriis lector percipiet. Petrus Matthæus in ſumma conſtitutionum, ita ſub compendium rem geſtam comprehendit. *Nec eſt ſilentio prætereunda Joannis Capiſtrani Franciſcani monachi inſignis gloria, qua profecto coronam obſidionalem jure conſequutus eſt. Is, cum videret hoſtis impetum omnium terrere animos, & belli fulmina in urbem emittere tanta vi & pertinacia, ut turribus dejectis, mœnia ruinoſa, nuda ac concuſſa relinquerentur, conſcendit ſummum turris cacumen, nec dehortari, exclamare, ac obteſtari deſinit, quouſque ſuccenſos & alacres videret Chriſtianos ad pugnam. Nunc digniſſimis convitiis excandeſcit in Turcas, nunc anathematis tela vibrabat, nunc gloriæ ſtimulo, & victoriæ expectatione ſuos urgebat, crucis vexillum oſtendens, opem & auxilium præſentiſſimum promittens. Strenuus Alcides medios volat ecce per hoſtes, clamoribus ac ſignis Cruceſignatos terga vertere ſuadet, ubi eminens periculum prævidet &c.* Ita vero rem narrat Bonfinius. *Mahumetes, Amurathis filius, Turcarum Imperator poſt devictam Conſtantinopolim, Græcorum Imperio nimis elatus, ſpes multo majores concipit, ſuas vires emenſus, navali bello ſe Italis inferiorem eſſe non ignorat, a ſollicitanda mentem amovet Italia: ſe terra præpotentem intelligit, Illyricum & Dalmatiam Regulis obnoxiam, & in pagos, parvaque oppida diffuſam, quotidianis incurſionibus & labefactari & facile capi intelligit. Deſpotem tantum, Hungarumque veretur, quum auro militeque utrumque præpollere ſentiat. Quos ſi expugnare contingat, audacius reliqua adoriri poſſe retur. Itaque ſuperiorem prius Myſiam ingreſſus, fodinas argenti, quæ Deſpotis erant, occupare nititur. Novum montem Trepciam & Priſren ejus oppida, argenti metallorumque feraciſſima obſidet, & expugnat. Deſpotes graviter angitur, quod ejus viribus obſtare non poteſt, & opimi proventus pretioſaque ſibi vectigalia intercepta ſint; in munitiora ſe caſtella recipit, & Hungariæ vicina, ut ſua cum Hungaris mala communicet, quos propugnatores optimos ſæpius eſſe noverat. Differuntur mox uſquequaque rumores, Turcam ad Albam Græcam, quam Belgradum nunc dicunt, in dies caſtra moturum. Maximam fortunæ ſucceſſum audaciam addidiſſe, ni occurratur, cuncta propediem ruitura, neque ullam ab hoſte veniam tolerabilemve conditionem ſperari poſſe: Conſtantinopolitanam cladem omnibus exemplo eſſe. Corvinus autem, qui ad protegendas inferioris Hungariæ oras Regia auctoritate conſtitutus erat, & in puero*

Matth. in conſtit. unic. Calixti.

Bonf. decad. 3. lib. 8. Relatio Bonfinii de Bello Hungarico.

puero Rege, ac pernicioſo Comite * parum ſperare poterat, in tanto tumultu neque omnino excidit, neque conſilio defecit. In primis Capiſtranum ad hanc obſidionem ſibi collegam adſciſcit, ut alter humanis, divinis alter viribus niteretur: conſulit quid potiſſimum videatur agendum. Ille bono animo eſſe jubet, quando non mediocrem Cruceſignatorum exercitum e Germania ſe conflaſſe fatetur. Quamvis hæc gens Hungarico ab antiquo ſit infeſta bello, in communi tamen cauſa & neceſſitate minime defuturam arbitratur; quin & totam ſe Hungariam poſt Conſtantinopolitanam captivitatem in Turcas conciraſſe gloriatur. Interim Corvinum cetera, quæ ex uſu belli ſunt, curare jubet. Hæc ſe in tempore auxilia daturum pollicetur, demum ad hanc capeſſendæ immortalitatis occaſionem incendit. Is veteranos omnes, ac alios ſpectatæ virtutis milites cogit, claſſem mira celeritate in Danubio parat, quando Turcam quoque multa in Ponto navigia paraſſe, mandaſſeque, per exploratores acceperat, ut Iſtrum propediem ſubirent, & ubi caſtra eſſe ſenſerint, ibi conſiſterent. Calixtus Pontifex, qui Nicolao ſucceſſerat, imminentis periculi non ignarus, Joannem ſancti Angeli Cardinalem, virum ſapientia & magnanimitate præſtantem, in Germaniam, Pannoniamque miſerat, ut Septentrionalis plagæ gentes, quantum in ſe foret, in dirum hoſtem concitaret. Interim rumor affertur, Mahumetem, jam ſuperato Hemo per Triballos & Iſtrum, centum & quinquaginta millia hominum ad obſidendam Albam ducere. In ſumma rerum omnium trepidatione verſatur Hungaria; Corvinus & Capiſtranus forti animo cum ſuo uterque exercitu ad protegendam Albam properarunt. Claſſem commeatibus militibuſque oneratam deducunt. Cardinalis Budæ ſubſtitit, ut apud Regem cetera curaret. Ladislaus, & Ciliæ Comes, audito Turcarum adventu, uſque adeo conſternati ſunt, ut ſimulata venatione, Buda egreſſi Viennam continuo ſe receperint. Quin & Budinam arcem omni præſidio deſtitutam reliquere, quæ diebus circiter triginta etiam hoſti patuit. A Turcis interim Alba obſidetur, quod Idibus Junii accidiſſe ferunt. Urbs eſt in angulo ſita, ubi Danubio Savus illabitur, a Septentrione Danubio, ab occaſu vero Savo ablutur. Arx monti præſidet loco & arte munitiſſima: ad radices montis civitas in amnis utriuſque ripas effunditur, craſſo muro, confluentibuſque obfirmata, a continente duplici vallo, foſſa mœnibuſque munitur. Mahumetes in duo caſtra exercitum dividit, altera præter Savum, quibus Baſſus Aſiæ; altera præter Danubium, quibus ipſe præerat, rite locat. In ſuis caſtris tormenta tunc bellica a fronte diſponit, locum vallo foſſaque circumvenit, ne eruptionibus hoſtium foret obnoxius. Reliquam multitudinem per campos effundit, quæ omnia complere videbatur. Quum a continente continuatis fere caſtris urbem obſediſſet, ne quid efferri inferrique poſſet, Savum & Danubium claſſe compleverat. Cum expugnatio civitatis inſanam machinarum magnitudinem poſtularet, ac illæ ob itineris difficultatem facile trahi non poſſent, hoc barbarus animus commento uſus eſt: machinas diffregit, antequam iter iniret, ut in levia fruſtra redactæ facilius per ardua loca veherentur: mox ubi in Myſiam ſuperiorem ventum eſt ad Chryſonicum, ſtatim e conflato ære inſtauravit; quas cum urbi propius admoviſſet, & munitionibus, quibus opus erat, obfirmaſſet, mox oppugnationem adoritur: quatit diu noctuque mœnia, nihil opppidanis otii jam indulget. Corvinus & Capiſtranus urbem acerrime dudum obſeſſam eſſe ſentiunt, claſſem Hungaris, Cruceſignatiſque completam ſecundo amne deducunt, ut Albanam arcem aqua terraque obſeſſam facto impetu ingrediantur. Cum appropinquavere, urbem aſſiduo quati, arcem jactis in altum lapidibus ſublidi, regionem ſulphureo late fumo caligantem, perpetuas ſervare tenebras conſpicantur.

* Scilicet Ciliæ.

cantur. Sociorum miſeratione correpti, quia acerrima obſidione torquebantur, animos ingentes ſane concipiunt, & ad certamen irritantur. Trecenti e Polonis erant, qui religionis ardentiſſimæ gratia, ſumpta Crucis teſſera, ſtipendia faciebant: item Germanorum ingens numerus, qui ſacram expeditionem ultro ſuſceperant, & certatim utrique obſeſſis accurrendum eſſe conſebant. Tormentorum crepitus æneorum ad Segedinum uſque exaudiebantur. Quare inſtructa claſſe, terreſtribuſque copiis in aciem eductis, ſecundo amne deſcendunt. Mahumetes his occurrere auſus ſuam claſſem opponit, ne quid laboranti civitati aſſerant ſubſidii. Collatis in Danubio ſignis fluvialis pugna conſeritur. Effertur immenſus utrinque clamor, & crepitantium fragore tormentorum Danubius intonat, ac utriuſque claſſis gravitate ſubgemit. Chriſtiana in quadratum agmen effuſa ripam utramque legebat. In ripis quadrata cataphractorum equitum agmina utrumque claſſis cornu protegebant, in dextro Corvino, Capiſtrano in lævo præſidente. Hic a prora crucifixum amplexus ac ſupplex ad ſalutare prælium ſuos hortari, promittere divinam opem, & profanis hoſtibus maledicere. Corvinus acerrime pugnare, ac exemplo ſuo ad pugnam Hungaros incendere, jubere ut remis incumbant, & ſuffragante Danubio cominus dimicent. Quod ubi factum eſt, mutuis navigia catenis utrinque colligant. Corvinus in Prætoriam navim inſiliit, ſequuntur ſocii, enſem late ducunt, Turcaſque ſaucios ſemineceſque in Danubium deturbant: idem reliqui faciunt. Fervens ubique colluctatio cernebatur, multi utrimque cadunt, & cum dira ſe omnes cæde competerent, cruore Danubium totum inficiunt. Quum ſecundi amnis ſubſidio noſtri niterentur, Turcarum claſſem inclinant, cæduntque. Illi obſtanti fluvio cedere coacti proras avertunt, multa inter fugiendum intercepta navigia, undiſque demerſa, ceteri ad ſuorum præſidia confugere. Corvinus fuſa fugataque claſſe, quum Albæ appropinquaſſet, eam referat, urbemque ingreditur, quam armis, milite, commeatibuſque complet, ſaucios ægroſque oppidanos educit, arci ſupplementum ſuggerit validiſſimum, obſeſſorum animos recenti victoria inſtaurat, & ad propugnandam civitatem, una cum Capiſtrano viro ſanctiſſimo omnes hortatur. Mahumetes ad nuncium profligatæ claſſis: Quamvis gravius, inquit, noſtro tamen voto omnino potiemur. Quod e claſſe ſuperfuit, incendi juſſit, atque obſtinatiſſimum ad expugnandam urbem animum intendit. Quum paterni ſibi amici retuliſſent, Amurathem olim ſeptem in Albana obſidione menſes triviſſe, & irrito tandem conatu abiiſſe, multis paternos manes probris affecit, & ante quintumdecimum ſe diem urbe potiturum gloriatus eſt. Baſſeus forte aderat Aſiaticus, ut glorioſo Principi magis aſſentaretur, certam imminere victoriam pollicetur, quando Byzantium ipſe vi ceperit, veteri arte ac munitione quaque maxima præditum, neque ab Hungaris validius muniri, magiſque ſtrenue protegi, quam a Græcis oppida ſoleant, quibus non immerito non ſolum eloquii ſapientiæque, verum etiam diſciplinæ militaris gloria ſuo jure tribuitur; præterea multæ dirutæ turres, completæ foſſæ, & jam æquata ſolo mœnia forent, proinde haudquaquam diffidendum eſſe affirmabat. Mahumetes his verbis accenſus, inſequenti die omnes arma ſumere jubet, ac veluti decreverat, numquam etiam ceſſare conſtituit, donec Alba potiatur. In tot ordines digerit exercitum, ut perpetuum prælium continuare, & ita feſſas ſubinde acies inſtaurare poſſit, ut nulla quiete data, oppidani deficere cogerentur. Sacer divo Sixto erat Ille dies octavo Idus Auguſti, quo deturbatis dudum propugnaculis, ruderibus completa foſſa, & obrutis patentibuſque mœnibus hoſtes in occaſu ſolis urbem adoriuntur. Obſtant oppidani, & cum completos innumera multitudine campos ab arce proſpectarent, conſirataque late

late mœnia cernerent, ſalutem deſperare cogebantur. Nulla major ſpes & conſolatio ſuccurrebat, quam deſperata corporum ſalute pulcherrime mori. Joannes cum Divi Franciſci collegio Crucigeros ad ſalutarem pugnam hortatur, & Servatoris noſtri crucem amplexatus, ac ſupplex Dei præſentiam, opemque pollicetur. Illi appetere magis quam formidare glorioſam mortem viſi, ad pugnamque promptiſſimi Turcis occurrunt. Unum his oberat, quod animo potius quam corpore armati erant. Gladiis tantum & lanceis obnitebantur, pauci ſe galea & thorace protexerant. Dira nimis & cruenta ſupra murorum ruinam pugna conſeritur, ſumma vi utrinque pugnatur. Hoſtilis clamor, tympana, claſſicaque cælum ſonitu & fragore complebant. Rudera magna cæde fœdantur, quando illi vi ingredi, rejicere iſti connituntur. Corvinus ubicumque laboraretur accurrens, nunc verbis, nunc factis omnibus opem ſuggerit; timidis & ignavis inclamitat, corripitque, ſtrenuos extollit, fortiſſimos quoſque commendat; & hortatur, ut urbem hanc Chriſtianæ Reipublicæ propugnaculum fortiſſime tueantur: ſciant ſibi cum his rem eſſe, quos toties olim profligarint, vicerint & ad internecionem ſæpe cæciderint, & in Danubio tot ſuperiore pugna confecerint: non deeſſe divinum auxilium, Jeſuque Chriſti præſentiam, ſub cujus nomine, ductu, auſpiciis dimicatur. Mox cum globo veteranorum inſtructus uſquequaque diſcurſare, inſtaurare ordines, profeſſis validos, vivos pro mortuis, pro ſauciis integros, pro inermibus armatos, veluti opus erat, ſufficere, quandoque ubi plurimum laborari ſentiebat, ſuccurrere, inter confertiſſimos ſeſe hoſtes inſerere, ingreſſos rejicere hoſtes, & imperatoris militiſque optimi officium præſtare. Contra Mahumetes a tergo ſuis inſtare, grandia militibus præmia pollieeri, retrocedentes revocare in ordinem, & quandoque falcato enſe cædere, orare ut ſtrenue pugnent, exclamans eam jam urbem captum iri, & ſuos intra penetraſſe, proinde ut facto magno agmine progrederentur hortari. Variante diu fortuna pugnatum eſt, quando Turcæ ſæpe in urbem penetrarunt, & a Chriſtianis non ſine magna utrinque cæde rejecti. Supra cadavera murorumque ruinas diu nutante ancipitique victoria dimicatum. Et hinc veluti ſpes utrinque ſurgebat, ita extremis indefeſſiſque viribus pugnabatur. Sæpe Turcæ cum maximo impetu in urbem irruperant, ſæpe etiam rejecti, arridente ſubinde Marte, inſtaurato cuneo, amiſſam obſtinatiſſime victoriam repetebant. Itaque cum pari ſpe utrinque pugnaretur, Mahumetes præſentaneum conſilium init, quam validiſſimo poteſt agmine in urbem irrumpere, pertinaciſſimeque tenere. Quod ſi nequeat, hinc rejectum fugam ſimulare, qua oppidanos allectos in campos educat, mox irrumpente a tergo, dimiſſa equitum multitudine, reditum intercipiat, uti a tergo & fronte Chriſtiana gens juxta cædatur: quare validiſſimum agmen inſtaurat. Superata mortuorum ſtrue, quæ in ruinis excreverat, in civitatem, inclinatis oppidanis, irrumpit. Penetrat in forum, & in medio foro prælium redintegratur. E Turcis plerique in forum ſigna inferunt, altis nonnulli turribus vexilla Regis deponere conantur, quæ adhuc in mœnibus integre ſuperfuerant. Subeuntem cum vexillo Turcam memorant, qui ut ſigna ſui Regis ad irritandos in urbem ſociorum animos, qui nondum intro penetrarant, pinnaculo turris imponeret, & ad exanimandos Chriſtianos Hungaria deturbaret, turrim altiſſimam repente ſubit. Hunc Hungarus illico ſubſequitur, ac antequam patria ſigna deponeret, cum hoſte in turris faſtigio colluctatur. Quum alio modo id probibere non poſſet, ſe cum Turca, quem apprehenſarat, ex altiſſimo vertice præcipitem dedit. Corvinus in ſummum periculum adductam urbem conſpicatus, accito Michaele Zilagio avunculo ſuo, & Ladislao Caniſa, item Scbaſtiano Roſgonio, ceteriſque fortiſſi-

tissimis Proceribus Hungarorum, ab arce ruens in ferum Turcas inclinat. Hi tanto furore congrediuntur, ut multis in platea vicisque cæsis, extra mœnia extemplo rejecerint. Crucigeri divina se ope adjutos rati, adauctis animis extra mœnia prodeunt, & in hostes sæva cæde grassantur. Mahumetes ubi se iterum iterumque rejectum esse cernit, extemplo fugam simulat, & plane terga vertit, ac eos educit. Instant a tergo Crucigeri, & arridente victoria pellecti pertinaciter insequuntur. Jamque ad Bassei Asiatici castra pervenerant, quæ in Savi ripa collocarat: Capistranus prospectis ab arce Mahumetis insidiis, confestim suos exclamat, ut retro cedant. Quum præ strepitu & tumultu magno exaudiri non posset, a tergo receptui signa dat: contra illi victoriæ intenti, nihil exaudiunt, hostilia castra adoriuntur & incendunt. Pater cum sacerdotum collegio illuc per medios enses ab arce decurrit, revocatque. Mahumetes, qui ad machinarum bellicarum munitiones confugerat, quum Bassei castra cremari diripique respiceret, cum equitatu, quem a tergo reliquerat, ut reditum oppidanis obstrueret, eo succurrere contendit. Ad hæc jam dies inclinabat. Corvinus desertas a Mahumete munitiones, & bellica tormenta conspicatus, cum sociis ex urbe prorumpens repente capit, machinas æneas adacto mox clavo partim obstruit inutilesque reddit, partim in hostes convertit, intenditque. Turba rejectis e castris Crucigeris, qui a Capistrano revocati facile cesserant, ad munitiones redit, eas a Corvino occupatas comperit. Quum instante crepusculo, recuperandi gratia prælium instauraret, obversas in se machinas invenit, a quibus cum gravissime sœvi lederentur, ingruente nocte se in posteriora castra, non sine fœda fuga recepit. Alii pectore saucium sub papilla in castra pedem retulisse memorant. Corvinus munitionibus potitus eas incendit. Cum adurgente nocte machinas æneas exportare non posset, occlusis foraminibus, irritas præstitit, victorque ac ovans in urbem redit. Turca ut se ab urbe sæpe rejectum, & Asiaticis castris ac munitionibus exutum conspicatur, intempesta nocte versus Macedoniam iter intendit. Referunt nonnulli, eum a sagitta saucium, femineeque in castra relatum aliquantisper jacuisse: Turcas ad Sarnun oppidum, motis hinc castris Imperatorem transtulisse, veritos, ne intercedente ipsius morte postero die ad interitum cæderentur: Ad Sarnum quum ille aliquantulum respirasset, de belli exitu fuisse percontatum: quum illi respondissent, Bassæum Asiaticum, & cunctos fere Proceres oppetiisse, magnam partem exercitus esse cæsam, Kurkutoam Prætorianarum cohortium Præfectum sub manibus fuisse trucidatum, item munitiones omnes ab hoste captas: ad hæc hominem (ut ajunt) usque adeo ingemuisse, ut venenum præ vitæ molestia propinari sibi jusserit, quod cum amici recusarent, timidum & demissum, incensis castris, turpem arripuisse fugam, neque tam elatum animo venisse, quam consternatus abiit, & qui se: Terrorem Orbis edixerat appellari, a parva manu fusum fugatumque fuisse. Bassæum Asiæ, cui Caraciæ nomen erat, paucis ante diebus ab urbe ictum obiisse, plerique ferunt. Sexto igitur & quadragesimo obsidionis die divina potius quam humana ope urbs Albana Turcarum manibus liberata. Quamquam multi utrinque cecidissent, plurimi tamen e Turcis occubuere: multi quadraginta hostium millia periisse prodidere; viginti millia nonnulli; nec desunt, qui quatuor tantum millia fuisse affirmant. Sed quanta clades illa fuerit, potentissimi Regis fuga testatur. Turcæ quoque ingentem & incredibilem fuisse, nequaquam diffitentur; quin & Deorum ex se plures quam Christianorum manu eo die cæsos fuisse asseverant, quia multa mortuorum corpora sine vulnere comperta fuere, quæ divina potius quam humana vi cecidisse reputabantur. Capistranus & Corvinus insigni vi-

ctoria potiti, per ſe uterque ad Calixtum Pontificem de hoc bello ſcripſere; ſuis uterque litteris tam clari facinoris gloriam ſibi vendicare nititur, cum alter mentionem alterius minime fecerit. Præſtantes nimirum viri potius ſe regnis quam debita laude defraudari patiuntur. Verum, cum duo duces, alter oratione, manu alter ſtrenue dimicarit, idcirco hoc a ſanctiſſimo Viroque plerique factum arbitrantur, ut in eo prælio divinæ potius quam humanæ vires, quod Turcæ non inficiantur, enituiſſe viderentur. Prælium id atrox & inauditum fuit, quando horis quatuor & viginti ſine intermiſſione ullâ pugnatum fuiſſe tradunt. Hucuſque Bonfinius: Similem habet narrationem Nauclerus. Ab utroque parum diſcrepat Joannes ſupradictus, ſocius Capiſtrani. Ecce longam ejus de hac re hiſtoriam, ſed penes me incompletam.

Naucler. volum. 2. generat. 49.

Reverendiſſimo in Chriſto Patri, & optimo ſeniori fratri Jacobo de Marchia, Ordinis Minorum de Obſervantia profeſſori probatiſſimo, Prædicatori Apoſtolico ferventiſſimo ac præclariſſimo, omni veneratione proſequendo: humilis & abjectus frater Joannes de Tagliacotio ejuſdem profeſſionis indigniſſimus, ſimplicem commendationem, & ferventem obedientiam cum promptitudine obſequendi.

Narratio Fr. Joannis qui fuit comes Capiſtrani.

XLII. *Etſi non ignorem, optime ſenior, veſtram Paternitatem, omni doctrinæ ornamento completam, meo rudiſſimo calamo non indigere, cum de veſtra doctrina accipiant univerſi: tamen quia veſtra natura ac venerabilis ſenectus eo lætior atque ferventior redditur, quo Dei magnalia, præſentique tempore geſta inaudita crebrius legit vel audit, ſtatui V. P. utcunque exarare & ſcribere illius mirabilis victoriæ, Dei gratia habitæ de Turcis, ſeriem, videlicet initium, proceſſum pariter & exitum: quæ quidem in inclito regno Hungariæ habita eſt apud Caſtrum Nanderalbæ, ſub vexillo ſanctiſſimæ Crucis, cum acclamatione nominis Jeſu tempore Cruciatæ, cujus victoriæ triumphus ſoli immortali Deo attribuitur majori ex parte, & meritis, ac ferventiſſimis laboribus & orationibus beatiſſimi viri fratris Joannis de Capiſtrano Ordinis Minorum, tunc ex commiſſione ſanctæ Sedis Apoſtolicæ omnium Cruceſignatorum in dicto regno Ducis ac Capitanei; aſſiſtentibus favoribus & præſidiis Illuſtris Domini D. Joannis de Hunyad, præfati Hungariæ regni Gubernatoris, & magnifici Dom. Michaelis Sylagis, Nanderalbenſis Caſtri diligentiſſimi Caſtellani. Sed licet, devotiſſime Pater, multo ornatius atque ſerioſius hoc alii agere poſſent, quia tamen hoc a me V. P. poſtulat, quia cum eodem beatiſſimo viro, divina diſponente clementia & V. P. impellente, tunc me ſtare contigit, vere & ſincere hoc referam, nulli verborum blandienti venuſtati inhærens, ſed ſolius hiſtoriæ veritatem ſimplicibus verbis deſcribens. Inſtillet mihi peccatori Deus ipſe clementiſſimus rorem gratiæ ſuæ, ut quæ oculis vidi & manibus contrectavi, valeam digne, conſcientioſe ac veridice referre, ut & his, quæ dicturus ſum coram Deo, ſanctum & terribile nomen Jeſu magnificetur, fideles in illud ardentius accendantur, beatiſſimi P. fratris Joannis devotio, zelus atque fervor, & obedientia erga ſacroſanctam Romanam Eccleſiam celebris reddatur. Accipe igitur, optime ſenior, prædictæ victoriæ ſeriem, & cum ipſam perceperis, populis tua ſolita ferventiſſima voce publica illam pronuncia.*

Cum anno Domini MCCCCLIV. *de menſe Novembris ipſe beatus Pater cum ſociis poſt Francfordienſem dietam Norimbergæ vehementer in magno fuiſſet dubitationis agone, quonam ſe prædicaturus conferret, aut ubi magis Chri-*

Christiano populo proficere posset, nocte sequenti, cum post matutinum oratione præmissa se soporì dedisset, vidit mortem suam non sub sanguinis effusione, sed sub sanguineo labore futuram, nam miro modo ad martyrium fervebat. Cum vero celebrando ibi die sequenti attente oraret, cupieretque scire quonam proficiscì deberet, audivit varias in Ecclesia voces resonare: in Hungariam, in Hungariam; *& dum prædicaret in platea ante majorem Ecclesiam, idem in aere sæpius audiebat. Sic ex dubio surgens, decrevit secundum voluntatem Domini in Hungariam proficiscì. Seminato itaque verbo Dei per Alemanniam, & ibidem plantata familia Observantiæ Regularis, & reductis ad unitatem Ecclesiæ Romanæ quasi sexdecim millibus hæreticorum Hussitarum in Boemia, & mirabilibus fructibus in Polonia, Domino concedente, peractis, de mense Maii anni sequentis* MCCCCLV. *advolavit in Hungariam, cujus natio statim in ipsius ingressu mirum in modum commota est. Recipiebatur ab omnibus tamquam alter Apostolus; & licet ipse honorum despector sapissime declinaret a via, mutaretque sui accessus vel recessus propositum, licet etiam ex quadam honestissima delusione præfixum diem non servaret vel horam, quibus expectantes populi suo desiderio frustrarentur, & ipse ab hujusmodi honoribus fieret alienus; nihilominus quod homo tacebat seu abscondebat, Deus promebat: nam in ipsis ingressibus Clerus solemniter ornatus, Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, & Ecclesiarum Prælati cum reliquiis sæpenumero, & cum sacramento Eucharistiæ, non sine multis luminaribus ac populis utriusque sexus cum ramis arborum, candelis accensis, sonantibus campanis, humilitatis amatori obviam venientes, cum maximis honoribus, cantibus atque fletibus eum introducebant: Principes, Barones, nobiles atque plebei eum summopere diligebant & honorabant, quorum tanta multitudo confluebat ad eum, ut non nisi latissimi campi, aut maxima platea eos capere valerent. Cum proponeret eis verbum, a remotissimis partibus populi venientes, non ut ad sermonem unius horæ, sed tamquam ad maximam indulgentiam catervatim currere videbantur. Nec mirum, cum gustata colloquii sui dulcedine & puritate sermonis, & doctrina salutari percepta, necnon miraculorum claritudine apertissime visa, omnes in ejus admirationem verterentur. Fulminabat contra vitia, virtutesque inserebat; clarus atque gratus in omnibus erat cunctis Principibus, & beatum se putabat, qui vel modicum cum illo staret, vel cum eo loqui, aut eum audire potuisset. Semper tamen in hujusmodi honoribus, sibi invito exhibitis, humilis corde dicebat:* Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. *Et cum tunc* Rex *abesset a Regno, essetque ipsius Regni Gubernator & defensor Illustris Dom.* Joannes de Hunyad, *tantam iste devotionem pariter & amorem concepit in ipsum virum Dei fratrem* Joannem de Capistrano, *ut quæcumque pro Regno essent tractanda tam in secretis, quam in publicis dietis, ipse cum aliis Baronibus hunc vocabant, admittebant, proferebantque, nihil sine suo consilio agere volentes. Post multos suæ ferventissimæ prædicationis sudores, post uberrimos fructus per Hungariam mirifice perpetratos, favore ipsius Dom.* Joannis *contulit se ad partes Transilvanas, ad Valachos, Russianos Schismaticos & Patarenos, ex quibus per spatium trium mensium undecim millia sua prædicatione, suscepto baptismo, ad unitatem & obedientiam sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ reducta sunt. Quorum etiam Magistrum & fautorem, post combustionem suæ habitationis in Hunyad, & suorum bonorum direptionem, sua disputatione convictum publice coram Baronibus, & Prælatis in forma Ecclesiæ Romanæ Budæ baptizavit de assensu R. Domini Legati. Crucem sibi missam a S. D. N. Papa Calixto* III. *per manus R. Domini Legati Cardinalis sancti*

Eli Angeli a latere MCCCCLVI. *die* XIV. *Februarii, videlicet prima Dominica Quadrageſimæ cum maxima devotione & uberrima lacrymarum effuſione, poſt ſermonem Budæ ſuſcepit, prædicanſque Cruciatam & Crucem diſtribuendam tam per Breve Apoſtolicum, quam per conceſſionem ipſius Dom. Cardinalis, cum plenaria auctoritate contra Chriſti inimicos alacriter aſſumpſit, paratus mori propter illum, qui pro humano genere in cruce mori dignatus eſt. Nam licet præſciviſſet, ſe martyrii corona ſanguinis effuſione privandum, nitebatur tamen animam ſuam pro ſuis amicis ponere, & martyrii aureolam per labores adipiſci. Crucis aſſumptionem Hungaris prædicabat, eamque illorum humeris ſuis manibus ſolemniter paramentis indutus indefeſſus affigebat, & Cruceſignatos ad propria remittebat, monens ut ſibi aſſiſterent, quandocumque eſſent vocati. Fiunt interea rumores per regnum, ac divulgatur Turcas ad Caſtrum Nanderalbæ claſſe & terreſtri exercitu mira potentia venturos, ut eo habito, poſſent alias Chriſtianorum partes occupare. Id crebris litteris & nunciis a Domino Michaele ejuſdem caſtri Caſtellano beato Patri nunciatur. Illud caſtrum erat regni finitimum, & principalis porta ad Hungariam, cinctum aquis Savæ & Danubii pergrandium fluminum ad duo latera. Quod quidem caſtrum Turcæ ſemper conati ſunt ab Hungaris auferre, ut liber per illud ad Hungariam eis pateret introitus & exitus. Feſtinat beatus Pater Hungaros ad Crucem invitare, eis Crucem imponere, eorum mentibus Crucis memoriam imprimere, & contra Turcas arma levare. Sicque factum eſt, ut per ſpatium fere quinque menſium maximam Cruceſignatorum multitudinem ſua ac ſuorum prædicatione conquiſiverit. Cum autem tam litteris quam nunciis Illuſt. Dom. Joannis & Dom. Michaelis certior factus eſſet, quod Turcæ cum mira potentia appropinquaſſent, & caſtrum ipſum vacuum defenſoribus inveniſſent, ſolliciturentque Domini, ut omiſſa prædicatione, quam citius poſſet cum Cruceſignatis feſtinaret ad defenſionem ipſius caſtri, alioquin in brevi Turcæ illo potirentur, vehementi fervore, pariter & ſanctiſſimo zelo repletus eſt. Advocat quos potuit Cruceſignatos, diſponit naviculas, quærit victualia, animat Chriſtianos, prænunciat futurum periculum totius Chriſtianitatis; ſicque omiſſis ſermonibus, cum his navibus & cum paucis Cruceſignatis verſus ipſum caſtrum in nomine Domini navigio deſcendere cœpit, non ſine mœſtitia cordis. Conſiderabat enim validam Turcarum potentiam & immanitatem; videbat ſuccurrentium paucitatem & ineptitudinem. Nemo erat in Hungaria, qui contra Turcas arma ſumeret; Rex, Baroneſque domi ſedebant; Dom. Joannes in oppido Carim cum ſua familia conſiſtebat, inde galeas Turcarum impediturus ne tranſirent, nec periculum imminens moram patiebatur; ſtabatque beatus Capitaneus aliunde jucundus, quod ſui martyrii tempus adveniſſet, attamen mœſtus, quod omnibus dormientibus Turcæ vigilabant ad excidium Chriſtianitatis, & ad confuſionem nominis Jeſu Chriſti. Flebat ruinas Chriſtianæ religionis, lamentabatur Chriſtianorum, & præcipue Hungarorum deſtructionem, dicens:* Jam tribulatio proxima eſt, & non eſt, qui adjuvet; *quem Deus ipſe conſolari volens, complevit eum gaudio atque lætitia, futura ſibi miro modo prædicens. Cum enim Pater ipſe cum tanta defendentium paucitate per Danubium deſcendendo, ad oppidum Petrovaridini ſic mœſtus deveniret, celebraretque ibidem attentiſſime orans, ut Deus cauſam ſuam tueri dignaretur, & quod Chriſtianorum ingratitudines non attenderet, viſum eſt ſibi celebranti manibus junctis, oculiſque clauſis, quod quædam ſagitta cœlitus emiſſa velociter ante eum ſuper altari mitteretur, in qua litteris aureis ſic legebatur:* Ne timeas Joannes, ſed ſecurus, ut cœpiſti, deſcende, ac propera, quia in virtute

Pſalm. 21. 12.

tute nominis mei, & ſanctiſſimæ crucis victoriam de Turcis obtinebis. *Quibus exhilaratus Pater abjecit mœſtitiam, terrorem amovit, neque ex tunc triſtis aut mœſtus viſus eſt. Quam mirabilem viſionem publice in ſermonibus prædicando publicavit, ſuo confeſſori apertius revelavit, Fratribus ſæpenumero eos confortans in menſa recitabat. Qua de re mœſti lætitiam ſumentes ad ſequendum tam animoſum conductorem ſeſe accingunt, ſecum parati in carcerem & in mortem ire. Cujus viſionis lætitia percepta, & ex ea futurorum certitudine declarata, reliquis, qui crucem non habebant, Fratribus in humeris ipſe Pater ſuis manibus affixit; & omnia tam altaris quam ſacerdotis paramenta rubea cruce inſignivit, vexillum quoque figura ſancti Bernardini prius munitum ſive depictum cum cruce optime diſpoſuit, dicens: ex quo in Crucis virtute Crucis inimici confundi atque conteri debent, omnia ad uſum nobis conceſſa Crucis charactere ſint inſignita, ſæpius illud replicans:* Mihi autem abſit gloriari niſi in cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti; *ſicque ſollicitatus a Caſtellanis ad caſtrum præfatum properat cum Cruceſignatis, cum quinque naviculis, non paucis etiam per terram proficiſcentibus, ad quem tam Caſtellani quam cives a longe videntes, ſignis lætitiæ in caſtro oſtenſis, obviam ſibi venerunt, ac ipſum cum dictis Cruceſignatis gaudioſe in caſtrum ipſum, vexillo præcedente, ſecunda die Julii, videlicet in feſto Viſitationis introduxerunt. Jam ex ſuo adventu gaudent omnes, qui in triſtitia maxima fuerant: jam timidis dies lætitiæ advenit: jam eo præſente a Turcis non timent; jam lætos dies ducunt, qui triſtes habuerunt. Veniunt interea nuncii, Turcas jam prope eſſe nunciantes. Ille Dom. Joannes Gubernator, cum eſſet in oppido Carim, quod eſt ad littus Danubii, diſtans a Nanderalba quatuor milliaribus Hungaricis, infra ipſum caſtrum adverſabatur Turcarum galeis ne aſcendendo tranſirent, nunciatque beato Patri, ut ex perſonis, quas ipſe ſecum duxerat, partem in caſtro dimitteret, partem ad eum deſcendendo conduceret; nam ipſe Dominus Joannes neminem præter ſuam familiam tunc habebat. At Pater Dom. Joanni morem gerere volens, decrevit caſtra diſpoſita ad eum deſcendere, ſic quod eodem die, quo intravit, celebrata Miſſa, & ſermone exhortatorio ad cuſtodiam, fidelitatem, utilitatem, & ad martyrium facto, poſt refectionem, cum tribus navibus Cruceſignatis onuſtis verſus Dom. Joannem deſcendere ſe præparat. Dominus autem Michael Caſtellanus ſciens Turcas tam per terram, quam per aquam cito apparituros, rogat Patrem ne recedat; in Danubio etenim obvios fore Turcas dicebat, & magis cum utilem in caſtro quam in aqua eſſe. Sed ipſe volens Domino Joanni ſatisfacere & obſequi, erga quem miro modo afficiebatur, cæpit deſcendere, jam ſui corporis pro honore Dei, & augmento fidei Catholicæ pericula contemnens. Jam ferventius ſolito martyrium ſitiebat. Sed Deus ipſum ad ſui honorem & magnificentiam conſervare diſpoſuit, factaque eſt manus Domini ſuper eum; nam cum circa horam Veſpertinam aer lucidiſſimus ac clariſſimus eſſet, Solque vehementius ſuo calore & æſtu incenderet, & Danubius flueret quietiſſimus, aer denſiſſimis obruitur nubibus, ſol obſcuratur, flant validiſſimi venti, turbatur ac commovetur Danubius, tornitrua reſonant, pluvia denſatur, & tanta obſcuritas, ut unus alterum in eadem navi ſe non videntes, ad littus conducerentur inviti. Quibus ad terram deductis, mox ſerenitas rediit, & tranquillitas in Danubio uti prius facta eſt. Et ecce illico Turcarum galeæ locum occupant, unde Patrem beatum tam valida tempeſtas repulerat. Quid aliud eſt putandum & cenſendum, Reverende Senior, niſi quod Deus omnipotens fideliſſimum ſervum ſuum ad conflictum & contritionem Turcarum virtute nominis Jeſu ſub vexillo Crucis reſervare voluerit? Non enim permiſit Deus, ut illa*

Galat. 6. 14.

illa caro adeo laboribus, vigiliis & abſtinentiis fatigata, eſſet per martyrium ſanguinis, ſed per incendium mentis laureata, & ipſe Martyr deſiderio, poſt glorioſam victoriam ſpiritum Deo plenus meritis in pace redderet, & expers coronæ martyrii non eſſet. Liber autem a manibus Turcarum caſtrum nocte repetiit. Mane autem ſequenti, ſcilicet tertia die menſis, ecce Turcarum exercitus apparere cœpit, ex quibus nonnulli ab ipſo exercitu amoti, vicinos caſtro hinc inde diſcurrendo ſe fecerunt, quaſi vellent Chriſtianos irritare. Quos cum ipſe pater videret, miro modo incenſus ajebat: Eamus ad eos, quis me vult ſequi? *& ſimilia; non autem invenit ſequentem ſe illa fiducia, ac deſiderio martyrii plenus. Quarta vero die a remotis caſtrum obſidere conſpiciunt, ſicque in paucis diebus omnis Turcarum potentia ibi locata eſt; numquam enim, ut ex ipſis didicimus, ita potentialiter, ita aſtute, ita fortiter aliquem locum ſicut iſtum Turcæ invaſerunt: nam centum ſexaginta millia, multi autem ajunt, ducenta millia Turcorum bellantium de electioribus & fortioribus illuc convenerunt, ſecum camelos & animalia alia innumera machinis bellicis onuſta ducentes. Illic pixides, ſcopetas, & ſpingardas numerare nemo potuiſſet, nec bombardas maximas, quibus ſimiles numquam viſæ ſunt, quæ non ſolum caſtrum, ſed altiſſimos montes ut pulveres contriviſſent. Viginti duæ præſertim erant, quarum unaquæque fere* XXVII. *pedum in longitudine erat, quas non ſine maximis ingeniis & expenſis illuc Turcæ deduxerunt; de minutis, quæ transferri poterant, non erat numerus. Detulerant etiam & ſeptem alias machinas, quibus miro modo maximos & rotundos lapides in altum ad interficiendum homines die noctuque ſine intermiſſione tam in caſtro, quam in civitate projiciebant, quarum lapides tam horribiles, licet inter homines ſtrictiſſime ſtantes, & in domibus hominibus plenis ſæpiſſime caderent, numquam tamen præter unicam mulierem occiderunt. Quod puto non parvum fuiſſe miraculum, cum nocturno tempore ab illis nullo modo poſſent præcaveri: tempore autem diurno audito ſtrepitu permaximo, ſeu facto ſigno in majori turri cum campanella, perſonæ manſiones egredientes, ſegregatimque ſtantes reſpiciebant in aere lapides, qui ex vehementiſſimo impulſu per grande milliare Italicum in altum jactabantur, qui etiam cum ad dictam terram caderent, deglutiebantur a terra, nec amplius videbantur. Munitiones tantæ & tam diverſæ ab eis deferebantur, ut his plura loca replerentur. Maxime pergrandis erat inter eos Eccleſia, diſtans a caſtro uno milliari Italico, quæ ferebatur ſanctæ Mariæ Magdalenæ. Iſta vero Eccleſia pulveribus bombardarum, funibus groſſiſſimis, ferramentis, & omnibus, quæ ad expugnandum neceſſaria eſſe ducebantur, repleta erat: tentoria altiſſima pergrandia, & miro ac pulcherrimo modo diſpoſita, quæ tanta erant, ut potius illa maxima terra nubibus cooperta, quam tentoriis plena judicaretur. Vexilla incomprehenſibilia, magna, alta & varia, ac diverſa ſecundum conditiones & dignitates Turcarum. Inſignia autem magna Domini Turcarum mediam Lunam habebant in campo viridi. Animalia continue ducebantur ex Turcia, Baſſia, & ex Boſna onuſta ſagittis, arcubus, & victualibus; nam abundabant camelis, bobus & bufalis. Animalia exiliora ligna portabant. Currus æneï, ferrei atque lignei, quibus cum maximo ingenio maximas bombardas traxerant, numero comprehendi non potuiſſent. Tubæ, & alia ſonorum inſtrumenta innumera erant. Illuc prægrandes libros, cæremonias eorum continentes, paunos, & alia ad eorum diabolicum ſacrificium concernentia portaverant. Molæ ad grana terendum, clibani ad panem decoquendum, vaſa diverſa ad eorum uſum ſpectantia infinita erant: quæ omnia ex iis multo plura, non uno, ſed pluribus diebus, non ſine maximis laboribus illuc adduxe-*

xerunt. Canes etiam ad Chriſtianorum carnem vorandam, fœminas CMXXX.
formoſas ad eorum virtutem effœminandam advectaſſe, relatu veriſſimo audivimus: Equites, pedites, foſſores, magiſtri bombardarum nobiliores & potentiores ex omni dominio Turcarum illic erant electi. Vice-Imperator, qui cum primis exercitibus venerat, Principes, ac Proceres illic conſtituebantur cum tanto apparatu, ut non ad obſidendum caſtrum illud, ſed ad expugnandam Hungariam, & alia regna tamquam victores ſe conferentes. Audivimus enim ex illis, qui fugerunt ad nos, ipſum maximum Turcarum Imperatorem per ſuum Prophetam Mahometh, & per ſalutem ſuam juraſſe ſe ad duos menſes capta Hungaria, Budæ cœnam habiturum; neſciens quod omnia, quæ portare fecerat, ad utilitatem & triumphum Chriſtianorum, ad Turcarum autem excidium & confuſionem erant ceſſura. Sicque Turcarum caſtra locantur non valde remota a caſtro Belgradi. Imperator autem ipſorum eminenti loco conſtituitur, quem circumdant atque vallant pro ſua cuſtodia cum tentoriis & vexillis quinque millia Janiſerorum, quos Italice proviſionati *vocamus; qui nobiliores, fortiores, electiores, & intimiores ac fideliores ipſi erant. Per aquas etiam aſcendentes, ſexaginta quatuor galeas cum multis ſcaphis & naviculis in ſervitium galearum violenter deducebant; quæ a Domino Joanne, nec ab aliis in tranſitu oppidi Carin impediri non poterant: in quibus galeis homines diverſæ linguæ, variæque nationis in bello navali exercitati erant. In his multitudo armorum, veſtimentorum, & rerum pretioſarum ſervata manebat; quarum quidem galearum fabricatio mirabilis erat & nova, quæ artificioſe ad impugnandum & expugnandum diſpoſitæ, non ut ligna, ſed ut velociſſimæ ſagittæ per aquas volabant; inter quas quædam aliis major ac velocior apparebat: in hac tantum ſinguli nobiliores & aſtutiores cum multis armis & vexillis ſtabant; hæc ſiquidem altis audacior erat, & ad illudendum ſive inſultandum Chriſtianis ſæpenumero juxta levitatem currens per modicum apparebat. Hæc denique omnium aliarum Imperatrix & gubernatrix extabat. Sed ut brevius dicam, quidquid ad expugnandum ipſum caſtrum, & ad occupandam Hungariam Turcarum aſtutia a multis temporibus poterat excogitare, illuc tam per terram, quam per aquam infideles contulerunt. Sed quia exercitus terreſtris nondum loca firmaverat, ſtabant ipſæ galeæ remotæ a civitate. Imperator autem populi Dei cruceſignatus ipſe beatus Pater fr. Joannes, cum videret jam caſtrum obſeſſum, & Turcas dietim plures advenientes, ac ſe parantes ad expugnationem caſtri, ut eo obtento, valerent Hungariam occupare, conſiderans eorum potentiam, & ingenia tam per aquam quam per terram, necnon Cruceſignatorum defendentium paucitatem, decrevit eos, quos ubique cruce ſignaverat, accerſere. Sicque quarta die menſis ipſius, celebrata Miſſa, & ſermone publice facto exhortatorio ad cuſtodiam, & ad virilem defenſionem & reſiſtentiam, aſſumptis ſecum quatuor Fratribus, videlicet Fratribus Georgio & Franciſco Hungaris, Alexandro de Raguſio, & Ambroſio Aquilano; reliquis in caſtro dimiſſis cum benedictione & exhortatione ad martyrium, & ad opera miſericordiæ & pietatis; inde ad Petrovaradinum navigio ſociatus duabus navibus Domini Caſtellani, non ſine maximo periculo ſe velociter contulit, prius dicens caſtellanis:* Non timeatis, ſed reſiſtite fortiter, quia, Domino favente, in brevi temporis ſpatio tantam Cruceſignatorum multitudinem advocabo, quod Turcæ magnopere ſtupebunt. *Deinde nobis mandavit, ac perſuaſit, ut ad martyrium nos, ſi daretur occaſio, præpararemus; dabat tamen optimam ſpem boni ſucceſſus; & quod inſiſteremus operibus miſericordiæ:* Audite confeſſiones, ſedate diſcordias, curate

vulneratos & infirmos, ſepelite mortuos, prædicate reſiſtentiam & fortitudinem: Vos autem ſacerdotes, cavete vobis ne aliquem Turcarum percutiatis, nec ad percutiendum, ſive ad occidendum lapides aut ſagittas, ſive etiam arma aliis miniſtretis, nec paretis. Arma hæc veſtra contra inimicos crucis Chriſti ſint, orationes, ſacrificia, & opera miſericordiæ, ac ſacramentorum adminiſtratio. Fratribus vero laicis ego non pono regulam, aut aliter mando, niſi quantum Deus eis inſpirabit. *Sed hic etiam nota, ſenior amantiſſime, zelum ipſius ſanctiſſimi Patris erga animarum ſalutem. Cum enim ad dictum oppidum pro congregandis hominibus aſcendendo audiret, ex quadam villa non multum remota a Danubio homines a facie Turcarum aufugiſſe, ſpiritu divino inſpirante, contradicentibus nautis (nam magnus timor de Turcis proximis erat) ad illam villam divertit: qua circumſpecta ac perluſtrata, invenit quamdam puellulam filiam ſchiſmatici ibi oblivione relictam, quam ipſe animarum zelator accipiens ſecum per navem, ad Salahamen deportavit, & ſpiritualem patrem & matrem ei adinvenit, quibus alendam tradidit, & ſuo tempore maritandam. Cum autem intrepidus ac ſollicitus Capitaneus Dei eſſet in Petrovaradino, nunciat Domino Gubernatori excidium & periculum totius Chriſtianæ religionis, rogans eum, ut tanto diſcrimini pro amore Dei, & fidei Catholicæ, ac pro honore ſuo velit aſſiſtere. Qui quidem Dominus poſt tranſitum galearum Turcarum receſſerat ex oppido Carim, manebatque cum ſua ſolita & honorabili familia in quadam ſecura planitie: qui licet ſemper fuit fidei Catholicæ maximus propugnator, & acerrimus regni Hungariæ defenſor ac Gubernator; quia tamen apud Regiam Majeſtatem exoſus redditus fuerat, falſeque criminatus, quia nullus etiam de Baronibus regni ad tam imminens & magnum periculum movebatur, quia ſciebat tantam Turcorum potentiam ab inermibus Cruceſignatis non poſſe ſuperari, tum etiam quia ſeipſum credere nolebat Cruceſignatis; huic rei aſſiſtere renuebat, licet maximi doloris aculeis pungeretur, quia Turcæ per Nanderalbam ad Hungariam introirent: nam hoc caſtrum, licet pertineret ad dictum Regem Hungariæ, erat tamen ſub ipſius cuſtodia, ipſeque Dominus præfecerat eidem caſtro Dominum Michaelem, & Dominum Joannem Baſtidam. Pulſatus tamen litteris & nunciis ac precibus venit ad beatum patrem, quem miro modo honorabat & amabat. Poſt multa verba, quæ ſcribere longum eſſet, tandem omnibus poſtpoſitis, cauſam defenſionis aſſumpſit. Convenerunt que pariter, ut tam homines Cruceſignati, quam naviculæ, quæ poſſent haberi, ad Salankemen congregarentur, & ipſe beatiſſimus pater ſcribit litteras, mittit Fratres, admonet Barones, Prælatos rogat ut quotquot habent Cruceſignatos mittant, ac ipſi veniant. Ipſe etiam perſonaliter contulit ſe Bachiam ad Reverendiſs. Dominum D. Raphaelem Archiepiſcopum, eum ſollicitans, eique dixit imminens periculum. Admonentur Cruceſignati, præcipitur ſub excommunicationis pœna, ut omnes ad Salankemen conveniant. Datur eis ſpes victoriæ; datur & deſiderium martyrii, ſicque fama per totum regnum diffunditur. Reverendiſſimus Dominus Legatus deſcenſurus ad defenſionem prædicti caſtri diſponit arma, advocat Cruceſignatos. Budæ tunc moram trahebat; animat familiam ſuam contra Turcas, invenitque victualia; ſicque paratus deſcendere, præmittit Dominum Epiſcopum Aſſiſii ad Petrovaradinum, ut ex ipſo de occurrentibus fiat certior, nuncietque ipſius in brevi deſcenſum. Jam incipiunt Cruceſignati ad locum præſignatum convenire, jam pauperes excitantur, divites ac nobiles domi ſedent, fama undique volat, litteræ crebræ mittuntur; & pater ipſe zelo defenſionis accenſus, & tam ſolemne periculum in Chriſtianos videns, neque comedendi, neque bibendi, ne-*

q

que etiam dormiendi curam habebat. Dominus autem Joannes ad exhortationem ipſius Patris naviculas advocat, & ſic per decem dies, viciniores adveniunt Cruceſignati. Interea Turcæ potentiſſime caſtrum obſederunt, diſponuntur maximæ bombardæ in trina locatione, ut ex tali diſpoſitione quilibet murorum ſolo æquaretur. Inter eas locantur bombardæ communes ac majores ad majorum cuſtodiam & defenſionem: expugnantur turres, propugnacula dejiciuntur, & per ſpatium decem dierum ferme omnes muri caſtri ſolo æquati ſunt, reſtabant tamen turres interiores caſtri, nam terribiles lapides in una percuſſione maximam partem murorum quantumcumque difficilem deſtruebant. Ac ita ipſæ majores diſpoſitæ & locatæ erant, ut quamlibet earum ſolus puer ad libitum vertiſſet. Horum omnium magiſtri erant Itali, Alemanni, Hungari, Boſnenſes, & Sclavi. Iſti erant doctiſſimi & electi ad recte percutiendum cum eis tamquam cum baliſtis, nec deerant, qui portarent cum maximis corbibus ſaxa, nec qui de his rotundos diſponerent lapides: alii pulveres, alii ignem miniſtrabant, fecerantque ante ea maximam terræ congeriem, ut tam projicientes, quam ſtantes a caſtri bombardis minime læderentur, qui magiſtri tam nocturno tempore quam diurno in projiciendo laborabant. Nos autem, etſi in die ad ſignum campanellæ ad lamas ſive ad teſtudines ſub arcubus oſtiorum, portarum, atque feneſtrarum confugeremus, in nocte tamen divinæ diſpoſitioni nos committebamus expectantes martyrium, & gladium aut lapides Turcarum ſuper nos. Tunc, Pater Reverende, confeſſioni & fletui inſiſtebamus, tunc ſpirituali locutioni, tunc ſacrificiis, tunc orationibus, tunc peccatorum noſtrorum contritioni operam dabamus, tunc ſtrictum ſilentium ſervabatur. O ſacrum tempus! O dies plenos ſpirituali mæſtitia! Erat tamen Caſtellanus boni animi, ſperabatque præſidium utriuſque Joannis, venienſque frequenter ad nos: Ne timeatis, *ajebat; & cum ſemel in Eccleſia, quæ erat in caſtro, ego celebrarem, eſſemque in præcinctu communionis, ecce maximus lapis majoris bombardæ Turcarum percuſſit tectum ipſius Eccleſiæ, ex quo homines foras fugientes me ſolum reliquerunt. Poſtea acceptis omnibus paramentis, ad eos confugi; & tunc in palatio ereximus altare, & ibi ſacrificia & orationes fiebant. Sola per Danubium ſpes reſtabat. Interea beatiſſimo patre congregationi Cruceſignatorum inſiſtente, ecce galeæ Turcarum impetuoſiſſime ac velociſſime a latere Danubii aſcendentes, tranſitum Danubii occupant, ſicque ſpes præſidii & ſubventionis adimitur; neque amplius beati Patris, neque Domini Joannis auxilium expectatur. Etſi vero nos ad martyrium unanimiter diſpoſiti eſſemus, eramus omnes in maxima mæſtitia. Erat jam tam in caſtro quam in civitate peſtis valida, & penuria maxima, neque ei alimentum per Danubium poterat portari. Galeæ vero ſparguntur per Danubium, oſtendunt lætitiam, adhærent littoribus; deſcendunt ex iis homines, jam ſecant frumenta, excutiunt paleas, purgant triticum, onerant ex eo ſcaphas, portantque illud ad caſtra; ſicque paucis diebus omnes campi Danubio juncti tritico, ovena, hordeoque, quibus pleni erant, evacuantur: quæ omnia ex caſtro aperte videbantur. Poſt hoc firmant ſe galeæ ſuper caſtrum ad unum milliare Italicum, juxta quamdam villam, quæ appellatur Semly; hæc ſiquidem villa, ut apparet, civitas magna fuerat, nunc autem ex incendio Turcarum ſuperiore tempore in villam redacta eſt. Deſtitutum jam erat caſtrum omni humano ſubſidio: ex his galeis nonnullæ crebro deſcendebant adverſus caſtrum, ſive potius civitatem, & aliquando naviculæ civium obſiſtentes cum eis pugnam capiebant; ſed veniens ſemel illa ornatiſſima galea, de qua ſupra tactum eſt, plena vexillis, ſonis, & nobilibus Turcis, & cum eorum actibus ridens Chriſtianos, quaſi dicerent:* jam eſtis

in noſtris manibus, jam Deus veſter non poteſt vos juvare, jam evadere non poteſtis, jam Hungaria eſt noſtra, *cum ſimilibus. O Deus Omnipotens! quidam terribiliſſimus lapis e majoribus bombardis exiens, ac caſtrum & civitatem tranſcendens, præter voluntatem emittentis decidit ſuper illam illudentium ac jactantium galeam, quæ mox, nemine evadente, partim ſubmerſa eſt, partim ſubmergenda confracta ſuper aquas natabat. At præſto fuerunt cives, qui ad eam navigantes, omnia vexilla, veſtimenta, & ea quæ tam cito ſubmerſa non fuerant, interfectis iis qui vivebant, rapuerunt. Quem lapidem, honorande Pater, per manus Domini, qui ſe ſpernentes non ſuſtinet, emiſſum fuiſſe puto. Audiens autem pius Pater caſtrum bombardis horribiliter expugnari, & magis ac magis Turcarum animos immaniſſimos contra illud accendi, audiens etiam galeas ipſum jam tranſitum tenere, nec eſſe aditum ad caſtrum, nec poſſe alimenta obſeſſis terris mitti, neque præſidium dari, nec etiam eis ſubveniri, niſi prius Turcarum galeis fugatis ex Danubio, tranſitum recuperarent, conſulit Domino Joanni, eum ſollicitans, ut quotquot naviculas e vicinis partibus poſſet habere, in Salankemen faceret adunari, cui etiam operi ipſe Dominus prius vacaverat. Illico factum eſt: nam in paucis diebus quaſi ducentæ naviculæ, ad uſum hominum deputatæ, illuc conductæ ſunt; quæ multis magiſtris adhibitis, ad impugnandum & propugnandum extemplo cum aſſibus ſunt diſpoſitæ. Replentur arculæ ſagittis, baliſtis, ſcopettis, atque pixidibus: congeruntur ſaxa, fiunt propugnacula, victualia immittuntur, & electis ac fortibus Cruceſignatis replentur. Quibus præco Dei poſt exhortationem prius factam ad defenſionem fidei Chriſtianæ, & plenariam remiſſionem omnium peccatorum, & ad martyrium, non aliud, quam nomen Jeſu invocandum, & acclamandum tam in aqua, quam in terra præcepit. Monent utrique Joannes nocturno tempore, non ſine periculo Turcarum, caſtellanos, ut feria quarta proxima futura, videlicet die* XIV. *menſis, quot poſſent, naves parent atque diſponant, & cum ipſos deſcendentes ad talem locum viderint, etiam ipſi cum dictis navibus aſcendant. Qui confeſtim quadraginta naviculas coaptant, & eas ſolum civibus tribuunt gubernandas; nam licet hujuſmodi cives ſint ſchiſmatici, ſunt tamen inimiciſſimi Turcis, & ab eis magis quam ab aliis Turcæ timent: ſunt etiam doctiſſimi ſagittarii, nec terga vertunt. Iſtis igitur dictæ naves completæ fuerunt. Ipſe autem Dominus Joannes, quia non confidens in tali navicularum apparatu, tam ſuperiorum quam inferiorum, diſponit unam maximam navem quaſi rectricem, conſervatricem, & coadiutricem omnium aliarum, replens eam armis, plumbis, munitionibus, & perſonis ſuæ familiæ. In hac tota ſpes poſita erat, in hac confidentia, & omnis ſecuritas ponebatur. Quibus omnibus diſpoſitis, cum dies ſtatuta adveniſſet, ſuperiores naviculæ ſic armatæ verſus Turcas animoſe deſcendere incipiunt, poſt quas non remote ducitur navis magna, Cuſtos, Protectrix & auxiliatrix. Præcedit Pater patronus Cruceſignatorum ſecus Danubium, inde omnibus pro confidentia ingerenda viſibilis apparet. Petrus autem, nobilis vir, vexillum ipſius alacriter ferebat. Ipſe vero Dominus Joannes remotus cum nonnullis equitibus ad cuſtodiam navicularum per terram deſcendebat: quas cum Turcæ vidiſſent, irridentes illas, ſtrinxerunt ſe, & in modum pontis fortiſſimi firmaverunt ſe invicem colligentes; parantque ſe ad reſiſtendum, credentes illas omnino lucrari. Naviculæ autem civitatis viſis ſuperioribus, jam rite, celeriter & animoſe aſcendere cœperunt. Jam fremente intra ſe Patre Athleta, & nomen Jeſu invocante, incipiunt Chriſtiani bellum. Dominus autem Joannes potenter & aſtute advertebat, ne ſubſidium ex caſtris Turcarum ad galeas mit-*

mitteretur, aut ne Turcæ de aqua ſaltantes terram occuparent, aut etiam ne per terram evaderent. Reſiſtunt Turcæ Chriſtianis, nec unus ab altero ſolvitur. Pater beatus ad littus manens, crucem vexilli in faciem ipſorum dirigebat, quaſi diceret: ecce crucem Domini, fugite partes adverſæ, *diſturrens hinc inde in modum robuſtiſſimi juvenis, & invocans ſanctiſſimum nomen Jeſu. Supervenientibus autem ex civitate navibus quadraginta, undique Turcæ vallantur, undique naviculis cinguntur, undique etiam ab eiſdem moleſtantur. Quibus ſolutis, & involuntarie ab invicem ſeparatis, jam veniunt ad manus. Reſonant maximi ſtrepitus, ſcopettæ & pixides utrimque exploduntur, voces ac clamores ad cœlum dantur, enſibus & gladiis, ac lapidibus ſeſe mutuo percutiunt; beatiſſimo Patre orante manibus junctis, ac oculis ad cœlum elevatis, ut ipſe Deus cauſam ſuam tueri dignaretur, invocando nomen Jeſu in auxilium Chriſtianorum. Oratio etiam in caſtro fiebat aſſidue. Solvuntur Turcarum galeæ, ſparguntur per Danubium, impetuntur baliſtis, arcubus atque ſpingardis, ſicque per ſpatium quinque horarum duravit bellum tam atrox in flumine. Quid multis immoror? finito bello, viſæ ſunt tres magnæ Turcarum galeæ ſuffocatæ cum perſonis, quatuor captæ cum omnibus munitionibus & ornamentis eorum; reliquæ autem galeæ remigantes velociter deſcenderunt ad locum ubi prius ſteterant, perſonis fere omnibus vulneratis ad mortem. Suffocati ſunt Turcæ ultra quingentos. Quæ autem ſuperfuerunt galeæ ita debilitatæ fuerunt, quod numquam amplius Chriſtianis obeſſe, nec Turcis prodeſſe potuerunt. Præter ea, quæ hic Chriſtiani lucrati ſunt, duo nobiliſſima veſtimenta longa uſque ad talum, & artificioſe ad pugnandum diſpoſita, a quodam ex Cruciferis beato Patri præſentata fuerunt, quæ adveniente Reverendiſſimo Domino Legato, ſibi dono dederat. Hic inter alios duo nobiliſſimi Turcæ juvenes ad Patrem beatum ducti fuerunt, qui poſtquam neque perſuaſionibus, neque precibus, neque blanditiis, neque etiam minis baptiſmum voluerunt, miſſi ſunt ad Dominum Joannem quaſi pro triumpho victoriæ, quos cum ipſe acerrimus Turcarum inimicus vidiſſet, juſſit ante ſe decapitari. Cui domino cum diceretur: carcere ac vinculis afflictos aliquot diebus teneamus eos, forte baptizabuntur; ait illico:* decapitetis eos, & poſtea baptizetis. *Illi autem Turcæ contendentes, ac dicentes ſe velle opinionem Majorum tenere, mox capitis abſciſſione mortui ſunt, & feris ac avibus vorandi in campo remotiſſimo derelicti. Nemo tantum dominum de crudelitate criminetur, ſed potius de zelo fidei Catholicæ, & de inimicitia contra offendentes Chriſtianam religionem laudandus eſt. Quod autem eos dixerit baptizandos poſt mortem, irriſive dixit ipſe; ut enim ſciebat duritiam Turcarum, eoſque numquam convertendos, & illud* baptizetis eos, *erat quaſi diceret, ac abſciſſis capitibus, ſubmergatis eos in Danubio. Hæc dixerim, optime Pater, ad excuſationem Magnifici Domini Joannis. Ut ad hiſtoriam redeam, ſic, Domino favente, recuperatus eſt Danubius. Jam ſpes datur obſeſſis, jam lætantur, qui in triſtitia fuerant, jam jubilant, qui mœſti manebant, jam parum obſeſſi bombardas timent, jam ruinæ murorum caſtri reparari debebant, jam pluunt victualia, jam tritica & vina deſcendunt, jam ſpes evaſionis advenit, ſicque tam civitas quam caſtrum ſigna lætitiæ oſtendunt, Turcis triſtantibus. Et hic, Pater optime, nota, quod volens Omnipotens Deus oſtendere, ſua manu, & non humana induſtria fieri hanc glorioſam victoriam in Danubio habitam, ſua permiſſione factum eſt ut illa navis tam magna & artificioſe parata, & in qua tota humana ſpes poſita erat potius quam in naviculis pauperum, jam incepto bello, ex imprudentia accenſis pulveribus bombardarum, tota com-*

combuſta eſt. Non deſiſtunt interea Turcæ ab expugnatione caſtri, ſed multo ardentius ſolito die noctuque feſtinant ad ruinam murorum & turrium; & vexilla illa Turcis capta, quibus ipſe Dominus Michael per circuitum murorum caſtrum cinxerat & ornaverat in conſpectu Turcarum, ad eorum audaciam comprimendam, ictibus bombardarum lacerata deciderant, ac conculcata jacebant. Parant jam lignamina Turcæ, paleas portant, ſimum, cineresque componunt, coacervant lapides, arbuſtaque cumulant, ut foſſata, quæ magna ac lata erant, valeant replere, ac foſſatis repletis, liberum aditum ad caſtrum habeant. Sed non ſic impii, non ſic, ſed tamquam pulvis, *Pſalm. 1. 4.* quem proicit ventus a facie terræ. *Bombardæ etiam, ut dictum eſt, ſuper trina locatione locatæ, ac vallatæ foſſis, ac terrarum cumulis ſic firmatæ, ac cuſtoditæ tenebantur, ut totius, ut ita dicam, mundi viribus ab eis violenter non potuiſſent auferri. Ut illuc redeam unde diverticulum feci, Pater optime, facta in aqua hac victoria, non ſine maxima lætitia intrantes utrique Joannes vident caſtrum, vident murorum ruinam, conſiderant Turcarum immanitatem & propoſitum, & ad exhortationem beati Patris accingitur Joannes ad reparationem; repletur fortitudine, animatur ad verbum Patris: ſed eo die, quo intraverunt, cum videret ipſe Dominus Joannes nonnullos Turcarum circa caſtrum deambulare, quaſi vellent irritare Chriſtianos ad certamen, mandat ipſe Dominus aliquos ex ſua familia armari, ac cum eis bellare: inter quos quidam de intimioribus ipſius, nomine Foreas, veniens ad Patrem petivit benedictionem, quia vellet ex præcepto Domini ſui cum Turcis bellare. Pater dixit ſibi:* Es tu confeſſus & communicatus? *dicenti* ita, *benedixit. At ille exiens, & ſtrenue ſe habens interfecit nonnullos Turcas, tamdem & ipſe fuit interfectus; cujus mors nimium fuit Domino ſuo moleſta. Dixi hæc, Pater, quia nonnulli veritatis inimici auſi ſunt dicere, illum ex præcepto beati Patris ad pugnandum cum Turcis caſtrum exiviſſe: omnes autem, qui erant in caſtro ex præſentia tam Domini Joannis, quam beati Patris gaudio magno perfuſi manebant. Ipſe vero Dominus, emiſſis omnibus cruceſignatis, qui in caſtro fuerant, alios recentes intromiſit. Vulneratos autem & infirmos ad ſuperiores civitates curandos pie deſtinavit, & navigio deferri fecit. Pater Fratres ſuis verbis conſolatus eſt, ſimulque cum ipſis brevem ac levem collationem ſumpſit. Reddidit mœſtis lætitiam, pavidis ſecuritatem & dubiis certitudinem; & animatis ac inſtructis omnibus, ſicut prius fecerat, me ſecum ducens, quem inſpiciebat forte debiliorem omnibus, ad locum de Semly, ubi victoria facta fuit, concitus remeavit. In hoc ſiquidem loco Cruceſignati convenire debebant; in hoc Pater ſuum tentorium fixit; in hoc ipſe Dominus Joannes, reparatis muris conſtituebatur, & eſt iſte locus circa Danubium, circa caſtrum, & ad conſpectum Turcarum obſidentium. Sed ea nocte lapis majoris bombardæ cecidit in ſtramine, in quo manens in caſtro ſemper in nocte quieſcere ſolitus eram. Quid? forte ipſe Pater præſcius futurorum me propterea eduxerat? Non dubito; quod ſi illic fuiſſem, ex illo lapide proculdubio occubuiſſem. O immaniſſimi Turcæ, cur prius illum lapidem non projeciſtis, ut mihi corpus contriviſſet! O Pater beatiſſime, cur me illic ſtare non permiſiſti, ut amplius creatorem meum non offendiſſem! Manebat autem bonus Pater in dicto loco advocans, expectans, & recipiens Cruceſignatos, jam undique etiam a remotis partibus advenientes, quia beato Patri & non alteri obediebant tamquam eorum Capitaneo, imo tamquam Vicario Jeſu Chriſti; nec mirum, nam ad ejus prædicationes & monitiones excitati Crucem ab eo ſumpſerant, ſecum in carcerem, & in mortem ire ſibi polliciti; &*

quia

quia eum videbant inter homines Evangelicam vitam ducere, ſuper infirmos mira prodigia facere, vitam ſuam pro Chriſto ponere, quæ ſurſum ſunt ſapere, non quæ ſuper terram, pro regni liberatione indefeſſè laborare, & propterea omnes ei obedire affectabant, & ut Apoſtolum ſibi cœlitus miſſum miro modo diligebant & timebant. Ipſe enim erat omnium Cruceſignatorum Rector, Judex, Dux, Capitaneus & Imperator. Sane hîc, dulciſſime Pater, advertendum eſt, quod ex litteris, nunciis, & rumoribus omnes Cruceſignati commoti properabant ad beatum Patrem in præfato loco conſtitutum, miro, devoto & ferventi modo venientes; non turmatim omnes, ſed ex ſingulis patriis & locis illuc adventabant ſingulæ turmæ, ſuum vexillum præferentes. Vexilla autem ab uno latere Crucis ſignum, ab altero beatorum Franciſci, aut Antonii, aut Ludovici, aut Bernardini figuras habebant, ut ex hac innueretur, ab illis eos Cruceſignatos collectos eſſe, qui Ordinis erant Minorum, aut ut intelligeretur, illam Cruciatam ſolum pauperum & non divitum eſſe, & Capitaneum eorum pauperem. Vel hoc faciebant, ut conformarent ſe cum vexillo Patris eorum; vel ut horum ſanctorum patrociniis ſub eorum vexillis juvari mererentur. Nec deerant cuilibet turmæ varia ſonorum inſtrumenta ad animos excitandum. Ibi tubæ, ibi cornua, ibi tympana, ibi cytharæ, ibi campanellæ, ibi ſonorum ſtrepitus reſonantes potius ad alliciendum animalia quam homines. Patri autem duo tibicines ex mandato Dom. Joannis erant, iis enim inſtrumentis ipſi vigiles, ſolliciti, ac læti reddebantur; nec prius ſe locabant, niſi prius ante beatum Patrem oſtenſione facta in modum proceſſionis, & recepta benedictione, ab eo locus ac deputata manſio eis ab ipſo patrono populorum deputaretur: qui etiam ita læti, ita jucundi, ita ferventes veniebant, ut non ad bellandum cum Turcis feriſſimis, ſed ad convivia celebranda currere viderentur; ſicque per novem dies undique venientes, ſexaginta millia Cruceſignatorum coadunata ſunt. Qui omnes in Hungaria tam per ipſum beatum Patrem, quam per ſocios ſuos Hungaros Cruce ſignati fuerant, licet inter eos eſſent nonnulli Alemanni, Poloni, Sclavi & Boſnenſes: quibus nulla erat otioſitas, nulla mollities, nulla impudicitia: non ibi ebrietas, non commeſſatio, non inhoneſtas, non concubinarium fœminarum: non ibi verborum vanitas, non ludus, non furta, non rapina: non de abſentibus detractio, non murmuratio, non ſuſurratio, non contumelia inter eos erat; ſed ibi devotio, ibi oratio, ibi Miſſarum frequentia; nam licet ad Miſſam beati Patris plures convenirent, quælibet tamen turma ſuum Sacerdotem ſecularem vel religioſum habebat, a quo ſacramenta crebro recipiebat. Erant etiam complures Sacerdotes & religioſi Cruceſignati, frequenter Miſſas & divina officia cantantes. Ibi jejunium, ibi fidei firmitate crebra ſilentia, ibi de proprio ſanguine Chriſti amore fundendo firma propoſita; ibi nominis Jeſu frequens proclamatio. Pietas inter eos ſumma erat: nonnulli, quibus jam victus decrat, mendicitate & eleemoſynis abunde vivebant. Magna inter eos erat patientia, magna pax, magna concordia; ſummam omnes habebant obedientiam, nam licet non niſi Patri beato obtemperarent, inter ſe mutuo unus alteri ex caritate obediebat. Pater autem ſi ad aquam, ad ignem eos miſiſſet, ut novitii religioſorum ſine triſtitia paruiſſent; & ut ipſorum promptam obedientiam breviter dicam, Patre clamante omnes clamabant, Patre ſive manibus elevatis, ſive in modum Crucis extenſis manente & orante, ſic ipſi faciebant. Patre erigente vexillum, omnes vexilla ſua erigebant; Patre ambulante, & ipſi ambulabant: omnes tamen vexillum ipſius beati Patris concorditer ſequebantur. Rigor etiam juſtitiæ ſervabatur permaximus, nec aliquod delictum impunitum abibat: licet quælibet turma ſive populus ſuum

ſuum Præfectum haberet, omnes cauſæ ad ipſum Patrem tamquam ad communem judicem deferebantur. Si quis tamen eorum publice grave facinus aliquod commiſiſſet, communi judicio publice mulctabatur, ut aliis præberetur exemplum. Quidam ex eis cum nummum furaretur, mox inſcio Patre, fuit ſibi abſciſſu auris dextera. Alteri, cum recuperato paſſu Danubii clam venderet panes carius ſolito, mox ut ad notitiam venit Cruceſignatorum, omnes panes illius in Danubium projecti ſunt; & niſi ego cum quodam alio Fr. Georgio nuncupato illic adfuiſſemus, fuiſſet & ipſe ſubmerſus; fuit tamen diverſis flagellis verberatus. Nolebant quidquam Cruceſignati inter eos committi, quo a Divino cultu amoverentur, dicentes: Venimus ad ſanguinem fundendum, habemuſque conductorem ſanctum, juſtum & pium, & debemus talia mala perpetrare? *Erant & mirabilis caritatis erga Deum, quia pro ſuo honore vitam deponere parati erant. Ex quibus illud Eccleſiaſtici verificatum*

Eccli. 10. 2. *oſtenditur:* Secundum Judicem populi, ſic & Miniſtri ejus; & qualis eſt rector civitatis, tales & habitantes in ea. *Cum autem fere ſexaginta millia Cruceſignatorum adveniſſent, prædicabat eis vir Dei viam ſalutis, hortabatur ad martyrium, ad conſtantiam, & ad defenſionem Chriſtianæ religionis; ac ſub voce præconis imperavit omnibus, ut ſive venirent, ſive recederent, ſive percuterent, ſive percuterentur, nomen Jeſu frequenter invocarent, affirmans non eſſe in aliquo alio ſalutem. Præcepit cum inimicis Chriſti viriliter pugnare, nec inſiſtere rapinis aut ſpoliis:* Propellite, *dicebat*, Turcas; non ſinite ab eis Chriſtianitatem occupari: facile vincimur, ſi ſpoliis inſiſtimus; ſuperabimur a Turcis, ſi propter rapinam eos inſequamur. Si propter fidem bellamus, dabit illos Deus in manibus noſtris, & cuncta eorum bona noſtra erunt: propter Chriſtum viriliter pugnate, & videbitis auxilium Domini ſuper nos. Illis ſuperatis, quæcumque contra nos detulerint, poſſidebimus: eſtote fortes in bello, & pugnate cum antiquo ſerpente, & accipietis regnum æternum. Confiteamini peccata veſtra; ſummus Pontifex dat vobis omnium peccatorum plenariam remiſſionem. O filii mei, & devotiſſimi Hungari, o pauperes ad Turciam, ad Turciam. *Monebat inſuper eos, ne aliquem niſi Turcas moleſtarent, dicens:* Quicumque nobiſcum etiam contra Turcas aſſiſtere volunt, amici noſtri ſunt, Raſſiani Schiſmatici, Valachi, Judæi, Hæretici, & quicumque infideles nobiſcum in hac tempeſtate eſſe volunt, eos amicitia complectamur. Nunc contra Turcas, contra Turcas pugnandum eſt; *ſicque Pater, hæreticæ pravitatis generalis Inquiſitor, licet hujuſmodi hominum perverſorum ſemper fuerit acerrimus perſecutor, extirpator & confuſor, eos tamen, qui contra Turcas arma ſumebant, nolebat tunc aliqua moleſtia conturbari, faciebatque eos ſæpiſſime acclamare nomen Jeſu. Hæc omnia in latiſſimo campo fiebant, Turcis ex caſtris & obſidione ſpectantibus & audientibus. Notandum inſuper, quod licet hoc in loco tam copioſus populus conveniret, nullus de Baronibus illic comparuit præter Illuſtrem & præclarum Dom. Joannem Gubernatorem regni, ut dictum eſt, cum ſua familia. Nondum exercitum inſtauraverat (teſtor Deum & Angelos ejus, quod non mentior in prædictis) licet cum eodem tunc temporis aliqui de ſuis ſubditis & vaſſallis ac nobilibus manerent, ſed ipſe cum ſuo conſilio & auxilio loco omnium aliorum ſatisfecit. Affuit & ille magnificus Baro Dom. Joannes de Borogh, Comes perpetuus de Caſtellis, & Banus Machovienſis, necnon Comitatuum de Orban, & de Poſega Comes; hic enim ratione Banatus illuc adventavit cum nonnullis equitibus, erat enim Nanderalba ſub Banatu ſuo: hic magnum fervorem oſtendebat, vir ſani conſilii, & optimæ diſcretionis ac devotionis. De nobilibus & clientibus, licet multi eſſent Crucis cara-*

ctere

ctere inſigniti, quia mos eſt in Hungaria eos ſub eorum Dominis ad militiam proficiſci, non venientibus Dominis, nullus eorum venit; ſed, ut ſanius dicam, perpauci comparuerunt; ſed omnes, qui convenerant, erant populares, ruſtici, pauperes, Sacerdotes, clerici, ſcholares, ſtudentes, Monachi, Fratres diverſæ Religionis Mendicantes, perſonæ tertii Ordinis ſancti Franciſci, Eremitæ, inter quos pauca arma vidiſſes. Non equos niſi pro deferendis victualibus, non lanceas ibi vidimus, niſi apud eos, qui loricis ſe operirent. Videbantur tamquam David armatus contra Goliath; abundabant gladiis, fuſtibus, fundis, baculis ſicut paſtores. Erant inter eos baliſtæ, arcus, ſcopettæ, ſpingardæ, plumbatæ, uncini ferrei ad rapiendum. O ſi vidiſſes quemdam Priorem Ordinis Eremitarum cum ſeptem Fratribus ſui Conventus, qui zelo fidei, & amore martyrii flagrantes, plicato habitu, accincti gladiis, galeis protecti cum ſcuto ad humeros, quomodo currebant ad martyrium, præ devotione flevisſes! Quorum omnium Pater ipſe beatus, ut ſæpe dictum eſt, erat ductor & rector, ut alter Moyſes, ut alter Joſue. Non ceſſabant interea Turcæ ab expugnatione caſtri, ſed timere incipiebant, ſicut ex ipſiſmet poſtea didiceram, quando ex caſtris videbant tot Cruceſignatos, quos non paucos, aut pauperes, non inermes, ſed totum mundum omnibus armis præfulgidum & munitum illic adunatum ſe vidiſſe putaverunt; Patrem etiam ipſum arbitrabantur totius Mundi Imperatorem. O Deus, quanto jam tunc timore concutiebantur! ideo feſtinabant ad deſtructionem caſtri, prætendebantque lætitiam aliquando ad terrorem Chriſtianorum. Quodam ſero, ut Chriſtianos terrerent, crebros ac maximos ignes ſparſim in caſtris fecerunt, indicantes ex hoc, jam caſtri muris deſtructis, ſe victoriam habituros. Alia nocte Capitaneus Dei in caſtris ſuis plures ignes accendi jubet; populi autem obedientes, tam copioſos & varios ignes fecerunt, ut tota illa magna planities Chriſtianorum unicus & maximus ignis appareret. Ajebat namque ipſe Vir Dei converſus ad maximum Turcam: Igne nos, maxime canis, terrere voluiſti; igne cremaberis, igne expelleris ac fugaberis, *quaſi præſcius futurorum ita dicebat, ſicque confortabat populum, ac perſuadebat omnibus, ne Turcarum Imperatorem, ſed maximum canem dicerent, ægre ferens, ſi alio quam tali nomine nuncuparetur. Sequenti ſero audiuntur in caſtris Turcarum varia inſtrumenta ſonorum pulſari, ac tantam ab eis lætitiam fieri, ut potius victuri, quam vincendi exiſtimarentur. At ipſe Cruciferorum Imperator ſancta invidia accenſus, imperat voce præconis, ut quicumque haberet inſtrumenta ad ſonandum, ſive ad terrendum, poſt mediam noctem ſonent, terreant uſque ad diem, & qui inſtrumentis carerent, ſcuta baculis & lapidibus validiſſime percutiendo, ingentiſſimum & pavidiſſimum ſtrepitum facerent. Luceſcente die, omnes erectis vexillis in conſpectu Turcarum gaudio lætitiaque exultarunt, ſicque totam noctem inſomnem ducentes, non tantulus populus, ſed totus mundus cum diverſis ac variis inſtrumentorum ſonis, & ſtrepitibus ibi adeſſe viſus eſt. Itaque ſonantibus tibicinibus, alii cantant, alii clamant, alii choreas ducunt, alii ad cælum manus cum clamore elevant, alii ſaltant, ſicque faciendo minuunt audatiam Turcis, pavorem incutiunt. Sicque talia multi Turcæ videntes & audientes fugiebant, dicentes:* Recedamus, quia ecce totus mundus in auxilium venit Chriſtianorum, &, ut videmus, noſtram derident potentiam. *At ille immaniſſimus canis magis ac magis ira furiaque in Chriſtianos accenſus, ardentius ſolito jubet continuari bombardas, feſtinatque montes terræ caſtro æquare, imperat ſubterraneas fieri cavernas, & congregata pro foſſatis replendis juxta foſſata trahi atque deferri, ut his ſtatuta die foſſatis repletis plano greſſu liber eis ad caſtrum pateret ingreſſus.*

Hic advertendum eſt, quod his undecim diebus, quibus poſt victoriam navalem in hoc loco beatus Pater cum Cruceſignatis, ut dictum eſt, permanſit, crebro caſtrum ingrediebatur, emittebat a caſtro debiles, puſillanimes, infirmos, vulneratos, & pauperes; ſi qui autem mortui erant, ſepeliri faciebat, introducebatque illuc novos, animoſos, robuſtos & conſtantes Cruceſignatos, quos Domino Michaeli commendabat; quibus ut prioribus cuſtodiam caſtri, martyrium & conſtantiam prædicabat, monefaciens eos, ut caſtellanis obedirent, & ſic diſpoſito caſtro ad exercitum remeabat. Quale autem exercitium in caſtris ſuis ipſe habuit, facile perpendi poteſt ex hoc, quod cibum jam non ſumebat; ſi quando cauſa quieſcendi jacere volebat, nuda terra laſſato corpuſculo lectus erat: ſi ſitiebat, aut vinum calidiſſimum ex ſole cum aqua turbida & fœtenti bibebat, aut ipſam puram aquam. Somnum non capiebat; & cum eſſet ſeptuagenarius, in laboribus, in vigiliis, in malis ſuſſerendis erat robuſtiſſimus juvenis: modo intrabat, modo exibat caſtrum, modo docebat, modo monebat, modo hortabatur, modo corrigebat, modo etiam imperabat; ſuique officii erat tam caſtrum, quam etiam caſtra populorum cuſtodire, ponens cuſtodias, faciens fieri vigilias, & mittens exploratores: labores, ſudores, occupationes & curas tantas habebat, ut nullus ita robuſtus, præſertim hiſce diebus, inventus eſt, qui cum eo perſevorare poſſet; non quidem equites eum in tantis laboribus ſequi poterant; fortiſſimi & aſſuetiſſimi laboribus deficiebant. Quid plus? Dom. Joannes Gubernator videns eum in tantis laboribus occupatum, & quod ei cura omnium incumbebat, meliorem, quem habebat, equum illi dono dedit, qui adeo ſuo aſſiduo labore fatigatus eſt iis paucis diebus, ut in medio populorum, non ſine maxima admiratione omnium & compaſſione, decorjatus extitit; & cum jam ex aſſiduo labore remiſſius ſe debuiſſet habere, in dies magis ac magis fortior apparebat. Miſſas ſingulis diebus cum collectis: Ne deſpicias populum tuum Domine &c. *ut in Miſſali pro quacumque tribulatione, aut*: Hoſtium noſtrorum, quæſumus Domine, elide ſuperbiam, *ut ibidem contra perſecutores & male agentes; aut* Omnipotens ſempiterne Deus, in cujus manu &c. *ut ibidem contra Paganos, quotidie celebrabat, hortans populum ut prius. O Patrem ſenio jam confectum indefeſſiſſimum! O beatum virum, omni honore & reverentia proſequendum! O Athletam Chriſti nullo labore victum! licet enim ætate reficiebaris, continuis tamen laboribus numquam ſenuiſti: in te caritas, in te ſpes & fiducia permaxima; in te fides inexplicabilis, in te zelus martyrii, in te fervor ille acenſiſſimus indicibiliter vigebat. Stabat & ille Dom. Joannes cum Dom. Michaele, & quidquid ex machinis Turcarum in nocte ruebat, in die reparabat. In tentorio ſuo aſſidue pernoctabat, laborabatque indefeſſe pro caſtri conſervatione; & quotquot Cruceſignatis pro defenſione caſtri indigebat, aut per ſe, aut per nuncium beato Patri intimabat. Pater, aſſumptis defenſoribus, per Danubium, aut per portam poſteriorem caſtri ad caſtrum deducebat, talique modo caſtrum illis diebus ſervabat: qui Dom. Joannes, licet ruinas murorum non deſineret reparare, tam ipſe quam Michael credebant caſtrum in brevi ad manus inimicorum deventurum, idque nunciant beato Patri; qui ſciens, quæ ventura erant, procurabat auferre ab eis timorem, & tribuere eis ſpem victoriæ & liberationis, hortans inſuper eos ad reparationem, dicens*: Non timeatis, magnifici domini, potens eſt Deus liberare populum ſuum, *& ſimilia. Notandum eſt hic, quod Reverendiſs. Dom. Legatus his diebus litteras dedit ad utrumque Joannem ex Buda, nuncians ne aliquo modo conſererent bellum cum Turcis; ipſe enim in brevi deſcenderet cum valida manu, motus ex hoc quod tantus populus inermis & inuſitatus ad bellum illic con-*

gre-

gregatus diceretur; timebat enim, ne omnes in manus Turcarum devenirent. Rationabile & opportunum visum, ut talis defectus cito fieret, & manum validam afferret. Ex hoc Legati præcepto aliqui detractores beatissimi Patris arguunt ipsum fuisse inobedientem, ex hoc quia divino impulsu bellum gessit cum Turcis. Si Crucesignati victi fuissent, quid hujusmodi æmuli contra ipsum dixissent? Tales non attendunt, quod solum ex industria, oratione, prædicatione, incitatione, & laboribus tanti Patris tota Christianitas liberata est? Certe obediebat R. Domino Legato tamquam summo Pontifici, sed quia fuit a Deo impulsus, & a Turcis provocatus, ideo, ut mox dicetur, gessit bellum contra illos: sed ecce jam omnia mœnia solo æquata sunt, jam turris illa maxima, & quasi plumbea per medium scissa est, in qua manebant vigiles, & in qua signa fiebant ad evitationem bombardarum. At quia ex alia turri maximum canem cum quodam cornu verba formando quidam deridebat, & ex ea nonnulla damna castris Turcarum fiebant, nam me præsente, tribus ictibus bombardæ quidam sacerdos capellanus castri septem Turcas interemit, jam crudelissimi Turcæ castrum expugnare cum tota eorum potentia statuunt; jam præconizatur, ut primis intrantibus maxima dona tribuantur, secundis & tertiis, & sic gradatim, idque cito se facturos deliberant; videbant enim dietim exercitum Christianorum multiplicari, & ut dictum est, videbatur eis quod totus mundus illic contra eos veniret. Sic se omnes accingunt, ut sequenti die in vigilia sanctæ Magdalenæ id fiat. Jam bombardæ & pixides silebant, jam per castra discurrebant solliciti. His visis & consideratis Dominus Joannes, Regni & Catholicæ fidei fidelissimus propugnator, omissa murorum reparatione, nimium fatigatus de nocte venit ad beatum Patrem, dicens: Ecce, Pater, victi sumus, succumbimus omnino Turcis: jam pluries de ipsis triumphum victoriæ reportavi, & quidem aliquoties non ex multitudine armatorum, non ex fortitudine bellantium, sed diligentia, industria, & astutia eos contrivi; scioque mores eorum in re militari. Nunc autem nullum ingenium, nulla industria, nullaque astutia contra eos mihi est, neque offendendi, neque defendendi argumentum mihi restat. Quod potui, feci; nunc omnino deficio, nec est via castrum amplius defendendi: jam castrum non potest amplius reparari, jam muri omnes & turres destructæ sunt, jam Turcis aditus patet, nos pauci sumus ad tantam multitudinem, & inexpertos homines habemus, inermes, pauperes, & debiles, ac timidos: Barones non conveniunt; quid nos amplius possumus? *Cui Pater consolationis ait:* Ne timeas, magnifice Domine: potens est Deus cum paucis & inermibus Turcarum potentiam superare, castrum defendere, & inimicos suos confundere. *Voluit Deus hæc dixisse magnificum Dominum, ut futurum & excellens miraculum clarius, certius & mirabilius mortalium mentibus appareret, & ea, quæ dextera Dei factura erat, non humanæ, sed divinæ potentiæ adscriberentur. Ille autem castrum amplius non intravit, sed in eo nonnulli de sua familia pro defensione manebant. Ajebat namque ipse Dominus:* Cras omnino castrum non erit nostrum, sed Turcæ illo potientur. *His Pater auditis, lætus e contra ajebat Domino Joanni:* Ne timeas, imo erit nostrum, erit nostrum, *sæpius replicando:* causa Dei agitur, nomen Christi defenditur; sum certus quod Deus causam suam tuebitur. *O confidentissimum patrem! quis illum laudibus non efferat & præconiis? Veruntamen advocavit e foris quotuor millia ex Crucesignatis, qui fortiores, animosiores, fideliores, & amantiores videbantur. Quos recensitos, suo vexillo præcunte, ad castrum introduxit. Illi vero ita lati, beati Viri vexillum sequebantur, ut non ad eorum sanguinem fundendum,*

dum, & ad moriendum, ſed tamquam ad epulas invitati famelici ire viderentur, vel ad maximas divitias obtinendas. Quos cum Pater intromiſiſſet, lætantur omnes, & caſtrum & civitas ſigna lætitiæ libenter oſtendunt. Timebant tamen permaxime omnes. Pater autem omnibus, ut ſolebat, exhortationem facit ad ſollicitam cuſtodiam, ad martyrium, ad defenſionem, ad conſtantiam, & ad fidelitatem, & emiſit debiles, vulneratos, puſillanimes, & inutiles; infirmos autem ad ſuperiores civitates curandos, ut prius fecerat, tranſmiſit: reſtantibus vero non niſi nomen Jeſu invocare & acclamare præcepit, prædicens eis, in hujus ſanctiſſimi nominis virtute Chriſtianos de Turcis omnino victoriam habituros. Dominum autem Michaelem Caſtellanum omni, qua valuit, exhortatione ad prædicta animavit, commendans ei Cruceſignatos, ac dicens ut eis loca defenſionis ſtatueret & aſſignaret. Erat autem ipſe Dominus Michael vir ſtrenuus, & armis exercitatus, animoſus & bellicoſus, qui tum ratione regni, tum ratione Domini Joannis Gubernatoris, cui attinebat, nam uxor ipſius Joannis videlicet Domina Eliſabeth ſoror carnalis eſt Michaelis; tum etiam ratione ſui honoris & famæ, acerrimus caſtri propugnator & defenſor erat. Erat etiam ibi, ut dictum eſt, Dominus Jounnes de Geſt, nobiliſſimus miles & expertiſſimus in caſtris defendendis, vir quidem ingenio, aſtutia & ſagacitate præclarus. Fratres autem ibi quinque reliquit, quibus, ut prius, Pater præcepit, ut inſtarent operibus miſericordiæ, & reciperent martyrium, ſi Deo dare placeret, quia jam inſtabat tempus coronæ. Quibus omnibus rite diſpoſitis, & benedictione data tam caſtro, quam ibi exiſtentibus, ac publice & alte facta acclamatione nominis Jeſu, vexillo præeunte, ad exercitum Chriſtianorum, in eadem planitie commorantem ſecurus & jucundus rediit, ſpem habens in eo, qui in ſe confidentes non confundit. Qua die complures mulieres de civitate ad caſtrum ſe contulerunt, præſertim potiores & virgines, ne ſimul cum aliis in prædam aut in raptum darentur; tutius judicantes in caſtro eſſe, quam in civitate, tum ratione Cruceſignatorum, tum ratione Fratrum, tum etiam, quia non credebant caſtrum, quod tantis defenſoribus a beato Patre munitum erat, faciliter in manus Turcarum deventurum. Nemo miretur, optime ſenior, quod beatus Pater in caſtro illa nocte remanere noluit, nam exercitum maximum habebat, nulli niſi ſibi obedientem. Attendebat ex iis, qui foris erant, dare præſidium intrinſecus pugnantibus, ſi opus eſſet; & quia exercitus erat inordinatus & ignarus, continuo rectore ac directore indigebat, ne ſi quid litigii inter eos oriretur, eo abſente, cui, ut dictum eſt, omnes tantum deferebant, in ſcandalum Cruciatæ redundaret. Præterea pugnantibus in caſtro ſpiritu & oratione, exterioribus vero corporali præſentia præſens erat; illos oratione juvans, hos præceptis ſuaviſſimis corrigens & terrens, dicebatque aſſidue: Salvum fac populum tuum Domine &c. *Circa vero horam tertiam ipſius vigiliæ Turcæ generalem pugnam pro caſtro capiendo commiſſuri, ſecundum morem ipſorum præmittunt orationem, funduntque preces eorum diabolico Mahomet. Per ſpatium itaque non permodicum, pulſatis prius variis ſonorum inſtrumentis, altiſſime vociferantur, ut potius mugitus boum, quam vox hominum crederetur. Sed fit econtra cantus laudum in caſtris Chriſtianorum cum acclamatione nominis Jeſu Chriſti; vexillis erectis fit & in caſtro altiſſima vociferatio, diſponunturque Cruciati ſuper ruinas murorum, accingentes ſe ad prælium, parati vitam pro Chriſto ponere, nec ab aſſignatis locis abire, donec aut mortem pro Chriſto obirent, aut caſtrum liberum ab hoſtibus viderent. Et ecce circa horam veſpertinam ejuſdem diei turmatim Turcæ cum magnis clamoribus irruentes appropinquant caſtro tamquam leones rugientes*

pa-

parati ad prædam: alii faſces lignaminum, alii ſtramina, alii terram, alii fimum, alii cineres in foſſata projiciunt, alii aſſeres lignaque jactant; nonnulli etiam per cavernas ſubterraneas venientes ut lupi rapaces, famelici ad murorum ruinas adventabant, ſicque & replere foſſata, & ad illa venire, atque deſcendere fatagebant. At Cruceſignati pro muro conſtanter manebant; ſollicitante Caſtellano, pixidibus, bombardis, ſcopettis, baliſtis ac ſagittis Turcas vulnerabant, interficiebantque: ſed a Turcis foſſata fere uſque ad medium replentur, non tamen æqualiter pugnam circa ruinas murorum Turcæ ineunt, ut formicæ in foſſatis ſtantes, quæ enumerari non potuiſſent: ſagittant, ſcopetizant, alii lapides, alii ſaxa manibus projiciunt, alii terras fodiunt, alii cavernas latentes faciunt, alii ruinis trabes inclinant, alii aſcendere nituntur; alii lanceis, alii jaculis, alii enſibus terribilibus Chriſtianos percutiunt; ſed & ſagittarii remotius ſtantes, venenoſas ſagittas jacere non deſiſtebant, alii duas, alii tres ſagittas in qualibet vice & unico arcu miro modo jacientes adeo, quod aer ſagittis condenſari videbatur; ſicque uſque ad primam horam noctis atrociter pugnando caſtrum intrare contendunt, ex quibus multi interempti, multique vulnerati a Chriſtianis fuerunt. Chriſtianorum autem, licet ipſi eſſent in muris & propugnaculis caſtri, pauci tunc occiderunt; ſupereminebant enim Turcis, & ſolum lapidibus eos obruebant. Quibus amotis, non ſine maximo eorum damno iterum irruerunt, & alii undique ſtrictius caſtrum cingentes, qui durius & acrius cum Chriſtianis pugnantes, poſt multorum cædem intrarunt caſtrum: ſed Cruceſignati, invocato nomine Jeſu, irruerunt in eos vehementer, per quos multis etiam interemptis, confuſe repulſi ſunt. Clamor inter eos pugnantes erat maximus; exteriores namque nomen diaboli Mahometh, interiores nomen Jeſu Chriſti acclamabant. Stabat ipſe Pater cum ceteris Cruceſignatis ut alter Moyſes orans & dicens: Salvum fac populum tuum Domine, *& ſimilia. Stabant & populi cum eo orantes. Dominus autem Joannes, ut dictum eſt, caſtrum amittendum omnino credebat, & revera humano judicio amitti debebat. Tentant & tertio circa mediam noctem ipſius beatiſſimæ Magdalenæ; veniunt univerſi cum variis inſtrumentis & machinis, vallant undique caſtrum, acerrimam incipiunt pugnam, mortem non timent, & impugnantium jam infinitus erat numerus. Reſiſtunt Chriſticolæ, qui & percuti & mori pro Chriſto affectabant, Turcas repellunt, Turcas lapidibus frangunt, & perimere non deſiſtunt. Juvabantur viciſſim; ſed & mulieres non fœminæ, ſed leænæ videbantur, accinctæ, & quodam virili more honeſte utentes, viris pugnantibus ſagittas, lapides, & alias machinas bellicas miniſtrabant, animum viris tribuebant defendendi pariter & offendendi: vulneratos ex muris ad interiora caſtra trahebant, ferra ſagittarum ex vulneribus manibus & dentibus extrahentes, exercitatæ diu in tali arte belligerandi apparebant; quæ etiam non more fœmineo incedere, ſed volare per caſtellum fatagebant; nec mirum* perche la neceſſità fa buon fanti **: nam in tali exercitio pudicitiam, caſtitatem & virginitatem earum defendebant. Sed jam Chriſticolæ continuo pugnantes, amplius reſiſtere non poſſunt; jam labore, vigiliis & percuſſionibus fatigati & afflicti, ex quibus etiam nonnulli erant mortui, & omnes redduntur debiliores, ſicque Turcæ turmatim, licet multi percuterentur morerenturque, caſtrum ſive planitiem primi caſtri intrare incipiunt, & illam occupare licet cum difficultate. Hic notandum, illud caſtrum Nanderalbæ eſſe tripartitum: primum continet magnum circuitum & planitiem, hic ſunt caſæ habitabiles complurium nobilium: hujus primi caſtri muri deſtructi erant, & cum de hoc ſit aditus ſive deſcenſus ad ci-*

* Neceſſitas bonos facit milites.

civitatem, & aditus ad alia duo caſtra interiora, & ſine quo nemo alia poſſet occupare; hoc Turcæ potiri conabantur, hoc intrare, hujus planitiem occupare. Secundum eſt minus, ſed apprime vallatum a latere primi magnis foſſatis, & difficillimis turribus & propugnaculis munitum, ad quod de majori planitie non eſt aditus niſi per unicam portam, & per pontem elevabilem. De hoc ſecundo eſt aditus ad tertium multo minus, ſed difficillimum: in hoc eſt illa turris, quæ vocatur Noli timere, *de qua ſuperius dictum eſt. In hoc ſunt Regiæ manſiones, in hoc ſunt munitiones tamquam in loco munitiſſimo; hic ſunt feneſtræ altiſſimæ verſus civitatem; hic eſt porta poſterior, per quam deſcendi poteſt ad civitatem, & Danubius intrari; hic libri beati Patris, hic reliquiæ, hic majores bombardæ. Per hanc portam, occupatis caſtellis, poſſunt homines ſalvari; per hanc obſeſſis in civitate poſſunt præſidia immitti: hic ſtabant Fratres, hic omnia ſervabantur. Muri primi majoris caſtri penitus ſolo æquabantur, licet aliquæ turrium particulæ adhuc reſtarent minandæ; turres aliorum caſtrorum, licet ex ictibus bombardarum valde læſæ fuiſſent, non tamen ceciderant. Hanc primam planitiem jam Turcæ turmatim intrabant, cum maxima cæde, & percuſſione ipſorum. Chriſtiani vero non propter hoc loca eis deſignata relinquebant, ſed licet remiſſius ſolito ſe haberent, non ceſſabant in hoc introitu magnum de Turcis facere macellum, maximamque ſtragem. Jam ſunt in caſtri exterioris planitie fere ſeptingenti Turcæ, qui juvabantur a ſupervenientibus. Jam jam caſtrum ſe habere credunt, jam ſuper diverſas murorum ruinas figunt banderia; jam evocant exteriores, jam validiſſime clamant; Chriſticolis de loeis non recedentibus, qui viriliter reſiſtunt, pugnam reſtaurant, impediuntque pro viribus Turcis introitum. Quod videntes Dominus Michael, dicſique nobiles ſimul, & homines Dom. Joannis, omnibus bonis, quæ erant in caſtro interiori, in navibus poſitis, ſe ipſos per portam poſteriorem caſtri minoris ſalvare ſatagunt, & Danubium intrant; & quibus januæ exeundi non patebat, per altiſſimas feneſtras ſe ipſos ſponte præcipitabant. Mulieres ex planitie exteriori illuc laborioſe confugerant, reſolutis crinibus dicentes:* Heu! Turcas fugimus, & Turcarum ad manus jam advenimus. *Fratres vero genibus flexis, facieque operta orando, martyrii coronam expectabant, ſicque caſtrum tam interius quam exterius ſoli Cruceſignati poſſidebant, & tuebantur. Multiplicabantur tamen Turcæ in primo caſtro, licet multi a Cruceſignatis in ipſo ingreſſu occiderentur; Dominus autem Joannes audiens jam Turcas caſtrum intraſſe, & ex hoc jam ipſum eſſe derelictum, concitus ac mæſtus dicit beato Patri:* Heu! jam caſtrum derelictum eſt, jam Turcæ, ut ego ſemper dixi, poſſident illud. *Pater autem eum confortans, ac ſilentio ab eo recedens, iterum multa millia Cruciferorum elegit, ac illos ſecum ducens, in caſtrum per portam poſteriorem intromiſit, animans eos ad conſtantiam &c. Quo facto, illico ad exercitum rediens, omnes ad expeditionem poſuit, ac eos vigilare, & orare præcepit. Ipſe autem oratione vocali, & mentali cauſam Dei ipſi Deo ſollicite commendabat. Cum autem Turcæ jam in ipſa primi caſtri planitie multiplicati eſſent, viderentque caſtrum ipſum ſolum ab inermi populo poſſideri, credentes jam primum ab eis occupatum, irruunt in pontem, qui non erat elevatus, ut ſecundum caſtrum poſſent occupare, nam alia via quam per pontem ad illud ire non poterant. Adſunt & Cruceſignati interiores, maxime illi, quos ipſe Pater paulo ante introduxerat, fortiſſime eis reſiſtentes. Illi autem Cruceſignati, qui per circuitum primi caſtri erant, firmi manebant, percuſſioni & neci Turcarum inſiſtentes. In hoc ſiquidem pontis ingreſſu acerrima pugna commiſſa eſt, maximuſque conflictus. Cum autem circa*

Au-

Auroram Cruceſignati, qui in circuitu caſtri exterioris erant, viderent, & audirent acerrimam pugnam fieri in ponte, & jam maximam Turcarum multitudinem eſſe in planitie, & jam foſſata Turcis pleniſſima viderent, creſceretque feſtinanter numerus intrantium, ac pro hoc timerent non poſſe eis amplius obſiſtere; a Spiritu ſancto edocti arripiunt innumeros lignaminum, virgarum, viminum, ac aliorum combuſtibilium faſciculos ſulphureo igne accenſos, & ignitos ſuper Turcas tam in foſſatis ſtantes, quam per ruinas aſcendentes pariter quaſi anita manu projiciunt, ac ſi omnes faſciculos dictos unica manu tenuiſſent. O Deus Omnipotens! nullus potuit fugere a facie ignis: omnes qui erant in foſſatis, qui enumerari minime potuiſſent, igne conſumpti ſunt, nec unus eorum vivus remanſit: qui deſcenſuri erant ad foſſata, omnes pavidi retro ceſſerunt; qui autem in caſtro erant, & qui pontem occupare acerrima illa pugna nitebantur, videntes ſe maximi ignis flammis undique vallatos, dimiſſa pugna, caſtrum egredi cum maximo clamore fatagebant: qui cum timore, ac quadam cæcitate percuſſi, & confuſione pleni crederent ſe evaſuros, & de muris ſaltare, proſiliebant in ignem, conſumptique ibidem remanebant; reliqui vero, qui talem ſaltum facere pertimeſcebant, a Cruceſignatis in planitie primi caſtri trucidati ſunt. Qui autem adhuc in foſſata non deſcenderant, & qui diabolica inſtrumenta intrantibus miniſtrabant, mugitus ad cœlum dantes, ad loca bombardarum tamquam ad arcem tutiſſimam currendo ſe contulerunt. Quibus viſis jam omnia Turcarum caſtra triſtitia complentur, eorum conteritur audacia, ſuperbiaque dejicitur: jam non deſunt, qui dicant inter eos: Recedamus, quia Deus Chriſtianorum pugnat pro eis. *Jam non cantant, jam non vociferantur, jam tubæ, & alia ſonorum inſtrumenta non audiuntur. O Pater ſenior, unde putamus illum ignem adveniſſe, niſi de ſinu Magni Dei, ad interceſſionem beati Patris, qui ſine intermiſſione orabat una cum populo, ut Deus tueretur cauſam ſuam, & ſalvaret populum ſuum? O glorioſa Maria Magdalena, quis te non credat in adjutorium Chriſtianorum ſuper ruinas murorum ad ignem projiciendum non adfuiſſe? Quis dubitet te illius cauſam defendiſſe, a quo tanta meruiſti recipere beneficia? Hanc tam glorioſam caſtri liberationem, & victoriam navalem, quæ præter omnem humani ſenſus prudentiam & rationem Deus fecit, Reverende ſenior, nonniſi meritis ipſius beatiſſimi Patris omnes debent adſcribere, cujus felici prudentia, ſolertia, cura, perſuaſione, confidentia, & ferventiſſima oratione actum eſt, ut tam Hungaria, quam aliæ nationes Chriſtianorum a manibus Turcarum liberarentur; nam ſi ipſum caſtrum ad ipſorum manus deveniſſet, primo Hungariam, deinde alias nationes proculdubio occupaſſent. Fit maxima lætitia in caſtro, & in caſtris Chriſtianorum: redeunt qui caſtrum reliquerant, Michael animum reſumpſit, & alii novam induunt conſtantiam & fortitudinem. Jam exultant, qui in triſtitia fuerant; jam mulieres timore ſolutæ lætantur; Fratres vero Deo gratias agunt. Luceſcente autem clarius die, apparent Turcæ combuſti ſimul & trucidati; apparet cruor undique ſparſus, foſſataque cadaverum cumulis plena videntur, & in minimo ſpatio multos igne conſumptos vidiſſes, nec præ multitudine cadaverum liber tranſitus ſive aditus erat. Hic potentiores, hic audaciores Turcæ profecto occubuerunt. Chriſtianorum autem vix ſexaginta coronam martyrii pro Chriſto adepti ſunt, multo plures vulnerati at percuſſi extiterunt; nec mirum, nam tam acerrime, tam conſtanter, tamque indefeſſe cum Turcis pugnaverunt inermes & inſcii, niſi quantum deſuper miniſtrabatur. Quod ſi omnes interfecti fuiſſent, nulli ſanæ mentis mirum eſſe deberet; ipſi enim muri, ipſi turres, ipſi propugnacula caſtri erant. O Pater, ſi vidiſſes mul-*

multitudinem ſagittarum, quas ab ineunte pugna Turcæ ad caſtrum tam artificioſe projecerant! tota illa magna exterioris caſtri planities adeo ſagittis plena erat, quod nonniſi ſuper ſagittas pedes ponebantur, & tam fœminæ quam viri eas colligentes, faſciculos non paucos faciebant, velut in copioſo arundineto parvæ arundines colligi & ligari ſolent. Muri ſive ruina murorum tanta ſagittarum confixione, & tanta denſitate pleni erant, ut ſtudioſe id factum eſſe putaſſes; trabes, & aſſes, & alia lignamina ſupereminentia ericii videbantur. Taceo de aliis bellicis machinis, quæ numerari non poterant. Habes hic V. P. ſeriem liberationis caſtri, & victoriam in eo divinitus factam, licet prolixius quam forte deſiderabas; multa tamen omitto; ſolum illa perſtringo, quæ omni dubio carent, & quæ ab aliis varie ac confuſe referri ſolent, ut amputato faſtidio, habeat V. P. quod a me poſtulavit. Jam autem ad aliam victoriam venio. In tertia extra caſtrum in maximo campo victoria multo mirabiliori, quam in primis duabus, Dei omnipotentia apparebit; oſtendetur virtus ſanctiſſimi nominis Jeſu, & ſanctiſſimæ Crucis, & quantum ipſi Deo fuerit acceptus fideliſſimus ſervus ejus beatus Joannes ſæpe dictus, cujus miniſterio, jubente Deo, hæc omnia facta ſunt. Sed hic notandum primo; quod poſt caſtri liberationem optimus Gubernator & defenſor regni Joannes, ne gloria verteretur in confuſionem, jubet Dom. Michaeli, ne aliquem caſtrum exire, & contra Turcas ire permittat; jubet & nautis ſub pœna capitis, ne per Danubium aut per Savam aliquem tranſvehant, timens ne tam magna populorum multitudo inermis & indocta a furioſiſſimis Turcis, jam in rabiem & deſperationem converſis, perderetur, credens etiam Turcas iterum ad caſtrum expugnandum venturos. Admonitus Dom. Michael circa cuſtodiam caſtri, indutus lorica, cum duobus viris quadam navicula nunc per Danubium, nunc per Savam vectabatur; expectabat enim, quonam fine hæc clauderentur. Venit interea beatiſſimus Capitaneus, ſuo præeunte vexillo, cum omni exercitu Cruceſignatorum, cum omnibus vexillis elevatis, non ſine variis ſonis, ſtrepitibus, altiſſimis acclamationibus nominis Jeſu; conſtituunturque omnes in campo juxta Savam & Danubium, præciſe ubi Sava intrat Danubium. Illic figuntur vexilla, acclamatur in Turcas. Terror maximus invaſit Turcas: videntur interea extra caſtrum forte quinque Cruceſignati, arculis ſagittiſque muniti, contra quos irruit maxima Turcarum multitudo equeſtris cum lanceis protenſis: Illi autem ſuper quodam terrarum acervo ſtantes tenſis arcubus Turcas ſagittis replebant. At illi terga vertentes ictibus ſagittarum confoſſi, cum confuſione ſuos repetebant. Alii idem tentantes, ad acclamationem nominis Jeſu, quæ fiebat a beatiſſimo Patre, omnibus reſpondentibus, aut cadebant de equis, aut ex eorum manibus lanceæ laxabantur, aut equi ſeſe ad terram ſub eis proſtrabant: nec mirum cum ad hoc nomen omne genu flectatur ſecundum Apoſtolum. Philipp. 2. 10. *Pater optime, hujus ſanctiſſimi nominis tanta erat acclamatio, ut ad vocem ipſius beati Patris omnes ſimul reſpondentes, tonitru facere viderentur. Exeunt & complures alii inſcio Caſtellano, qui licet Turcis appropinquarent, non tamen lædebantur, ſed ſecuri ante Turcarum oculos deambulare videbantur. Quos intrepide egredientes, ac ſic ante arma Turcarum illæſos manentes, licet homines apparuerint, alii judicarunt illos fuiſſe Angelos indicantes Chriſtianis victoriam de Turcis reportandam, ac eoſdem allicientes illo die ad pugnam. Beatus autem Pater, Rector populi Dei, prædicta proſpectans, licet mirum in modum ferveret ad martyrium, revocabat illos, videns præparari a Turcis inſidias. Sed cum nihil proficeret, dixit:* Hæc eſt dies illa victoriæ, quam expectamus: tranſeamus, & aſcendamus: ne timeatis populum

lum Dei inimicum. *Quid aliud putandum cenſemus, optime Pater, niſi vocem illam divinitus ſibi factam, quam Gedeon audivit, videlicet*, Dominus tecum virorum fortiſſime, vade, & in hac fortitudine & fiducia tua liberabis Iſrael, *id eſt, populum Chriſtianorum*, de manu Madian, *id eſt magni Turcæ; qui, cum ex paucitate & imperitia pugnantium humiliter dubitaret, audivit*: Ne timeas, ego ero tecum, & percuties Madian quaſi virum unum? *Sicque aſſumptis ſecum duobus Fratribus, & nobili viro Petro Vexillifera, navicula per duos nautas ad aliam partem fluminis Savæ, in qua Turcæ manebant, Pater fecit ſe deportari. Hinc ſtupendiſſimum miraculum notandum eſt; cum enim ipſe ſolus cum duobus Fratribus, videlicet fratre Joanne de Togliacotio, & fratre Ambroſio Aquilano per parvam tranſirent naviculam, viſum eſt Turcis innumeram armatorum multitudinem contra eos tranſiſſe, cum in rei veritate eſſent ſolum ſex perſonæ, videlicet Pater cum duobus Fratribus, & Vexillifero, & duobus nautis: licet multi Fratres in eodem loco eſſent, nullus tamen tunc cum Patre tranſivit. Ibi erat præfatus frater Alexander de Raguſio. Cum autem, ut præfertur, tranſiſſet, incipit cum ſupradictis duobus Fratribus & Vexillifero de flumine ad foſſata caſtri aſcendere pedes, jejunus, imo plures dies exiguo cibo nutritus; feſſus labore, nam tota nocte hinc inde diſcurrerat; compreſſus vigilia, multis enim diebus & noctibus neque cibum niſi ſicut puerulus, neque quidquam quietis ſumpſerat. Hora erat quaſi ſexta, quem cum vidiſſent, qui extra caſtrum manebant, & qui primo exiverant, mox læti tamquam ad Patrem currunt. Quod cum vidiſſent qui erant in caſtro, licet exitus propter præceptum eis non pateret, nonnulli tamen per ruinas, aliqui per foramina murorum, aliqui ſubtus portam ad beatum Patrem ſe conferebant. Sicque multi ipſi Patri junguntur: qui primo ad foſſata accedens, vidit mirabilia, quæ tam in nocte, quam in mane facta ſunt; vidit cadavera Turcarum innumera, quæ combuſta per foſſata jacebant, adhuc igne non extincto: conſideravit maximum periculum, quod nocte præcedenti tota Chriſtianitas evaſerat, & junctis manibus, & oculis ſurſum elevatis, magnificabat Deum, ſibi gratias referendo, & ſæpe dicebat*: Qui dedit incipere, dabit & perficere. *Conſtituitur demum inter caſtrum ſeu foſſata caſtri, & bombardas: quem cum Turcæ viderent, magis ac magis timere videbantur, ſtringentes ſe ad loca manſionum, & ad ipſorum Imperatorem, & ad bombardas, parantque ſe ad defendendum, ſi forte Chriſtiani vellent aut eos invadere, aut bombardas ab eis auferre. Accipiunt arma, ſcopettas diſponunt, pixideſque coaptant. Continue tamen creſcebat numerus Cruceſignatorum ad Patrem venientium, nec poterant retineri, quin quaſi forte duo millia ex ipſis Patri juncta ſint: & cum tunc ipſe nullum haberet interpretem, quidam venerabilis ſacerdos Cruceſignatus, nomine Paulus, Canonicus majoris Eccleſiæ Albæ Regalis, ipſi Patri interpres fuit. Iſte cum diu habuiſſet devotionem erga Patrem, in iſta tempeſtate numquam a latere ejus receſſit. Cum autem ipſe Pater ductor exercitus Dei prædictam Cruceſignatorum multitudinem ſibi junctam videret, ſciens quod non in multitudine exercitus victoria belli, ſed de cœlo fortitudo eſt, vexillo præcedente, ad primam bombardarum ſtationem lento gradu pedeſter, ſuſtentatus bacalo quodam, in quo deſignatum eſt nomen Jeſu (quo quidem baculo tam in equitando quam in peditando beatus ſenex utebatur) fatigatus ex tam diutino labore & vigilia continua, diſcoopertus capite cano, fortiſſime acclamando nomen Jeſu, primus ire cœpit: quem ſequebantur forte mille homines Cruceſignati, quos cum Turcæ, qui ad primas ſtabant, viderent & audirent, territi inde recedentes, ad ſecundas confugerunt, ſicque primæ* Judic. 6. 12.

bombardæ obtentæ ſunt & captæ. Quæ viſæ, in admirationem & lætitiam omnium converſæ ſunt. Si quis tunc vidiſſet beatum Patrem lætitia plenum, jucundum & exultantem! O quis potuiſſet harum valorem digno pretio æſtimare! Certe ſi nihil aliud præter has primas de bonis Turcarum fuiſſet acquiſitum, ad magnum honorem & lucrum ceſſiſſet inclyto regno Hungariæ. Quibus occupatis, ad has ipſe Turcarum ſpoliator indefeſſus proficiſcitur. Similiter Turcæ non valentes nomen Jeſu, neque Patrem, neque vexillum ſufferre, ſine reſiſtentia ſecundas cum omnibus attinentiis relinquentes, ad tertias ſeſe contulerunt. Pater autem ſimilis leoni factus in operibus ſuis, poſt ingentis lætitiæ ſigna præ oculis Turcarum oſtenſa, ad tertias, quæ diverſis erant munitæ cuſtodiis proficiſcitur, in quarum ſtatione pro earum cuſtodia pixides, & varia machinamenta ſervata erant; eratque hæc ſtatio undique foſſis, vallo, & terrarum congerie fortiſſime circumſcripta. At ipſe Capitaneus intrepidus, advocatis pluribus, ad direptionem & ad lucra animans, vexillo præcunte, cum clamore valido nominis Jeſu, ad tertias tendit: quem cum Turcæ miſeri viderent ſine reſiſtentia, obſtruſis foraminibus cum clavis ferreis, vociferantes, ac ſi ſibi maledicerent, relictis bombardis & multis aliis, quæ ſcribi non poſſent, ad eorum Imperatorem lamentabiles redierunt. O ſanctum & terribile nomen Jeſu Chriſti! O Patrem ſenem & inermem, omni ſanctitatis gratia amantiſſimum! O Crucis virtutem admirabilem, cujus charactere tam ipſe Pater beatus, quam ceteri cum eo ſtantes, & vexillum inſignita erant! O ſanctiſſimum Bernardinum, cujus imago in eodem vexillo depicta, nomen Jeſu ſua manu Turcis oſtendebat, terrebatque! Penſet hic V. P. quanta fuerit lætitia ipſi beato Patri, quanta fuerit Turcis mœſtitia, quanta confuſio, quantumve damnum, de quo etiam magis inferius diſſeretur. Sed hic etiam præcipue notandum eſt, quod cum Turcæ ſint animoſiſſimi & bellicoſi, nullique cedere volentes ex eorum contumaci ſuperbia, cogebantur tamen a facie beati Patris fugere, eo quod, ſecundum quod ipſimet poſtea ſæpius faſſi ſunt, videbatur eis quod a facie ipſius viri tam lucidi ac radiantes radii ſolis exirent, & in facie eorum repercuterent, quos nullatenus ſufferre valerent; ſed neque vexillum, quod eis plenum radiis ſolis apparebat, ideo a facie beati Patris aufugiebant. Aliqui tamen, piiſſime Pater, variant circa hanc captionem bombardarum; nam aliqui dicunt, ut hic poſui, videlicet Turcas de una ad aliam bombardarum ſtationem fugientes, ex ſingulis diviſim fuiſſe expulſos, ut dictum eſt. Alii dicunt, quod cum Turcæ vidiſſent Patrem cum infinita armatorum multitudine flumen contra eos tranſire, ac ipſum juxta foſſata ſtantem eos invaſurum cum tanta multitudine, vexillo erecto, cum in veritate adhuc non eſſent duo millia, omnes ſimul territi. Reliqua deſunt.

Altera relatio geſtorum Capiſtrani in bello Hungarico.

XLIII. Liceat alterius oculati teſtis Nicolai de Fara, Capiſtrani etiam comitis individui teſtimonium adjicere. Ita porro ſcribit: *Poſtquam Chriſti præco mirificus Joannes in provinciis Auſtriæ, Boemiæ & Poloniæ magnum religioſorum cœtum ad divinum cultum coadunavit, locaque plurima eis auxit, tum Æneæ Sylvii, qui poſt fuit Papa Pius, tunc Imperialis ſecretarii, exhortatione, tum Conſtantinopolitanæ miſerandæ cladis nuntiatæ dolore provocatus & compulſus, conventum Chriſtianorum Principum Frankfordiæ deſignatum, ex Moravia diſcedens, per maxima & latiſſima terrarum ſpatia laborioſiſſime adiit. Ubi cum omnium animos ad tuendam fidem, & ad ulciſcendam injuriam, quam pro amiſione Conſtantinopolitanæ urbis Turcarum grandis victoria Chriſtianæ reipublicæ attulerat, ardentiſſimis prædicationibus per aliquot dies excitaſſet & inflamaſſet, ſperans illos eas maximas ſummas copias*

in

in Turcas conflaturos, quas Hungari pollicitifuerant, in Auſtriam eveſtigio deſcendit, ad Hungaros animandum, ſicut per revelationem a Domino Hurimbergæ acceperat, poſtea profecturus; multi enim Principes, multique potentiſſimi Chriſtianorum populi adverſus Turcas ſe pugnaturos ſpoponderunt. Verum, cum deſignata eſſet alia dieta apud Cæſaream Majeſtatem, tum pro præficiendo exercitus Imperatore, tum pro componenda inter Chriſticolas pace, ut domo pacata relicta, libentius omnes arma capeſſerent, ad eamdem Dei famulus, Æneæ Sylvii, tunc Senenſis Epiſcopi, nunc autem Romani Pontificis ſummi, litteris admonitus ſe contulit ex Vienna, ubi ſecundo cum ſumma omnium lætitia & acceptatione per multos dies ſanctum ſemen verbi Dei ſeminaverat. Sed ut cognovit, antiqui hoſtis opera expeditionem jam inſtitutam in Turcas præpediri, cum non modo in rebus maximis tractandis tuendæ fidei, ſed in ipſo modo ſedendi, ut quiſnam primum, quiſve ſecundum apud Cæſarem locum eſſet habiturus, concordare nequiverunt, non auditus, quod illud Evangelicum in medium protulerat: Qui major eſſet inter eos, fieret ſicut minor, *de omni ope Chriſtianorum Principum fere jam deſperatus, recepto & readducto prius rogatu Cæſaris conventu Judimbergæ, ad Hungaros quamprimum tranſivit, Valachiæ, Tranſilvaniæ Raſſiæque limites perluſtravit. Quem cum ii populi multa ſigna & prodigia facientem vidiſſent, veluti Angelum Dei, Chriſtique Apoſtolum incredibilibus honoribus, ingentibuſque apparatibus ubique exceperunt. Ibi quidem innumeros populos ad audiendum verbum Dei ex remotiſſimis oris confluentes; ibi ſtipatos ampliſſimos campos gentibus; ibi ornatiſſimas proceſſiones; ibi plebes, ibi proceres, ibi Prælatos, ibi religioſos & cleros ei ſumma cum lætitia & variatione occurrentes, audiſſes ſpiritualia cantica dulciſſima melodia reſonantes. Et quamquam Alemanni, Poloni, & hi Boemi & Moravi qui Catholicam profitentur fidem, hunc ſumma honorificentia ſuſceperunt; non minore tamen devotione & honore Hungari exceperunt, omnes illum ſanctum, omnes illum beatum patrem appellantes & prædicantes.* Matth. 10. 26.

XLIV. *Per id quidem tempus Mahumeth Bey, Turcarum Imperator, inflatus grandi victoria, & extrema ruina Græcorum, ex campanis Conſtantinopolitanis machinas ingentes conſtruxit, innumerabilia bellica inſtrumenta confecit, claſſem potentiſſimam per Danubium traducendam, exercitumque terreſtrem maximum & copioſiſſimum conflavit. Quem cum Hungari cognoviſſent adverſus eos pugnaturum, pro colligendis copiis, multas dietas celebrarunt. Quibus divinus Joannes impiger certe excitator adfuit, licet imminente excidii tanto periculo, nulla adjumenta, nullaque præſidia Majores natu attulerint miſeris, præter Illuſtres viros Joannem Hunyad regni Gubernatorem, cujus filius Matthias in Regali nunc Hungariæ ſedet ſolio, & Joannem de Korog, qui perpetuus vocitatur Comes: & hi quidem cum parva admodum militum manu comparuerunt. Ubi autem beatiſſimus Joannes intellexit, Joannem Cardinalem ſancti Angeli Apoſtolicum Legatum Budam veniſſe, illuc ſe ſtatim contulit, & per ejus manus Chriſti Crucem a Calixto Papa ſibi tranſmiſſam, & prædicandæ Cruciatæ auctoritatem per Apoſtolicas litteras ſibi creditam accepit. Hac itaque die, quæ fuit prima dominica Quadrageſimæ, Apoſtolica ſuſcepta poteſtate, quaſi altiſona tuba exaltare incipiens vocem ſuam, ad crucem accipiendam, ſeque imitandum maximam Chriſtianorum infra paucos menſes turbam allexit & incitavit; & eo fortius incitavit, quo ad tuendam Orthodoxam fidem cælum ipſum quaſi binis cæleſtibus tubis de menſe Junii per multos dies ſuo modo ante Turcarum adventum clamavit. Binis enim apparentibus cometis, una ante Auroram, quæ præ ſui magnitudine om-*

nes Orbis nationes terruit; altera poſt ſolis occaſum, quæ etiam ſimilem mortis umbram præferre videbatur: cæpit Dei famulus bonæ eſſe ſpei, quandoquidem, Chriſto revelante, illam feliciſſimam victoriam de Turcis præmonſtrare cognovit. Quamobrem omnes exhortabatur, & ſingulis palam prædicebat; Nolite timere puſillus grex, nolite contremiſcere; dabit quidem nobis Deus optatam victoriam de inimicis noſtris, quam præcurrentia aſtra deſignant omnino futuram.

XLV. *Accelerante itaque Turcarum Imperatore verſus Hungaros, feſtinat Joannes ad tutelam Chriſtianæ reipublicæ. Hinc litteris, hinc nuntiis Cruceſignatos convocare, ipſeque cum nonnullis Belgradum, ad cujus expugnationem Turcæ ſe præparaverunt, navigavit, magno honore incredibilique lætitia ſuſceptus: nam Turcæ tertia Julii Belgradum primo a longe, deinde ubi omnis applicuit multitudo, terra Danubioque propinquius obſederunt. Erat quidem illorum exercitus centum & viginti millium bellatorum, equis, camelis, machinis, curribus, opibus, auro & argento affatim ſtructus. Claſſis autem in Danubii flumine ſexaginta quatuor triremes, quas uſitatiori vocabulo* galeas *appellamus, habebat, exceptis aliis minoribus navigiis. Ubi autem Domini ſervus Belgradum obſeſſum vidit, ad conſtantiam primo adhortatus eſt omnes, deinde Salenchamen navigavit, ut cum Cruciatorum exercitu rediturus, Belgradum liberaret; ubi cum paucis admodum diebus prædicaſſet, adſiſtente ſibi Illuſtri Regio Gubernatore Joanne Hunyade, potentiſſima & copioſiſſima Cruceſignatorum claſſis parata eſt. Qua ſtatim in Turcarum claſſem irruente, Cruciati adeo viriliter & ſtrenue, divino Joanne in Danubii ripa orante, & validiſſima voce* Jeſu Jeſu *acclamante, pugnantibus etiam Belgradenſibus dimicarunt, ut infra quinque horas omnem Turcarum claſſem expugnarent; ibi enim maxima cædes facta eſt Turcarum, multique in ore gladii dati ſunt. Tres triremes in aquis periere, quatuor in Chriſtianorum poteſtatem devenerunt, reliquæ autem tam atroci bello propulſæ ſunt, ut Chriſticolis numquam amplius obeſſe potuerint. Paraverat quidem Illuſtriſſimus Gubernator regni navem quamdam prægrandem, multis propugnaculis munitam, in qua omnis Chriſtianorum ſpes locata videbatur: At in ipſo belli ſæviſſimo congreſſu, imprudentia quorumdam igne in machinarum pulveribus cadente, & pleroſque miſerabiliter comburente & lædente, multitudo in ea deſignata Cruciatorum egredi coacta eſt; ut daretur intelligi, felicem illam victoriam non humana, ſed divina potius virtute Chriſticolis fuiſſe conceſſam. Et licet ſtatim novis recentibuſque intromiſſis bellatoribus reintegrata ad priſtinum ſtatum extiterit, communis tamen omnibus victoriæ triumphus fuit.*

XLVI. *Profligatis itaque ex Danubio Turcis, ingreſſus eſt Belgradum ſenior ſanctus, plaudentibus præ gaudio cunctis, qui emiſſis vulneratis & debilibus omnibus, novos recenteſque bellatores intromiſit. Mane autem cum ad viriliter reſiſtendum populum dulciſſimis adhortatus fuiſſet eloquiis, in caſtra rediit, quæ apud Danubium poſita ſunt; ibi enim ſexaginta millia Cruciatorum convenerant, & cum eis multi ſacerdotes & religioſi, qui ſacramenta illis miniſtrabant divina. Inermes tamen ferme omnes erant; quibus etiam inerant corporis vires, arcum, pharetram & ſcutum geſtabant. Gaudet Dei famulus Cruciatorum tanta multitudine viſa, & lætiſſima facie complectitur omnes. Parent cuncti ejus imperio, rogantque, ſe non alium habere ducem, præter Joannem Capiſtranenſem, devotiſſimæ gentes. Et quamquam Princeps bello, Chriſtianorumque exercitui præfectus eſſet fortiſſimus Turcarum debellator & malleus Joannes Hunyad, nihil tamen gerendis rebus conſulere, nullas inſtaurare acies ſine Dei famulo valebat. Porro tota Hungarica*

gens

gens Joannis Capiſtranenſis auſpicio ducebatur, & non modo robuſtiſſimi juvenes, quibus ebullit ſanguis, & Martius labor ſolet eſſe jucundior, ſed ſenes, & ætate graveſcente confecti, hunc ducem, hunc Imperatorem ſequebantur, ſecum pro Chriſto morituri aut victuri. Ipſe vero Dei ſervus inſtantia quotidiana ſacris orationibus & hoſtiis incumbens, omnes pro Chriſto, pro propria proque communi omnium ſalute ad propellendos hoſtes, magna animi virtute, incredibilique ſpiritus fervore animabat & impellebat; docens eos nec rapinis, nec ſpoliis inhiare, ſed ante pugnam orationi, devotioni, confeſſioni, ſacrique viatici ſuſceptioni vacare, rectiſſimo incorruptoque animo pugnare. Inſtituerat enim, glorioſiſſimum nomen illud Jeſu crebro ab omnibus Chriſticolis adclamandum in Crucis hoſtes, nec aliud ſive in caſtris, ſive in bello, niſi Jeſu, Jeſu *per Chriſtianorum ora volitandum. Erant autem Joannis verba apud illos tantæ æſtimationis & opinionis, ut ſinguli quaſi de Chriſti ore illa ſumma devotione & obſervantia ſuſcipere viderentur. Omnibus quidem unica vox extabat ſacrum, inclytumque martyrium cum eo libentiſſime ſuſcepturis, nec a ſuo latere uſque ad ſanguinis effuſionem quoquo pacto diſceſſuris. Quandoquidem ad opus ſane omni laude omnique gloria dignum, atque cæleſti ingentique præmio deſtinatum, eorum animos a Deo ſuaſos & concitatos intelligebant; proinde manente obſidione factum eſt, ut multi præmiſſa confeſſione, ſumptoque ſacro viatico, benedictionem flexis genibus a viro Dei ſuſciperent, & ad pugnam Chriſti amore accenſi proficiſcerentur, ac glorioſa inclitaque morte occumberent: quorum capita Turcæ præſcindentes, lanceiſque fixa in altum tollentes, in terrorem & ſpectaculum Chriſtianorum apud Belgradi vallum ferebant. Quid multa? Æquatis ſolo primi caſtelli mœniis, fractis everſiſque magna ex parte turribus per ingentes machinas, Regius Gubernator ad eum noctem venit incredibili timore percuſſus:* Victi ſumus, *inquit*, pater, in Turcarum poteſtatem caſtellum cito venturum eſt: jam ingrediendi aditus patet hoſtibus: Nos ad tantam multitudinem inexpertes & inermes bellatores habemus. *Cui Chriſti ſervus magis in Domino, quam in homine confidens, dixit:* Ne formidet animus tuus, Domine, quia Dominus erit nobiſcum, qui potens eſt ſubigere & enervare noſtros hoſtes. *Tunc illuſtris Gubernator:* craſtina, *inquit*, die caſtellum non erit noſtrum: Nequaquam, *reſpondit Dei famulus*; erit quidem noſtrum, & illud non auferetur a nobis. *Adveniente itaque vigilia Magdalenæ, facta prius oratione more legis ſpurciſſimi Mahometi, circa horam veſpertinam Turcæ pugnam ineunt cum Chriſtianis, atque impetu maximo facto, caſtellum primum ingredi contendunt. Fit atrox cruentiſſimaque cædes; replentur a Turcis foſſata: pugnatur utrinque pro viribus ad primam uſque noctis horam. Potitur primis mœniis grandis Turcarum virtus; & ſicut cælum nivem, & nubes pluviam, ita hoſtium Chriſti artus dabant ſagittarum multitudinem. O ſæviſſimum belli genus! O Dei manum omnipotentem! O clementiam Salvatoris immenſam, neminem unquam derelinquentem ad ſe toto corde confugientem! Circa noctis medium, vallante totum caſtellum omni Turcarum multitudine, committitur pugna crudeliſſima. Obtinetur tota planities primi caſtelli a Turcis, perveniturque uſque ad pontem ſecundi, quod magnis vallatur foſſatis, & difficillimis turribus & propugnaculis. Turcæ autem non advertentes, multos adhuc Chriſtianos remanſiſſe in circuitu primi, irruentes in pontem non elevatum ſtantem, caſtellum ſecundum fortius primo intrare ſatagunt. Qui autem remanſerant in primis mœniis, ignitos lignorum faſces in foſſata immittunt, quæ Turcis plena erant, caſtellum ingredi contendentibus. Turcæ itaque flammis undique vallatos ſe conſpicientes, in fugam ſe vertunt; ſed egredi non valentes,*

aut

aut igne conſumebantur, aut a tergo a Chriſtianis per pontem exeuntibus gladio interficiebantur; pugnatum eſt enim fortiſſime uſque ad mane. Turcarum autem tam magna cæſio facta eſt, ut undique effuſus ſanguis conſpiceretur, & in foſſis permulta cadaverum Turcarum apparerent, quorum tanta erat multitudo, ut Chriſtianis liber tranſeundi aditus non eſſet. Chriſtianorum autem, pro quibus Dominus mirabiliter ea nocte, orante divino Joanne, & vehementer Jeſu, Jeſu, acclamante, pugnavit, vix ſexaginta occubuerunt.

XLVII. *Silendum nequaquam videtur, quomodo Chriſti famulus Joannes de victoria inimicorum Crucis certior factus & ſecuratus fuerat: nam dum ita eſſet obſeſſus ipſe Dei famulus in caſtello, commonefactus eſt ab illo fortiſſimo Chriſtianorum pugili Joanne Hunyad in ripa ultra Danubium adverſus Turcarum claſſem pugnante, ut relicto Belgrado, de quo jam actum eſſe omnino credebat, apud ſe tutum redderet, eoquod arbitrabatur, hoſtium ſævitiam remiſſiorem fieri debere eo abſente, quam præſente, ab eas Cruciatorum maximas copias, quos in illos grandi ſtudio provocaverat. Cui divinus Joannes talia verba reſpondit:* Rogabimus omnipotentem Deum, ut ſuam de hoc, quod a nobis petis, patefaciat voluntatem. *Cumque ſæpius oraſſet, & nec ex motu mentis, nec exteriori aliqua ſigno intelligere valeret, quid Deo gratius acceptiuſque eſſet ſtare, vel abire. Tamdem cum divina in ſacra Miſſa offerret, ſagitta cælo dilapſa in medio aræ ante oculos ſuos apparet, his verbis aureis inſignita & circumſcripta:* Eſto conſtans Joannes. *Qua divina viſione & præceptione confortatus, intelligens de hoſte jam de proximo paratum eſſe triumphum, firmus poſtea & intrepidus ceteros exhortando permanſit.*

XLVIII. *Illuceſcente itaque die ſupradictæ noctis, qua peractum ſæviſſimum bellum fuerat, divinus Joannes caſtra omnia poſuit apud flumen Savæ, eo in loco, ubi Danubio jungitur; nam Belgradum, quod Nanderalbam Hungari vocant, quod & Latini noſtri Albam dixerunt Græcam, his duobus fluminibus cingitur, tria caſtella habens, unum alteri conjunctum. Sola jam aqua Savæ inter Turcarum Chriſtianorumque copias mediat. Videns autem ſenior ſanctus, quoſdam admodum paucos Cruceſignatos in Turcas irruiſſe, & multitudinem hoſtium magnam viriliter repuliſſe, ad martyrium flagrans, irruente in ſe Spiritu ſancto:* Hæc eſt, *inquit*, illa dies, quam expectabamus; tranſeamus. *Et non annuente Joanne Vayvoda etiam ſæpe rogato, quandoquidem pœnæ capitali ſubjiceretur quiſquis contra ejus præceptum Savam tranſiſſet, juſſit omnem exercitum Chriſtianum Savam Chriſti ſervus tranſire, nec ſervatum eſt humanum præceptum, ubi prævaluit divinum. Timebat enim Regius Gubernator, ne victoria nocte obtenta verteretur in calamitatem in die, & in planitie ſub Turcarum equorum pedibus inermem pedeſtrem exercitum conculcandum, ob eamque rationem mandaverat, ut nulli de cetero liceret cum hoſtibus bellum inire, permittente Domino, ut vel ſic in divino Joanne virtus magis clareſceret Chriſti. Tranſivit itaque ad vocem famuli Dei omnis Chriſtianorum exercitus, remanente illuſtri Joanne Vayvoda in Danubio, quos nulla prohibitio tenere potuit. Ubi autem Chriſtiani pugnare cœperunt, machinarum ſtationes ſtatim Turcæ tergo vertentes reliquerunt, ac ſimul ſeſe in caſtris conſtrinxerunt ingenti pavore & dolore correpti. Divinus vero Joannes Capiſtranenſis, ut vidit omnes machinas in Chriſtianorum poteſtatem deveniſſe, magno repletus gaudio, in Crucis hoſtes audentior animoſiorque redditur. Acclamatur ſæpe per eum melliſluum potentiſſimumque illud Jeſu nomen; & reſpondentibus circumquaque Chriſticolis omnibus, ita hujuſmodi vox cælo potenter volitabat, ut regio illa tota contremiſcere videretur. Erigit tamdem ſuorum commilitonum animos Domini famulus dulciſ-*

ſima

Anno Christi	Calixti III.	Friderici III. Imp.	Religionis Minorum anno 249.
1456.	anno 2.	anno 17.	

ſima oratione ſua: adhortatur omnes ad fidei defenſionem, dicebatque illis: Ecce nunc tempus acceptabile: ecce nunc dies ſalutis. Occurrite inimicis Crucis Chriſti; nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere. *Sicque his & aliis ſimilibus verbis & ſcripturis, quibus majorem in modum affluebat, multorum corda ad pugnam excitabat & animabat, ut non ad bellum, ſed ad nuptias pergere viderentur. Congreſſus itaque ſæviſſimus fit per ſex horas continuas: vim potentiſſimam inferunt feroces hoſtes; certatur utrinque pro viribus. Dei autem famulus, ut alter Joſue, cum ſuis bellatoribus procedebat baculo ſuſtentatus, in cujus ſummitate erat Thau, quo eos animoſiores audaciorcſque redderet: qui dum ſemel conſocii ſui inſtantia repetitis vocibus ex ipſis mortis faucibus revocaretur,* ne vadas, Pater, ne vadas, Pater: ne te ultro neci dederis. *Ad martyrium aſpirans,* ad hoc veni, *reſpondebat:* qui vult fugere, fugiat. *Et ut in manibus omnium pugnaret, oratione voceque fortiſſima Jeſu nomen invocando & clamando, ut alter Moyſes pro Dei populo divinum interpellabat auxilium. Et cum undique ſagittæ volitarent, multoſque necarent, & lethaliter vulnerarent, eum tamen Chriſti protectione munitum illæſum intactumque ſemper reliquerunt. Fit tandem Turcarum cruentiſſima cædes, hominibus Chriſticolis Jeſu, Jeſu, acclamantibus. Terga vertunt hoſtes Chriſtianis, Deo pro eis pugnante, mirifice prævalentibus. Cedunt inglorii, qui cum centum viginti millibus venerant glorioſi. Fortiſſima enim cæde percuſſi, terroreque ingentiſſimo inceſſabili acclamatione nominis Jeſu conſternati, diſſolutis caſtris, relictiſque viginti quatuor millibus interfectis, relictis multis maximis machinis & bellicis inſtrumentis, mirabili artificio extructis, in fugam ſe turpiſſime dantes, per viam, qua læti venerant, mœſti cum centum & amplius vulneratorum curribus ad propria rediere. Et qui omne Romanum Imperium ſuæ ditioni ſubigere arbitrabantur, novem diebus præ nimio timore pedem non fixerunt. Tantus namque terror eos invaſerat, ut timentes ne facies terræ in eorum oculis periret, nihil præter fugam cogitarunt. Videbatur quippe illis maximas militum copias a tergo ſentire, cum revera nullus Chriſtianorum planitiem, ubi atrociſſimum bellum commiſſum eſt, poſtremum egreſſus fuerit. Neque in bello totus Chriſtianus exercitus fuit, ſed juxta quinque millia, & ut quidam affirmant, tria millia extitere, qui victoriam fecerunt. Quis igitur audivit unquam bellum tale? aut quis vidit huic ſimile, ut pauci admodum agricolæ, foſſores & aratores fere inermes tam grandem, tam fortem, tamquem copioſum exercitum effugarent, multitudinem tantam interimerent, copiamque tantam vulnerarent? Multi quidem ex nobilioribus Turcarum ceciderunt. Imperator etiam eorum in latere ſiniſtro ſcopetto percuſſus, præ nimia doloris rabie dentibus ſtridebat ſuis, hujuſmodique lamentationes ingeminabat. Me profecto non Marchio, non Dux, non Princeps, non Rex, non Cæſar, ſed ruricolæ, aratores terræ & foſſores, viliſſimum hominum genus, profligavere. Sciebat namque, Ladislaum Hungarorum & Boemorum potentiſſimum Regem ex Auſtrali ſede non diſceſſiſſe; Joannem Vayvodam ſuos fortiſſimos milites domi dimiſiſſe, & ſolum cum ſua familia in auxilium Belgradi veniſſe; ſed tantum Joannis Capiſtranenſis opera ruſticos multos in eum arma ſumpſiſſe, quos facillime ſuperare poſſe, firmiſſima ſententia credebat. Imo necato Græcorum Imperatore, ſubactis Græcis, victaque Conſtantinopoli tam inſigni, tamque excelſa urbe, per Chriſtianorum ignaviam male defenſa, luciferina ſuperbia elatus, omnem Meridianam Occidentalemque plagam domitare, & ſibi ſubjugare nequaquam diffidebat. At invictiſſimus Imperator Chriſtus Jeſus Dominus Deus noſter, qui cum ſuis fidelibus uſque ad ſeculi con-*

conſummationem ſemper eſſe pollicitus fuit, qui pro Petro rogavit, ut non deficeret fides ſua, quique ſemper exaudit voces pie clamantium ad ſe, non paſſus Eccleſiæ ſuæ ſanctæ dominari barbaras nationes, non Italorum, non Gallorum, non Romanorum robuſtiſſima militia, ſed ſola invocatione excellentiſſimi ſui nominis, opera & induſtria fideliſſimi ſervi ſui Joannis, Mahumetis atrociſſimi crudeliſſimique Chriſtiani nominis hoſtis ſuperbiam contrivit, ſalvans populum ſuum propter nomen ſuum, ut notam faceret potentiam ſuam. Joanni autem breve martyrium denegavit, ne Hungarica gens interiret, coronam tamen martyrii non abſtulit: quippe qui periculis, qui miſſilibus, qui ſagittis innumeris inter congredientes cuneos, mori pro Chriſto cupiens, ultro ſæpenumero ſe objectavit, quique in tota illa Belgradi obſidione numquam ſibi pepercit, in celerrimis diſcurſibus, in ſolis ardoribus, in noctibus inſomnibus, in ſiti, fame, & laboribus adeo multis, ut tenue corpuſculum pluſquam dici poſſit, exhauſerit. Hæc enim feliciſſima glorioſaque de Turcis victoria auctore divino Joanne, & nullo alio, dicant qui velint, MCCCCLVI. *Mariæ Magdalenæ natalitio obtenta divinitus per Hungaros fuit. Qua die Joannes Hiſpanus Cardinalis ſancti Angeli, Apoſtolicus Legatus Buda diſceſſit, Belgradumque tandem perveniens, Cruciatorum caſtra pecuniæ inopia ſoluta invenit: quæ licet per eum adjumento famuli Dei reintegrata poſtea fuerint, morte tamen tum Joannis Hunyad, quæ vigeſima die ſubſecuta eſt, id eſt undecima Auguſti; tum Joannis Capiſtranenſis, qui inde ad tres menſes ſpiritum cœlo reddidit, tum etiam Comitis Ciliæ, qui Belgradi a Ladislao filio Joannis Hunyad gladio occiſus eſt, iterum diſſoluta fuere, nec unquam ſecreto Dei judicio Belgradum petiere.*

Qualis horti auctorum narratio.

XLIX. Etſi aliquantulum diſcordet Bonfinii Hiſtoria ab iſtis ſpectatorum narrationibus, in rebuſque Hungaricis, quas ex profeſſo & cum laude ſcribit, ei videatur adhibenda fides; hi tamen rei geſtæ viſu præſtant, & quæ manibus contrectaverunt, enarrant. Ille auritus & recens, hi oculati & veteres teſtes: quibus vitæ conditio veritatem commendavit, & in re gravi ingens mendacii docuit eſſe piaculum. Diuturnum ſancti Viri conſortium virtutem potius quam ambitioſum inſtillavit affectum, nec facile credendum eſt, ejus laudibus propriæ conſcientiæ onere quidquam adjeciſſe. Et quidem non adeo integrum fuit in re notiſſima, in tot millium conſpectu tranſacta, magnum aliquid effingere, aut in maximo orbis prælio victoriæ gloriam cuiquam auferre, alteri dare.

Quid de hac re alii ſcripſerunt.

L. Atque hoc ipſum me dubium reddit, & hærere cogit circa ea, quæ ſcribit Æneas Sylvius de utroque hujus belli duce Joanne Corvino, & Joanne Capiſtrano. Utrumque ait ſolidam ſibi rei geſtæ laudem uſurpaſſe, & ſocii nulla facta mentione, per ſuum miniſterium Deum dediſſe Chriſtianis victoriam affirmaſſe. Ejus verba exſcribam, & quæ alii adjecerunt, præclariſſimos viros, duo fulmina belli, Orbis Chriſtiani propugnatores, indigne traducentes, ſubjungam; ſed quam vere hæc ſcripturierint, productis monumentis expendam. Ita porro Æneas lib. de Europa. *Auctores victoriæ tres Joannes habiti, Legatus Cardinalis, cujus auſpicio res geſta eſt, Huniades & Capiſtranus, qui prælio interfuere. Verum neque Capiſtranus Huniadis, neque idem Capiſtrani Huniades mentionem fecere in eis litteris, quas de obtenta victoria ſive ad Romanum Pontificem, ſive ad amicos ſcripſere, per ſuum quiſquam miniſterium Deum dediſſe Chriſtianis victoriam affirmavit. Avariſſima honoris humana mens facilius regnum & opes, quam gloriam partitur. Potuit Capiſtranus patrimonium contemnere, voluptates calcare, libidinem ſubigere, gloriam vero ſpernere non potuit.* Et in hiſtoria

Æneas Sylv. Capiſt. ano aliquãto injurius. *Sylv. cap.* &.

Boe-

Boemica: *Huniades & Capiſtranus huic bello interfuerunt, uterque rem geſtam ſcripſit, neque alterius mentionem fecit, alteruter ſolidam ſibi rei geſtæ laudem uſurpavit. Ingens dulcedo gloriæ facilius contemnenda dicitur, quam contemnitur. Spreverat Capiſtranus ſeculi pompas, fugerat delicias, calcaverat avaritiam, libidinem ſubegerat, contemnere gloriam non potuit. Qui ſummo Pontifici bellum atque exitum belli deſcribens, nulla Huniadis, nulla Cardinalis facta mentione totum ſuum eſſe dixit, quod geſtum erat, quamvis Deum in primis victoriæ confeſſus fuerit auctorem. Nemo eſt tam ſanctus, qui dulcedine gloriæ non capiatur. Facilius regna viri excellentes, quam gloriam contemnunt.* *Idem c. 66.*

LI. Pupugit quidem glorioſos viros Ænæas, ſed toto ſpiculo lancinavit Baptiſta Fulgoſius, & quæ ille in utrumque invictiſſimum Ducem rigida Rhadamanti regula pronunciavit, iſte ſeverius, magno injuriæ incremento in unum protulit Capiſtranum, productis etiam, ſive leniendo vulneri productis in exemplum viris optimis, maximis Eccleſiæ Doctoribus, Hieronymo & Auguſtino, etiam *hac peſte Sanctorum* (quam ille vocat gloriæ & famæ cupiditatem) *ſimiliter* inquit *infectis*. Ita ſcribit: *Gloria, quæ propria ſanctorum hominum peſtis dici poteſt, clam perſæpe ſeu fulgenti virtutis amictu tecta, eorum pectora ſubit: quemadmodum in Joanne Capiſtrano oſtenſum eſt, qui quamquam ex eo numero eſſet, qui Minorum Ordinem profitentur, quæ profeſſio nullius rei magis quam humilitatis ſtudioſa eſſe debet, cum prælium ſcriberet, quo Mahumetes Turcarum Rex apud Belgradum urbem a Joanne Huniade, ejus Meſiæ partis, quæ Tranſilvania dicitur, Vaivoda (hoc quoque honoris nomen eſt) ſuperatus ac fuſus fuit, nulla pene de eo, atque de Apoſtolico Legato mentione facta, de ſe tantum loquutus eſt; ſeu ipſius unius virtute aut miraculo parta tam inſignis victoria foret; & qui aliis prædicabat, ambitionem, atque mundanam gloriam fugiendam eſſe, doctrinæ ſuæ pene immemor, pleno curſu inſecutus, alienam, occultata eorum virtute ac robore, qui vere res geſſerant, ſibi uſurpabat, quemadmodum in hiſtoria Pius teſtatur. Sed minus fortaſſe mirum videatur, hujus ſancti viri pectus honeſtum hoc famæ deſiderium invaſiſſe, cum auſteritate vitæ inſignem, atque ſecularium honorum contemptorem Hieronymum legamus in libro, quem de viris illuſtribus ſcripſit, in eorum catalogo ſeipſum quoque connumeraſſe, diligentique cura omnibus voluminibus, quæ uſque ad eam diem ſcripſerat, titulos ac nomina ſua reddidiſſe. Auguſtinum quoque in confeſſionibus propriam vitam doctrinamque luculenter, cum aliud agere videretur, non ſine magna dexteritate videamus expreſſiſſe: adeo enim honeſtæ hujus gloriæ avidum natura humanum fecit ingenium, ut aliorum doctrinam, ſtilumque ad celebrandas ipſorum laudes expectare homines nequeant.* Plus offendit Fulgoſius. *Fulgoſ. in collectan. de dict. factiſque memorab. l. 8. c. 15.*

LII. Gravius in virum Dei peccavit Joannes Pineda, qui nullam nactus occaſionem de hac re loquendi, ſponte & ultro ambitionis hanc maculam objectat, & longa oblivione obductum vulnus recenter fricat. Sylvius hujus belli ſeriem ex profeſſo ſcripſit, & quæ vel a Capiſtrani æmulis accepit, vel vulgari ferebatur rumore de victoriæ excluſo conſorte, ornatis dicendi formulis adjunxit. Fulgoſius ſuum proſecutus argumentum *de gloria ac famæ cupiditate*, pro ſuo inſtituto & libri methodo congeſſit, quæ potuit, vel compoſuit glorioſæ cupidinis exempla. At Pineda aliud longe diverſum agens, eoſque tantum recenſens Doctores, qui Salomonem condemnatum volunt, Capiſtranum iſto adnumerat elogio. *Beatus Joannes Capiſtranus lib. de auctoritate Papæ, quem cum alii titulo ſancti indigitent, tamen ambitionis a Pio II. ſugillatum fuiſſe ſcribit Joannes Major Matth. 4. ubi de ten-* Magis adhuc Joannes Pineda. *Pineda de rebus Salom. l. 8. c. 1. ſect. 3. n. 15.*

tationibus Chriſti, & ejuſdem vitii idem Pius in ſua hiſtoria, ideſt Æneas Sylvius, illum notat, & in numeris ſectioni præfixis, unum his verbis coaptavit: Joannes Capiſtranus ambitionis notatus. Ut quid, quæſo, neceſſe fuit notationem hanc, ab argumento ſuo omnino elienam, intexere? An non cum reliquis de ſalute vel interitu Salomonis ſententiam potuit dicere Capiſtranus, quin hoc vitio laboraſſe indicaretur? Profecto *abſque ulla cauſa calumniatus eſt eum.*

Iſaiæ 52. 4.

Examinatur Sylvius.

LIII. Ipſe, qui primus omnium Virum ſanctiſſimum hujuſmodi inſimulavit ambitus, Æneas Sylvius, ſuum Patrem, Magiſtrum & Præceptorem paſſim in litteris, a nobis ſupra productis, Capiſtranum appellat, alibi *ſummi nominis Theologum*, alio in loco *vitæ ſanctimonia clarum* nuncupavit; & poſtquam ad Pontificatum ſub Pii II. nomine aſſumptus eſt, eam de Capiſtrano illuſtrem retinuit opinionem, ut Sanctorum cathalogo ſtatuerit adſcribere, & plane feciſſet, niſi immatura fuiſſet morte præventus. Quem ergo doctum & ſanctum reputavit, & calamo probavit, quomodo exiſtimavit vel ita deſipere, ut arbitraretur licere alienam uſurpare gloriam? vel ita libere peccare, ut ſciens & prudens tanto conſcientiæ onere apud ſummum Pontificem mentiri vellet, & glorioſi laboris comitem Huniadem ab honoris conſortio ablegare? Conſultius feciſſet Sylvius, ſi Sapientis illam ſequeretur diſciplinam: *Ne quæras impietatem in domo juſti*: ubi gloſſa: *Ne quæras occaſionem, per quam deroges homini juſto.* Hoc enim proprie fuit diligenter rimari in domo viri probatiſſimæ converſationis, & inveſtigare in vita hominis juſti occaſionem aliquam detrahendi. Neque id parum nocuit famæ Viri ſanctiſſimi, dum hujuſmodi dicendi aculeos, & argutos detrahendi modos, præſertim eleganter & ingenioſe porrectos, avide omnes excipiant, & ſolem laborantem curioſius quam fulgentem homines aſpiciant. Deterius illud eſt, quod hæretici præ manibus habeant noſtrorum dicteria, quæ Sanctorum factis objiciant, poſſintque aliunde digniſſime laudatos noſtrum vituperare teſtimoniis.

Sylv. de morib. German.
Idem in hiſtor. Bœm. c. 65.

Prov. 24. 15.

Improbatur Fulgoſius.

LIV. Fulgoſius vero eo injuſtius ambitionis hoc crimen objecit, quo turpius ipſe in hunc lapidem impegit. In epiſtola ad Petrum filium, ſuo libro præfixa, jactabunde gloriatur, ſe parva manu in obſeſſam arcem Genuenſem irrupiſſe, quam adire Mediolanenſis Princeps ingentibus copiis nequiverat: & gemebundus conqueritur, ſe Genuenſium Principatu ſuorum ſcelere dejectum. Sed rei Genuenſis Scriptores ſcribunt, Duces a Proſpero Adurnio, adverſæ factionis Principe, conſtitutos, ut viarum tranſitus præcluderent, fide neglecta, non modo Fulgoſium aditu non arcuiſſe, ſed tutum illi inſuper iter ad arcem Caſtelletum demonſtraſſe, eamque proinde ſine certamine ingreſſum; aliaſque duas arces a Mediolanenſium milite retentas, pacto & conventione recepiſſe. Principatum vero Genuenſium turpiter, inquit, ambiens, *quo magis popularem multitudinem devinciret, multa promiſit, quibus fœde illam dignitatem illicitabatur*; nec tamen obſervavit. Obtinuit tamdem, ſed diu non retinuit; nam ante annos quatuor *magna ſibi cum totius civitatis, tum factionis ſuæ ipſius Fulgoſiæ odia conflarat ob aſperitatem morum, intolerabilem arrogantiam ac ſuperbiam, quæ jam in libera civitate ferri non poſſet. Ad hoc animum ad altiora, ac non conceſſa adjeciſſe dicitur, & occulta conſilia cum Cæſare agitaſſe de urbe Genua, cum Vicariatus titulo, fiduciaria ſibi, poſteriſque ſuis perpetuo accipienda.* Quare de Principatu dejectus in exilium ablegatus eſt, & trecentorum civium ſuffragio Paulus Fulgoſius Cardinalis, Genuenſium Antiſtes, Baptiſtæ patruus, Dux creatus eſt, in quem ſtilum poſtea Babtiſta exer-

Bizar. lib. 15.
Foliet. lib. 11.

Bizar. ad ann. 1479.
Foliet. ad ann. 1482.

exercuit, aſperis verbis hanc, quantum potuit, ultus injuriam.

Quæ, vel quanta occaſio Capiſtranum calumniandi.

LV. Examinandum tamdem mihi fuit Sylvianæ aſſertionis fundamentum, & diſquirenda Capiſtrani ambitus menſura. Totum illud rei pondus, quod victoriam in ſolam Dei potentiam, inermi milite, & ſe imbecilli miniſtro, rejecerit. Atqui neque hac ratione placatur Sylvius, qui objectionem hanc præmeditatus ita refellit: *Dicat forſitan aliquis, non ſuum illi honorem curæ fuiſſe, ſed Dei, qui per pauperes & inermes rem Chriſtianam ſalvare voluerit: Cedimus huic aſſertioni, quamvis & Huniades miniſtrum ſe victoriæ, non auctorem dixerit.* Uterque quidem miniſter fuit, uterque bello interfuit, dum intra muros arcis pugnabatur; at in aciem & caſtra Turcarum, poſt pertinaciſſimam viginti quatuor horarum pugnam, non prodiit Huniades, neque aliis prodire permiſit, ſed prohibuit. Irruperunt tamen Cruceſignati, & in magnum ſe diſcrimen conjicientes, furentes, & victoria exultantes remotiſſime ab arce progreſſi, non adverterunt equitum aciem a latere immitti, quæ reditum in urbem intercipiat. *Vidit ex muris Capiſtranus* (ipſam repeto Sylvii narrationem) *transverſam hoſtium aciem; inſidiaſque cognoſcens, revocare ſuos cœpit. Cum parum exaudiretur, tympanis ac tubis confundentibus vocem, præceps in pugnam dilabitur, atque inter duas acies, inter tela volantia percurrens, clamoribus ac ſignis Cruceſignatos redire coegit, apud quos nulla erat Huniadis vel fides vel auctoritas, quorum magna pars Theutonica fuit, Hungarico infenſiſſima generi.* Tunc bellum confectum eſt, captis inimicorum æneis tormentis, & bellicis machinis, quæ in ipſos converſa magna ſtrage exercitum diſſiparunt, & in fugam adegerunt.

Sylv. in Europa c. 8.

Defenditur a calumnia.

LVI. Si in hoc ultimo conflictu nihil peregit Huniades, ſed neque peragi volebat, & per Cruceſignatos a Capiſtrano potiſſimum collectos, ipſo præſente, & per medias acies diſcurrente, fugati & diſſipati ſunt mirabiliter inimici; quid mirum, aut viro probo indignum, aut humilitati religioſæ contrarium, ſi rem geſtam vere narravit, & Dei magnificavit gloriam, qui per inermes, & temere in confertiſſimos hoſtium cuneos irruentes, nobiliſſimam contulit victoriam? Quotquot de hac victoria ſcribunt, miraculo adſcribunt, & in fugandis hoſtibus divinas potius quam humanas vires enituiſſe conſpirant. Ipſi Æneæ commentarii referunt, Cruceſignatos, qui Taurini obſidebantur, erupiſſe in Turcas, & maxime edita hoſtium ſtrage, divina magis ope quam humana, victoria glorioſiſſima potitos; ſub mammilla Turcarum Imperatorem vulneratum, diſperſo exercitu, relictis omnibus machinis, cum parvo comitatu trepidum diffugiſſe. Tribus litteris rem geſtam narravit Calixto Capiſtranus, primas & tertias exhibemus, ſecundæ exciderunt. De Legato, Budæ hærente, nihil in prima epiſtola, in tertia honorifice & reverenter agit; quippe poſt obtentam victoriam celerrime Nanderalbam deſcendit; ubi cum illo egit de reſtaurando exercitu, & proſequendo contra inimicos bello uſque ad exterminium.

Pii II. commentar. l. 1.

Beatiſſ. Patri, & Dom. &c. Calixto III. &c.

Ex reg. Capiſt. Litteræ Capiſtrani ad Calixtum Pontificem.

LVII. *Beatiſſime Pater, poſt pedum oſcula beatorum, gaudium & exultationem. Gloria in altiſſimis Deo, a cujus miſericordia provenit, quod non ſumus conſumpti. In tanta enim eramus tribulatione, atque in tantis anguſtiis conſtituti, ut omnes putaverint non poſſe amplius reſiſti Turcarum potentiæ, atque ipſe Dux Huniades, revera Turcarum terror, &*

fortiſſimus Chriſtianorum propugnator, judicaverit deſerendum eſſe caſtrum Nanderalbæ; ita enim fortiter & inceſſanter expugnabant arcem feriſſimi Mahumetani, & tot machinis muros diruebant, adeoque terribiliter contra noſtros pugnabant, ut jam vires noſtræ defecerint, & præcipui milites fuerint conſternati. Sed in medio tribulationis vivificavit nos Dominus, nam ab urbe expulſi, cum doloſe recederent feriſſimi inimici, ut noſtris exeuntibus pararent inſidias, etſi Dominus Huniades juſſerit, ne ullus ex noſtris militibus caſtrum exiret, non curaverunt tamen de præcepto ejus Cruceſignati, ſed irruentes in hoſtes, in magno ſe poſuerunt periculo. Ego vero minimus V. S. ſervus, cum illos ex muris revocare non poſſem, in campum prodivi, & hinc inde diſcurrens modo revocabam, modo animabam, modo diſponebam, ne ab inimicis circumdarentur; & tandem Dominus, qui tam bene ſalvare poteſt in paucis, quam in multis, dedit nobis miſericorditer victoriam, & fugere fecit immaniſſimum Turcarum exercitum, & noſtri omnia illorum obtinuerunt tormenta, & machinas diabolicas, quibus totam Chriſtianitatem putabant ſibi ſubjicere. Exultet ergo V. S. in Domino, & offerre illi jubeat laudem, gloriam, & honorem, quia fecit mirabilia magna ſolus. Non ego inermis & inutilis ſervus, aut pauperes & rudes Cruceſignati V. S. devoti ſervi potuimus noſtris viribus hæc facere. Deus Dominus exercituum fecit hæc omnia. Illi gloria in ſecula ſeculorum. Hæc ſcribo breviter & raptim deſeſſus rediens ex pugna; cito ſcripturus magis diſtincte quæ facta ſunt in particulari. Ex Nanderalba in feſto ſanctæ Mariæ Magdalenæ, ipſo die glorioſiſſimæ victoriæ.

EIDEM.

Indidem. Alia ejuſdem epiſtola.

LVIII. *Beatiſſime Pater. Ad pedum oſcula beatorum, obedientiam humillimam, & devotam uſque ad mortem crucis, & ſupplicii ſæviſſimi cujuſcumque. Quia ubi aliquid deficit, locum habet jus ſupplementi, ideo quod non potui primo aſpectu comprehendere in die glorioſæ victoriæ D. N. Jeſu Chriſti, auctoritate V. S. & miniſterio paucorum certe vivificæ crucis characlere inſignitorum divinitus nobis præſtitæ, poſtea tamen habita clariori notitia, & ſi indeſcriptibilia ſint, machinæ, inſtrumenta, & terribilia ingenia, quæ paraverant, currus ad deferendum bombardas, rotæ ferreæ, rotæ lignea ad transferendum naves & cymbas per montes & colles ad tranſvadandum gentes ad ſpolia regni Hungariæ, quod tamen Deus eis non permiſit; Ecce tamen ea, quæ ſigillatim deſcribi poſſunt, nunc ſuppleo, non vacans ornatui, ſed ſimplici veritati. Nam ubi dixi, multa millia ex eis interempta ſunt, Illuſtris Dom. Deſpotus, qui licet cum noſtra fide non concordet, ſecundum intentionem tamen V. S. conveniens contra perfidos Turcas nobiſcum eſt, nunciavit pridie Reverendiſſ. Dom. Legato & mihi, quod ultra viginti quatuor millia in die belli nece perierunt, & a certo ſe tenere aſſerit, quod totidem & ultra in itinere defecerunt, ſemetipſos inter ſe trucidantes, ſicut tempore Gedeonis; & non niſi divino judicio ipſe Princeps Turcarum cum ſuis intimioribus, qui remanſerant, bellatoribus, poſtquam ad Sophiam ſtupida fuga devenit, intendens ſuos miniſtros, qui ſupererant, compeſcere, ne ultra pertranſirent, manu propria, & ſuorum carnificum plurimos interemit. Superaddit etiam ipſe Deſpotus, quod principalis Vayvoda, vices gerens ipſius damnatiſſimi Mahumetis magni Turcæ, qui præſidebat in Scythia, ubi eſt auri fodina, quæ erat, & de jure pertinet ad ipſum Deſpotum, capite minutus ſit gladio ipſe & uxor ejus ab his, qui jure ſubeſſe dicuntur Deſpoto; tenent tamen adhuc ſui Caſtellani quinque Caſtra, quæ, auxiliante Domino, recupe-*

Numerus Turcarum occiſorum.

ra-

rare ſperat, favore tamen & præſidio V.S. & R.Dom.lateralis veſtri Legati. Ultra hæc, etiam nunciat ipſe Deſpotus, quod cum quadraginta exploratores miſerit, ad exquirendum quid de immaniſſimo Turca acciderit, cum jam quarta pars redierit, & omnes teſtentur, quod omnem diligentiam adhibuerint, nihil certi de ſua vita percipere potuerunt, ex quo ipſe Deſpotus vehementer opinatur ipſum eſſe mortuum: utinam ita ſit. Scripſeram, B. Pater, quod in primo noſtro congreſſu quadraginta quatuor galeas numeraveram, & ita fuit, ſed poſtea clariori veritate comperta, ſexaginta quatuor reperimus numeratas, ex quibus penes nos adhuc viginti ſeptem reſervantur, computatis parvis cum magnis. De multitudine autem exercitus armatorum, etſi multi aſſerant, quod fuerunt centum viginti millia; Reverendiſſ. tamen Dominus Legatus, poſtquam diſcurſum habuit una mecum pro majori parte ſpatii, in quo malignantium exercitus locabatur, judicavit quod veriſimiliter centum quinquaginta millia eſſe potuiſſent in ſignis tantorum caſtrorum. Scripſeram in ſecundis litteris de triginta duabus bombardis, quia tunc plures non videram, poſtea tamen omnibus compatatis parvis cum magnis, ultra trecentas reperimus, & de pixidibus quæ manu exploduntur, & in partibus noſtris vocantur ſcopettæ, de repertis numerum non habemus, quia multæ occultatæ ſunt. Pater B. quia Juſtiniana lex dicitat: nihil videtur actum, cum aliquid ſupereſt agendum, *idcirco ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis populi Chriſtiani: ecce nunc tempus implendi deſiderium V. S. ut progrediamur necdum ad recuperandam Græciam & Europam, ſed ad recuperandam Terram ſanctam Hieruſalem; quod Deus Omnipotens præſtabit faciliter, ſi a concepto ſancto deſiderio V. S. non ceſſabit. Hoc unum piiſſimum a piiſſima V. S. & in fide zelantiſſima R. Dom. Legato veſtro benigne concedatur, ut tantummodo de Italia duodecim vel decem millia ſaltem equitum armatorum more Italico veſtris ſtipendiis tranſmittatis: qui ſi per ſex continuos menſes cum veſtris devotis filiis Cruceſignatis, & cum iſtis Illuſtribus Principibus, Prælatis, & Baronibus hujus regni Hungariæ nobiſcum in exercitu perſeveraverint, ſperamus tantum de bonis Paganorum acquirere, quod abunde in poſterum per tres continuos annos aliis expenſis non indigebimus, ſed eorum ſpoliis omnes noſtros exercitus implebimus abundanter. Ecce idem Dom. Deſpotus vehementer affirmat, quod magis in præſentiarum augmentare poſſimus fidem Chriſtianam, Paganoſque deprimere cum decem millibus bellatorum, quam aliis temporibus cum triginta millibus quiviſſemus. Ecce accedunt ad hoc deſiderium R. D. Legati ardenter omnes iſti, qui pro Chriſti nomine, & pro obedientia V. S. ac devota reverentia, Crucis viviſicæ characterem ſuſcipiunt. Etſi vero ita placuerit Altiſſimo, quod de medio ſuſtulerit a nobis illum illuſtriſſimæ memoriæ pugilem invictum, ſanctæ fidei Catholicæ hoſtibus formidabilem defenſorem, D. Joannem de Hunyad, ex hac jam vita delapſum* XI. *menſis hujus ex peſte; ſubſtituit tamen nobis non imparem ſibi virum Nicolaum de Huylack, ſub cujus dominatu valido & potenti ipſe idem Joannes cum quinque vel ſex equis ſuam militiam inchoavit. Eſt namque idem ipſe Nicolaus Princeps illuſtris, in magnificentia excellens, in conſilio providus, in gerendis cautus; virilis animi, in fide fervens, in V. S. obedientia humilis ſui honoris æmulator, & magni zeli; potens in opere & ſermone, qui inter alios Principes, Prælatos, & Barones hujus regni de principalioribus reputatur, & de eo gerunt magnam expectationem, & famam laudabilem ſibi attribuunt univerſi, ſecundum quod officium in hoc regno hæreditarie poſſidet in Banatu. Nunc ergo, Pater Beatiſſime, ſollicitandi ſunt de novo Reges & Principes Chriſtiani; dum fornax ebullit, coagulandum eſt aurum; dum debilis eſt hoſtis, & fervor*

Numerus tritemium.

Quam numeroſus ſit Turcarum exercitus.

vi-

viget in populo Chriſtiano, excitanda ſunt arma bellica contra perfidos infideles. Veſtra igitur ſanctitas jam ad beneplacitum imperet quid agendum. Quam dignetur Altiſſimus conſervare Eccleſiæ ſuæ ſanctæ per tempora longiora. Ex Salankemen MCCCCLVI. XVII. *Auguſti.*

LIX. Prioribus reſpondit Calixtus per proximum diploma, & ad alias, quæ perierunt, per alia duo, quæ ſequuntur. Miſit per fidelem curſorem Capiſtranus ad Pontificem pulchrum & nobilem puerum e Turcarum poteſtate liberatum, petiitque ſibi ampliari facultates ab aliis Pontificibus conceſſas. Annuit Pontifex libenter.

Dilecto filio fratri Joanni de Capiſtrano &c.

lib. brev. Calixti ex an. 2. fol. 39. *Dilecte filii, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Non dubitamus, quin ad conſequendam hanc glorioſam contra Turcas victoriam devotio tua verbo ac opere magnum adjumentum præſtiterit; ſic enim ex relatione multorum, & in primis Legatorum noſtrorum, quos illic habemus, ſæpe intelleximus. Quare, cum Deo Omnipotenti largitori tanti muneris ſempiternas gratias habeamus, tuum quoque in hoc fervens ſtudium merito commendamus, cujus opera & animi fidelium ad reſiſtendum ſunt confirmati, & cetera facta ſunt, quæ privatim & publice maxime profuerunt. Habebis horum benefactorum tuorum verum remuneratorem Deum, cui hæc fiunt, noſque tanti operis numquam erimus immemores. Hortamur autem devotionem tuam, & ex corde requirimus, ut conſtanter in incepto perſeveres, & nunc maxime ad communem ſalutem ſuſcites ſpiritum tuum, cum Redemptor noſter miſertus populi ſui præbuit ſe Ducem victoriæ, datque ampliſſimam facultatem renovandi in his partibus nominis ſui ſancti, unde illud barbarorum impietas ſuſtulerat; nec ceſſes dies ac noctes aſſiſtere dilecto filio noſtro Joanni ſancti Angeli Diacono Cardinali, Apoſtolicæ Sedis Legato, ac ſancta opera ejus zelo tuo juvare; hortari gratia Chriſti tibi cœlitus data Prælatos, Barones, nobiles, ac totius Regni Hungariæ populos, ut ſequantur Crucem Jeſu Chriſti, quam ad eos miſimus, inſient hoſti jam victo ac perturbato, offerantque Altiſſimo plenum perfectumque hoc ſacrificium, quod tale factum eſt, ut pariturum ſit regno prædicto, & cunctis fidelibus perpetuam ſecuritatem. Nos autem ſine intermiſſione operamur quod poſſumus, jamque ad orientales partes ab ultima die Maii elapſi, ut antea obtulimus, Legatum cum claſſe noſtra emiſimus, qui navigationem proſequitur daturus terreſtri exercitui ſummam proſequendæ victoriæ occaſionem. Hortamur quoque indies per litteras, & nuncios noſtros omnes Principes ac Potentatus fideles, qui ubique aliquod poſſe videntur, ut ex quo Deus iter ſalutis aperuit, exurgant potenter ad conterendum penitus infidele genus, in quo, dilecte fili, cooperare nobiſcum, quod potes. Datum Romæ apud ſanctam Mariam Majorem anno &c.* MCCCCLVI. VIII. *Kal. Septembr. Pontificatus noſtri anno* II.

EIDEM.

Ibid. fol. 16. LX. *Quia his diebus proximis reſpondimus abunde litteris, quas a tua devotione accepimus, breves in his litteris erimus. Appulit ad nos dilectus filius ..... ſimul cum puerulo, quem ad nos miſiſti, reddidit nobis litteras, & multa de religione ac fide tua in Deum, devotioneque erga nos, & Sedem Apoſtolicam retulit; quæ licet minime ignoraremus, tamen fuerunt nobis grata, in quibus ut perſeveres, non opus eſt te hortari. Mentem, & caritatem noſtram erga te, devotionemque & incredibilem*

bilem ardorem, quem ad deſtructionem totalem perfidi Turcæ, & omnium infidelium habemus, eidem diximus, cui fidem ſuper eis, & nonnullis aliis per nos ſibi commiſſis dabis tamquam nobis. Poteſtatem circa ſpiritualia ampliavimus, ut in litteris noſtris, quas per exhibitorem præſentium tibi mittimus, videbis. Cui etiam ducentos ducatos dedimus, puerulum nobis retinuimus. Certa pro Chriſti fide, ut cæpiſti, dilecte fili, ut coronam debitam valeas reportare. Dices etiam noſtro nomine dilecto filio, & nobili viro Comiti Joanni Vayvodæ, ut præfato exhibitori, cui nonnulla eidem explicanda commiſimus, adhibeat fidem tamquam nobis. Datum Romæ apud ſanctum Petrum XVI. *Kalendas Octobris, anno* II.

EIDEM.

LXI. *UT uberius conſolari valeas populos ipſos fideles, in quibus gratia verbi tibi cœlitus data, mirifice ad ſalutem Chriſtianorum quotidie proficis, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, devotioni tuæ omnes & ſingulas ſpirituales gratias ſeu ſuper iis facultates, quas a Sede Apoſtolica uſque in præſentem diem habuiſti & habes, quotcumque & qualeſcumque exiſtant, quas hic haberi volumus pro expreſſis, præſentium ſerie confirmamus, & de novo concedimus. Inſuper ut in omnibus caſibus etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis, quoad forum conſcientiæ tantum, abſolvere quoſcumque tibi videbitur, injuncta prius pro modo culpæ pœnitentia ſalutari, poſſis & valeas, eidem tuæ devotioni plenam & liberam, auctoritate noſtra facultatem concedimus, ac poteſtatem: te in Domino exhortantes, ut eo acrius in ſanctis pro fide operibus tuis perſeveres, quo uberius vides ea tibi concedi, quibus dono ſpiritualis gratiæ paſcere animas fidelium poſſis. Datum ut ſupra.* Ex autographo.

LXII. Circa Turcarum numerum variant auctores, Capiſtranus ex aliorum aſſertione CXXM. ex Legati opinione CLM. fuiſſe refert, eamque fuiſſe aliorum ſententiam ſcribit Æneas Sylvius: *Licet plerique* (inquit) *tertiam partem huic numero ſubtraxerint*. Sed Joannes Thuroczius in hiſtoria Hungarica uſque ad quadringenta millia adauget: Paulus Jovius CCM. fuiſſe recenſet. Cruceſignatos, prædicante & Legatum adjuvante Capiſtrano, ſupra quadraginta millia congregatos narrat Sylvius. De Polonis ita ſcribit Martinus Cromerus: *Apud Nandor-Albam non ignobilis fuit ſexcentorum Polonorum Capiſtranum ſecutorum opera*. Tormenta ænea in hoc bello acquiſita centum ſexaginta narrat Platina, ultra tercentum numerat Capiſtranus, computatis etiam parvis cum magnis. Joannes Dubravius ea ſola, quæ raræ erant magnitudinis, pluſquam centum fuiſſe commemorat: *& certe*, inquit, *quæ ex iis Budam advecta in arce uſque ad Ludovici Regis obitum jacebant, facile certare de magnitudine cum aliis hujus ætatis, ac vincere illa poterant*.

Numerus Turcarum qui ad bellum deſcenderant. *Sylv. de Europa c. 8. Thurocziut in hiſt. Hung. poſt med. Jov. de reb. Turcic. in Mahum. 2.* Quot fuerint Cruceſignati? *Sylv. citat. Cromer. l. 23. de reb. Polon. prope finem.* Quot acquiſita tormenta bellica? *Platin. in Cal. 3. Dubrav. l. 29. hiſt. Boem.*

LXIII. Præceſſit victoriam hanc nobile Boemi militis facinus, cui profecto ſervatæ arcis gloria magna ex parte debetur. Illud refero ex Dubravio: *Dentibus infrendens gemitu Mahometes tantulum oppidulum ſibi ad cetera, quæ conceperat, peragenda impedimento fore, admotis miræ magnitudinis æneis tormentis muros & turres ſterni præcepit. Deinde per ſtrata ruinis tota ſuorum mole aggredi obſeſſos impellit. Ingens mali vis Chriſtianos urgebat, multitudine Turcarum nimis premente: ſed mirum dictu, quod pauci nulli malo cedebant, præſertim cum oppugnatio per diem noctemque continuata fuerit, ſed illam Chriſtiani tam ſtrenuo atque conſtanti animo cum Huniade & Capiſtrano ducibus ſuis, egregie muneribus ducum profunctione utro-*

Militis Boemi facinus. *Dubrav. citat.*

utroque ſua fungentibus ſuſtinuerunt, ut ad extremum hoſtes maxima ſtrage proſtratos a mœnibus repellerent. Inter autem duces reddendus eſt militi quoque Boemo debitus gloriæ titulus, qui cum vidiſſet Turcam cum ſigno vexilloque Turcico murum jam conſcendiſſe, eoque metu pleroſque militum perculſos fugam in arcem paraſſe, complexus lucta Turcam rogat Capiſtranum inferius ſtantem: Si, *inquit*, ſponte mea cum cane iſto me de muro præcipitavero, illi commoriturus, quid de anima mea cenſes futurum? *Illo reſpondente* ſalvam ſine dubio fore, *ejecit ſe protinus & Turcam, morteque hoſtis & ſua vitam ſociis incolumem reliquit, ita ut perſequi quoque Turcas fugientes, rebuſque illos ſuis ſpoliare auderent, quæ ab igne manſerunt integræ.*

An liceat alicui mortem ſibi adſciſcere? *Aug. de civit. l. 1. c. 20.*

LXIV. Injicient fortaſſe aliquibus ſcrupulum & factum Boemi, & ſponſio Capiſtrani; cui enim aliquando divina licuit permiſſione ultro ſibi mortem inferre? *Neque enim fruſtra in ſanctis canonicisque libris nuſquam nobis divinitus præceptum permiſſumve reperiri poteſt, vel ipſius adipiſcendæ immortalitatis, vel ullius carendi, cavendique mali cauſa nobiſmetipſis necem inferamus. Nam & prohibitos nos eſſe intelligendum eſt, ubi lex ait: Non occides: ubi nullus, nec ipſe utique, cui præcipitur, intelligitur exceptus.* Igitur *quiſquis hominem, vel ſeipſum, vel quemlibet occiderit, homicidii crimine innectitur.* Quod ſi Boemo non licuit ſibi mortem adſciſcere, neque Capiſtrano ſuadere. At ſi æqua lance rem geſtam ponderamus, cauſaſque adſcitæ necis expendimus, & glorioſam dicemus militis mortem, & Chriſtianam Capiſtrani ſponſionem. Ipſe qui in lege veteri occidere prohibuit, in nova pronunciavit: *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Nonne Samſon ita oranti: *Moriatur anima mea cum Philiſtiim*, reſtituit Dominus fortitudinem priſtinam, ut, concuſſis columnis, domum, in qua Principes omnes Philiſtinorum, ingenſque multitudo Dagoni immolabant, & Samſoni illudebant, everteret; & licet ſe cum illis ruina oppreſſerit, attamen a Paulo Apoſtolo inter viros ſanctos numeratur? Non probant omnes abſolute factum, ſed inde aliqui excuſant, *Quia ſpiritus latenter hoc juſſerat, qui per illum miracula faciebat.* Atqui excuſari non indiget, qui potius rei fortiter & bene geſtæ laudem merebatur. Mortem, quam evadere in hoſtium poteſtate non potuit, communem cum illis voluit habere, atque ita Dei graves injurias ulciſci, idque docent viri doctiſſimi abſque ulla revelatione omnino licuiſſe. Factum huic noſtro omnino ſimile eſt. Atqui aliud ſimilius ex ejuſdem ſacræ Scripturæ penu producamus. Eleazar, Sauræ filius, ſuæ genti & patriæ conſulturus, elephanti, cui Regem Antiochum, Judaicæ gentis hoſtem, inſidere credebat, *Se ſuppoſuit, & occidit eum*, & elephas *cecidit in terram ſuper ipſum & mortuus eſt illic.* Qui ita intrepide *dedit ſe ut liberaret populum ſuum*, adeo non vituperatur, ut non potius ſanctus Ambroſius eum his efferat encomiis: *Quanta virtus animi? primo ut mortem non timeret; deinde ut circumfuſus legionibus inimicorum in confertos raperetur hoſtes, medium penetraret agmen, & contempta morte ferociter, abjecto clypeo, utraque manu vulneratæ molem beſtiæ ſubiret, ac ſuſtineret; poſt infra ipſam ſuccederet quo pleniori feriret ictu, cujus ruina incluſus magis quam oppreſſus, ſuo eſt ſepultus triumpho. Nec fefellit opinio virum, quamvis Regius fefellerit habitus: tanto enim ſpectaculo defixi hoſtes, inermem occupatum incurſare non auſi, poſt caſum ruentis beſtiæ ſic trepidaverunt, ut impares ſe omnes unius virtuti arbitrarentur. Denique Rex Antiochus, qui cum centum viginti millibus hominum armatus venerat, & cum triginta duobus elephantis, ita ut ad ortum ſolis per ſingulas beſtias velut montes quidam armorum,*

Idem c. 21.

Joan. 15. 13. Judic. 16. 30.

Hebr. 11. 32. Auguſt. citat.

Victor in relect. de homicid. an ult. Coquæus in Aug. loco citato.

Machab. 1. 46. Ibid. 44.

Ambr. l. 1. de offic. c. 40.

co-

coruſco tamquam lampadibus ardentibus refulgerent, unius territus fortitudine pacem rogaret. Itaque Eleazarus hæredem virtutis ſuæ pacem reliquit. Non diſſimiliter illuſtris hic athleta Boemus conſternatos militum animos, fugamque parantes, ſublato Turcico vexillo, in ſpem meliorem erexit, & morte hoſtis ac ſua vitam ſociis incolumem reliquit, ita ut Turcas in fugam converſos perſequi auderent, & mox glorioſam victoriam ſint conſecuti. Eleazarus hæredem ſuæ virtutis pacem reliquit, hic illuſtrem victoriam.

LXV. Circa numerum Turcarum, qui in prælio ceciderunt, mire variant ſcriptores. Paulus Langius in Chron. Citizen. circiter centum millia. Petrus Opmerius in Chronico orbis univerſi ſub Calixto III. cæſa refert ſexaginta millia. Genebrardus, Chronicon magnum Belgicum, & Calixtus in bulla indicti feſti Transfigurationis quadraginta millia. Petrus Matthæus in conſtitutionem unicam Calixti, & Naucler. volum. 2. generat. 49. ſupra quadraginta millia. Capiſtranus in epiſtola jam relata ultra viginti quatuor millia. Sabellicus Enneade 10. l. 6. viginti millia. Blondus lib. 2. triumphantis Romæ ſexdecim millia. Hartmannus Scheydel, & Platina in vita Calixti III. ſex millia. Nauclerus citatus aliorum refert opinionem de quatuor millibus dumtaxat; ſed de horum adeo notabili decremento Æneæ Sylvii, tunc in Curia apud Calixtum verſantis, ſubjicio judicium: *De cæſis* (inquit) *hoſtibus varia ſententia eſt. Quidam ſuper quadraginta millia periiſſe tradiderunt, nonnulli viginti millia cæſa fuiſſe affirmant. Alii ad ſummum quatuor millia cæſa fuiſſe dicunt, quod nobis infra verum eſſe videtur. Neque in tanto exercitu videri clades ea offiduo potuiſſet. Major profecto jactura tantum Imperatorem fugere compulit, qui ſequenti nocte, incenſis caſtris ac machinis, cum toto exercitu trepidus abiit. Nec tam audax, ſuperbuſque venerat, quam timidus demiſſuſque fugam arripuit. Traditum eſt, ſub pupilla confoſſum ſalutem deſperaſſe, vulnus ejus obſidioni finem dediſſe, inter fugiendum plures quam in acie periiſſe.*

Quot cæſi Turcæ.

Sylv. in hiſtor. Boem. c. 65.

LXVI. Et quidem multi ſcribunt, per dies aliquot palantes & trepidantes, mortalium nemine perſequente, ſe invicem trucidaſſe, & plurimos aquis periiſſe. Referunt auctores Chronici Belgici, & Faſciculi Temporum, dixiſſe ipſos Turcas tam immenſum numerum armigerorum perſequentium a ſe viſum, ut vix auderent poſt tergum reſpicere, & ideo relictis omnibus fugiſſe: *Fuerunt vero* (inquiunt) *ſancti Angeli*. Bonfinius: *Quanta clades illa fuerit, potentiſſimi Regis fuga teſtatur. Turcæ quoque ingentem & incredibilem fuiſſe nequaquam diffitentur, & quin Deorum ex ſe plures quam Chriſtianorum manu eo die cæſos fuiſſe aſſeverant, quia multa mortuorum corpora ſine vulnere comperta fuere, quæ divina potius quam humana vi cecidiſſe reputabantur.* Unde recte dixit Matthæus Palmerius: *Chriſtianos magnam ſtragem infinito hoſtium numero parva manu dediſſe, adeo ut creditum ſit, precibus & votis beati Capiſtrani miniſtros Dei pro Chriſtianis pugnaſſe. Dubravius ait, Mahometem caſtris, quæ facile tueri poterat, igne ſubjecto fugiſſe, illum inter alios inſequente ſignifero, cum ſigno Crucis, quod ſignum ille nuper contumelioſiſſime tractaverat, ut majore viciſſim contumelia ipſe confunderetur. Memor enim Dominus erat opprobriorum eorum, quæ ab inſipiente fiebant tota die.* Et ſanctus Antoninus ex bulla Calixti de inſtitutione feſti Transfigurationis: *Dominus dedit in manus paucorum tam ferocis, munitiſſimi, & innumerabilis exercitus cum maxima ſtrage victoriam, ultra quam mens poſſit æſtimare humana. Dominus enim fortis & potens in prælio ſuper omnes exercitus & tyrannos, qui Madian & Orientales populos ad numerum locuſtarum in manus tradidit Gedeonis cum trecentis viris;*

Victoria hæc cœlitus parta.

Palmer. in Chron. Eaque precibus Capiſtrani.

Dubrav. l. 29.

Antonin. tit. 22. c. 14. §. 1.

Judic. 7. 12.

1 Machab. 4. *Onię quoque Sacerdoti ſummo contra Heliodorum, templum ſanctum prophanare molientem, præſidium tribuit & juvamen, pro fidelibus contra inſolentiſſimos hoſtes miraculoſe pugnavit. Et gladium ſuum ſuper capita inimicorum fugientium intromitteus, non pauciores ſeſe mutua cæde necantes, quam a noſtris in prælio fuiſſent interempti, occidit. Nam, ut a fide dignis accepimus, in ea pugna ad quadraginta millia occiſi ſunt, totidemque ſuperſtites in turpem fugam verſi ſeſe mutuo trucidantes.*

Quo die parta victoria. LXVII. Sed neque circa diem partæ victoriæ auctores concordant; tanta eſt in rebus humanis incertitudo, & mortalium mentibus obducta caligo. Certum eſt ex litteris Capiſtrani, & rei geſtæ teſtibus oculatis a nobis ſupra productis, & ex bulla ſupracitata Calixti, quam Antoninus majori ex parte tranſcripſit, non alio quam ipſo die ſanctæ Mariæ Magdalenæ hanc obtigiſſe victoriam, & tamen Palmerius, Chronicon magnum Belgicum, Paulus Langius, Faſciculus temporum, Franciſcus Suarez to. 1. de relig. l. 2. c. 5. n. 13. Molan. in adnot. ad Martyrol. Uſuardi & alii dicunt obtentam in die ſancti Sixti VIII. Idus Auguſti. Sed inde error exortus, quod eo die miraculoſæ victoriæ memoriam quotannis celebrari, feſto ſolemni Transfigurationis Dominicæ inſtituto vel reſtituto (quod jam examinamus) Calixtus præceperit. Eo autem die ita ille conſtituit, quia tunc rei divinitus glorioſe peractæ felix nuncium accepit.

An Calixtus inſtituerit feſtum Transfigurationis. LXVIII. An autem Calixtus feſtum hoc noviter inſtituerit, vel deſtitutum reſtituerit, aut per aliquas Provincias receptum ad omnes extenderit, res eſt controverſa. Inſtituiſſe aſſerunt Æneas Sylvius lib. de Europa cap. 58. Faſciculus Temporum, Petrus Matthæus, Antoninus, Chronici Belgici auctor citati. Marianus Florentin. lib. 5. cap. 30. Capiſtrani vita MSS. cap. 7. & alii. Negant Card. Baronius in notis Martyrol. ad diem VI. Auguſti. Gavantus in comment. ad rubricas Breviar. Rom. ſect. 7. cap. 10. Suarez citatus, quia in Menologio Græcorum hoc die adnotatur, & apud aliquot antiquos Patres Græcos Cyrillum Alexandrinum, Andream Cretenſem, Baſilium Seleuciæ, Ephrem & alios, imo & apud Leonem Papam de hoc myſterio reperiantur homiliæ & orationes; necnon in Martyrologio vetuſti auctoris Wandalberti Prumienſis de hoc feſto ſpecialia habeantur carmina, & Sicardus, Durandus, Belethus, Calixto priores, in ſuis de divinis officiis opuſculis de eadem agant feſtivitate.

LXIX. Alii ſolum officium ſolemnitatis Calixto tribuunt, idque compoſuiſſe affirmant. Horum anteſignanus Platina Synchronos: *officium*, inquit, *Transfigurationis Domini noſtri Jeſu Chriſti ipſe compoſuit, juſſitque eo modo, atque cum his Indulgentiis celebrari, quibus celebritas Corporis Chriſti in pretio haberetur*. Perperam itaque hunc pro inſtitutione primæva feſti in Eccleſia Latina citant Baronius, Suarez citati, & Petrus Galeſinius in notis ad Martyrol. Officium iſtud ſe vidiſſe, & ſcribi feciſſe affirmat Antoninus. Hoc itaque officium, non feſtum inſtituiſſe aſſerit Baronius, propter rationes ſupra allatas de inſtituti feſti vetuſtate. Opiniones ita conciliari poſſe probabiliter putat Suarez, quod hoc feſtum quoad officium chori, altariſque ſolemnitatem ante Calixtum inceperit: quoad præceptum vero ſervandi diem illum ut feſtivum, a tempore ipſius Calixti exordium habuerit. Cum autem ubique non celebretur feſtive, & Romæ religioſe feſtivus habeatur, * & ſub præcepto ſervetur, putat non fuiſſe latam legem pro univerſa Eccleſia.

* *Nunc neque Romæ hæc dies tamquam feſtiva de præcepto colitur.*

LXX. Sed omnia hæc meris innituntur conjecturis, mirumque eſt quam varie in hac re loquantur auctores, cum manifeſtiſſime ſuam mentem Calixtus

lixtus aperuerit, emiſſo graviſſimo diplomate, quod ex his auctoribus non pauci citant, Nauclerus, Galeſinius, Petrus Matthæus, Molanus, Antoninus, Alphonſus de Spina citatus in Chronico Belgico. Atque hi duo poſteriores, Calixto coætanei magnam bullæ partem exſcripſerunt, & de feſti inſtitutione ita palam pronuuciarunt. Antoninus: *Feſtum Transfigurationis celebrandum inſtituit per univerſum orbem ſub officio duplici* VI. *die Auguſti, concedens Indulgentiam intereſſentibus ipſi officio ſicut in feſto corporis Chriſti. Officium enim de ipſo feſto inſtitutum noviter miſit recipiendum, quod & ipſe vidi, & ſcribi feci.* Infra in principio §. primi. *Victoriam magnam a Deo fidelibus contra Turcas datam in die ſanctæ Mariæ Magdalenæ breviter narrat ipſe Calixtus in bulla inſtitutionis feſti Transfigurationis Domini.* Alphonſus de Spina. *Calixtus III. in memoriam hujus belli inſtituit feſtum duplex Transfigurationis Domini noſtri Jeſu Chriſti cum gratiis & Indulgentiis ſolemnitatis Corporis Chriſti, ex cujus bulla plumbea, quam oculis propriis vidi, ordinem iſtius belli & victoriæ divinæ ad propoſitum adnotavi.* Et quidem feſtum hoc non fuiſſe adeo vetuſtum in Eccleſia Latina, neque adeo univerſale, ut in omnibus Eccleſiis antiquitus ſit celebratum, inde clariſſime probatur, quod in nullo ex vetuſtis Martyrologiis Rabbani, Uſuardi, Addonis, aut Notteri recenſeatur. Solum inter Wandelberti carmina habetur, non tamen in oppoſita Ephemeride, cujus ille dies feſtos verſu concelebrat, & in carmine fortaſſis illius mentionem indidit propter Græcos & Syros (ut notat Azor. par. 2. lib. 1. cap. 15.) qui hunc diem feſtum colebant. Porro Leonis Papæ homilia in codicibus excuſis extra ſuum ordinem & locum circumfertur: etenim in quinque codicibus vetuſtis MSS. Bibliothecæ Vaticanæ quos conſului, habetur inter ſermones Quadrageſimales, facta ſcilicet in Dominica II. Quadrageſimæ, quo die Transfigurationis legitur Evangelium. Quod vero aliqui contendant, in quibuſdam Eccleſiis Gallicanis Calixto anteriorem fuiſſe hanc feſtivitatem, propter ſermonem Petri venerabilis de Transfiguratione, factamque mentionem de hoc feſto a Durando & Beletho, qui Calixtum præceſſerunt, parum refert; etenim Petrus ſermonem illum non tamquam de feſto, ſed tamquam de arcano & mirabili myſterio Transfigurationis, Dominica II. Quadrageſimæ conſcripſit. Quæ vero apud Durandum & Belethum de hoc feſto leguntur, probabiliter non ſunt ab ipſis conſcripta (ut non improbabiliter opinatur Azor.) ſed ab aliis adjecta; & quidem ipſa eadem verba habentur apud utrumque, & in margine apud Belethum ita notatur: *Feſtum hoc inſtituit Calixtus III. ita ut hinc dicere ſit neceſſarium, caput hoc non eſſe hujus auctoris; ſed a ſcriptore quopiam fuiſſe poſtea adjectum. Sed cum in eo omnia quibus uſus ſum exemplaria, conſtanter conveniant, temere hic omittendum eſſe non putamus.* Oportebat quidem indicare qualia & quam vetuſta erant illa exemplaria. Addo demum clarum teſtimonium Capituli generalis Salmanticenſis Ordinis Minorum quinquennio poſt, utpote anno MCCCCLXI. celebrati, in quo ita ſancitum eſt: *Feſtum Transfigurationis Domini, quod a Calixto III. noviter fuerat inſtitutum ſub duplici majori die* VI. *Auguſti, celebretur, & propter unitatem ſervandam officium a ſummo Pontifice ordinatum dicatur, quod habet pro capitulo:* Salvatorem expectamus, *& pro hymno:* Gaude mater pietatis &c. Hymni autem ſub Pio V. fuerunt mutati. Habetur iſtud decretum in ſpeculo Fratrum Minorum tract. 3. in ordinationib. circa divinum officium.

Spina in fortal. fidei lib. 4. bello 157.

LXXI. Non ſolum bullam illam inſtituti feſti, & feſtive per hymnos & cantus Eccleſiaſticos reddendæ gratiarum actionis tunc edidit Calixtus,

Glorioſæ victoriæ nuncius mittitur ad Principes Chriſtianos.

xtus, verum & aliam ad Principes Chriſtianos miſit, in qua eoſdem partim ad divinas laudes, partim ad proſequendum illuſtrem victoriam, & perſequendam barbaram ſeramque gentem Mahometanam excitabat. Exemplar miſſi ad Carolum Regem Galliarum diplomatis hic exhibeo.

Cariſſimo in Chriſto filio Carolo Francorum Regi illuſtri &c.

Ex Archiv. Capitol.

AD gaudium & lætitiam Serenitati tuæ nunciantes felix novum, quod ex Hungaria noviſſime accepimus, & quo ex longa & incredibili mæſtitia & dolore relevatus & recreatus eſt animus noſter, mittimus eidem Serenitati præſentibus incluſas copias litterarum, quæ ad nos inde miſſæ ſunt. Ex quibus glorioſam victoriam, quam Omnipotens Deus populo ſuo contra crudeliſſimum Turcam navali terreſtrique pugna conceſſit, & profligationem fœdamque fugam barbarorum intelligere poterit Celſitudo tua: quam hortamur, ut pro tam læto & glorioſo nuncio immortali Deo, cujus cæleſti potentia in tanto Chriſtianitatis diſcrimine inmaniſſimorum hoſtium vires contuſæ & attritæ ſunt, debitos honores & gratias referas, & per univerſum regnum tuum proceſſiones & orationes fieri facias, quibus ſua in nos ineffabili pietate moveri ex hoc facto maxime intelligi poteſt. Nam ſi quis pericula, quæ orbi Chriſtiano imminebant, conſiderare velit, innumerabilem exercitum hoſtium animo contemplari, ſi denique ipſius Turcæ feritatem, obſtinatumque propoſitum ſubjugandæ Chriſtianitatis animadvertat, fatebitur profecto immortalem Deum precibus noſtris & aliorum Chriſtifidelium inclinatum, tantam hanc victoriam populo ſuo conceſſiſſe. Nos enim rati, humanas vires non poſſe ſine divino auxilio molem tanti furoris ſuſtinere, bullas noſtras orationum die feſtivitatis beatiſſimorum Petri & Pauli in ipſa Principis Apoſtolorum Baſilica publicari fecimus, & cum devotione proceſſiones & orationes diebus ſtatutis & horis tam hic in Urbe, quam in terris noſtris & Sedis Apoſtolicæ fieri fecimus, bullaſque ipſas per univerſum orbem Chriſtianum exequendas & publicandas miſimus, etiam ad Legatum noſtrum ad te miſſum, hortantes Chriſtifideles, ut in tanto periculo divinum ſubſidium implorarent. Quibus devotiſſimis orationibus, & aliis per Chriſtifideles factis credendum eſt, Deum, quem alias propter gravia peccata populi ſui iratum ſenſimus, paratum, ut quandocunque mortalia conſilia & vires deficiebant, hoſtes ſua divina potentia debellaret, prout noſtri miſeratus, glorioſe debellavit; nam feria ſexta ante feſtum beati Jacobi feliciſſima pugna ab Hungaris contra Turcas commiſſa, & victoria obtenta eſt. Quapropter meritæ laudes & honores tanto Creatori reddendi ſunt, qui tantum periculum a populo ſuo avertit, & tenebras, quibus fides Orthodoxa obſcuranda videbatur, ſubita ſerenitate diſcuſſit. Ita Serenitatem tuam hortamur, ut divinæ Majeſtati gratias agat, prout nos in Urbe fecimus, & ut ubique fiat, mandavimus, teque nihilominus & potentiam tuam excites, & nobiſcum convenias, qui ad totalem Mahometicæ gentis eradicationem anhelamus; nunc que maxime tempus eſt proſequi victoriam cœlitus nobis promiſſam, ut Chriſtifideles collectis viribus Turcarum regna aggrediantur, quæ, quoniam maxime Dux eorum debellatus confuſuſque eſt, & incertus quid agat, turpem in fugam ſe convertit, facillime obtinebuntur. Claſſis vero modo in Orientem navigavit, ad quam fortificandam & augendam toto poſſe intendimus, & quidquid habemus, exponimus. Et quia in tanta victoria proſequenda ad finale exterminium non ſolum Turcarum, ſed totius ſectæ damnatæ perfidi Mahometi, ne tanta nobis gratia cœlitus data in neglectum quoquo modo trahatur, abinde ma-

magis ac magis in iſta ſancta ampriſia die noctuque indefeſſe intendimus, in cujus proſecutionem non modicæ pecuniæ ſunt nobis neceſſariæ; idcirco Serenitatem tuam hortamur, & in Domino, quanta poſſumus, inſtantia requirimus, ut non ſolum ad colligendam decimam, ſed ad oblationes & alia ſubſidia ex Cruciata, quæ in tuo regno, ut pluries tuæ Serenitati, & venerabili Fratri noſtro Petro Cardinali Avenionenſi Legato noſtro ſcripſimus, publicanda eſt, favores, ut decet, præſtes opportunos; ita ut ad recuperationem Conſtantinopolis, totalemque exterminationem infidelium, & liberationem totius Europæ concurramus, & non minus ad recuperationem Terræ ſanctæ, totius Aſiæ, & alias partes infidelium ad fidem Catholicam reducendi & convertendi, vel ab ipſis infideles penitus exterminandi, attendere valeamus, prout firmiter credimus & tenemus ex ſincera fide Catholica cordi noſtro affixa, ut plures a nobis audierunt, quod perfidus ille Turca ſuccumberet, & Hungari victores remanerent, & populus Chriſtianus, & nos cum ipſis: nec unquam dubitavimus, quod fieret, ſicut nunc accidit, & majora fient. Ait autem Chriſtus Salvator noſter: Si quis fidem habet, ut granum ſinapis, & diceret monti transfer te ad alium locum, transferetur, & nihil impoſſibile erit illi. *Et quis tam durus, qui nos in tam firmo propoſito & ſecuritate victoriæ, noſtro tempore cœlitus conceſſæ, non ſequatur? Væ, Væ aliter ſentientibus, & caveant ab ira Dei, nam qui in hoc turbabit nos, portabit judicium, quicumque ſit ille. Tuam igitur Serenitatem iterum hortamur, & intimo cordis affectu requirimus, ut tempus hoc, quo Deus ſummus Serenitati tuæ opportunitatem offert, ut nomen tuum immortalitati conſecrare poſſis, non deſeras, & dum perfidus Turca incertus quid ageret, fugatus & proſligatus eſt, cum aggrediamur; ſequamur Chriſtum ducem, qui, ut ſæpius diximus, præclariſſimam victoriam & triumphum tempori noſtro divinitus reſervavit. Non deſint modo Chriſtiani potentatus, & nobiſcum, qui ſanguinem & vitam noſtram in hac divina cauſa devovimus, vires eorum adjungant, & Crucis viviſicæ vexillum non deſerant, quouſque victoriam, quæ quidem in manibus eſt, feliciter, & ad exaltationem ſacroſanctæ fidei Orthodoxæ conſummemus. Datum &c.* IV. *Idus Auguſti, Pontificatus noſtri anno* II.

LXXII. At dum hæc Calixtus pio & fervido meditatur conatu, ecce potiſſimi rei conficiendæ deficiunt auctores; optimi Chriſtiani exercitus duces Hunyad & Capiſtranus diem obeunt ſupremum. Prorſus *Illi felices, quibus tam claro peracto prælio, tanto populorum favore quæſito, ægra relinquere corpora conceſſum eſt, & in cœlum evolare*. Utriuſque glorioſum exitum ita recenſet Bonfinius. *Ne quid utriuſque ducis (Huniadis & Capiſtrani) felicitati poſſet adjici, ne multis quidem poſt diebus, divina utrumque benignitas non modo mortali, ſed cœleſti quoque gloria donavit. At Corvinus id prius aſſequutus eſt, quippe qui longo, intolerabilique labore belli defatigatus in æſtuantiſſimam febrem incidit, qua paucis diebus abſumptus eſt. Medicorum juſſu, quorum adminicula cuncta irrita fuere, in Semlyn oppidum amici contulere; ubi cœli benignitate ſe corpuſque multo facilius a languore redimeret. Aderant filii duo, Ladislaus feroci animo & robuſto corpore juvenis, & Matthias adoleſcens divino ingenio & præſtanti indole præditus; item cognatorum & amicorum numerus non mediocris. Capiſtranus a latere non diſceſſit. Sævit ipſa febris in dies, & nulla medica arte ſævitiam remittit: deſperatur viri ſalus, & Medicorum eluditur opera.*

Moritur Hunyad & Capiſtranus. *Sylv. in hiſtor. Boem. c. 65. Bonfin. ſup. cit.* Refertur Hunyadis interitus.

LXXIII. *Capiſtranus demum Corvinum hortatur, ut quando divinæ fortaſſe tempus vocationis inſtaret, teſtamentum edat, humana diſponat, ſaluti conſulat, & quæ ad animi emigrationem pertinent, veluti ſacra munia.*

nia jubent, cuncta paret, ne minus nunc, quum opus est, quam olim industrius & prudens sibi esse videretur. Arrisit ad hæc vir ille fortissimus, & pia patris consilia commendavit; se tamen cuncta multo antehac disposuisse, respondit; ignavum & imprudentem illum reputavit, qui ad extremum vitæ, us sui compos præformidine mortis nemo esse posset, officia ista distulerit. Ne me, inquit, velim usque adeo incautum, & imprudentem, Capistrane, putes, ut quæ probe suades, hæc ad mortis agonem, & tempus emigrationis ipse distulerim: multo ante hæc cuncta constitui; jam diu, quæ ad emigrandum facerent, comparavi; testamentum diu condidi, & quid liberis & amicis, quid Diis immortalibus legandum sit, sat bene, ni fallor, pro facultatum copia provisum existimo. Curam salutemque animi mei nequaquam liberis delegandum esse censui; pro facultate nonnulla templa fundavi; erogavi in pauperes quæ humanitas & pietatis ratio jusserat: Et ad peragendum, quod instat, iter, viaticum quoque mihi comparatum firma constansque fides, & spes ingens, item & tot accepta pro fide Orthodoxa vulnera laboresque, & præsertim divina mihi toties explorata benignitas & præsentia me sperare jubet, haud inscium Corvinum in hac misera vita mortalium tot insidiis petitum, tot periculis & tempestatibus agitatum, felicem demum quietem inventurum. Id unum me angit & cruciat, quod pro temporis angustia nondum profusæ in me divinæ beneficientiæ mihi satisfacere licuit. Verum in hoc Jesu Christi Servatoris exuberans clementia pietasque succurrit, quippe qui sine animi versura a me sibi satisfieri patietur. Totam vitam sub ejus ductu auspiciisque militavi; quamquam stipendia gratuita facerem, multo plus tamen rependit in vita, quam merita postularent: fidelissimi veterani fidem dux ille non deseret. Vos autem, filii amicique carissimi, hujusce me vitæ miseriis exauctorari æquo animo, quæso, patiamini: fluxa hic & caduca sunt omnia: nihil est, quod quidquam præter umbram habeat boni. Militavimus hic satis superque: militiæ præmia apud Superos exigemus, & ea quidem commoda a divina liberalitate consequemur, quæ sunt perpetuo duratura. Si recte sapitis, & stolida mortalium caritas vos non fallit interturbatque, fortunæ meæ fidendum esse patius, quam miserandum reputabitis. Dux ille præpotens gratissimusque, sub cujus auspiciis sacra stipendia feci, veterani sui labores miseratus, militiæ vacationem indulget, & quæ diu proposuit, nunc emerito magna præmia tribuet; proinde hunc necessitatis abitum patientissime tolerate. Si quid abituro muneris in hac pompa & emissione Corvino tribuendum esse censetis, quod sit gratissimum futurum, vestigia, dulces filii, paterna sectamini, cum paterna virtute gloriaque certate: experiamini, si superare liceat, quod mihi per mortem interceptum est: Turcarum bellum continuate conficiteque. Id firmum, constans & glorioſum existimate, quod honestatem foveat & pietatem, atque Deo gratissimum reputetis. In divino cultu & religione persistite; &, quod mihi assequi non licuit, deleti Turcarum nominis gloriam comparate. Ne indignum quidem & indecorum est, Studiorum militiæque paternæ juxta, atque legatarum fortunarum hæreditatem accipere; idque in primis precor, ne degenerando per negligentiam & ignaviam, paternum nomen dehonestari videamini: Te id in primis facere jubeo, Matthia dulcissime, qui natu, quo minor es, eo melius bona indoles de te sperare cogit. Proinde valete omnes Corvini memores; tu quoque Capistrane vale: pro salute nostra pias preces effunde supplicaque, & quando sub eodem Imperatore meruimus, ad accipienda mecum stipendia properato.

LXXIV. *Quum hæc dixisset, præsentibus liberis, dato osculo, benedixit, amicis circum collacrymantibus commendavit, omniumque dexteras apprensavit:*

vit: exoravit mox eos, in primisque Capistranum, ut in proximam divæ Genitricis ædem ad rem sacram faciendam se deferrent, & cum Eucharistiam accepturus esset, Dominum ad servum, quod indignum erat, venire minime paterentur, sed ipsum in ædem ad Dominum introducerent: translatus in templum, & sacris operatus, accepta Eucharistia, placatisque extemplo numinibus, animam efflavit, perpetuum quoque sui desiderium Hungaris reliquit. Diem igitur obiit salutis anno quadringentesimo quinquagesimo sexto supra millesimum, quarto Idus Septembris. Corpus, sicuti legerat, in Transylvaniam delatum, & in æde, quam in Alba Jula fundarat, magnifico funere sepultum.

Ejus corporis habitudo.

LXXV. *Vir fuit statura sane corporis mediocri, magno capite, crispis crinibus, castaneæ colore subnitentibus, oculi fuere magni, serenus obtutus, suffulva facies & venusta: aspectus usque adeo pulcher & jucundus, ut singularem præferret gratiam, & tacitam sibi reverentiam postularet: cuncta membra corporis inter se ita consentiebant, ut nihil posset elegantius exoptari; corporis demum animique viribus æque pollens. O felicem virum, cui cum singulari virtute vivere, ac summa gloria mori datum est! Dum vixit, ab omni periculo Pannoniam Christianamque Rempublicam liberavit. Quare promulgata morte, non immerito per universam Hungariam ab omni ætate, ac utroque sexu est diu publice deploratus. Aliqui Propugnatorem fortissimum, milites invictissimum Imperatorem, omnes patriæ patrem certatim lugendo ingeminabant: quod sibi beneficiis Hungaros immortalibus obstrinxerit, & quantum amoris & gratiæ præ gestarum rerum gloria sibi conciliarit, rei exitus ostendit: quippe cum post Ladislai Regis interitum Matthiam ejus filium, Regio haud quaquam genere natum, & adhuc pucrum, ac rerum impotem, omnes una voce Regem exclamarint.*

Ejus filius assumitur ad regnum Hungariæ.

Ad ejus receſſum dolet Capiſtranus.

LXXVI. *Cum adhuc animam ageret, Capistranus ingemuit: Invideo (inquit) Corvine, morti tuæ, qui consummato quoque præstantissimi ducis officio, & fuso fugatoque hoste, quem Terrorem orbis appellabant, ne qua tua felicitas labe inficeretur, extemplo ad superos evolas, & amplissima utriusque vitæ gloria potiris. O nos miseros, qui remansimus! quibus si quid nominis recenti victoria partum est, superstitibus facile id fortunæ inconstantia periclitari potest. Utinam te subsequi sit mihi fato datum, ut qui pariter sub cœlesti Imperatore meruimus, una quoque in cœlis triumpharemus. Mahumetem, ajunt, ad nuncium Corvini mortis confestim oculos humi defixisse, & conversum in lacrymas dixisse, neminem unquam a mundi principio illi sub aliquo Principe fuisse merito ac jure sibi indolendum, cui tantam ex accepta clade turpitudinem amplius ulcisci non liceret. Viri fatum universa deploravit Europa. Calixtus audita morte non parum lacrymarum effudit, solemnia quoque justa in divi Petri Basilica Christianæ fidei defensori persolvit.* Hucusque Bonfinius.

Joan. de Tuvoꝛ in chron. Hungar. c. 56.

LXXVII. In amicissimi Principis obitum non sine lacrymis Capistranum hanc acciniſſe næniam, alii scribunt. *Salve aureola cœli. Cecidit corona regni. Extincta est lucerna orbis. Heu corruptum est speculum, quod inspicere sperabamus. Nunc tu devicto inimico, regnas cum Deo & triumphas cum Angelis. O bone Joannes!* Prosequitur Bonfinius.

Bonfin. citat. Prodigia Hunyadis mortem præcedunt.

LXXVIII. *Ejus mortem prodigia multa portendere; in primis crinita stella in gradu quintodecimo, mense Junio, triginta circiter dies apparuit. In Sabinis Februario mense vitulum bicipitem fuisse natum: Romæ sanguinem ad portam Veneris; carnes in Liguria pluisse; & in Piceno agro infantem cum sex dentibus editum, ac facie insolentis plane magnitudinis fuisse memorant.*

runt. Hæc ſigna fatum non modo Corvini, ſed multa quoque mala ſignificarunt. Is igitur fuit Joannis Vaivodæ finis.

Filiorum ſtatus a Capiſtrano prædicitur.

LXXIX. *E Corvino, uti diximus, duo filii fuere ſuperſtites, Ladislaus & Matthias: alter, qui natu major erat, militari diſciplina & virtute præſtans, item ſingulari honeſtate & magnanimitate præditus erat: alter vero minor ad majora fortaſſe quam pater natus eſſe videbatur. Patri demum utrique ſimilis, ne minima quidem in re a paterna virtute degenerans. Sed uter aut longiore vita, aut majore gloria functurus eſſet, Capiſtranus veluti divinitus afflatus optime auguratus eſt; nam cum eum Corvinus aditurus utrumque ſecum filium duceret, Capiſtranus Matthiam ſemper ſibi ad dexteram, ad ſiniſtram Ladislaum majorem natu collocabat. Admiratur hujuſce rei pater inſolentiam, cauſamque ſciſcitatur: reſpondet ille, haud ab re id a ſe fieri, quando alter immatura morte præreptus emergere non poterit; alter Hungariæ Regnum ſortietur, virtute ac gloria cum Alexandro certabit, & Chriſtianæ plebis propugnator erit acerrimus, cui ſi diu vivere liceuerit, omnes Orbis Principes ſui admiratione conficiet.*

Quantus Capiſtrani dolor poſt Hunyadis mortem.

LXXX. *Capiſtranus defuncto Corvino numquam amplius ridere viſus eſt, veluti qui ſub iiſdem auſpiciis militaſſet, & inſigni victoria potitus, triumphante collega, ipſe debito triumpho fraudaretur. Noctes aliquot inſomnes exegit, inter contemplandum cum Deo ſæpe conqueſtus, quare cum collega ſibi obire non liceret: in languorem ſubinde corporis incidit, quem ex illius lethi dolore contraxerat. Eluſis medicorum adminiculis, ad triumphandum accitus, paucis poſt diebus in Domino obdormivit ad Vilachum in Syrmienſi agro, in Divi Franciſci Æde Collegioque ſepultus eſt. Inter Deos ex hominum opinione relatus, quotidianis in humana auxilia votis invocatur, miracula templo affixa magnitudinem numinis plane teſtantur.* Hucuſque Bonfinius.

Corrigitur Bonfinius.

LXXXI. Tria leviora in hac Bonfinii corrigo narratione. Febri deceſſiſſe Corvinum, idque IV. Idus Septembris, & paucos poſt dies ſecutum Capiſtranum affirmat. Peſte ſublatus eſt Corvinus III. Idus Auguſti; & Capiſtranus obiit die XXIII. Octobris. Longam exactamque hiſtoriam exitus utriuſque herois ſcripſit Joannes a Tagliacotio, Capiſtrani ſocius, ad beatum Jacobum Picenum. Totam exſcribo.

Reverendo in Chriſto Patri, & optimo ſeniori fratri Jacobo de Marchia, Ordinis Minorum probatiſſimo, ac divini verbi Prædicatori præclariſſimo: Frater Joannes de Tagliacotio, ejuſdem Ordinis minimus, & indignus commendationem tam humilem, quam devotam, & promptum obedientiam.

Relatio mortis Capiſtrani.

ADmirabilem ac ſtupendam de Turcis victoriam divinitus habitam per merita & opera beatiſſimi viri fratris Joannis de Capiſtrano, Reverende Pater, ſtilo veraci ſed infimo ad mandatum tuæ Paternitatis proſecutus, pollicitus ſum juxta tuum piiſſimum deſiderium ejuſdem beatiſſimi Patris felicem tranſitum ex hoc mundo ad cœlum verius, quam ab aliis dici poſſit, etiam tuæ Paternitati perſtringere. Non enim parvæ detractionis contra divinam bonitatem reus eſſe convincitur, qui divina myſteria, cum poſſit promere, ſilentio præterire videtur. Hinc Raphael Angelus ad Tobiam: Opera Dei revelare, & confiteri honorificum eſſe *ajebat: hinc etiam pſalmographus canendo dicebat:* Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo, narrabo omnia mirabilia tua. *Cupiens igitur T. P. morem gerere, & a nonnullis utriuſque ſexus devotorum fidelium ſæpenumero requiſitus, imo compulſus, ut ipſe ego, qui*

Tobiæ 12. 7.

Pſal. 9. 2.

qui divina diſponente clementia, hujus præclariſſimi Viri, ac fideliſſimi ſervi Dei mirabilium laborum feliciſſimum finem proprîis oculis conſpexi, & omnibus & ſingulis ipſius finalibus actibus interfui, debeam ſuæ infirmitatis primordia, ſucceſſum, tranſitumque ex hoc mundo ad Patrem luminum, currenti & indubio calamo pro gloria ipſius, & ad poſterorum exemplum deſcribere; præſertim cum in his omnibus Deus ipſe laudetur magnificeturque, qui ſuos famulos ſibi ſervire, & uſque in finem facit perſeverare. Accedit quod cum a R. P. fratre Marco Bononienſi, generali Vicario, beatiſſimus Pater ex Cracovia litteris peteret, ut ego cum fratre Ambroſio Aquilano ad eum ex nativa noſtra provincia conciti veniremus, & Fratres pro quibuſdam legitimis cauſis vellent noſtrum differre acceſſum, tu Pater animaſti Fratres, ut nos ſine dilatione ad eumdem beatum Patrem mitterent, dicens: hi erunt, qui claudent oculos Patri noſtro fratri Joanni, & libros ſuos ad ſuam provinciam reportabunt. *Quibus verbis a te Aquilæ dictis, mox ad eum per obedientiam nos ire adſtricti ſumus: quæ verba, ut patet, vim prophetiæ habere viſa ſunt. Sed hæc narrare & recenſere mea prohibent demerita. Timeo equidem, ne illud mihi divinitus dicatur:* Quare tu enarras juſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? tu vero odiſti diſciplinam, & projeciſti ſermones meos retrorſum. *Negat hoc inſcitia mea, qua timeo, ne hanc rem meus potius attenuet, quam explicet ſermo. Extant & qui hunc beatum Patrem melius me noverunt, & qui ejuſdem ſingula opera plenius enarrare ſciunt. Sed hunc felicem obitum multo ornatius, multoque politius ſciret deſcribere venerabilis ille frater Hieronymus Utinenſis, vir ſiquidem in dicendi genere præclarus, qui quemadmodum Patrem beatum incolumem ſua lingua ſuoque ſcribendi ſtilo politiſſimo decoravit, ita cunctis caritatis obſequiis ſuo ſinu ſuiſque brachiis ipſum infirmum indefeſſe fovit atque nutrivit. Ad hos quippe potius quam ad me hujus beatiſſimi famuli Domini totius vitæ decurſum & mortem, ac mirabilia prodigiorum ſigna ad ejus meritorum invocationem facta exarare ſpectat. Quibus tamen ſilentibus, hoc onus aggredior, conſcientiæ ſtimulo punctus, a qua præallectus, & a multis, ut dictum eſt, ſæpenumero rogatus atque compulſus: ad quod utique faciendum ſummum invoco opificem, qui ſuos ſervos ſibi jugiter ac feliciter ſervientes, in vita claros, in morte clariores, & poſt humanæ conditionis debitum clariſſimos efficit, reddit & oſtendit.*

LXXXII. *Beatus igitur iſte ſanctus, ac fortiſſimus Dei Athleta mirificis, & quidem innumeris operum meritis locupletatus, ut paſſionum & patientiæ meritis locupletior fieret, divina diſponente clementia, diutinæ ac graviſſimæ infirmitatis eſt moleſtia circumfuſus. Nec mirum; nam licet ſenio defectus eſſet, & a ſuæ converſionis primordiis cunctis paſſionum moleſtiis ferventiſſime ſuum corpus expoſuiſſet, ac illud incredibili labore, abſtinentia, vigilia, jejunioque continuo ſpiritui ſubdidiſſet & tenuiſſet; priuſquam tamen Crucem aſſumpſit, & Cruciatam prædicandam a Summo Pontifice Calixto III. per Reverendiſſ. D. Cardinalem ſancti Angeli accepit, tantis paſſionibus & laboribus hinc inde diſcurrendo, prædicando, cruceſignando, commonendo, ſe ipſum condidit, dedicavit, ut præ admiratione oculi menteſque omnium in ipſum converterentur. Hinc nonnulli ſanctum, alii Apoſtolum Dei, alii Angelum cœlitus emiſſum appellabant. Illo autem tempore, quo immaniſſimi atque potentiſſimi Turcæ caſtrum Nanderalbenſe obſeſſum tenuerunt, militarem induſtriam induens, in laboribus fortiſſimus juvenis apparebat: nam cum eſſet Cruceſignatorum rector, dux, atque Imperator, ad eumque defendendi caſtrum ipſum cauſa præcipue deferretur, nec alteri quam ſibi ſoli ipſi Cruceſignati obtemperarent, numquam quieſcebat, labores ſubibat inæſtimabiles,*

modo equei, modo pedes, ſudoribus plenus, jejunus, infatigabilis die noctuque per caſtra Chriſtianorum velociter diſcurrebat; ſi quando, ut cibum ſumeret, a ſociis alliceretur, ajebat: Alium cibum habeo manducare, quem vos neſcitis; *nam ibi ſua mens, ſuum deſiderium, ſuumque omne ſtudium locaverat, ut Chriſti fidem poſſet ſervare immunem, caſtrum defendere, Turcas confundere, ac regnum Hungariæ illæſum cuſtodire. Cum autem ex neceſſitate ſumere cibum urgeretur, panis duriſſimus ipſi cibus erat, & menſa nuda humus: non ibi calida fercula, non recens aut frigidum vinum, non carnes, quas ſemper abhorruerat, apponebantur, nec varia cibaria parabantur; & licet ſeptuagenarius eſſet, indigeretque, ut moris eſt ſenum, liquidi aut calidi cibi, ſua mira abſtinentiæ virtute ſuperabat. Nam etſi ſemel in die aliis temporibus cibo tenui reficeretur, & in nocte poſt orationem & ſtudium brevem caperet ſomnum, hoc tamen tempore aliquando duos, aliquando tres dies ſine alicujus cibi & poculi adminiculo tranſigebat, noctes ducebat inſomnes. Me adſtante coram pluribus audientibus, cum ſollicitaret Illuſtrem Dom. Joannem de Hunyad ad cauſæ defenſionem, dixit, quod in ſeptemdecim diebus & totidem noctibus, quibus Turcæ illic ſteterant, vix ſeptem horas dormierat. Suos ſocios, licet juvenes, omnes defatigavit & laboribus ſuperavit: jam nemo fortium ſecularium poterat reſiſtere; jam fortiſſimum ac velociſſimum equum ſibi ab eodem Domino donatum præ laſſitudine mortuum omnes admirabantur. Calores intenſiſſimi, frigora, Sol per diem, Luna per noctem, inquietudo continua, aſſidua occupatio, labor indefeſſus, ſuæ infirmitatis cauſa fuere: in trino etiam conflictu, quo Turcarum potentia tam in aqua quam in terra ſuccubuit, multo laborioſius ſolito ſe fatigavit; ad ipſum namque ſpectabat in caſtrum Cruceſignatos introducere, ipſos gubernare, ipſis imperare, ipſoſque tam intus, quam foris ordinare. Hic nomen Jeſu altiſſime proclamando magnificabat: hic non niſi hoc ſanctiſſimum nomen a Chriſticolis invocari juſſerat. In his omnibus diebus, quibus ſe incredibilibus laboribus expoſuit, numquam triſtis viſus eſt, certam namque judicabat victoriam de Turcis reportandam, qui cum perſuaderetur, ut barbam, quam prolixam ferebat, radi permitteret, nequaquam, ajebat, niſi poſt victoriam me radi permittam. Os ſuum adeo pulveribus plenum erat, ut replicatis vicibus vix variis remediis adhibitis purgari valebat. Linguæ quoque ejus adeo ipſi pulveres tenaciter inhæſerant, ut eam cultello radere oporteret: ſimiliter & palatum præ multis pulveribus nigrum, atque obſcurum, & quidem fœtens jam devenerat; ex quo nullius cibi aut poculi, ſicut non deſiderium, ita nec naturalem ſaporem deguſtabat. Panni quoque præ ſua continua occupatione, præque loci ineptitudine nec lavari, nec mutari ſibi poterant; defluentes ſudores minime ſudario abſtergi valebant. Jam cutis oſſibus hærebat; jam præ nimiis Solis ardoribus erat nigrefactus. Invaluerat tamen tantum martyrii deſiderium, ut quamquam eſſet certus, ſe non per ſanguinis effuſionem hunc mundum relicturum, flagrabat tamen anxio deſiderio vitam ſuam in ipſis laboribus finire, ut ſi perſecutorum gladio juxta ſuum intenſum deſiderium anima non auferretur, martyrii tamen præmio non careret. Fuerat quippe ſibi in Norimburgenſi civitate revelatum, quod in brevi non per martyrium ſanguinis, ſed per martyrii deſiderium in Hungaria vitam finiret. Ipſum divina clementia illæſum ſervabat, nam neque pericula, neque tempeſtas Danubii intrepido nocuerant; non bombardæ, non ſagittæ, neque ſclopetta, neque tela Turcarum, quæ undique in eum congerebantur, ipſum vicinum Turcis in fronte exercitus poſitum, & in altum ſuper quodam terrarum acervo inter ultimam bombardarum locationem & Turcas manentem interfisere potuerunt. Et quamquam ob nimium ejus fervorem tamquam*

ſignum

ſignum ad ſagittas ante Turcarum oculos maneret, modo clamando nomen Jeſu, modo oculos manuſque elevando, nullius tamen teli ictum paſſus eſt, ſed neque ejus elevatum vexillum. In eo verificatum eſt illud: Quoniam in me ſperavit, liberabo eum, protegam eum, quoniam cognovit nomen meum. Clamavit ad me, & ego exaudiam eum: cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum. *Et licet per illud temporis ſpatium, quo Turcarum obſidio efferbuerat, Pater ipſe beatus dictis & multo pluribus laboribus, anxietatibus, occupationibus, variiſque paſſionum moleſtiis & anguſtiis afficeretur, nocte illa cum die ſequenti, in qua victor extitit, tanta ac talia paſſus eſt, ut nemo dubitare poſſit, hunc beatiſſimum Virum martyrii corona laureatum. Poſt felicem illam victoriam habitam in prædicto caſtro in die ſanctiſſimæ Magdalenæ, ſexta die menſis Auguſti immediate ſequentis, cœpit beatus Pater vi febrium, & variis laſſati corpuſculi doloribus in eodem caſtro laborare ac deſtitui. Quo tempore illic reſidebat R. D. Legatus, Cardinalis ſancti Angeli, ægrotabatque peſte ibidem Illuſt. D. Joannes de Hunyad, qui poſtea die* XI. *ejuſdem menſis ſuæ clariſſimæ vitæ diem clauſit extremum. Adeſat & Dom. Joannes Epiſcopus Varadienſis, Dom. Michael Sylagy ejuſdem caſtri digniſſimus Caſtellanus, & multi alii Proceres, qui tantum illic fœtorem ferre non poterant. Nam poſt ingentem illam ſtragem, ex cadaveribus mortuorum horrenda abominabiliſque moleſtia invaluit, ut nemo vix eſſet, qui ex hac non infirmaretur. Ut de me ipſo loquar, cum ex mandato Domini Legati, pro menſura caſtrametationum capienda, ad evitandum fœtorem per illam magnam planitiem, ubi Turcæ ceciderant, tranſeundo extra caſtrum cum fratre Alexandro de Raguſio eques proficiſcerer, tantus me fœtoris horror invaſit, tantaque abominatio ex conſpectu cadaverum illic jacentium me abſorbuit, ut non ſine multiplici & pœnoſo vomitu vix vivus currendo ad caſtrum remearem.*

LXXXIII. *Jam campus ille magnus nocte feris, dieque rapaciſſimis atque innumerabilibus volucribus plenus erat. Hæc omnia, Reverende Senior, ſcripſi, tamquam præambula ægrotationis beatiſſimi Patris. Cumque ipſe beatus Vir Dei ſic infirmaretur, ut vix aliquid ſumere poſſet pro ſuſtentatione naturæ, non ceſſabat fervore fidei plenus ab operibus pietatis; modo cum Domino Legato, modo cum aliis de fide defendenda, deque Turcis penitus extirpandis ſermonem habebat. Viſitabat etiam Dom. Joannem die noctuque baculo ſuſtentatus, ſuaque viſitatione ipſum mirum in modum confortabat, quem omnium, qua potuit, verborum efficacia, ad bene moriendum induxit. Quem enim beatus Pater dilexerat ſanum, multo magis diligebat infirmum, adeo quod, licet & ipſe infirmus eſſet & debilis, caritatis & amicitiæ officia erga prædictum Dominum non dimittebat. Cum autem moleſtis ſui corporis angeretur doloribus, dicebat cum Apoſtolo:* Cupio diſſolvi & eſſe cum Chriſto. *Philipp. 1. 23.* *Et quamquam, variis per ſingula ejus membra pœnalibus anguſtiis diffuſis, in dies corporeis viribus deſtitueretur, ſpiritu fortis & fervidus proponebat, ut alter Patriarcha Franciſcus, pro fide Catholica, proque peccatorum converſione ingentia ſe facturum, ſitiens mirum in modum ad martyrii palmam conſequendam, miro deſiderio ad humilitatis redire primordia, & corpus tantis laboribus conſumptum ad priſtinas vires pietatis, & ad humilitatis officia revocare ſtudens, verus beati Franciſci factus imitator. Cumque ex horrendo fœtore, & ex corrupto aere pene omnes illic infirmarentur, ſuadente Domino Legato, ad locum, qui Symly dicitur, cum ipſo ſe contulit. Iſte locus eſt, ubi Cruceſignati ante victoriam convenientes morabantur, & prope quem in Danubio de Galeis Turcarum victoria habita fuerat; in quo*

licet homines prius habitarent, & eſſet civitas non parva, ex incendio tamen Turcarum deſtructa in villam parvam redacta eſt; a qua etiam hac eadem tempeſtate homines a facie Turcarum aufugerant. Hic aliqui tam ex Fratribus quam ex familiaribus Dom. Legati ægrotare cœperunt: hic tanta loci incommoditas erat & ineptitudo, ut ſi quis vidiſſet beatum Virum, ſenem, infirmum, debilem, acutiſſimis febribus laborantem, ac nihil deguſtantem, maxima fuiſſet admiratione perfuſus; nam pro lecto nuda humus; pro cervicali lapis vel lignum; pro ſtramine tapetum ſuper lapides erat, ac pro tegumento mantellus. Et cum hic locus ob ruinæ vetuſtatem deſertus, & undique apertus eſſet, factus eſt Pater ſocius murium, ſerpentium, lacertarum atque muſcarum, noctesque ducebat inſomnes, dies in moleſtia totius corporis tranſigebat; & licet a ſuæ converſionis primordiis corpus ſuum omni abſtinentiæ lege frænaſſet, maximamque & pene incredibilem tam in cibo quam in potu ſanus temperantiam ſervaſſet, hujus tamen infirmitatis tempore vix aliquid pro ſuſtentatione admittere volebat; cui ſi quando ipſe Legatus aliquid in ſuo tentorio præparatum miſiſſet, mox illud, ob reverentiam paululum guſtans, ſociis impertiebatur. Videns autem Dom. Legatus jam ex ſuis famulis aliquos infirmitate decubantes, & alios mœrore confectos, timens ne ipſe in tali loco ægrotaret, perſuaſit beato Patri, ut ad civitatem Calanchemen pro recuperanda ſanitate, & pro majori loci commoditate ſe conferrent. Sicque pariter ad dictam civitatem aſcenderunt, Legatus in majori Eccleſia, Pater autem beatus in domo Plebani divertentes. Hic tum pius Pater, licet ægrotus, quia aliquos ſocios habebat infirmos, aliquos ſanos, decrevit omnium ſaluti providere; nam licet aliquando plures, aliquando pauciores haberet, tunc tamen duodecim ſocii ſibi erant; ex quibus Fratres Hieronymum Utinenſem, Bernardum Mutinenſem, & Ambroſium Aquilanum, juncto eis fratre Vito Viennenſi pro eorum ſervitio, ad locum de Aconya ſanandos tranſmiſit: fratres Georgium de Patavia, & Laurentium de Tranſilvania cum libris Budam navigio aſcendere fecit: fratres Conradum de Bavaria, & Epiphanium de Styria cum aliquibus Fratribus Hungaris ad locum de Vilak ire præcepit, illic eum expectaturis; fratres Franciſcum Hungarum tunc interpretem, Alexandrum Raguſienſem, & me ſecum retinuit. O piiſſimum Patrem! infirmus erat graviter, & alios, ne infirmarentur, curabat; alios vero infirmos ſtudebat liberare. Ex hac civitate litteras ad Papam ſecundas dedit, in quibus continebatur verus Turcarum numerus interfectorum, & damna Turcis illata, ac bona ab eis ablata in victoria prælibata: nunciavit & mortem Dom. Joannis de Hunyad, ac promovit & magnifecit apud eumdem ſummum Pontificem Illuſtrem Dom. Nicolaum de Vilak, quem alterum Joannem de Hunyad pro fide Catholica fore ſperabat tam zelo quam potentia & induſtria: mandabat namque iſte Dominus cum maximo exercitu ad limites Hungariæ, Turcas, ſi vellent appropinquare, impugnaturus, quem etiam beatus Pater verbo & litteris ad cauſam fidei, & ad defenſionem Chriſtianæ religionis capeſſendam ſæpenumero animaverat invitaveratque. Aliquando demum graviori, aliquando vero leviori dolore premebatur & moleſtabatur, tamen aſſidue a variis & acutiſſimis febribus. Nullum præter me miſſum Italicum habebat, qui cum & aliquali infirmitate moleſtarer, & joci ſeu ſolatii gratia ſibi dicerem, ut ſicut alios, me etiam ad recuperandam ſanitatem deſtinaret, mihi in partem deducto dixit non ſine lacrymis: Fili, noli me derelinquere: ſolus ſum, & neminem præter te habeo Italicum, qui mihi forte morituro aſſiſtat, & qui claudat oculos meos, & curet libros mihi conceſſos ad provinciam reportandos; ſed patienter me ſuſtine & mihi aſſi-

aſſiſte. Si ſanus evadam, Budam ſimul aſcendemus pro colligendis animabus. *Hæc & his ſimilia vir beatus ajebat, neſciens adhuc mortem ſibi fore vicinam; nam licet certum haberet ſe in Hungaria ſine ſanguinis effuſione moriturum, ignorabat tamen ſuæ infirmitatis eventum. Non ſolum autem mihi, ſed omnibus ſibi aſſiſtentibus ſæpenumero repetebat, ſi moreretur, cadaver ſuum ſepeliendum in loco de Vilak: cui cum ſemel dicerem, alia loca eſſe proximiora, in quibus dignius ac commodius poſſet ſepeliri, dicebat locum de Vilak eſſe inter Schiſmaticos & juxta Turcas, ac captum contra generalem Fratrum voluntatem; ſcioque, ajebat, nonnullos Fratres dixiſſe, hunc locum tenendum, quouſque ego ſtarem in hoc regno. Sepultis igitur ibi oſſibus meis, Fratres locum illum non dimittent, ſicque Fratres illic commorantes erunt in lucem & in converſionem populorum. Poſſet etiam dici, beatum Patrem talia dixiſſe, ut tam Dom. Nicolaus, quam alii Proceres circumadjacentes, ex ſua ſepultura ad fidei Catholicæ cauſam defendendam, & pacem inter ſe ſervandam magis ac magis animarentur. Ego autem potius arbitror, hæc beatum Virum dixiſſe, ut ſicut vivus mundi honores pro poſſe aſpernabatur, ita mortuus ac ſepultus inter ſchiſmaticos & infideles omni penitus honore careret. Ex quibus etiam facile perpendi poteſt, hoc ipſius beatiſſimi Patris fuiſſe deſiderium, ut quæ in ipſum viventem Turcæ, & alii infideles, Domino prohibente, facere nequierunt, ſaltem in ipſum mortuum ad libitum exercerent. Nemo hunc Virum beatiſſimum de ſepulturæ electione judicare præſumat, cum & nonnullos Sanctorum tam veteris quam novi teſtamenti ob aliquam rationabilem cauſam, vel divino inſtinctu id ipſum feciſſe legamus. Nam cum alias inter Fratres de ſepulturis ſive de ſepeliendis Fratribus coram eo ſermo fieret, ajebat de ſe Vir Deo plenus, corpus iſtud perditionis vellem per terram trahi, & immundiſſimo loco ſepeliri omni confuſione digniſſimum. O beatum virum humilitate plenum, ſuperbiam omnem abhorrentem! atque ita Deus eum ante mortem & poſt mortem exaltavit, ut vere de ipſo dici poſſet:* Qui ſe humiliat, exaltabitur. *Ad cumulum autem meritorum, etſi excreſcentibus paſſionibus nimium angeretur, nulla tamen remedia medicorum poterant inveniri (caret enim Hungaria Medicis, abhorret & medicinas) cum mirabili patientia propter Chriſtum omnia ſuſtinebat, ſervabatque tam in cibo, quam in potu mirabilem abſtinentiam. Qui cum precibus ac perſuaſionibus alliceretur, ut carnis cujuſdam pulli optime præparati paululum comederet, mox ut ad ſatisfactionem rogantis illam deguſtavit, ut venenum reliquam depoſuit, nam cum ſanus carnes comedere ſolitus non eſſet, infirmus etiam illas adhorrebat. Rigorem autem juſtitiæ cum omni miſericordia ſic tenebat, ut correcta offenſa, omnino offendentis perſona neſciretur: nam cum hic quædam Fratris noxa ad eum deferretur, mox neſcientibus ſociis, & quidem quantumcumque ſibi familiaribus, Fratrem delinquentem clam districtiſſime corripuit. Hunc correctionis modum Prælatus ſemper egregie ſervaverat; atque adeo delinquentes miro modo erga eum afficiebantur. Ingenti etiam deſiderio detinebatur ad Dom. Nicolaum proficiſci, in metis Hungariæ verſus Boſnam exercitualiter ſe habentem; more quodam elephantis contra infideles ardentius ſolito animabatur. Poſt aliquot dies viribus paululum utcumque reſumptis, ſuadente ſibi Domino Legato, ad præfatum Dom. Nicolaum pariter cum Dom. Legato ire decrevit. Cui cum ipſe contradicerem:* ne facias hoc, Pater; videmus enim te ex diutina infirmitate gravatum & adeo extenuatum, ut ſtare non poſſis. *His & ſimilibus a ſuo propoſito ipſum amovere conati ſumus, allegantes pericula mortis, longitudinem itineris, patriam ac viam infidelibus plenam, calores intenſiſſimos, penuriam vi-*

Matth. 23. 12.

victualium, ſociorum diſplicentiam, & eorumdem infirmitatem, & pulveres peſtiferos. Sed reſpondebat fervidus Dei famulus, hoc ſibi Deum inſpiraſſe: Conſcientia, *ajebat*, me urgente, & Legato ſuadente, ire me omnino oportet: Utinam in itinere, in hoc opere Dei, in hoc exercitio obirem: venite filii, & ſociate me, Deus enim nos ſua gratia tuebitur. *Qui cum verſus eumdem Dominum ire cœpit, non infirmus, non extenuatus, non quidem labore & infirmitate collapſum corpus habens videbatur, ſed juvenis militaris & quidem induſtrioſus, ſanus, recens, ac fortis, & expeditus cunctis apparebat, adeo ut nullus noſtrum, quantumcumque velociſſimo in equo ad eum pertingere valeret; non enim ipſum equus, ſed zelus fidei & martyrii deſiderium ferebat. In hoc ſiquidem itinere perpauco cibo contentus eſt, a ſolitis paſſionibus paulum relevatus: & cum in hac via inter ſchiſmaticos & infideles converſaremur, tanto in eum amore ac reverentia ipſi movebantur, ut ad eum videndum clauſis caſellis, dimiſſiſque laboribus, catervatim concurrerent, & alieni a pietate aliqui eleemoſynas, aliqui habitationes eorum tam ſibi, quam ſociis offerebant. Quibus pius Pater non ſinebat a diſcolis damna inferri; ſed ſi quando aliqui prætereuntes pullos, aut animalia pro pabulo abſtuliſſent, mox beatus Pater aut reddi, aut pecunia eis ſatisfieri jubebat, prædicabatque eis viam ſalutis, & pabulum ſalatare eis refundebat. Cum autem per quatuor dies ad prælibatum Dominum tam Legatus quam ipſe Vir Dei perveniſſent, cum multis rationibus ac perſuaſionibus ad cauſam fidei capeſſendam, ac defendendam ſimul induxerunt; præcipue tamen ipſe Beatus diſerte aperuit, quanta a Deo, a ſummo Pontifice, & ab hominibus animæ, vitæ & famæ ſuæ gratia refunderetur; & tandem omnia ipſe Dominus ſe pro poſſe facturum repromiſit. Qui cum eos honorabiliter excepiſſet, poſt multa colloquia, ut ad ſuam civitatem de Vylak pro ſanitatis munere obtinendo ſe conferrent, inſtanter rogavit. Erat enim & ipſe Dominus Legatus aliquali infirmitate affectus; præcipue tamen ipſe Dominus Nicolaus flagrabat deſiderio, ut ſaltem ipſe B. Pater, cui plurimum afficiebatur pro ſua devotione & ſanctitate, ad Vylak proficiſceretur, ut ibi vel ſanus evaderet, vel, Domino permittente, mortuus jaceret. Quod utique deſiderium deſiderio ipſius Beatiſſimi conſentaneum erat. Licet enim ipſe Vir Dei ſummo ſtudio, ſummaque reverentia a cunctis coleretur, ipſe tamen D. Nicolaus eum ſanctum tenebat & appellabat. Non mirum ergo, ſi civitatem ſuam ipſius præſentia & ſepultura decorari affectabat. Cui Pater acquievit. Mane autem ſequenti ipſe D. Nicolaus cum ſuo exercitu illuc receſſurus, miſſis litteris ad Vylak, quibus ſignificabat Patrem beatum illuc de proximo iturum, venit ad eum pro benedictione petenda, qui ad eum exire noluit, nec eum intromitti juſſit, donec officium, quod cum ſocio perſolvebat, complevisſet. Nos autem aſſiſtentes timebamus, ne tantus Dominus, aut ipſius magni proceres, qui foris equis inſedentes patienter expectabant, diſcretum Patrem de indiſcretione culparent. Abſoluto tamen officio, non quidem terſim, ſed tractim ac moroſe, ſicut ſui moris erat, exiens ad prædictum Dominum, dixit:* Hactenus cum Deo officium dicendo locutus ſum, ideo non exivi ad tuam dominationem; nunc autem cum tua magnificentia ad libitum loquar. *Quæ quidem verba tam ipſi Domino, quam ceteris audientibus in admirationem fuerunt & in ædificationem, & benedictione accepta, poſt aliqua verba ad invicem habita, Dominus receſſit: quo die tam Dom. Legatus quam Pater ſanctus verſus Vylak iter dirigentes, 1. die Septembris civitatem intraverunt. Legatus in domo Plebani, Pater autem in loco Fratrum de Obſervantia, quem ipſe ante victoriam ceperat, cui beatæ Virginis Mariæ vocabulum eſt, diverterunt. Gaviſa eſt ex*

hoc

hoc mirum in modum tota civitas, gaudio permaximo perfusi sunt Fratres, beatum Patrem jam habentes de tantis periculis egressum, licet ipsum haberent infirmum. Sciens autem Dom. Nicolaus, D. Legatum & beatum Patrem ad suam civitatem, juxta votum suum se contulisse, non multo post & ipse, dimisso exercitu, eamdem intravit, non tam ut eos honorifice in sua terra exciperet, quam Patrem ipsum beatum ægrotum in sua civitate summo studio curandum retineret; aut si ipsum, volente Deo, obire contingeret, digno honore ac venerabiliter sepeliret. Nam, ut solum de regno Hungariæ loquar, licet alii magnifici Barones in suis terris hunc beatum Virum vivum habere desiderarent & mortuum, hic tamen Dominus ob præcipuam, quam in eum conceperat, devotionem & singularem amorem, in sua civitate aut infirmum, aut mortuum servare merito conabatur. Sciebat namque quodam fidei & devotionis dono illustratus, per eum superstitem, Domino jubente, posse adhuc ingentia fieri, & per eumdem defunctum Christianam fidem amplius confirmari; suis meritis & precibus ipsum cum re sua adjuvari & protegi; necnon certum habebat, hujus tanti sanctissimi Viri sepulcro per omnem Christianitatem suum nomen efferendum, suumque dominium ampliandum, atque multipliciter decorandum. Cujus quidem magnifici Domini jam præcessit beati Patris retinendi desiderium: nam cum adhuc ægrotaret beatus Pater in Salankemen, & ascenderent Fratres navigio versus Budam cum libris, & aliis rebus ad usum Fratrum pertinentibus, quamprimum navicula secus Vylak visa est, præmoniti cives jussu ipsius Domini ad illam armati concurrerunt, credentes, in illa corpus beati Patris mortui sive morituri deferri. Qui cum Fratribus non crederent, arreptis gladiis & ensibus evaginatis, omnia diligentissime revolverunt. Ut ad propositum redeam, Dom. Nicolaus humanitatis beneficiis eis exhibitis, admonuit suum Vicarium, videlicet Dom. Laurentium, ut tam infirmo quam sano Patri necessaria ad libitum ministraret, vigilaretque attentissime, ne infirmum Patrem alio transferri pateretur, similiter si obiret; nec extra civitatem ipsius corpus efferri permitteret, sed mortuo solemnes exequias celebraret. Quibus rite ac secrete dispositis; post longam cum beato Patre confabulationem, benedictione capta, concitus ac lætus ad exercitum remeavit. Cum autem Vir beatus ad locum desideratum, disponente divina clementia, pervenisset, maxima fuit consolatione repletus: qui licet adhuc variis febribus, & quidem continuis affligeretur, & fatiscentibus membris, maximo afficeretur dolore, cum remissius infirmi ac senes soleant vivere, ipse in dies spiritu fortior ac ferventior existebat, Missas namque a primordiis suæ infirmitatis aut dicere aut audire nitebatur. Si quando ob debilitatem celebrare, maxime in Vylak non posset, ad Ecclesiam veniens manu alterius, lacrymosis oculis devotissime communicabat. Numquam in sua infirmitate divinum dimisit officium. Si quando circa vitæ suæ terminum illud non potuisset exolvere, ipso jubente, ac attente audiente, coram se illud dici faciebat. Nonnumquam simul cum Fratribus in hac infirmitate, & pro eorum solamine ad mensam communem comedere solebat. Non cessabat a colloquiis divinis, non etiam a correctione: nam cum semel quidam in suum Prælatum coram Fratribus peccasset, mox ut ad eum hoc delatum, ipso jubente, se ipsum Frater dicta culpa coram Fratribus in refectorio disciplinavit, aliosque de aliis excessibus punivit. O justissimum Patrem! certus erat mori, & justitiæ rigorem misericorditer usque ad mortem servavit. Transitum suum longe ante præscivit ac prædixit; nam nocte sequente post Nativitatem Virginis Mariæ oranti revelatum extitit, se omnino ex hac infirmitate morituru[m], quod sæpenumero tam Fratribus quam secularibus viris revelavit. Læta-

tabatur nimium, quod depoſito corporis onere mundum juberetur relinquere. Maximo demum perfundebatur dolore, quod ſanguinem ſuum ac vitam pro Chriſti amore non fudiſſet, dicebatque frequenter: Heu mihi! heu mihi! heu mihi! quia incolatus meus prolongatus fuit, & quia longo meo fruſtratus ſum deſiderio. *Cum autem quis ſibi diceret*: adhuc forte tuum complebitur deſiderium, alias bis vel ter fuiſti oleo ſancto inunctus. Hei mihi! hæc mea ultima infirmitas eſt, cur hoc mihi negatum, mori pro Chriſto? toties inter infideles in bello morti expoſitus, & evaſi, ut nunc tamquam iners in lecto ſine gladio moriar perſecutoris? *Gaudebat tamen, terminum ſuæ vitæ adveniſſe; & licet, ut dictum eſt, alias ſibi fuerat a Domino revelatum, ſe in proximo ſine ſanguinis effuſione moriturum, aſſidue tamen Deum præcabatur, ut ipſe martyrii merito dignus efficeretur, dabatque pro poſſe operam, ut gladiis impiorum occumberet. Sed quod iniqui in eum facere non poterant, longa moleſtia atque multiplex infirmitas fecit: nam per totum menſem Septembris, licet baculo ſuſtentatus incederet, tanta eum invaſit ægritudo, ut quiſquis in eum reſpiceret, præ compaſſione commoveretur.*

LXXXIV. *Eodem tempore Sereniſſimus Rex Ladislaus audita beati Patris infirmitate, deſcendendo per Danubium, cum bis cum multis Principibus, Dominis & Prælatis viſitavit, cui Pater ſic debilis, utcumque valuit, obviam ſe fecit; ſed ſecunda vice de ſtrato non valens exurgere, cum in cellulam venientem, ad fidei cauſam defendendam, & ad bene beateque vivendum attente commonuit, aperiens ei, ſe ex illa infirmitate omnimodo moriturum: quod audiens Rex, maximo mœrore perfuſus eſt, ſimiliter & Barones; & poſt verba conſolatoria ab illo exeuntes, oſculata manu, lacrymis omnes perfundebantur, ac recedentes, alii dicebant*: O Regnum deſolatum! *alii*: O nos miſeros! quid faciemus ſine Patre ſancto? *alii*: magis ab hoc viro ſolo juvabamur, quam ab infinitis millibus armatorum; *& ſimilia ad invicem ſæpius replicabant. Rex autem non ſolum ſuum Medicum aſſiſtere juſſit, verum etiam eidem, etſi totum regnum exponi deberet, aſſatim miniſtrari præcepit; ſic & Dom. Legatus ſuum Medicum cum omnibus neceſſariis ſibi mederi fecit: qui diligenti cura ſolertique ſtudio, variis remediis dulcibuſque blanditiis eum ab infirmitate relevare conabantur. Quibus ipſe continuo dicebat*: Facite quidquid vultis, dicite quidquid placet, obediam vobis pro poſſe, ſed hæc eſt mea ultima infirmitas, & ex hac me moriturum proculdubio ſcitote. *Sed & ipſe Laurentius, Locumtenens Dom. Nicolai, accurate omnia diſponebat, cuncta quæ fiebant aut dicebantur, diligenter attendens: civitas autem quæcumque noverat opportuna, Fratribus impertiebatur. Crebreſcente hujus infirmitatis fama, aut veniunt aut mittunt magnifici Barones nobileſque ad eum viſitandum, ac etiam digniſſimæ ac devotiſſimæ Dominæ electuaria, confectiones, ac cibaria pretioſa ad eum a longe pia devotione mittebant. Ipſe beatus Pater aut miſſa renuebat, aut ea accepta aliis diſtribuebat, horum nihil penitus guſtans. Venit & R. P. frater Stephanus de Vaſſan, Provinciæ Hungariæ tunc digniſſimus Vicarius, vere ipſius Patris optimus filius, & olim ejuſdem ſocius fideliſſimus, qui cum poſt aliquot dies Conventus aliquot viſitare vellet, & cito ſe rediturum ſperaret, nec Patrem adeo cito crederet moriturum, petiit ipſius benedictionem; cui ille*: ſi recedis, non me videbis amplius in carne mortali viventem. *Qui dum talia verba parvipenderet, & in eo nulla morituri ſigna hominis apparerent, poſt duos dies ſui itineris mortuum Patrem dolenter audivit, ſicque retrogredi coactus eſt. Aſſiterunt ei aliquot Patres & Fratres Hungariæ, cum omni veneratione & caritate ſibi ſervientes. Continua autem vi febrium æſtuavit, laboravitque ma-*

maximis totius corporis doloribus, continuum fluxum paſſus per totum menſem Septembris. Adeo vero vis hujuſmodi fluxus invaluit, ut vix crederetur ad diem quintum perventurus. Erat tamen in eo eadem mentis tranquillitas, idem fervor, eadem devotio, idem zelus fervens continue ad Dei nominis honorem, & ſalutem animarum, & Chriſtianæ religionis augmentum. Tanta etiam auctoritas fulgebat in eo, ut licet ſibi mortem cerneret imminentem, infirmos tamen ad eum venientes, aut etiam deductos ſua ſacra manu ſignabat, & quotquot tangebat, aut ſanos, aut melius habentes dimittebat. Quantæ autem Sanctitatis fuerit hic vir beatus, facile perpendi poteſt, quod cum eodem tempore eſſet ſibi nunciatum, dilectum ac gratum ſocium ſuum fratrem Ambroſium Aquilanum in loco de Aebya in extremis laborantem, ac loquela amiſſa, ad ultimum deveniſſe, mox illa nocte in ſtratu ſuo genuflexus affantibus cum lacrymis pro eo oravit; & ita factum eſt, ut illo temporis momento, quo oratio ab eo fuſa eſt, mox infirmus quinque milliaribus diſtans, reſtituta loquela, a mortis dominio liber evaſerit, ſicut ego ipſe eodem mane aſſumpto ſocio, ad eumdem currens reperi: nam quem mortuum jacentem in feretro invenire credidi, manducantem & incolumem vidi. O vere beatum virum! ad mortem ipſe properabat, & tamen tam præſentes, quam abſentes tangendo aut orando a languoribus, & a mortis vinculis liberabat. Quo tempore rediit ad eum venerabilis ille Hieronymus Utinenſis, omni religioſitate, & litterarum ſufficientia præclarus, ſanus quidem & integer, & cum eodem tempore tertiana febre ego ipſe laborarem, debiliſque incederem, caritate plenus me ad eumdem locum tranſmiſit. Sed cum non libenter eum dimitterem, non quod ego eum crederem moriturum ex illa infirmitate, ſed quod timerem me ab illo abſentem moriturum, pius Pater mihi ait: Vade ſecurus, quia cum vitæ meæ vicinus terminus advenerit, te revocabo. *O piiſſimum virum! quis te non fleat? & quis te non deſideret? quis tuæ pietatis ac caritatis viſcera poterit obliviſci? Heu mihi miſerrimo! heu mihi ingrato, heu mihi peccatori! licet enim ab ipſius beati Patris converſionis initio alii multa & quodammodo infinita miranda opera ſuis meritis ſuiſque precibus a divina clementia facta conſpexerint, mea tamen pravitas in parvo temporis curriculo multa ad Dei gloriam, divina diſponente voluntate, vidit, quæ omnia ſua opera glorioſa approbant & confirmant, & cum his paucis vitæ diebus proficere deberem, adeo deficio, quod propriæ ſalutis videor obliviſci. Spes tamen mea eſt Deus, qui neminem ad ſe euntem abjicit aut confundit. Cum autem beatus Pater ſcit tam me quam prædictum Ambroſium recuperaſſe corporis ſanitatem, & jam ſuæ mortis diem cerneret adfuturum, ex dicto loco de Aebya in feſto ſeraphici P. Franciſci ad ſe nos vocavit: quo tempore litteras receperat ex Italia, multa ſibi grata continentes. Inter quas quidem litteras erant illæ ſuaviſſimæ, & admiratione refertæ venerabilis P. fratris Bernardini Aquilani, tunc Provinciæ ſancti Bernardini digniſſimi Vicarii, continentes felicem obitum, & quam plura mirabilia opera poſt ipſum obitum B. fratris Philippi Aquilani, qui de menſe Maii proximo præcedentis in civitate Sulmonæ feliciter migravit ad Chriſtum. Has quidem litteras præ amoris ac devotionis dulcedine modo legebat, modo oſculabatur, modo legi & exponi tam populo quam clero faciebat. Nonnullis etiam nobilium Provinciarum illarum copiam mitti juſſit; nec unquam illas legebat, quin lacrymis perfunderetur, dicens:* Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt! *Hunc beatum Fratrem, licet multis laudum præconiis ipſe pius Pater efferret, hoc tamen ſingulare de eo mihi ſecrete dicebat: multa ſibi merita frater Philippus cumulavit, præcipue ob fidem, & continuam cuſtodiam caſtitatis,*

& victoriam, quam obtinuerat de bello carnis; fuerat enim, quoad vixit, miro modo ſtimulo carnis pulſatus, de quo, divina gratia adjuvante, victor evaſerat; Deus enim non hominem, qui carnis illecebras patitur, abhorret, ſed eum, qui deſideria carnis ſequitur & ſuæ voluntatis. Cum autem ipſe beatus certitudinaliter mortem ſuam de proximo imminere ſibi videret, corpus ſuum mirum in modum optabat paſſionibus exponi, ut palea conculcata atque excuſſa, granum purum ſummi Regis in horreo valeat collocari. Duplicantur ſibi febres, fluxus inferbuit permaximus, adeo ut cum jam ipſe nihil ſumeret, attenuato corpuſculo, & ſanguine continuo profluente, dolores etiam creverunt per ſingula membra intenſiſſimi. Tuſſis acceſſerat adeo horribilis & tam magna, ut compaſſione audientes commoverentur. Jam cibum nullum, jam potum tenuiſſimum & raro ſumebat; nullius etiam ſoporis aut dormitionis quietem capere poterat. Teſtes ſunt Patres Hungariæ, qui ſibi tunc aſſiſtebant: teſtes ſunt venerabiles PP. & FF. Hieronymus Utinenſis, Epiphanius Alemannus, Ambroſius Aquilanus, Victor de Vienna, & complures alii; præcipue tamen D. Laurentius, qui cuncta, quæ fiebant, curioſe ſpectabat; Teſtis eſt conſcientia mea, ſi qua eſt, quod in omnibus ſupradictis paſſionibus, doloribus, anguſtiis, anxietatibus, tormentis, & corporalibus pœnis hujus beatiſſimi Viri non ſolum illas ipſe non abhorruit, ſed potius invaleſcere cupiebat, ac invitabat, ſi qua eſſet durior, advenire. Imperturbabilis erat animi perfectiſſimæque patientiæ, & eadem vox, idem ſenſus, idem intellectus, eadem mentis tranquillitas ac jucunditas: idem ferventiſſimus Dei, & animarum ſalutis zelus inerat, ſicut prius, & eo amplius, quo ſe minus ſupervicturum certo ſciebat: dulcia verba, mitis converſatio, mirabilis diſcretio, paternalis amor, maxima patientia, incredibilis abſtinentia, locutio expedita atque ſenſata omnes ſibi aſſiſtentes afficiebant. Et ut verum fatear, Pater Reverende, licet ex tantis talibuſque continuis paſſionibus ipſum patientiſſimum virum taliter diminutum, afflictum & minui & affligi durius continue videremus, conſiderantes, quæ ſuperius poſita ſunt, & multa alia, quæ ſcribi non poſſent, nullo pacto poteramus adduci, ut his temporibus ipſum moriturum crederemus; mirabamur tamen, ipſum ſæpe replicare obitum ſuum de proximo affuturum. Sed cum hæc verba: Heu mihi! *replicaret,& ego mente infirmus ſibi dicerem, quare toties illud diceret; reſpondit patiens, & jucundus ſenior:* Heu mihi quia peccavi nimis &c. *Legebat litteras ſibi miſſas, dictabat reſponſa, vel propria manu ſubſcribebat; & ſi qui ad eum viſitandum admittebantur, facta eis correctione dulciſſima, lætos ad propria remittebat: & ſciens Vir ſanctus jam ſuæ reſolutionis tempus advenire, quadam die ſuos fecit ſocios, qui illic erant, accerſiri, quorum ſingulis poſt dulcia verba, vaſcula quædam, ſive alveolos, confectionibus & electuariis plena diſtribuit, quæ a compluribus nobilium virorum & mulierum, auditu ſua infirmitate, ſibi fuerant tranſmiſſa, de quibus numquam guſtaverat, dicens:* hoc ſit vobis ſignum, quod vobis ſanis, ac liberis evadentibus, ſolus ego in brevi moriar. *Cujus verba licet nobis eſſent tamquam verba Apoſtoli, & licet talem diſtributionem miraremur, non tamen ipſum obire credebamus, & maxima inter nos erat diſceptatio; aliqui enim dicebant:* ipſe jam ad nihilum ex continuo fluxu devenit; *aliqui:* reſtaurabitur, nam perſpicaciori nunc ſenſu viget, quam prius; *aliqui vero:* jam cutis oſſibus hæret, *ſicque varia opinione ſtabamus, ſed plures ipſum obiturum juxta ſua verba credebant. Ego autem miſer eum adhuc ex hac liberum infirmitate ſupervicturum arbitrabar. Erat alter Paulus in ſuarum gloriatione infirmitatum, & alter Job in earumdem tolerantia. Itaque numquam verbum alicui moleſte dicere, numquam uni-*

unicum viſus eſt actum agere turbationis, ut ſolent infirmi, ſed animo imperturbabili in cunctis ſuis paſſionibus permanebat. Die autem ſancti Lucæ Evangeliſtæ, me accerſito, clam ſe in proximo moriturum prædixit, conatuſque eſt verbis, quibus potuit, omne a me dubium amovere, ac præſente fratre Epiphanio, ſuam dexteram ponens ſuper humeros meos, dixit: O Fili! quid de te poſt mortem meam erit? *Illa verba mihi in corde infixa fuerunt. Poſt dulcem admonitionem tunc ſingulariter mihi factam de perſeverantia & caritate, de cura ſociorum & patientia, ac diligentia in reportandis libris, juſſit omnes Fratres ad eum convenire: quibus poſt dulcem ſermonem, poſt exhortationem ad honorem & timorem Dei, & ad obſervantiam regularem, genuflexus in ſtratu, prout poterat, ſe culpabilem accuſavit, non ſine maximis lacrymis Fratrum precibus, ac P. Guardiani pœnitentiæ ſe commiſit. Erat pro tunc illius loci Guardianus venerabilis P. frater Michael a ſancto Dionyſio, Vicarius frater Michael Claudus, vir utique timens Deum, quibus etiam dixit ſui corporis pondus in proximo deponendum, commendans eis illum locum ſimul & ſocios ſuos; dixitque ſe omnia eccleſiaſtica ſacramenta recepturum. Quibus quidem Fratribus egreſſis, multa diſpoſuit, ſtatuens & commoneſaciens, quatenus omnia ſacramenta in nuda humo vellet ſimul die ſequenti recipere; ſic enim Fratres juſſit admoneri. Facta ergo digniſſima præparatione, mihi generaliter ac ſpecialiter tanta contritione, tantaque tenaci memoria confeſſus eſt, ut non præterita, ſed præſentia; imo præ oculis ſua minutiſſima delicta habuiſſe videretur. O quis vidiſſet hunc beatum Virum, omni ſanctitate præclarum, ſenem ſeptuagenarium, ſolam cutem aridis oſſibus cohærentem, diutina infirmitate tabeſcentem, cujus corpus tam labore, quam moleſtia jam collapſum erat, genuflexum atque proſtratum, manibus junctis, capite diſcooperto tundere pectus, continuaſque lacrymas effundere! O quis audiſſet eum etiam minuta quæque memorantem, ſingulaque commiſſa, pariter & omiſſa tam ardenti intellectu, tamque efficaci voce & verbo coram Deo cum omnibus & ſingulis circumſtantiis ſacramentaliter recitantem! quem, cum ex compaſſione ad ſedendum invitarem, & quodammodo adſtringere vellem, nullo pacto hoc ſe facturum ajebat; eratque tam humilis accuſator ſui, ut alter David in ſua confeſſione videretur: ſed teſtor Deum & cunctos Angelos ejus, quod licet ſe maximum peccatorem exiſtimaret, nullius tamen noxæ mortalis aculeo, poſt religionis ingreſſum pungebatur, neque eum aliqua mortalis culpa fœdaverat. Hoc tamen maxime dolebat, eum pro Chriſto non fuiſſe martyrium conſequutum, nec plura egiſſe, quæ per eum ad honorem Dei, & ſalutem animarum fieri potuiſſent; cum in veritate per quadraginta annos, ex quibus Deo ſervire cœpit, tanta per eum in diverſis mundi climatibus, Deo favente, facta ſunt, ut poſt Apoſtolos ſimilem illi non legamus. Et quamquam nullius pœnitentiæ, nulliuſque abſolutionis beneficio indigeret, voluit tamen, accepta pœnitentia ſalutari, ſibi etiam tam Papalis quam Dom. Legati abſolutionis munus impendi: ego autem præ lacrymis vix id perficere poteram, nec peccatis plenus ſanctum verticem tangere audebam. Hæc in craſtino dicti feſti fiebant. Qua confeſſione peracta in eodem loco, videlicet in terra, orationi ſe dedit, & quidem ſupplex atque proſtratus, parans ſe ad communionem. Interea pro communione fienda in eadem cella paratur menſa altaris; pulſatur, jubente Guardiano, campanella refectorii, conveniunt ad Eccleſiam Fratres, obſtruuntur cunctæ portæ Conventus, ne ſeculares irruentes ſacrum hoc officium impedirent; ſolum Dom. Laurentius, qui, ſuo domino jubente, omnibus & ſingulis interfuit, admittitur: & omnibus, ut moris eſt, paratis, ecce circa horam Tertiarum Pater Guardianus in-*

indutus veſtibus huic rei convenientibus, & Fratres omnes, qui erant circiter triginta, veniunt cum ſacratiſſimo corpore Domini, & cum ſacramento extremæ-unctionis: quibus Pater aliis ſuſtentatus obviam reverenter proceſſit, dicendo: Domine non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum, *& ſæpius replicando ſimilia non ſine lacrymis abundantiſſimis. Quibus ſacramentis locatis in menſa, antequam amplius procederetur, iterum* Pater *ſanctus genuflexus dixit culpam ſuam, petiit veniam, rogavit ut tantis ſacramentis dignus efficeretur, petiit pro ſe orari, dixitque in proximo vitæ terminum imminere, & ex hoc poſtulavit, ut datis ſibi ſacramentis, dicerent officium commendationis animæ uſque ad* Proficiſcere anima Chriſtiana de hoc mundo: *addens:* cum fuero in agone mortis, vel cum me ſenſero ad extremum vitæ devenire, vos faciam advocari. *Demum profunde adorans ſacramentum Euchariſtiæ, in lacrymas reſolvitur fletu amariſſimo; nunc ſe cum cruce ſignat, nunc crucem oſculatur, nunc os, nunc pectus debili manu contundit; nunc etiam ſacramento, nunc cruci loquebatur, peccatorem ſe maximum accuſans. O Patrem ſanctiſſimum! O armarium ſanctitatis! vir fuerat ab ingreſſu Religionis ſemper & rectus & timens Deum & recedens a malo ut alter Job; permanſerat immobilis in Dei timore ut alter Tobias; fuerat vir juſtus atque perfectus, ambulans cum Deo, facienſque omnia quæcumque præceperat ei Deus, ut alter Noe; & ſe tamen maximum peccatorem proclamabat. O humilitatem profundiſſimam! ſciebat namque hic beatus Vir, bonarum mentium eſſe, ibi culpam agnoſcere, ubi culpa non eſt. Quibus verbis tanti Patris, quibus fletibus, qua compunctione, qua etiam humilitate omnes pariter adſtantes in lacrymas converſi ſunt, adeo ut vix illud officium facere poſſent. Tamdem incipiunt: aliqui legunt, aliqui pſalmizant, alii alia parant, aliqui fletibus ſingultibuſque replentur, Patrem ſanctum venerabiliter admirantes. Poſt hæc venitur ad ſacramentum extremæ-unctionis, quod mira & quidem incredibili reverentia, humilitate profundiſſima, abundanti lacrymarum effuſione, ac compoſita corporis aptitudine recepit: nam præmiſſa ſolita confeſſione, & cruce pluries amplexata, atque deoſculata, ac ſibi a compluribus Fratrum abſolutionum beneficiis impenſis, tantæ ſanctitatis viſus eſt, ut nihil ſupra. Qui cum eſſet præ nimia, ac diutina & quidem acerrima infirmitate malleatus & quaſſatus, ſe ipſum in omnibus coaptans, his ſacramentis muniri ardenter affectabat. Si quis eum vidiſſet denudatum, profecto vidiſſet alterum Hieronymum, alterum Joannem Baptiſtam, ſolam carnis ſuperficiem cum oſſibus habentem. Demum, ut ipſe popoſcerat, incipiunt Fratres Letanias pro animæ commendatione, humili Patre devotiſſime proſtrato, & ad finem uſque pie reſpondente. In hac ſacramentorum receptione tanta beati Patris devotio, tantaque compunctio cum profluvio lacrymarum viſa eſt, ut lingua minime valeat explicari: tantum acumen & perſpicacitas intellectus, tantaque omnium ſenſuum in eo vigebat vivacitas, ut quamquam eſſet penitus corpore diminutus atque exhauſtus, in hujuſmodi officio non videbatur infirmus; nam mira mentis jucunditate repletus, una cum aliis aut dicebat, aut reſpondebat, adeo ut tam in Letaniis, quam in aliis non ipſe infirmus, ſed unus de ſanis circumſtantibus in dicendo, reſpondendo, atque male prolata corrigendo videbatur. O quis peccatorum ſarcina oneratus hoc attenta mente non penſet, talem ac tantum virum innumeris bonorum operum meritis refertum, juſtum, pium & ſanctum, cum tanta cordis ac corporis devotione, contritione & attentione divina ſacramenta recepiſſe?*

LXXXV. *Reclinatur poſtea aliorum manibus in ſtratu, remanet lætus*

ac

ac placatus, ſæpius repetens: Nunc dimittis ſervum tuum, Domine, in pace &c. *ut alter Simeon juſtus & timoratus*: *nec ob tam vivacem claramque vocem, & ſermonem expeditum de hujuſmodi morte in nobis ceſſabat dubitatio; nam hæc ſolum tria mortem arguebant, videlicet, ipſius de morte crebra prædictio, nulla cibi aut potus deguſtatio, & vehementiſſimi fluxus continuatio*: *cuncta autem alia ipſius argumenta non morituri, ſed victuri hominis apparebant. A receptione autem ſacramentorum uſque ad obitum ejus quinque defluxerunt dies, in quibus quidem ab eodem multa mirifice facta ſimul ac dicta ſunt, quæ nullo pacto ſunt ſilentio prætermittenda. Nam infra præfatum ſpatium ſinguli Fratres ad eum venientes, & ſe culpabiles eidem reddentes, gratis ab eo cum oſculatione manus benedictionibus muniebantur, præcipue tamen ſocii ſibi aſſiſtentes, ac ſibi ſervientes ſuis benedictionibus & muneribus, quibus poterat, replevit. Venerabili fratri Hieronymo Utinenſi, quem infirmus habuerat ſervitorem gratiſſimum, ſolemnes litteras merito conceſſit, digniſſimis facultatibus, prærogativiſque refertas: dedit etiam eidem eo modo, quo ſibi licebat, Bibliam aut allum codicem, quem vellet; alteri ſuos calceos petenti & indigenti donavit; alteri librum, alteri pannos: nonnullis etiam obedientiam, qua ad provinciam ſuam ſancti Bernardini redire deberent, dedit, me ſociorum ſuorum Guardianum uſque ad completam obedientiam inſtituens. Quos omnes ſui ſermonis dulcedine confortabat tamquam alter Matathias, dicens*: Vos ergo filii confortamini & viriliter agite in lege ſancta, in regula, quam Domino Deo noſtro & beatiſſimo Patri noſtro Franciſco obſervare promiſiſtis: in ipſa glorioſi eritis, *& ſæpius ſimilia replicabat. Demum libros ſibi accommodatos reddi juſſit*: *libros, epiſtolas & opuſcula hæreſim Boemorum continentia, in provincia Auſtriæ dimitti voluit; libros autem, & quæ ad uſum ipſius tam a Sede Apoſtolica quam ab* Ordine *habuerat, ad provinciam nativam, & ad locum Capiſtrani, ſicut moris eſt in* Ordine *Minorum, voluit reportari*: *Similiter bullas, gratias, facultates, ac brevia Apoſtolica & opuſcula, quæ ipſe ediderat. Taceat hic detractor ipſius ſancti Patris, ſi ex hujuſmodi conceſſione, diſtributione, remiſſione, & diſpoſitione ipſum temerarie judicare præſumat, cum tam a Sede Apoſtolica, quam ab* Ordine *hujuſmodi ordinandi ac diſponendi plenam habuit facultatem. Præterea* R. P. *frater Baptiſta de Levanto pro tunc generalis Vicarius fecerat ipſum ſuum Commiſſarium, mittens ſibi pro reverentia cartam albam cum ſubſcriptione propriæ manus. Deinde non eſt cenſendum, hunc Virum tanta ſanctitate fulgentem, in extremis ſuæ vitæ egiſſe contra conſcientiam. Demum nonnumquam ſancti Viri ex inſtinctu Spiritus ſancti id agunt, quæ aliis facere non liceret. Mihi fecit litteras obedientiales, & ſatis gratioſas, mandans ut eos libros ad dictam Provinciam nativam, una cum fratre Ambroſio Aquilano deferre deberem; & quidem per viam Auſtriæ, & per Viennam deberem me conferre*: *primo, ut illam Provinciam, quam ipſe plantaverat, venerabilibus Patribus Fratribus Gabrieli Veronenſi pro tunc ipſius Provinciæ Vicario, Chriſtophoro Variſio commendarem, tamquam ſuis indefeſſis coadjutoribus & fidelibus ſociis*: *Secundo, ut ab eiſdem pro ipſis libris deferendis favorem & auxilium ſuo nomine captarem. Scripſit etiam efficacem epiſtolam ad ſpectabilem Dominum Simonem Pickthel Viennenſem, ſibi devotione maxima affectum, ut ſua opera, ſuaque induſtria eoſdem libros Venetias mittere dignaretur. Tertio voluit nos per Auſtriam ad Italiam redire, ut aliquibus libris contra hæreſim Boemorum, de quibus ſupra, Viennæ dimiſſis, nonnullos ad Italiam deferendos cum aliis reportaremus; maximo enim detinebatur deſiderio, ut dicti libri ad locum Capiſtrani deferrentur. Quem quidem*

locum

locum ſua opera captum, & ſuo labore inceptum, ædificaverat illa Illuſtris & devotiſſima Domina Comitiſſa Celani, ipſius Patris cariſſima in Chriſto filia, & totius familiæ noſtræ præcipua benefactrix. In quo quidem loco eodem anno ipſa Domina, per litteras beati Patris admonita, fecerat ædificari amplam & pulchram librariam pro libris illuc deferendis, quod non dubito, id divino ſpiritu factum; nam illo anno, quo Domina præfata litteris Patris pulſata eſt & libraria facta, Pater eſt defunctus ſeculo, & libri per tam longum terrarum ſpatium delati ſunt, atque in eadem ornate locati. Nolo etiam V. P. ſilentio præterire miram ipſius beati Patris diligentiam circa hos libros remittendos: nam cum, aliis libris per fratrem Georgium Patavienſem Budam tranſmiſſis, ſeptem dumtaxat volumina penes ſe teneret, tanta cura tantaque ſolertia circa hos tranſmittendos uſus eſt, ut licet eſſet nullius vigoris, & mortem ſibi vicinam ſentiret, tapetum tamen, quo ipſe uſus fuerat in pulpitis, in ſtratu fecit ſupponi, hos libros cum illo involutos fune ſuis manibus colligavit, ac ſic ſeorſum locatos cum aliis ad eamdem Provinciam transferri juſſit. Quis talia proſpiciens illum in proximo moriturum dixiſſet? ſed attenta memoria retineat, quæ ſequuntur.

LXXXVI. *Paulatim ſe ad ultimum vitæ venire proſpiciens, ſentienſque ſibi jam caligari oculos, benedixit univerſæ Chriſtianitati & Religionibus, præcipue familiæ noſtræ; quod cum ego non animadvertiſſem, die ante ſuum tranſitum genuflexus ante eum, adſtante fratre Epiphanio de Styria, non ſine crebris lacrymis petii ab eo veniam, recognovi me culpabilem in eum extitiſſe; qui manum extendens, verbis conſolatoriis me ſumme confortavit, ac benedixit, ſimilis Iſaac factus. Demum cum eum rogarem, ut Fratribus benediceret, dixit:* filii, heri illis benedixi, & iterum benedicam; *me enim abſente alias benedictiones die præterita tam Fratribus, quam populis impertierat, ſed tunc non paucis lacrymis irrigatus erigens ſe, utcumque poterat, Chriſtianitati benedixit, cui maxime compatiebatur; videbat enim ſibi multa mala imminere, quod ſæpius dixerat. Videbat & regnum Hungariæ multa pericula incurſurum, illis tamen miro cordis deſiderio benedixit, junctiſque manibus orabat ad Dominum, ut ſancta fides Catholica ſervaretur immunis. Demum totam Religionem Fratrum Minorum, præcipuæ tamen familiam Fratrum Obſervantiæ, lacrymoſis oculis, melliſluis benedictionibus replevit, quaſi ſingulas Italiæ provincias nominando, ſua manu crucem faciendo, non immemor Provinciæ ſuæ nativæ, necnon provinciarum Auſtriæ, Boemiæ, Poloniæ, quas ipſe in Obſervantia regulari plantaverat. Benedixit & Fratribus tam præſentibus quam abſentibus, tam viventibus quam defunctis, tam præſentibus quam futuris; præcipue quos ſua prædicatione ſeu inductione, ſive etiam quos ſua manu ad Ordinem receperat, multiplicis benedictionis munere fulcivit. Benedixit cunctis familiæ noſtræ benefactoribus & fautoribus, multos, ut ſibi proponebantur, nominando: a qua quidem benedictione non fuerunt expertes conterranei ſui, non etiam Aquilani, quos adeo amaverat, ut uſque ad exitum, illorum memor fuerit. Nec ab hujuſmodi benedictione fuit aliena illa religioſiſſima, & Illuſtriſſima Domina Cobella Celani Comitiſſa; non equidem & filii ſui: quæ quidem magnifica Domina ab ineunte ætate nonnulla adverſa perpeſſa, conſiliis ipſius beati Viri inhærens, ab omnibus ſuis adverſitatum moleſtiis fuit aliena; quæ ſicut hunc beatum Virum in carne viventem in præcipuum Patrem habebat, & totius vitæ conſultorem, ita nunc ipſum in cœlis regnantem habet advocatum ſingularem. In hac ſiquidem benedictionum datione præcipue incluſit ſuos benefactores, peculiares ſuos fautores, coadjutores, benevolos, amicos, & attinentes, tam qui præ-*

præſentis vitæ munere fruerentur, quam hi qui ex hac vita migraverunt. Benedixit & omnibus Sororibus ſanctæ Clarę regulariter viventibus in Monaſteriis, præcipue tamen hac hora fuit memor Monaſterii ſanctæ Euchariſtiæ Aquilani, quod ipſe non ſine labore ſtatuerat. Hunc locum maxime ſemper amaverat, in quo manu ſua quatuordecim Sorores incluſerat tamquam lapides fundamenti. Demum adauctum eſt præfatum Monaſterium, ut in parvo temporis ſpatio ſua oratione ſuoque favore ad numerum ſexagenarium illæ ſanctæ Moniales devenerint, omni ſanctitate præſtantes. A qua etiam benedictione ſpirituali non fuerunt aliena Monaſteria Tertii Ordinis tam ab ipſo, quam ab aliis fundata, præcipue benedixit Monaſterium ſanctæ Eliſabeth quod ipſe in civitate Aquilæ ſtatuerat. Demum omnibus perſonis Ordinis, tam in Monaſteriis quam in eorum domibus degentibus, manu & ore benedixit. Quibus quidem benedictionibus multos alios incluſit nominatim. Sed ut verum fatear, ſtabam ego genuflexus ante eum non ſine lacrymarum effuſione, & quotquot ego ſibi proponebam aut naminabam, toto cordis affectu ſimiliter benedicebat.

LXXXVII. *Veniam autem ad quaſdam prædictiones: licet iſte Sanctus in omni vita ſua prophetiæ ſpiritu apertiſſime fulſerit, ut alibi dicetur, & ſicut venerabiles ſocii, quos ante habuerat, veridice referunt; in hoc vitæ tamen ſuæ termino multa prædixit, de quibus omnibus & ſingulis immemorem me eſſe confiteor. Sed quædam poſtquam verificata ſunt, mihi ad memoriam rediere. Prædixit prius mortem ſuam in Hungaria, & ad illum locum de Wylak profectionem non ſine uberrimo fructu. Prædixit illum locum de Wylak ſitum inter ſchiſmaticos & infideles ad maximum profectum fidei Catholicæ futurum. Prædixit, cum de Boemia loqueretur, poſt mortem ſuam nonnulla loca inter illos hæreticos capienda, & multos Huſſitarum ab hæreſi convertendos. Prædixit omnes ſocios tunc infirmos ſe moriente convalituros. Prædixit familiam noſtram, tunc bullam Calixti ſervantem, ad bullas Eugenii redituram. Prædixit Fratres Hungaros ſolum propter bullam Calixti a familia diſceſſuros; laudabat tamen bullam Calixti. Plangebat amariſſime excidium Chriſtianæ Religionis: plangebat & inertiam Chriſtianorum. Prædixit partem Chriſtianitatis a Turcis occupandam, & compatiens Regno Hungariæ ſæpius dicebat:* Væ regno Hungariæ. *Prædixit quemdam ſuum ſocium a familia ſeparandum, & ad Epiſcopatus dignitatem aſſumendum. Iſte fuit Alexander de Raguſio, qui licet tunc ab hoc propoſito eſſet alienus, factus eſt, & nunc etiam eſt Epiſcopus Scardonenſis. Prædixit Illuſtri Dom. Comiti Ciliæ, quod caveret ſibi; quod non faciens fuit interfectus a Domino Ladislao, filio Illuſtris Dom. Joannis de Hunyad in caſtro Nandoralbenſi. Prædixit nobis ad Italiam redituris totum iter noſtrum, & quod inveniremus Fratres in Capitulo in Provincia, & libri ſalvi portarentur; & licet ob aliquas cauſas aliter quam ipſe dixerit, agere vellemus, omnino non potuimus, imo nobis non procurantibus, quidquid ipſe nobis prædixit, proculdubio verificatum extitit. Prædixit Venerabilem P. fratrem Nicolaum de Farq poſt mortem ſuam illuc venturum, qui licet a nobis eſſet longinquus, ſeptima tamen die poſt mortem ſuam illuc cum fratre Franciſco Placentino adventavit, & quem vivum videre cupiebant, mortuum conſpexerunt. Multa alia in hac ſua infirmitate divino ſpiritu motus beatus Pater prædixit, quorum aliqua adimpleta prorſus viſa ſunt, aliqua vero adimplenda timentur. Sed hoc ſilendum non videtur; pluries enim conſociis ajebat, magnam ſibi poſt mortem perſecutionem inferendam, & quidem ab illis qui eum viventem diligere videbantur.*

LXXXVIII. *Prædicta omnia, R. P. vario teſtimonio & firmiſſimo juramento tam a me quam a conſociis muniri poſſunt. Jam ad illa veniendum eſt, quæ poſt prædicta pro conſervatione familiæ noſtræ die ante obitum dixit, & ſcribi fecit: nam poſt benedictiones prælibatas commendans Deo familiam noſtram, & familiam tam Sororum ſanctæ Claræ, quam Continentium, vertens faciem ad me dixit, tria eſſe, quæ Religionem noſtram conſervant, tenent, & gratam Deo faciunt, videlicet*; zelus religionis, fervor caritatis, & rigor correctionis. *Quæ dulciſſima verba, ipſo jubente, ſcripta per fratrem Epiphanium de Stiria vigilem ipſius cuſtodem & miniſtrum, dari ſibi fecit, & ipſemet legit, poſtea dixit*: hæc ſervanda ſunt in familia noſtra, hæc tenenda in Monaſteriis; *ego excuſo conſcientiam meam: dicite Vicariis nomine meo: hæc Vicario Auſtriæ filio meo fratri Gabrieli Veronenſi, hæc ſæpius cunctis Fratribus enarrate. Ex quibus omnibus facile perpendi poteſt, hunc beatiſſimum Virum perſimilem Jacob Patriarchæ fuiſſe, qui moriturus extendens manum in filios hæc tria peregit; nam filiis benedixit, inſtruxit, & futura eis prædixit. Hæc tria beatum Patrem feciſſe certum eſt. Manum autem extendit, quando mihi dixit*: Quid erit de te, filii frater Joannes? *Compluribus etiam Fratribus manum porrexit; fratrem Georgium, qui mox eſt cuſtos diligens ſui ſepulcri, dulciter amplexatus eſt. Sic Venerabilem Petrum de Sopronio, ſic & P. Vicarium, cui abeunti dixit*: fili, tu me non videbis amplius &c. O *Patrem ſanctiſſimum! O vere virum admirabilem, & admirandum! & o zelatorem non ſolum noſtræ familiæ, ſed & cunctorum fidelium uſque ad mortem! Quis te non magnificet? Quis tibi gratiarum actiones non reddat? quis te non habeat ante Deum interceſſorem?*

LXXXIX. *Cum autem hæc & multa alia nimium admiranda, quæ memoria deficiente ſcribere non valeo nec ſcio, circa eum facta fuiſſent, & jam veniſſet dies, in qua tranſire deberet ex hoc mundo ad gloriam ſempiternam, condignam pro ſuis laboribus & meritis cumulatis recepturus mercedem, cum ſemper in eo intellectus integerrimus viguiſſet, volens, juxta promiſſa, ad complendam animæ ſuæ commendationem Fratres advocari, mihi dixit*: dic P. Guardiano quod faciat campanellam refectorii pulſari, ut Fratres coadunentur, & congregati commendationem animæ proſequantur. *Cum mihi hoc non videretur, & dicerem hoc non eſſe pro tunc neceſſarium*: Vade, *inquit*, fac quod dixi; *licet enim jam ego, cum ex illa infirmitate obiturum credidiſſem juxta præmiſſa, non tamen illo die, ſed neque illis diebus. Sic frater Hieronymus, ſic frater Ambroſius, ſic & omnes alii conſocii, neque Patres illius loci hoc opinabantur. Veniunt tamen omnes; quibus coadunatis ante omnes dixit, ſe illo die omnino moriturum. Steterat novem dies ſine alicujus cibi aut poculi deguſtatione, petebat tamen Julep * propinari, quod inveniri non poterat, neque confici. Commendavit ſe Fratribus, & eos confortavit plurimis verbis; commendavit eis ſocios, ſicut fecerat, & locum illum, dicens*: Demum, Pater Guardiane, & vos alii Fratres, frater Joannes ſocius meus vellet hunc habitum, quo induor, ad Italiam reportare; ego prohibui ſibi, ſic rogo V. P. ut in iſto habitu mortuum cum eodem me ſepeliatis; nam iſte habitus fuit mihi miſſus ex Italia: in ipſo eſt Crux, quam Sanctiſſ. PP. Calixtus mihi miſit, quam Dom. Legatus ſua manu in ipſo apposuit, cum quo Cruciatam prædicavi, cum quo, Domino annuente, & cum vexillo ſanctiſſimæ Crucis Turcarum potentia fuit contrita a potenti dextera Dei. Proſequamini nunc commendationem animæ: *ſed dicebant fratres*; Pater, ſcimus te non moriturum, ſed tuæ Paternitatis voluntas adimplebitur; *ſicque circumdant ſtratum, Patre beatiſſimo attentiſſime ſtante*:

* *Genus pharmaci dulcis & refrigerativi, quod Neapoli conficitur optimum.*

te: accenduntur candelæ, incipitur a Patre Guardiano: Proficiſcere anima Chriſtiana *&c. quo non correctè legente, dicebat beatus Pater*: Accipe noſtrum breviarium, ibi eſt tale officium bene correctum. *Quo recepto a Guardiano legente, Pater beatus ſimul cum aſtantibus reſpondebat. Stabat prædictus Dom. Laurentius omnium, quæ fiebant, tacitus ſpeculator, non tam ut devotionem ex his conciperet, quam ut raperet corpus poſt mortem, mandata Domini ſui, videlicet Nicolai antedicti accurate perfecturus. Portæ Conventus clauſæ ac ſervatæ erant, nihilominus nonnulli ſecularium in Conventum opera & induſtria ipſius Laurentii & aliquorum Fratrum intromiſſi. Exeunt Fratres cellulam, Patre beato ſenſato manente & loquente, cum quo remanent prædicti fratres Hieronymus & Epiphanius. Ego autem dubius & triſtis cum fratre Ambroſio in cella manens, de his, quæ occurrebant, loquebar. Interea beatus Pater nunc ſe ad crucem vertebat, nunc oculos levabat ad cœlum, nunc apertis, nunc clauſis brachiis manebat. Cumque ſic uſque ad horam veſpertinam perſeveraſſet, qua jam hora caligaverant oculi, illico vocati ad eum currimus, cujus labia movebantur, & loquebatur adeo ſubmiſſe, quod vox ejus penitus non audiebatur; nunc hunc, nunc illum, nunc fratrem Hieronymum, nunc fratrem Vitum, nunc fratrem Epiphanium, nunc fratrem Ambroſium pio ac lacrymabili vultu intuebatur. Ego autem appropinquans ſibi cum lacrymis dixi*: Pater non intelligimus quid velis, quid vis Pater? quid vis? quid poſſumus facere? *Ille autem manum ſuam nunc capiti, nunc pectori, nunc linguæ, nunc ori apponebat. Interea iterum Fratres conveniunt, qui non erant in cantandis veſperis occupati; præcipue Pater Guardianus, frater Lucas ſocius P. Vicarii, qui ſibi præcipue ſervierat, & videntes beatum Patrem ſic manentem, & ſua manu talia innuentem, licet nonnulli voluiſſent interpretari, ſibi vel caput, vel pectus ſive etiam ſtomachum dolere, in diverſis occupationibus circa eum occupabantur. Ille fricabat caput, ille humeros, ille pannos calefaciebat, alter vero manus demulcebat: ego autem exiſtimabam, quod hoc faceret, ut depoſitus in terra expiraret; ſed tum dolore affectus, tum ne ob aliquam læſionem Pater citius exhalaret, tacui. Omnes tamen poſtea intelligunt ex frequenti manuum indicio, Patrem fore illa hora tranſiturum. Accenduntur iterum candelæ, aliqui Fratrum aſcendunt, aliqui ſinu, aliqui manu, aliqui ore eum fovere conantur: reliqui ſtratum circumeunt. Reſumitur recommendatio animæ: quæ cum flentibus omnibus diceretur, ſpectante Domino Laurentio, beatus Pater vertit faciem ad cœlum, jungit manus, fit lætus, fixus ſurſum reſpiciebat, & videbatur quaſi vocatus vellet ire. Ego autem miſer ad pedes ſtabam, & rigans ora lacrymis, mecum tacitus repetebam illud, quod diſcipuli beati Martini dicebant*: Quid facienus Pater? invadent enim gregem tuum lupi rapaces. *Flebam mortem tanti Patris, flebam & duritiem meam: nonnulli illic oculos habebant, ubi Pater tam fixe reſpiciebat. Creditum proculdubio extitit adveniſſe Chriſtum, pro quo mori tam ardenter ipſe Beatus affectaverat; beatum Franciſcum, cujus veſtigia tam ferventer ſequutus fuerat; & ſanctum Bernardinum, quem vivum & mortuum tam alte, tam diffuſe & tam glorioſe prædicaverat magnificaveratque. Commendatione finita, vel quaſi circa finem ſpiritus ille ſacer, relicto corpore, feliciter migravit ad cœlum, ore clauſo & oculis apertis remanentibus. Quod cum ex pulchra ſuæ faciei venuſtate Fratres non perpenderent (nullum enim ſignum mortui hominis apparebat) exiſtimantes eum adhuc ſpiritum habere, volebant iterum commendationem reſumere: accurrens autem frater Hieronymus clauſit ſibi oculos, ego ſimiliter manu tremebunda comprimens ſupercilia & oculos, tam-*

tamquam firmum habui ipſum expiraſſe, idque ipſum contrectando clare omnes viderunt; & cum adhuc junctis manibus permaneret, alter Paulus eremita videbatur. Quo viſo, omnes in luctum converſi fuimus: aliqui dicebant, O Solem obſcuratum! *aliqui*, cecidit de cœlo Eccleſiæ ſtella magna, cecidit columna Religionis; *aliqui*, cecidit corona capitis noſtri *&c.* Jam infideles hæretici, & ſchiſmatici lætantur, *& ſimilia. Hora erat vigeſima prima die Sabbati, cantantibus Fratribus Veſperas, & ſic volente Domino factum eſt, ut illo menſe, illo hebdomadæ die, & quaſi illa eadem hora, quibus obiit ſanctus Patriarcha Franciſcus, tranſivit & hic vir beatus Joannes, ipſius perfectus imitator. Gaude, ſenior optime, tales tuos præmiſiſſe conſocios ad parandum tibi locum. Gaudeat ſancta Mater Eccleſia fideliſſimum filium in cœlis habere locatum. Gaudeat & triplex Ordo beati Franciſci, talem & tantum in terra habuiſſe Patrem, ducem, rectorem, fautorem & Prælatum, & nunc in cœlis eumdem habere interceſſorem & advocatum. Quo viſo,* Dom. Laurentius, *quod jam ordinaverat ejus Dominus, conatus eſt exercere: nam illi, qui latebant in Conventu, irruunt volentes illud corpus de manibus Fratrum auferre, nec, ut moris eſt, lavari permittebant. Tamdem vix opera Fratrum factum eſt, ut illud ſacrum pignus lavari paterentur, nec potuit fieri ſine ipſis, nam volebant proculdubio adſtare. Exultur ſanctum corpus, quo exuto, apparent dumtaxat oſſa pellibus involuta. Quiſquis eum vidiſſet, non ibi carnes, non ſanguinem, non interiora illic eſſe dixiſſet; ſed pulcher in facie, pulcher in oculis, pulcher in naribus apparebat. Quis eum martyrem & pluſquam martyrem negare audeat? Cum de ejuſdem laudum præconiis ſcripſero, quod,* Domino volente, *faciam, ejuſdem geſtis præclaris undique diſperſis recollectis, efficaciam & veritatem omnium Sanctorum & Angelorum eum habuiſſe, liquido oſtendam. Cum autem lavabatur, ſi dici poteſt corpus, magis enim compaginatio fuit oſſium, aliqui cordam, aliqui tunicam, aliqui manutergia, ſive naſotergia ſubtrahebant; nam frater Ambroſius cuidam currenti cum tunica abſtulit eamdem e manibus. Quo utcumque peracto, cum ſilentio defertur tabernaculum illud per occultam viam ad Eccleſiam, ad cujus cuſtodiam deputantur ſexaginta quatuor cives, & quidem potiores civitatis. Sed interea commovetur Civitas tota; tentant homines in locum irruere, aſcendunt muros ſimul & tecta, tentant frangere portas. Tabernaculum autem illud locatur juxta altare, clauſa porta media chori; poſt cujus locationem, antequam Eccleſia pandatur, apprehendit nos tribulatio maxima, & qui ante amici & fautores extiterant, facti ſunt nobis moleſti pariter & infeſti, de quo alias dictum. Poſt conſignationem omnium, quæ ad beatum Patrem ſpectaverant, illo eodem ſero incipiunt pulſare campanas, ac ſic per ſeptem dies continuos ſolemnes exequiæ ſolemneſque cæremoniæ celebratæ fuerunt. Illud tamen ſacrum corporis tabernaculum ob timorem non fuit delatum per civitatem, ut fuerat ſtatutum; timebatur enim ne, ſi ſic fieret, ex nimia & inordinata Hungarorum devotione corpus illud penitus laceraretur, aut homines mutuo ſeſe interficerent. Sed ſic honoribus eximiis in Eccleſia locatum maxima cuſtodia cuſtoditur. Quo audito, tam Rex quam Prælati & Barones, tunc in Futhak ad dictam exeuntes, maximo dolore afficiuntur; ſimiliter & Reverendiſſ. Dom. Legatus, qui erat ibidem. Poſt ſeptimum autem diem, mandante Legato, fuit tumulatum illud pignus: quo die rediens Dom. Nicolaus gaudet & triſtatur, nam quod optaverat, habebat, & corpus, quod magnifice cupiebat ſepelire, indebite ſepultum videbat: illico fecit illud exhumari, ſicque locavit illud honorifice; nam illud miſit in quamdam capſam ferream, ſeptem clavibus munitam, in pulcherrima*

ca-

capella in Eccleſia ejuſdem loci. Tranſiit autem hic beatiſſimus Pater anno Domini MCCCCLVI. *die autem* XXIII. *Octobris, hora vigeſima prima, die Sabbato, ſepultus & humatus feria ſexta proxime ſequenti: poſt cujus tranſitum illic cœpit coruſcare miraculis, adeo ut ad ejus ſepulcrum tamquam ad ſepulcrum Apoſtoli undique populi confluant: nec mirum, nam per merita iſtius Sancti poſt ſuum obitum variæ febres variique dolores & diverſæ infirmitates fugatæ; patientes ſanguinis fluxum, apoſtemata, plagas & ulcera curati. Rupti, & morbo caduco laborantes, paralytici, aridi, contracti, hydropici, obſeſſi, amentes, claudi, ſurdi, cæci, & muti liberati ſunt. Mulieres a periculo partus liberatæ, facilitatem pariendi habuerunt. Multi etiam liberati ſunt a variis periculis & damnis, nonnulli a periculo mortis: agonizantes & in extremis laborantes mox ſani evaſerunt; &, quod his omnibus majus eſt, duo mortui ad merita ipſius Sancti vivificati ſunt & vivunt, utrique Joannes. Quinque etiam penitus mortui, aut viſitato ſepulcro, aut emiſſo voto per ſuos, apertiſſime per hunc beatum Virum ſuſcitati ſunt. Quæ quidem miracula tam in Hungaria, quam in Italia divina clementia per merita hujus ſancti Viri operata eſt.*

XC. *Penſet ergo V. P. venerande ſenior, quantæ hic conſocius tuæ Paternitatis, & noſtræ familiæ Pater fuerit ſanctitatis. Cuncta ac ſingula in hac epiſtola currenti calamo exarata coram Deo & Angelis vere commemoravi. Teſtem invoco Deum, qui perdit omnes, qui loquuntur mendacium: teſtes ſunt Angeli, teſtes ſunt omnes Sancti & Sanctæ Dei, præcipue Virgo Maria, beatus Franciſcus, & glorioſiſſima Maria Magdalena, præcipua mea advocata, quod in his omnibus & ſingulis, quæ vidi, & manibus contrectavi, prout poſita ſunt, verifica ſunt, omni prorſus dubio carentia. Imo confiteor, minus dixiſſe: multa plura intervenerunt, quæ ob laborantem memoriam evanuerunt. Hæc autem ſcripta ſunt, ut tam V. P. quam alii, qui eum ſanctum Virum in terris merito exaltare deſiderant, habeant veræ laudis materiam. Rogo tam V. P. quam alios, ad quorum manus hujuſmodi epiſtola devenerit, ne forte incongruitatem generalem emendando, illos terminos immutando, aliquid immutent de ſubſtantia prædictorum; velim tamen cuncta, quæ hic poſui, legi, audiri, corrigi, emendari, & ampliari vel diminui ab illis, qui dictis interfuerunt. Licet ego miſer aliqua ex his ab eis audiverim, atque, divina operante clementia, plura quam hic narraverim vidi, & contemplatus, conatuſque ſum mei pectoris armariolo illa recondere, ut poſtea valerem enarrare ad gloriam & laudem nominis Jeſu Chriſti, & omnium Sanctorum ejus, ad confirmationem fidei Catholicæ, ad magnificentiam & exaltationem noſtræ ſacratiſſimæ Religionis, & ad imitationem noſtram, necnon ad accendendam, ampliandam & confirmandam devotionem erga ipſum beatiſſimum Patrem fratrem Joannem de Capiſtrano; cujus precibus & meritis una cum ſuffragiis T. P. merear de commiſſis conteri, & de committendis perſeveranter cuſtodiri. Valeat V. P. quam Deus conſervet, & faciat videre canonizationem præfati beati Patris. Ex Florentia* MCCCCLXI. *die* X. *Februarii.*

XCI. Aliam addo ejuſdem Capiſtrani tranſitus hiſtoriolam, ab ejuſdem ſociis ad Æneam Sylvium tranſmiſſam. Exſcribo ex Matthæo Radero in ſua Bavaria ſancta.

Alia relatio mortis Capiſtrani. *Rader. ex cod. MSS. Minor. Monacen.*

Anno Domini MCCCCLVI. *ſcripſerunt ſocii beati Joannis de Capiſtrano de ejus obitu ad Reverendiſſ. Dom. Æneam Sylvium Cardinalem; tum poſt exordium epiſtolæ hæc ſubduntur: non enim fert tempus, non ſinunt occupationes, non patitur longa ſeries pigritanti calamo breviter explicare, quibus, quot, quantiſque laboribus prædictum Patrem noſtrum ſuſcitavit ardens pro*

fide deſiderium, immenſus pro Chriſtiana religione zelus, totiuſque fidei Orthodoxæ profectus, poſteaquam & Reverendiſſimus D. Legatus, & S. D. N. ſibi Crucem in hoſtes Crucis prædicandam commiſere. Tot enim vehementibus ſuis prædicationibus contra Chriſti hoſtes evigilavit dormientes, ut ſola hac proclamatione in omnem fere terram diffuſa, plerique hominum ad ſumendam Crucem convolarent, quodam divino incitati præſagio. Ecce dum res magis magiſque fervet, impetit Caſtellum Nanderalbam, Hungariæ regni clavem, nefandiſſimus Turcarum Imperator, maximo exercitu incredibilibuſque bellicis rebus munitus, ut eo petito, facilis ad ceteras Orbis partes aditus ſibi pateret. Commune Chriſtianæ religionis & reipublicæ excidium conſiderans, itimenſque ſaluti populi Dei præfatus Pater noſter, vitam penitus expoſuit pro tuendo Chriſti Jeſu nomine, quam ſæpiſſime publice denuncians populis: Utinam, *inquiebat*, omnis ruina, omneque infortunium Chriſtianis imminens ſuper me caderet, & periculo capitis mei humanum genus Chriſtum Jeſum in veritate ſequens, ſalvum fieret. *Exilit irrevocabilis ad martyrium ſpirans, gentium periculis obviaturus. Currit, clamat, vocat ad opem ferendam omnes; hos enim præſentia commovet, illos litteris advocat, hos denique nunciis admonet, ne diſcrimine tanto deficiant: non eum æſtus, non ſolis ardores, non tenebræ, non fames, non ſitis, non ſomnus, non ſenectus, non debilitas, non amicorum ſuaſio a continuis diſcurſibus celerrimiſque revocarunt unquam. Ad caſtrum tandem multitudinem gentium congregavit, ubi adverſus hoſtes prior cum turmis tribus egrediebatur, optans ibidem martyrii palmam prorſus conſequi, quam diu quæſivit. At protector clemens Deus noſter famulum ſuum protexit, hinc a circumſtantibus ſagittis, inde ab emiſſis jaculis, illinc a ſtridentibus machinis, iſthinc denique a variis bellorum telis in Chriſtianorum necem excuſſis. Attende quæſo, P. Reverendiſſime, quis ejus animi fervor fuerit; etenim cum ſæpiſſime a ſociis interpellaretur, ne in mortem rueret inter inimicorum cuneos, ad hanc rem ajebat*: Utinam hic pro Chriſto moriar; quicumque, *inquit*, propter Chriſtum Jeſum mori parati ſunt, me ſequantur. *Poſt crebras tandem congreſſiones, poſt acerbam utrinque ſtragem, poſt caſtri diruptionem, ad invocationem nominis Jeſu, ac ob preces ſervorum ſuorum divina pietas Chriſtianis victoriam, Turcis conflictum cælitus procul dubio eſt dignata donare. Proſtratis demum, tergaque vertentibus Turcis, in Nanderalba Pater ipſe moram traxit, ubi divina viſitatione morbo ægrotare cæpit, febribus videlicet quotidianis, & irrevocabili corporis fluxu. Voluit ſiquidem ipſe Deus Opt. ut breve ſanguinis martyrium, quod magnopere cupierat, effugeret, & diurnis ægrotationibus tamquam aurum in fornace purgandum probaretur. Quidnam dicam? ſuſtulit enim forti animo languidum, attenuatum & exile corpuſculum illud*, LXXI. *ætatis annos habens, a* VI. *Auguſti uſque ad* XXIII. *Octobris diem, varia languorum genera, laudans ſemper, benedicens & glorificans Deum, qui ob demerita mea, inquiens, me pie, longe minus quam mereor, cædit. Angebat illum ſiquidem continua febris, inſanabilis fluxus, moroydarum gravedo, lapilli & arenarum paſſio, gravis iliorum dolor, femorumque fractura, ut miſerando Dei ſervo probe cecinisſet vates Maro.*

Virg. Georgic. lib. 3.

Optima quæque dies miſeris mortalibus ævi
Prima fugit, ſubeunt morbi, triſtiſque ſenectus
Et labor, & diræ ſubit inclementia mortis.

Languebat igitur corpore ac ſpiritu, & divina illuſtratione vigebat, qui etiam ægrotans, in caſtris, aut in bello mori penitus affectabat. Cognoſcens denique nonnumquam divino prorſus oraculo, hac eadem infirmitate oportere

ipſum

ipſum obdormire in Domino, ſæpius confeſſionibus invigilabat, ſanctiſſimam ſuſpirans ab imo pectore, lacrymanſque ſumebat Euchariſtiam, non in ſtratu aut mollibus, ſed in pavimento jacens. Poſtremoque ſacra perungi unctione voluit, animamque Deo omnibus cum cæremoniis, ac debitis ſolemnitatibus commendari, lætus, & ſenſu vividus uſque ad extremum perſeverans ſpiritum. Adeo enim vigebat in languido corpuſculo vivax ſenſus, ut penitus intentus devotis lectionibus ad animæ commendationem, errantem in legendo Sacerdotem ſæpenumero emendaret, ac nobiſcum ſemper elevatis ac plaudentibus manibus reſponderet: Sancta Maria ora pro me, ſancta Maria ora pro me &c. *devoto, magnoque animo uſque ad finem peragens. Reddidit autem animam Creatori* XXIII. *Octobris circiter* XXI. *horam, dum ad veſperas Sabbati pulſaretur, ita ſuaviter & quiete, ac ſi fluideret ſopori paulatim ſe dare. Illic autem lacrymas abunde effundebant Fratres, laudes ejus virtuteſque non mediocres commemorando; ajebant enim*: Quanto bonus hic Pater ſtudio Eccleſiam Dei tutatus eſt? Quam laudabiliter per quadraginta annos & ultra in Obſervantia regulari perſeveravit? Quanto zelo animas Deo lucrari ſatagebat, triginta novem annis verbum Dei indefeſſe diſſeminans? Quantæ gloriæ Ordini ſuo fuit, auxitque Ordinem? Quam mature & profunde ſingulas fere diſciplinas tenuerit? Quanta vitæ parcimonia vixerit? Quantis vigiliis, quantis orationibus, quantis ſtudiis, quantis conſiliis, & divinis operibus incubuerit? Quanta gratia & divino munere claruerit? Quanto fervore ad martyrium cucurrerit? Quantis denique virtutibus eum Dominus Opt. cum omni admiratione donaverit? *Poſtremo quam Deo fuerit gratus, quamque hominibus acceptus, hi non deſinebant prædicare. Ad Eccleſiam deinde delatum eſt corpus, ibidem per dies aliquot inſepultum permanens ita clarum, vividum, & quaſi arridens, tractabile & flexibile per artus ſingulos, ac ſi gaudens viveret, quod videre illud operæpretium erat. Commota illico omnis eſt civitas: velut ad Apoſtolum ingenti cum devotione confluebant. Conteſtati ſunt poſtea plurimi, variis languoribus languentes infirmos dono Dei, & ſanitatum munera per merita ipſius aut voto, aut viſitatione impetraſſe. In arca lignea undecumque ſerata & clavibus quinque cum catenis clauſa & ſigillata, ſupra terram, in Conventu noſtro Obſervantiæ regularis ſanctæ Mariæ de Vyluk jacet, ubi Magnificus Baro Nicolaus Vayvoda ornatum parat ſepulchrum in quadam circumcluſa capella*. Sequuntur plura, ſed huc parum facientia.

XCII. Circa ætatis annum, quo deceſſit, variant auctores. Duas refert ſententias Raderus citatus. Sed omnium opinionibus & conjecturis prævalet ipſius Capiſtrani teſtimonium in epiſtola ad Marcum Bononienſem Vicarium Generalem, Judemburga anno MCCCCLV. Kalendis Maii ſcripta: *In feſto*, inquit, *nativitatis ſancti Joannis Baptiſtæ intrabo ſeptuageſimum annum: in feſto B. P. N. Franciſci intrabo quadrageſimum in religione*. Unde conficitur, ſeptuagenarium, additis aliquot menſibus, deceſſiſſe. Atque hinc corrigendum eſt quod alias diximus, natum anno MCCCLXXXV. obiiſſe anno ætatis LXXI. menſe quarto; etſi ita olim fuerit ſepulchro inciſum, uti mox dicemus. Nativitas itaque ſi non incidit in illum annum, ſaltem incidit in ſequentem.

Quo ætatis anno deceſſit?

Tom. 9. an. 1385. num. 9.

XCIII. Glorioſa quidem præclariſſimi ducis mors, ſed non minus illuſtris religioſi hominis vita, virtutibus & prodigiis admiranda. Iſta non licuit huc uſque referre, quippe nulla temporum partitione definita, neque determinatis annis conſignata: ſola virtutum primordia in ipſo dedimus religionis ingreſſu, & facta geſtaque graviora certis documentis per ſuos quæque annos

Virtutes Capiſtrani. Humilitas. *Nicol. de Fara in vita MSS. Alia vita MSS. Alia impreſſ. ann. 1478.*

Marian. l. 5. c. 7. Marc. 3. p. l. 4. c. 2. & ſeqq.

nos diſtributa. Hic præcipua colligere, & ſub compendium redigere decrevimus, ne pereant, utque ſimul appareat, qualis fuerat in clauſtris, qui in caſtris tantopere præfulſit. In humilitate ſolidum præſtruens reliquarum virtutum fundamentum, nihil præclarum aut excelſum de ſe cogitans, proborum omnium ſe ſubjiciebat judicio; promptiſſime ſuperiorum excipiebat mandata, Eccleſiarum Prælatos devote venerabatur; & quidquid recte faciebat, aut docte dicebat, vel in eo alii commendabant, divinæ adſcribebat virtuti, ſæpe illud ingeminans Apoſtolicum: *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis tamquam ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* 2. *Cor.* 3. 5. Aquilanum & Theatinum Epiſcopatus accipere recuſavit, excelſiorem dicens dignitatem, quam ut ſibi immerenti deberet conferri. Moleſtiſſime ferebat tantam populorum erga ſe reverentiam, & pie deludebat urbium Magiſtratus, multis modis declinans honores ſibi exhibendos. Erga omnes humaniſſime & comiter ſe habebat, locum omnibus cedens, & initium tribuens loquendi. Obtinuit aliquando a Nicolao de Stella, Pontificii exercitus ductore, quinque militum e furcis tertio jam die pendentium corpora, ut ſepelirentur. Dum funus curat, abhorrere cœpit tetrum unius fœtidi cadaveris conſpectum. Ut ſe vinceret, & tumentem deprimeret cogitatum, talem ſe futurum cœpit meditari, irruenſque in putridam compagem oſcula dedit & amplexus.

Caſtitas.

XCIV. Caſtitatis impretiabilem virtutem perpetuo ſtudio inſectatus & magno labore acquiſivit, & ſumma vigilantia conſervavit. Oculorum feneſtras, per quas mors in animam pertranſit, caſta clauſit cogitatione, nullo unquam tempore mulierum facies conſpicatus, neque ſolitariæ fœminæ colloquium, præterquam in locis publicis admittens. Exquiſitis modis carnem ſuam cum vitiis & concupiſcentiis crucifigens, tanta ſenſuum modeſtia & puritate fulgebat, ut religioſæ pudicitiæ, & ſummæ honeſtatis exemplar videretur. Vehementem tamen carnis paſſus tentationem, cum inſidiantem hoſtem neque oratione, neque jejunio, neque crebris verberibus abigere potuiſſet, exuta paupere veſte, media hyeme in loco immundo animalculis famelicis ſui copiam fecit, ſpurcitias carnis crebra carnis punctura fugaturus. Cum alias ardentiſſimis concupiſcentiæ flammis ureretur, divini amoris igne ſuccenſus, accenſam facem in ſuo corpore terque quaterque crepitantem extinxit. Igniti hujus certaminis veſtigia in carne decocta ſe cum aliis ſub mortem vidiſſe teſtatur Nicolaus Farenſis. Verba otioſa & colloquia prava tamquam occultum virus ſemper abhorruit, & theſauri fictilis pavidus cuſtos occaſiones omnes, quæ ſecretum reſuſcitare poſſent igniculum, procul faciebat, ſollicite cupiens vas ſuum poſſidere in ſanctificatione & honore.

Corporis mortificationes.

XCV. Abſtinentia & inedia corpus affligebat; a carnibus uſque ad ultimam ſenectutem ſemper abſtinuit, vinum adeo dilutum ut aquam ſaperet, modice libabat. Medicinas numquam ægrotus admiſit, niſi in poſtrema infirmitate. Tres quadrageſimas in regula Minorum expreſſas rigoroſo ſacravit jejunio, etiam in itinere conſtitutus, vel morbo decumbens. Septem annis diſcalceatus inceſſit, octavo calepodia ſubduxit, in ſenecta per frigidas Septentrionales regiones calceos obduxit. Pedes ſemper inceſſit, donec ad ingraveſcentem pervenit ætatem. Media nocte ſurgebat, ſive domi hærens, ſive per viam incedens, & duabus integris horis matutinas preces mira cordis attentione, & decora verborum pronunciatione recitabat; aliiſque precibus ſuas horas deſtinavit, quas nuſquam aut raro gravioribus præpeditus negotiis præteribat. Sacroſanctum Miſſæ ſacrificium quotidie etiam in frigidiſſimis Poloniæ regionibus, ubi intenſiſſimo frigore etiam vinum con-

Pietas.

ge-

gelatur, Deo offerebat; adeoque erat assuetus divinis contemplationibus, ut sæpe inadvertenter inter alia colloquia ignita verba proferret, & ex abundantia cordis flammas eructaret, quibus ipse amplius ardebat, & alios vehementer incendebat. Tantum capiebat somni, quantum placebat, semper evigilans qua hora statuebat.

XCVI. Tanta caritate erga proximos ferebatur, ut modis omnibus voluerit prodesse. Indigentibus procurabat necessaria, infirmis remedia, afflictis auxilium, mœstis solatium, errantibus præbebat consilium, & quos pecuniis non poterat, orationibus adjuvabat. Pro infirmis & egenis in urbe Aquilana nobile & opulentissimum constrúi fecit xenodochium. Veronæ doctissimis scriptis, & religiosa industria hospitali sanctæ Mariæ de Scala, per circumvicinas regiones celeberrimo, duodecim millia aureorum acquisivit. Si quos miscllos a Regulis, Principibus vel eorum Dominis male habere, aut injuste opprimi; si bona pupillorum distrahi; si causas viduarum violari; si iniquas mortis, carceris, aut spoliorum audiebat ferri sententias, continuo auxiliaturus occurrebat, neque quidquam miseriæ relevandæ præteribat. Quot populos & urbes, intestinis discordiis laborantes, ad pacis fœdera reduxit? quot inimicitias compescuit? quot odia inveterata fugavit? quot rixas & seditiones composuit? Urbem Sulmonensem, Ovidii patriam, civili discordia misere laceratam pacificavit. Ortonenses & Ansanenses, regni Neapolitani civitates, diuturno bello in alterutram perniciem conspirantes, ad concordiam reduxit: in cujus beneficii gratiam & memoriam Ansanenses Cœnobium, uti alias diximus, construxerunt Minoritis, cui nomen indidit Capistranus *Angelum pacis*. Cum Ortonensibus diutius confligendum fuit, qui frequenter a pactis resiliebant; sæpe Capistranus fœdera præscripsit concordiæ, sed modo hi, modo illi respuebant, atque ad veteres simultates reliquos advocabant. Artes ille cognoscens hostis occulti, pacis adversarii, omnes ad concionem vocavit in area Ecclesiæ sancti Thomæ, dixitque, toties propositam probatamque pacem non ab alio, quam a maligno discordiarum satore præpediri: *Hic*, inquit, *inter vos latet, & perniciosa suggerit consilia: ipse ut vobis manifeste appareat, divina præcipio auctoritate*. Prodiit statim e medio cœtu ingens canis niger, aspectu horribilis, qui tantum metum omnibus incussit, ut Dei misericordiam inclamantes, pacem protinus stabilierint.

Caritas.

Pacis studium.

Tom. 10. Ann. 1430. n. 44.

XCVII. Urbem Reatinam studebat Cantalicii oppido, frequenti & bellicoso, reconciliare, sed dum absolveretur tractatus, ex Reatinis unus lethaliter percussit in capite alterum ex Civitate Ducali, Cantaliciis confœderatum. Hinc nova semina majoris discordiæ, quæ non aliter efficaciusque tollenda judicavit Capistranus, quam sanando vulneratum. Accessit, vidit craneo scisso magno hiatu cerebrum aliquanto contusum patere, medicorumque judicio vulnus insanabile. Cæsarie incussa, gelatoque sanguine propriis manibus cerebrum purgavit, divisasque capitis partes constringens, *In nomine*, inquit, *Jesu Christi surge, & pristinæ restituaris sanitati*. Res mira! extemplo sanatus est, solo vestigio seu signo vulneris remanente. Signo prodigioso commoti universi paci subscripserunt. In Apulia duo adolescentes tertium suum socium, pessimo crimini consentire nolentem, occiderunt, hepar assaverunt, & genitori occisi filii ignaro manducandum proposuerunt. Ubi alacriter inter alios cibos istum etiam comedit, e mensa recesserunt, dixeruntque patri, quod avide gustavit, hepar, e filii visceribus excisum. Hinc implacabiles inter consanguineos inimicitiæ & impetus hostiles, quos tandem Capistranus sacris exhortationibus amice composuit. Quoties Alphon-

Lethaliter vulneratum sanat.

phonſum Aragonium, & Siculum Regem, ut a ſe plectendis, aut dura obſidione recinctis clementer parcerent, exoravit? Aquilanam urbem, quæ ad Gallos defecerat, conflato ingenti exercitu Rex delere conſtituit, ſed deprecante Capiſtrano, in ſuam fidem benigne recepit.

Prædicabat fructuoſe.

XCVIII. Per omnes ferme Italiæ civitates maximo fructu prædicavit, totque auditores concurrebant, ut intra murorum limites, aut templorum ſepta circumſcribi multitudo non poſſet, ſed in amplis plateis, aut in campeſtribus oportuerit convenire. Habito ſermone, ad oppida vicina properantem ſequebatur per aliquot milliaria ingens multitudo, quorum plerique ſanabantur a longuoribus ſuis. Præ reliquis Italiæ populis, eum ſummo honore & affectu proſequebantur Etruſci, Lombardi, Veneti, Neapolitani. Florentiæ, ut per plateas ambulare poſſet, circumdari oportebat vel hominibus armatis, vel defendi accenſis facibus, aut duci in quadratura quatuor perticarum ne ab irruente populo ſuffocaretur.

Sermonem miraculis confirmabat.

XCIX. Quadraginta annis, ab ipſo ſcilicet ingreſſu Religionis uſque ad vitæ terminum perpetuo fidelibus & infidelibus prædicavit, Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis. Viris magnis, & Apoſtolicis prædicatoribus, quos ad populorum Dominus deſignat reformationem, miraculorum ampliſſimam conferre ſolet poteſtatem, ut det fidem verbis virtus oſtenſa, & miraculorum gloria doctrinæ conciliet auctoritatem: *Ad hoc quippe viſibilia miracula coruſcant, ut corda videntium ad fidem inviſibilium pertrahant, ut per hoc quod mirum foris agitur, hoc quod intus eſt, longe mirabilius ſentiatur.* Paucula porro, quibus Capiſtranus doctrinam ſuam populis commendavit, hic libet delibare. Tybure in area templi ſanctæ Mariæ majoris, quod ſui erat Sodalitii, concionanti magnam moleſtiam inferebant cicadæ in propinquo Fratrum horto, æſtivo canentes ardore. Præcepit ut ſilerent, & paruerunt; ſed abſoluta concione, & facta ſibi a Viro Dei facultate, priſtinos cantus reſumpſerunt. Lanciani in regno Neapolitano concionaturus in Eccleſia ſancti Angeli, garrientibus hyrundinibus ſilentium indixit, & evolarunt. In circuitu urbis Angloni ejuſdem regni in finibus Lucaniæ, mures & talpæ, quidquid grani erat, comederunt, & fruticum arborumque radices & cortices eroſerunt. Rogatus Capiſtranus, ut tanto malo mederetur, inſtitutis piis ſupplicationibus, populum omnem ad peccatorum expiationem, & Euchariſtiæ ſuſceptionem induxit; deinde ex ambone docuit propter peccata plagam hanc immiſſam, eamque non aliter quam pœnitentia tollendam; mox præmiſſa oratione, noxiis animalculis maledixit: ſequenti die per campos & prata tot apparuerunt mortua, ut neceſſe fuerit varias effodere foveas, quibus ſepelirentur, ne aerem corrumperent. Extra eamdem urbem ſub dio prædicabat ingenti multitudini, feroxque accurrit taurus, qui turbata concione, mulierem prægnantem, cornibus exceptam per aera projectam miſere diſcerpſit. Omnes mortuam deflebant, donec advenit Capiſtranus, qui manu apprehenſam, præmiſſa oratione, ſurgere juſſit incolumem. Dicto mirum! ſtatim ſana ſurrexit, læta domum perrexit, pauloque poſt pulchram enixa infantulam, Dei miſericordiam, Capiſtrani precibus impetratam ubique prædicabat.

Gregor. hom. 4. in Evang.

Cicadis imponit ſilentium.

& hyrundinibus.

Plagam eliminat murium & talparum.

Lethaliter vulneratam ſanat.

Imbrem a ſuis auſcultatoribus avertit.

C. In valle Telina in finibus Lombardiæ ad oppidum Morgeni ſermonem habuit ad populum in campis. Exorto repente ingenti turbine, condenſatis nubibus, obſcurato aere, tonitru frequente, dum populus celeriter vellet elabi, Vir Dei præcepit, ne abiret. Dicto obediens hæſit, concionem attentus excepit, gravi in circuitu nimbo decidente. Abſoluto ſermone, reliquo madefacto & lutuoſo campo, tota cœtus area ſicca remanſit, neque quem-

quempiam auſcultatorem tanta aquarum moles offendit. Tanto miraculo omnes ſtupefacti, plurimi in Lombardiam revertentem proſecuti ſunt, & pio furto apud ſe retinuerunt ejus pallium, cujus attactu varia beneficia ſunt conſecuti. In Varadini urbe Hungarica, dum coram Antiſtite concionaretur, obſcurato cœlo, manifeſtiſque indiciis timebatur ingens pluvia ſuperventura. Optionem fecit Capiſtranus, ſi vellent, abirent. Recedere nolentibus dixit, genuflexi orarent, ut denſæ atræque nubes alio tranſvolarent. Ita factum, ſtatim ſerenum apparuit, duabuſque horis tranquille populum Vir ſanctus inſtruxit. Ipſa illa concione advolavit avicula, quæ ſuper caput circuiens brachio inſedit, ſe permiſit ab eo capi & attrectari. Aliquanto blanditus Vir Dei, Epiſcopo tradidit geſtientem. In alia Hungariæ urbe, dum prædicaret, tres capiti circumvolabant diverſi, pulchrique coloris aviculæ, nuſquam in illa regione cognitæ neque antea viſæ, quæ poſt concionem diſparuerunt.

Prædicante aves circumvolant.

CI. Aquilæ in Veſtinis dignis efferebat laudibus *Jeſu* ſanctiſſimum nomen, Angelis celebrandum, hominibus venerandum, & dæmonibus tremendum. Utque centum viginti millium hominum cœtus videret, quam potens & efficax eſſet contra malignos ſpiritus, in prædicti nominis virtute præcepit ut adeſſent, & coram omnibus divinum verbum in tabella depictum adorarent. Ecce in ictu oculi variis formis beſtiarum apparuerunt frementes & ululantes dæmones innumeri, inclinataque cervice, facta reverentia, evanuerunt. In oppido Guardiæ poſt concionem, mulierem obſeſſam liberavit, dæmonemque coegit in ignem paratum ut vana mulierum ornamenta, & ludorum inſtrumenta cremarentur. Inſiſijt ille bis aut ter, ſibilans inſtar ſerpentis, magnoque fœtore relicto, in igne diſparuit. Venetiis alteram ſtridentem & frementem ſanavit: & quæ prius horrida, inculta, & terribilis apparebat, væ ſibi a Capiſtrano inceſſanter ingeminans, poſtero die pulchra, modeſta, ſerena rediit, gratias innumeras ſuo actura liberatori.

Jeſu nomen dæmonibus tremendum eſſe oſtendit.

Mulieres liberat obſeſſas.

CII. Ardentiſſima etiam in Deum fide, multa impetravit mortalibus beneficia, oſtenditque, vere credenti nihil eſſe impoſſibile. Cobellam Celani Comitiſſam, ſibi valde caram, de qua inferius agemus, medicorum ope deſtitutam, a mortis faucibus revocavit. Ad Montem Tuſculi infantulam mortuam reſuſcitavit. Civem Aquilanum, qui propter deſperationem a feneſtra ſe præcipitavit in plateam, a morte liberavit. In partibus Apuliæ quemdam aromatarium contractum, adeoque viribus deſtitutum, ut neque in lecto ſe poſſet movere, in feretro ad Eccleſiam delatum, interrogavit: *Si divino judicio decerneretur, te hoc malo per integram vitam detineri, an libenter aſſentires?* Prompto & hilari animo ille reſpondit: *Utique Pater. Quid ergo*, inquit, *nunc deſideras?* Cui ille, *modo Deo placuerit, ſalutem*. Laudavit Vir Dei hominis fidem, dixitque: *Confide in Domino, fili; hanc corporis, & aliam longe potiorem, animæ ſalutem conſequeris*: Deinde apprehenſa dextra, conſolidata ſunt omnia membra ejus, exilienſque, & laudans Deum regreſſus eſt in domum ſuam.

Ardentiſſima ejus fides.

Hoc an. n. 112.

Multa ægris impetrat beneficia.

CIII. Dono prophetiæ illuſtris multa prædixit, quæ ipſo eventu fidem comprobarunt. Sponſæ, quam diximus intactam dimiſiſſe, perſuaſit, ut ipſius exemplo ſe Domino conſecraret, & carnis contemneret delicias, illud ingerens Apoſtoli: *qui in carne ſeminat, de carne metit & corruptionem*; quod ſi ejus conſilium reſpueret, timendum eſſe, ne corruptionem hanc fœda lepra præſentiret. Neglexit illa bene conſulentem, & poſt carnis abiit concupiſcentiam, ſed paulo poſtquam nupſit, horribili lepra tota contabuit. Miſſus ab Eugenio IV. diſſuaſit Alphonſo Aragoniæ Regi, Caetam obſi-

Prophetia illuſtris multa prædicit. *Tom. 9. An.* 1414. n. 3. *Galat.* 6. 8.

obſidenti, claſſe occurſuro Genuenſibus, qui Caetanis auxiliari volebant, ne cum hoſtibus congrederetur, ſin aliter faceret, dixit in hoſtium poteſtatem ipſum cum fratre Navarræo Rege, aliiſque proceribus abiturum: Contempſit monentem Rex, magnoque ſuo malo probavit, Dei ſervum divino ſpiritu locutum. Nicolai V. mortem ipſo, quo deceſſit, die dixit Epiſcopo Papienſi Legato Apoſtolico, dum apud Cæſarem hæreret in Nova Civitate, quam dum poſt aliquot dies per tabellarios reſcivit, dixit: *Nunc ſcio, fratrem Joannem de Capiſtrano ſpiritum Dei habere.*

CIV. Neapolim proficiſcens, nimbo multo totus madefactus, & fatigatus ex itinere, ad diverſorium cum ſocio declinavit, rogavitque cauponem, ut egenis compateretur; quod ſi pecunia potius quam precibus ſolvi mallet edulium, *fortaſſis*, inquit, *ex Mediolano veniet, qui abunde ſatisfaciet.* Appoſuit neceſſaria ſtabularius, & paulo poſt applicuit tabellarius qui litteras Mediolano miſſas Capiſtrano tulit, ſolvitque pretium refectionis. Media hyeme ibat Florentiam, cumque omnia nivibus eſſent cooperta, dubitabant ſocii quo tenderent, quidve manducarent? Quibus ille: *Ne timeatis, Deus non derelinquit timentes ſe, ſed dat illis eſcam in tempore opportuno.* Paululum progreſſi, viderunt juvenem panes aliquot niveos afferentem, ſed neque unde venerit, nec quo abierit, perſpexerunt.

Mala multa orbi ſuperventura prænunciat.

CV. Paulo ante Belgradi victoriam hæſit ſervus Dei in oppido Themeſvari, ſocio Hieronymo Utinenſi. Ibi facta eſt ſuper eum manus Domini, viditque mala innumera orbi Chriſtiano ſuperventura. Ingemiſcens & flens pernoctabat in oratione, magniſque vocibus per ſingula paſſionis ſacroſanctæ decurrens myſteria, divinam implorabat clementiam. Accedens ſocius rogavit, ut quid tot gemitus, ſuſpiria & deprecationes portenderent, explicaret. Tamdem ſæpius rogatus dixit: *Uno temporis momento mihi oſtenſæ ſunt tot calamitates & præſſuræ, quæ populo advenient Chriſtiano, ut ſi Dominus contineat in ira ſua miſericordias ſuas, & ſecundum peccata noſtra fecerit nobis, verendum ſit, ne dare velit hæreditatem ſuam in opprobrium, & dominentur ei nationes. Ecce prædico tibi, & tu ſociique tui poſt mortem meam prænunciate mala ventura, ut finem faciant homines peccandi, & revertantur a via ſua mala, & Dominus mitiget eis a diebus malis, indignationemque ſuam avertat.* Cum paulo poſt obiiſſet Capiſtranus, non ceſſarunt diſcipuli iſta propalare, atque ad pœnitentiam & lamenta provocare: ſed dum fruſtra faciunt, profudit Dominus phialam furoris ſui, neque fæx ejus tunc eſt exinanita; paulatim namque & ſuccedentibus ſibi flagellis, biberunt ferme omnes peccatores terræ. Univerſam Europam circumdederunt mala, eaque potiſſima; reſiduum peſtis devoravit fames, reſiduum famis deglutivit gladius. In Hungaria exercitus ſeptuaginta millium Crucigerorum diſſipatur. Ulricus Ciliæ Comes a Ladislao Hunyadis filio trucidatur; atque hic a Ladislao Rege capite truncatur, dein ipſe Rex a Boemis occiditur. Alfonſus Aragonum & Siciliæ Rex, Calixtus Pontifex, Anglorum & Francorum Reges moriuntur; multi etiam Principes eodem tempore decedunt. Hinc odia, contentiones, bella, regnante ubique regnandi libidine, Dominia & regna de domo in domum transferuntur: nulla pax Principatuum rivalibus, nulla fides Regnorum ſociis; filius in patrem, frater in fratrem, conſanguinei in ſe invicem inſurgunt; ubique horrentia Martis arma debacchantur. Quadraginta diebus poſt Viri ſancti deceſſum in feſto ſanctæ Barbaræ ſub noctem mediam in regno Siciliæ concuſſa terræ fundamenta contremuerunt, civitas, oppida, arces, caſtella multa corruerunt, & pluſquam ſeptuaginta millia hominum uno ferme temporis mo-

Vide Sylv. ep. 54. Salmer in Chronic. Bonfin. dec. 3. lib. 8.

Vide Antonin. tit. 22. c. 14. §. 3. Sylvium ep. 107.

momento perierunt. Sequenti anno ſæviſſima lues Italiam & Germaniam pervaſit. In fertiliſſimo Siciliæ regno adeo fames invaluit, ut prætioſa quæque dederint homines pro viliſſimo cibo ad refocillandam animam. Elapſis quinque annis, iterum terra contremuit in Aprutina provincia, eoque anno quo Capiſtrani vitam ſcribebat ſocius Nicolaus, terræ motibus, peſte, fame, & bello dicit ibidem ultra dimidiam partem gentis extinctam. Sed neque tunc malorum finis; ulterius proceſſit; tot enim flagellis attriti populi, peccare non deſtiterunt, continuiſque reatibus continua ſibi concilarunt ſupplicia: *Nam inter flagella poſitos flagellis digna committere contra ferientem eſt ſpecialiter ſuperbire, & ſævientis acrius iracundiam irritare. Atque primum genus eſt dementiæ nolle quempiam a malis ſuis juſte quieſcere, & Deum injuſte a ſua velle ultione ceſſare.* *Greg. l. 8. regiſt. Indict. 3. ep. 41.*

CVI. Vitæ religioſæ inſtituta nullus hoc Viro ſanctiſſimo perfectius obſervavit, neque regularis obſervantiæ novella germina fœcundiori irrigavit diſciplina. Bis Vicarium egit Generalem, mirumque ſub ejus prudenti regimine crevit Sodalitium. Nulla erat Italiæ provincia, quæ ſub tanto non profecerit magiſtro, aliquæ ab eo ſatæ, aliquæ auctæ, omnes ſtabilitæ. Antequam hoc vitæ genus ſubiret, ducenti circiter erant Obſervantiæ profeſſores, per triginta Cœnobiola diſtributi, viri ſimplices, abjecti, illiterati. Sacerdotes adeo pauci, ut unus tribus vallis Reatinæ tuguriolis, etſi aliquanto diſſitis, miniſtraret. Sancti Bernardini Provinciam humilibus inchoatam initiis, antequam ab Italia recederet, octo vel novem Conventibus multiplicavit. Per Germaniam, Boemiam, Poloniam, & Hungariam hoc vitæ genus introduxit, & fœcunde propagavit. De hoc incremento ita ipſe ad Vicarium Generalem Baptiſtam de Levanto in litteris Cenadino ſcriptis anno MCCCCLV. die XXII. Septembris: *Aliqualem patior a Patribus Conventualibus contradictionem propter octodecim loca a me in his partibus recepta, & a primo lapide conſtructa, exceptis duobus dumtaxat per ipſos Miniſtros mihi conſignatis, uno in Boemia, altero in Auſtria. Ex illis a me fundatis unum dedi Vicario Provinciæ Argentinæ; duo propter inſtantiam Illuſtriſſ. Principis Guillelmi Ducis Saxoniæ, tradidi Vicario provinciæ Saxoniæ, alterum in civitate Inclita Wratislaviæ intra limites ejuſdem provinciæ Saxoniæ conſtitutum, quia multi aſſerunt originarie, & antiquitus ſpectaſſe ad provinciam Boemiæ, cum hoc Vicariatu Auſtriæ & Boemiæ auctoritate Apoſtolica incorporavi. Conventus eſt capaciſſimus, & communiter in eo reſident centum Fratres. Poſtquam ab Italia receſſi, ad obſervantiam regularem admiſi ultra ſexcentos, qui per Dei gratiam in divino timore & fervore ſpiritus ſuam ſalutem operantur, & laudabiliter perſeverant, præter illos, qui jam deceſſerunt, ex quibus aliqui glorioſe ad Dominum tranſiverunt.* In regiſtro ipſius ſub annum MCCCCLIV. ita invenio a ſancti Viri ſecretario adnotatum: *Loca provinciæ Auſtriæ & Boemiæ recepta cum auctoritate R. P. fratris Joannis de Capiſtrano. Viennæ locus ſancti Theobaldi, ſive ſancti Bernardini; Novumburgæ ſancti Jacobi, Brunæ ſancti Bernardini, Olomucii ſancti Bernardini, Wratislaviæ ſancti Bernardini, Cracoviæ ſancti Bernardini, Varſaviæ ſancti Bernardini, Bethem, Coslæ, Opaviæ, Clupſicii, Leubſii, Jamnicii, Enceſtorfii, Voitſpergii, Judimburgæ.* Quantum ſub eo creverat Regul. Obſervantia.

CVII. Verum eſt humilem hanc plantulam, primitus a Paulutio Fulginate ſatam, a Bernardino Senenſi aliiſque coadjutoribus rigatam, multipliciter germinaſſe, ſed fœcundius ſub Capiſtrano ſuas propagines dilatavit: *Multi*, inquit auctor legendæ, *regularem obſervantiam auxerunt, & dilatarunt, ſed nullus plus præſtitit, quam Capiſtranus; nullus enim fuit*

Fratribus acceptior, nullus Romanæ Curiæ magis gratus, nullus laboribus ferendis animosior; Religioni tuendæ nullus aptior, in dilatanda nullus studiosior, apud summos Pontifices nemo majorem habebat auctoritatem; in perpetrandis miraculis nullus fuit potentior, in sanctitatis opinione nemo celebrior. Nulli partes omnes, quæ in bono requiruntur Prælato, adeo perfecte inerant & complete. Illo præsidente, omnes in summa pace & concordia vivebant; illo loquente, omnes tacebant; illo præcipiente, omnes obediebant; illo pro Religione pugnante, adversarii obmutescebant. Bernardinus & Capistranus fuerunt præcipui hujus vitæ promotores. Hi quidem fuerunt duæ florentissimæ olivæ, duo luminaria magna lucentia ante Dominum: qui optima morum & doctrinæ documenta ubique diffundentes, orbem terrarum illuminaverunt, qui religiosæ vitæ semitam jam ferme obliteratam renovaverunt, qui sancti Francisci domum collabentem suis humeris sustinuerunt, qui tamdem lucis exempla omnibus exhibentes, innumerabiles animas Deo peperererunt. Hi demum duæ fuerunt tubæ Evangelicæ, quarum sonus in omnem terram exivit, & in fines orbis terræ verba eorum.

Hereticos perpetuo infectatus.

CVIII. Hæreticis ubique infensissimus Capistranus, scriptis confutavit & verbis. Fratricellos, quod sæpe alias diximus, tota profligavit Italia. Novam hæresim circa animæ originem & qualitatem, Venetiis exortam, Eugenio IV. jubente, in ipso ortu compressit. Judæorum usuras & in Christianos dolosas insidias multis in locis coercuit, & tamquam irreconciliabiles Christi nominis hostes, eosdem ex plerisque urbibus fecit expelli. Atque illi perpetuum suum inimicum summo odio prosequuti, non semel struxerunt insidias necemque intentarunt. Porro is cui fideliter ministrabat, a cunctis eripuit periculis. Semel in Marchia Anconitana in ejus necem multi conspirarunt, latentesque in denso nemore, per quod transiturus erat, missilibus armis & bombardis advenientem decreverunt excipere. Præcesserant indemnes socii, at ubi solus orans appropinquavit, ingenti turbine copiosus imber descendit de cœlo, qui omnes in sua statione continuit, transeunte in conspectu Capistrano.

A calumniis liberatur.

Aug. de bono viduit. c. 22. & can. 11. q. 3. Non sunt audiendi.

Hieron. in c. 4. Matth.

CIX. Atqui non solum a mortis periculo, verum & ab invidorum calumniis & a malignantium detractionibus famulum suum sæpissime Deus voluit indemnem. Dei interest suorum famæ consulere; nisi enim eos a verbo mendacii & a lingua injusta servaverit, sed auditione mala conspergi, & sermonibus odii denigrari permiserit, restat ut bona servorum pereunte opinione, etiam Domini minuatur auctoritas: *Blasphemant* enim *viam Dei* (seu religionem Christianam, ut interpretatur glosa) *quibus secundum suspicionem quasi turpis, quæ casta est, displicet vita Sanctorum.* Præterea *opera salutis sine fama boni odoris non satis relucent auditoribus*, namque illius doctrina contemnitur, cujus vita falso rumore maculatur. Latissime divagante fama Capistrani, cunctis ejus facta admirantibus, & tamquam magnorum mirabilium actorem commendantibus, ipse potissima quæque & graviora miracula in sanctum Bernardinum referebat, dicens: *non alia quam virtute reliquiarum ipsius mirabilia ista patravi.* Heros quidam incredulus, erga Capistranum minus propensus, audiens referentem sui magistri virtutes & prodigia, minus pie subjunxit: *Nequidquam tibi credam, nisi illud feceris experimentum, at per septuaginta saltem horas defunctum revoces ad vitam.* Cui Capistranus: *Etsi hoc etiam Dei virtute facile fieri possit, aliosque longiori tempore defunctos Viri sancti resuscitaverint, ut quid tu terminum septuaginta præfigis horarum credendæ resurrectioni, qui constanter admittere teneris vere Christum resurrexisse, etsi quadra-*

draginta dumtaxat horis jacuerit in ſepulcro? Deinde in ſpiritus fervore ter ſubjunxit: *Incredule, cave tibi a juſto Dei judicio, qui ejus virtutem in viris ſanctis non agnoſcis*. Contempſit ille & ſubriſit voces comminantis: ſed poſt paucos dies equi caſu oppreſſus interiit.

CX. Ratiſponæ vehementer ex ſuggeſtu invehentem in ludos & vanos mulierum ornatus, poſt concionem adoleſcens quidam, totus ludis aſſuetus, & mulier quædam laſciva, quæ ſpeciem adulterinis conciliabat coloribus, plurimo murmure exceperunt. Ipſa nocte ſequenti utriuſque ſecuta mors adeo cunctos perterruit, ut ſtatim luſoria quæque inſtrumenta homines, & periculoſas oculorum illecebras mulieres ad Dei ſervum turmatim conduxerint, Vulcano conſecranda. Craçoviæ hujuſmodi malorum irritamenta acervatim congeſſerat, die ſequenti in foro comburenda. Accidit, ut accenſa copioſa caligine camini, multi putarint domum illam, in qua Vir ſanctus habitabat, eaque malarum artium inſtrumenta coacervaverat, igne perituram. Subriſit quidam petulanter dicens: *Eheu, qui noſtra ſpolia volebat adurere, primus ſentit ignis detrimenta, & ſuo prior flagrat triumpho: Nimis creduli noſtri cives ſuis ſe ſpoliarunt ſolatiis: ecce qualis hic noſter Eccleſiaſtes, qui domeſtico perit incendio*. Dejecta fuligine, & purgato camino ceſſarunt flammarum alimenta, eoque ipſo die hominis inique obloquentis ædes voraciſſima flamma conſumpſit.

CXI. His aliiſque virtutibus inſignis, doctrina & rebus præclare geſtis ubique commendabilis, ex humanis abiit Capiſtranus: cujus corpus dum per dies aliquot inſepultum mira populorum ex tota circumquaque regione confluentium multitudo veneraretur, quidam urbis Plebanus, qui olim e Minoritis receſſerat, Religioſis & Capiſtrano adverſus, Cardinali Legato per litteras ſuggeſſit, nimiam defuncto exhiberi venerationem, & prætenſa Capiſtrani ſanctitate Fratres nundinari. Utque magis irritaret, ſubjunxit, paſſim & ubique a Fratribus celebrari victoriam Albæ Regalis totam Capiſtrano adſcribi, abſque ullo aliorum participio. Miſit ſtatim Legatus, qui curaret ſepeliri, idque factum die Veneris, ſeptimo poſt obitum. Toto hoc tempore in choro diligenter cuſtoditum, omnibus expoſitum, ſuavem mittebat odorem, flexile, molle, pulchrum, ſimile dormienti. Adveniens poſtea Nicolaus Vaivoda, urbis regulus, impatienter tulit Cardinalis præceptum, juſſitque exhumari cadaver. Etiam tunc viſu gratum, incorruptionis perpetuæ videbatur ſigna præferre, excitavitque herois animum, ut nobili theca bene munitum peculiari collocaretur ſacello, & perpetuo nocte dieque coram tumulo accenſa collucerent funalia, ubi hoc inſculptum epitaphium. Defuncto adverſatur Plebanus.

Hic tumulus ſervat præclara laude Joannem
Gente Capiſtrana, fidei defenſor, & auctor,
Eccleſiæ tutor, Chriſti tuba, tum Ordinis ardens
Fautor, in Orbe decus, tum veri cultor, & æqui,
Et vitæ ſpeculum, doctrinæ maximus index,
Laudibus innumeris jam poſſidet aſtra beatus.

Vixit annos XXXCI. M. III. D. XXII.

CXII. Audita Capiſtrani morte, Calixtus Pontifex vehementer indoluit, prudenter expendens, quanta rei Chriſtianæ jactura tantus Vir deceſſerit, cujus induſtriæ & virtuti maxima ex parte ſalus publica debebatur. Omnes Italiæ urbes ſolemnes ei celebrarunt exequias, uti & Bernardino Senenſi factum enarravimus, illæ præſertim, quæ uberius & frequentius ejus exce- *Tom.* II. *ann.* 1444. *n.* 16.

exceperunt doctrinam, aliquæ per triduum, convocato universo clero, parentarunt. Leonellus Celani Comes, & Cobella piissima conjux, Viro sancto addictissimi, de quibus superius diximus, solemnia funerum magno peregerunt apparatu. Tribus diebus interfuerunt Episcopi quatuor, Sacerdotes sexcenti sexaginta, ex suis subditis, oppidisque vicinis ultra quatuor millia ad inferias invitati, parentalibus seu epulo per biduum refecti, cerei viris sacris unoquoque die distributi. Non dissimiliter factum in multis Germaniæ & Hungariæ civitatibus; multis in locis erecta ingentia cenotaphia.

An. 1455. n. 93. Et hoc anno n. 102.

Quid actum de corpore Capistrani.

CXIII. Honorifice in prædicto sacello Vilakæ per multos annos jacuerat, crescente semper populi devotione. Capta per Turcas urbe, corpus in locum alterum Comitatus Zakmariensis in finibus Transilvaniæ translatum est, deinde Zolosium, atque obrepente in oppidum hæresi, infectoque loci domino, prius male habitum & illusum, deinde projectum in puteum ipsius Cœnobii, ingesto magno lapidum acervo, destructo etiam Conventu. Ita tradunt Hungari, & confirmat Nicolaus Isthuansus in Historia Hungarica; postquam enim Francisci Perenii viri Principis, Catarinæ conjugis, & liberorum captionem in arce Zolosii, rerumque omnium direptionem per milites Ferdinandi Regis enarrat, subjungit: *Fuere, qui existimarent Franciscum ab irato numine ea calamitate merito punitum, quod corpus Capistrani sanctitate celebratum, capto per Turcas Sirmio, a Monachis in Zolosiano Monasterio reconditum, direpto eo, pulsisque Monachis aut cæsis, confractum & indignis modis profanatum, in profundum puteum projici jussisset.* Atque hinc minus credibile redditur, quod aliqui comminiscuntur, Turcas capta Vilaka, ductum cum honore corpus reverenter apud se retinere, neque pretio ullo, quantumvis per Oratores ad hoc ipsum Constantinopolim missos rogarentur, reddere voluisse, dicentes, adhuc se timere ab homine, per quem tantam cladem acceperunt, & malle in sua potestate honorifice habitum ab injuriis continere, quam inimicis tradere, qui in suam perniciem concitarent. Neque illud reputo probabilius quod scribit Rodulphus, ante paucos annos corpus ab hæreticis in Danubium projectum, Illoci, non longe a Vienna repertum fuisse. Quod si ita est, qui fieri posset, ut adeo diligenter per longa temporum intervalla a suis Consodalibus, piisque viris conquisitum, inveniri non possit, aut saltem sciri, quo terrarum loco delitescat? Et qui apud Turcas reverenter coli confingunt, ut quid toto hoc annorum spatio venerationis locum non indigitant? Atque illud vulgaris tantum pietatis loco repono, quod aliqui Hungarorum adscribunt traditioni: tunc scilicet universam Hungariam a Christianis recuperandam, cum Capistrani corpus apparuerit.

Isthuanf. l. 20.

Rodul. fol. 114.

Innumera patravit miracula.

CXIV. Magnis crebrisque statim ab obitu cœpit clarere miraculis, neque a patrandis destitit, donec amisso corpore, homines a veneratione destiterunt. Innumerabilia sunt, omnisque generis prodigia, quibus recensendis magnum volumen, & in ordinem redigendis longissimum tempus foret necessarium. Multis distincta sunt processuum instrumentis, & legitimis comprobata documentis, quorum varia & incorrupta habeo epitomata. Primus processus compactus est ea, qua decessit, urbe anno MCCCCLX. cujus exemplar servatur in Bibliotheca regia Parisiensi. Secundus factus est in eadem civitate anno MCCCCLXI. in quo ea tantum habentur miracula, quæ illo patravit anno a vigilia Pentecostes usque ad Nativitatem Virginis Mariæ. Tertius factus est Budæ auctoritate Apostolica sub annum MCCCCLXV. in quo referuntur omnia ejus mirabilia tum in vita, tum post mortem usque ad illud tempus patrata. Quartus sub Sixto IV. reliquis major, ingentem habet cu-

Quinque distincta processibus.

cumulum miraculorum per varia capita diſtributum. Quintus in variis Hungariæ partibus auctoritate Leonis X. factus ab Epiſcopis Quinque-eccleſienſi & Sirimienſi, & Abbate de Gethlo, dicec. Quinque-eccleſienſis. Aliqui ad cenſum reducunt miracula; verſus numerum contraxit Matthæus Raderus in ſua Bavaria ſancta, poſt redactam in breviarium Viri ſancti vitam: *Illud*, inquit, *addam*; *expreſſum legi numerum de curatis, partim mortuis, partim morituris: ex illis ad officia vitæ revocatos ſupra triginta; ex his, aures apertas ſurdis tercentum ſeptuaginta; ora mutis triginta ſex, oculos centum viginti tribus, vitia pedum vel articulorum correcta, ſeu triſti podagra, ſeu cruciabili chyragra, ſeu turpi claudicatione laborarent, nongentis viginti: aliorum morborum nullum numerum iniri potuiſſe.* *Rader. t. 2. pag. 181.*

CXV. Ut ad canonizationem procederetur, diverſis temporibus varios rogarunt Pontifices Fridericus Imperator, Matthias & Ludovicus Hungariæ, Caſimirus Poloniæ Reges, Principes, Prælati, & Reguli Germaniæ, Boemiæ, Hungariæ & Poloniæ, quorum litteræ magna ex parte ad meas manus pervenerunt, plurimæ adhuc magnis ſigillis clauſæ, omnes originariæ, pergameno exaratæ, quarum copiam lectori, quibus ſcriptæ ſunt, annis faciemus. Miro & inopinato modo a decrepito ſene Aſſiſiate omnes capſula incluſas accepi; ille ab avo, ex Germania (ſocio quodam Minorita, qui in itinere deceſſit) redeunte, domi reverenter dixit repoſitas. Relationem omnium geſtorum, & rationum allegationem doctam more juridico pro canonizatione impetranda fecit Leoni X. quidam Juriſconſultus, inſtar illius pro canonizando ſancto Bonaventura a Joanne Franciſco de Pavinis compoſitæ. Eam diſtinxit in fundamenta ſeu articulos ſexdecim, quos hic exſcribo. Pluries actum de canonizatione. Relatio ab eo geſtorum facta Leoni X.

Primum, inquit, *ipſius beati Patris ad Religionem Ordinis Mendicantium ſancti Franciſci mirabilis dicetur converſio cum illius præcipuo fervore.*
Secundum, doctrina ſacra cum multitudine librorum.
Tertium, contemptus dignitatum mundanarum & Eccleſiaſticarum.
Quartum, ſuperexcellentes virtutes, & merita ejus inſignia.
Quintum, regimen ſanctum ejus cum regularis Obſervantiæ familiæ liberatione.
Sextum, patientia in perſecutionibus propter zelum Dei.
Septimum, labores multi, mores caſti, & actus ſtrenui &c.
Octavum, multa gloria, quam fecit Dominus eum eo &c.
Nonum, ſufficientia in operibus caritatis & innocentiæ.
Decimum, fama celebris beatitudinis ejus, & mors pretioſa.
Undecimum, multiplex ſupplicantium inſtantia.
Duodecimum, maxima temporum mora ſtudioſe expectata.
Tertium decimum, diligentiſſima ſolemnis inquiſitio habita.
Quartum decimum, devotio pia populorum ad eum ſemper excreſcens.
Quintum decimum, multiplex fructus ſubſecutus in Eccleſia Catholica.
Sextum decimum, multorum verorum miraculorum coruſcatio diuturna.

CXVI. Sed quem toties dixit Nicolaus V. (cui notiſſima erat hominis virtus) merito cœlitibus adſcribendum, idque ſe facturum, ſi ſuo tempore mortales deponeret exuvias, non potuit honorem illum duobus ferme integris ſeculis Capiſtranus adipiſci. Et quidem non ſine bonorum admiratione tanto tempore differtur. Ecquis enim, ſive vitæ ſanctimoniam, ſive doctrinæ excellentiam, ſive regiminis prudentiam, ſive demum labores pro Eccleſia Dei perpeſſos, & præſtantiſſima in eamdem obſequia conſideres, atque * Mirum tanto tempore illius differri canonizationem.

atque æquo expendas judicio, tanto viro mereatur præferi? aut ſolemnis Apotheoſis honore magis debeat munerari? Profecto abundantius omnibus laboravit, magno rei Chriſtianæ incremento per innumeras Provincias & remotiſſima regna prædicavit, fidei tuendæ moribuſque ſanandis docta ſcripſit volumina, inſigni vitæ ſanctimonia, multis miraculis comprobata, longe lateque refulſit; glorioſa parta victoria, contuſis fidei hoſtibus, populum Chriſtianum a dura ſervitute liberavit, non immerito tamquam alter Furius Camillus nuncupandus, *Virium Romanarum*, (ſive Chriſtianarum) *& incrementum latiſſimum, & tutela certiſſima*.

Valer. Max. l. 5. c. 3.

CXVII. Atqui hinc prorupit livor, & ſtudia prodierunt adverſa: qui ſalutem publicam ſtabilierat, felicitatem auxerat, famam ſui nominis tueri non valuit, invidia quam ſpoliis locupletior. Recte animadvertit ſapiens, *Omnes labores hominum, & induſtrias plurere invidiæ proximi*. Non defuerunt, qui tantæ gloriæ adverſarentur occulte, & fuit, qui clariſſimum ſancti Viri nomen maculis inficeret. Male habuit ſancti Angeli Cardinalem, in epiſtolis Capiſtrani ad Calixtum miſſis ſuum nomen reticeri, eique ſoli ſocios cecinisse triumphum. Temerarium dixit, qui cæca & incompoſita ex caſtris eruptione, quaſi jacta alea, rem Chriſtianam in ſummum traxerit diſcrimen. Inanis gloriæ cupidum, qui rei felicius quam prudentius peractæ palmam geſtiebat, & conſortis impatiens, profligati hoſtis ſibi ſoli gloriam adſcribebat. Iracundum, qui aſperis verbis auditores e roſtris exulcerabat, & ſibi adverſantes impatienter excipiebat. Hæc paſſim inculcabat, Capiſtranum magnificantibus objiciebat; & quamdiu in Germania hæſit, miraculis ſcribendis obſtitit, & canonizationem retardavit.

Unde concitata erga Capiſtranum invidia. *Eccl. 4. 4.*

Tria ei objiciuntur.

CXVIII. Verum enimvero ex ſupra relatis patet, non tam temere, quam invitum Capiſtranum ad caſtra proceſſiſſe, nec pugnam Cruceſignatis, ſed receptum inclamaſſe. In acie tamen conſtitutis eam indidit Dominus fortitudinem, & hoſtibus formidinem, ut felicius quam ſperari poſſit, glorioſa obtigerit victoria. Porro ille retulit Calixto victoriam ſincero breviſque epiſtolio, quod factum eſt abſque ulla Cardinalis injuria, de quo nihil tunc referendum erat, qui procul a periculo Budæ hærebat, & non niſi re geſta & parta victoria Belgradum advenit. Quod vero aliquando iratus ſit Capiſtranus, non id vitio tribuendum; non enim iracundia, ſed iracundiæ gradus, aut cauſa injuſta, culpæ loco habenda eſt. Non quod iraſcimur, ſed quare aut quantum iraſcimur, diligenter expendendum eſt. Capiſtranus eam habuit auctoritatem in populo, ut doctrinæ ſalutari obaudientes, & piis conſiliis obſequi nolentes, aut in peccatis ſordeſcentes, juxta Apoſtoli inſtructionem arguerit, increparit, acriter objurgarit: *Amando corripiebat, non nocendi aviditate, ſed ſtudio corrigendi*. Quod demum ſibi adverſantes impatienter exceperit, unum illud exemplum eſt, rei aſperius cum hæreſiarcha Rochyzana tranſactæ. Quis Dei cauſam acturus, patienter ferret iniqui ſeductoris venenoſas inſidias, contra Orthodoxam doctrinam inſanos errores, & contra Eccleſiæ miniſtros impudentes calumnias? Demus poſtremo, humana fragilitate leve aliquod vitium traxiſſe, aut imperfectioni fuiſſe ſubjectum, non id ſanctitatem eliminat, ſed exercet. Paucos invenies Sanctos etiam eximia virtute pollentes, & cedris Libani comparatos, qui tentationum motibus non moveantur, vel graviori impetu admiſſi peccati non flectantur, & aliquando ad ima incurventur: *Divinæ pietatis diſpenſatione ita permittitur, ut mens proficiens ad virtutem juſtitiæ, ſua melius infirmitate roboretur. Obtenebrantur ſtellæ caligine noctis; & ſancti Viri, licet magnis jam virtutibus reſplendeant, habent tamen adhuc de culpæ obſcuritate quod*

Refelluntur.

Timot. 2. 4.
Aug. de verb. Dom. ſerm. 16. c. 1.

Gregor. l. 4. Mor. c. 22.

Job. 3. 9.

quod feriant. Et licet magna jam vitæ claritate luceant, aliquas tamen peccati nebulas, velut quaſdam noctis reliquias nolentes trahunt. *Idem in pſal. pœnitent. pſal. 2.*

CXIX. Quid itaque? etſi Carvajalius ſub Calixto & Pio promeritæ gloriæ ardentius obſtiterit, eamque alia impedimenta retardarint, tamdem ſub Leone X. aliquale habuit exordium. Cardinalis Bernardus Tarlatus, Bibiena, Florentinæ diœceſis oppido, natus, Leoni X. perquam familiaris, hoc exhibuit teſtimonium indictæ a Pontifice primæ celebritatis.

CXX. *Bernardus divina miſeratione ſanctæ Mariæ in portica Diaconus Cardinalis de Bibiena: univerſis & ſingulis præſentes litteras inſpecturis atteſtamur fidemque facimus, ſanctiſſimum Dominum noſtrum Leonem X. Pontificem maximum ſuperiori anno, in die ſancti Silveſtri indulſiſſe, cum quidem præſentes ipſi eſſemus, ſupplicante id fratre Chriſtophoro Forolivienſi, Ordinis de Obſervantia Vicario Generali, ut in diœceſi, territorioque Capiſtrani celebrari poſſit Feſtum beati Joannis de Capiſtrano, attenta maxima devotione, qua populi erga præfatum Beatum afficiuntur; ita quidem, ut illius ipſius Feſti celebritati imputari, objicique nihil poſſit. Quod quidem Feſtum celebrari debeat ad diem* XXIII. *Octobris tam a Fratribus ipſis, quam a Clericis etiam ſecularibus, aliiſque qui volent in diœceſi territorioque Capiſtrani, & hoc futuris perpetuis temporibus: contradictores quoſcumque ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna compeſcendo. In quorum fidem præſentes manu propria ſubſcriptas fieri, & noſtri ſigilli juſſimus approbatione muniri. Datum Romæ in Palatio Apoſtolico die* IV. *Octobris* MDXV. *Pontificatus S. D. N. D. Leonis divina providentia Papæ* X. *anno* III. Sacris tamdem colitur honoribus.

CXXI. Sub Gregorio XV. religioni Minorum addictiſſimo, deprecantibus Miniſtro Generali & Fratribus, præſertim ſtrictioris Obſervantiæ, Cardinales ſacris Ritibus præfecti, die XVI. Julii anno MDCXXII. decreverunt coli poſſe ab omnibus religioſis utriuſque ſexus Ordinis Minorum regularis Obſervantiæ, ſub officio duplici de communi Confeſſoris. Poſt unum aut alterum menſem indultum auxit Pontifex, conceſſa eadem facultate omnibus Fratribus & Sororibus totius Ordinis ſancti Franciſci, & clericis ſecularibus, in eorumdem Eccleſiis offerentibus Miſſæ ſacrificium. Ecce ſacrum documentum.

GREGORIUS PAPA XV.

Ad perpetuam rei memoriam.

CXXII. *Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui ſervos ſuos æternæ gloriæ præmio donat in cœlis, vices quamquam immeriti gerentes in terris, ex injuncto nobis deſuper paſtoralis officii debito procurare tenemur, ut eorumdem ſervorum Chriſti debita veneratio in dies magis promoveatur, & laudetur Dominus in Sanctis ſuis. Quamobrem fidelium quorumlibet, præſertim vero ſub ſuavis religionis jugo Altiſſimo famulantium votis, quæ peculiarem ſervorum hujuſmodi cultum reſpiciunt, libenter annuimus, prout conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Sane pro parte dilectorum filiorum Miniſtri Generalis, & Fratrum Reformatorum Ordinis ſancti Franciſci nobis nuper expoſitum fuit, quod alias a fel. recor. Leone Papa X. prædeceſſore noſtro anno* MDXV. *indultum fuit, ut die* XXIII. *Octobris Feſtum beati Joannis de Capiſtrano, in diœceſi & in territorio ipſius Capiſtrani ab omnibus celebrari poſſet. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, Fratres prædicti pro eo, quem erga ipſum beatum Joannem gerunt, devotionis affectu, ac*

ac ad augendam Chriſtifidelium erga illum devotionem, conceſſionem Leonis prædeceſſoris hujuſmodi per nos ut infra extendi ſummopere deſiderent; nos eorumdem Fratrum votis hujuſmodi, quantum cum Domino poſſumus, benigne annuere, illoſque ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, a jure vel ab homine, quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus eorum nomine nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium ſacris ritibus præpoſitorum, a quibus conceſſio Leonis prædeceſſoris hujuſmodi de mandato noſtro viſa fuit, conſilio, conceſſionem eamdem ad omnes tam Fratres quam Moniales totius Ordinis ſancti Franciſci, quoad officium de communi Confeſſoris non Pontificis in prædicta die recitandum; quoad Miſſam vero etiam ad ſeculares quoſcumque, in Eccleſiis Fratrum Ordinis ſancti Franciſci celebrantes, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium perpetuo extendimus & ampliamus. Non obſtan. conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud ſanctam Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die x. *Septembris* MDCXXII. *Pontificatus noſtri anno* II.

* *Demum anno ſaluti* 1690. 18. *Kal Novembris ab Alexan. VIII. Pont. Max. Sanctorum Apotheoſi aſcriptus eſt ut ſuo loco dicemus.*

* *Scipio Card. ſanctæ Suſannæ.*

De habitudine corporis Capiſtrani. *Fara in vita Capiſtr. c. 1.*

CXXIII. His paucula de corporis habitu, & imaginis ratione ſubjungam. *Statura* (inquit ejus ſocius Nicolaus de Fara) *recta & mediocris in medio conſiſtens, vox clara, ſermo purus, lingua diſerta, capillo canus & barba, capite calvus, fronte criſpus, vultu rubicundus & ſerenus, corpore robuſtus, venuſta facie & veneranda, longioribus brachiis ad genua uſque protenſis, magnarum rerum glorioſam operationem præſignantibus, ingenio acutiſſimus, conſilio maturus & prudens.* Effigies ejus hac forma pingitur. In vexillo glorioſum nomen Jeſu demonſtrat ad imitationem ſancti Bernardini, cujus erat diſcipulus. Rubram crucem in orbiculari parte capitii ad dextram explicat, eam ſcilicet, quam a ſummo Pontifice miſſam recepit, uti diximus, ex manibus Cardinalis Legati. Alio modo depictum voluit Mathæus Raderus in ſua Bavaria ſancta, qui militare vexillum Cruce inſignitum præferentem, Imperatoris partes agentem, aciemque in confertos hoſtium cuneos producentem, depicta ex adverſo magna pyra, injectiſque variis inſtrumentis luſoriis, pulchra effigie, ſubjectis his verſibus repræſentat.

Qualiter depingitur.

Supra hoc ann. n. 16.

Hic Franciſce, tuus miles tua ſigna per orbem
Nominis ingenti cum pietate tulit.
Nunc inter promachos ſine telo tela repreſſit,
Et Cruce percuſſit ſigna inimica Crucis.
Alea damnata eſt flammis, taluſque, latroque,
Totaque chartarum plauſtra cremata facis.
Si purgare juvat monſtris feralibus orbem,
Mitte Capiſtranos, Cerberus ipſe tremit.

Tom. 9. an. 1385. n. 7. Quinam ejus vitam ſcripſerunt.

CXXIV. Præter eos, quos alias diximus hujus ſancti Viri acta ſcripſiſſe, vidimus poſtea alios, qui vitam ejuſdem typis ediderunt, Salvatorem Maſſonium, & Ludovicum Cæleſtinum Franciſcanum, qui diffuſius Italico; Arthurum Monaſterienſem doctum item Minoritam, qui compendioſius Gallico ſermone. Maſſonius aliam citat legendam, a Monachis, neſcio qui-

quibus, Viennenſibus conſcriptam. Ejuſdem etiam ſancti Viri cum laude graves quique hiſtorici meminerunt. Miram ejus a ſeculo converſionem alias ex probatis Scriptoribus exaravi; ocurrit poſtea non contemnendus auctor, aliam eamque digne memorandam converſionis occaſionem enarrat. Is *Tom. 9. an. 1414. n. 2.*

Mira cauſa converſionis a ſeculo.

eſt a Puteo celebris Juriſconſultus, Capiſtrano æqualis & notus, cujus opera aliquot variis diſpertiuntur tomis tractatuum Juris Cæſarei & Pontificii. In eo quem de ſindicatu inſcripſit §. *Sequitur modo notabilis quæſtio*, in fine ita ſcribit: *Et volo quod tu lector habeas unum memoratu dignum in ſimili. Rex Ladislaus inquiri fecit quemdam Comitem regni & filium de proditione, & facto proceſſu per Judices magnæ Curiæ, inter quos erat unus Judicum tunc frater Joannes de Capiſtrano, qui retulit Regi, quod Comes erat dignus pœna decapitationis, tamen filius erat innocens, & liberandus: juſſit propterea Rex Comitem decapitari, & filium non decapitari, ſed ſententialiter fictè condemnari ad mortem, & deinde ad ſupplicium duci cum Patre, & decapitato patre filium liberare, & hoc facto, decapitato patre, filius præ timore pœnæ illico mortuus eſt. Propter quod frater Joannes de Capiſtrano tunc ſecularis, & Judex magnæ Curiæ exiſtens, conſcientia motus, quod innocentem condemnaverat, qui ex cauſa condemnationis mortuus fuerat, adivit Regem, renuntiavit officio, nolens amplius ſervire Dominis temporalibus, ſed Deo, & intravit Religionem Mendicantium beati Franciſci, & fuit vir magnæ religionis, & miræ ſanctitatis, ut in diebus noſtris intelleximus & vidimus.* Quis autem fuerit ille Comes, in alio tractatu *de Re militari l. 3. §. ſingulari decreto*, ita declarat. *Accidit quod Rex Ladislaus fictè mandavit filium Comitis ſanctæ Agatæ decapitari, & mortuus eſt præ timore in ipſo actu.* Qualiter autem hæc cum illa narratione converſionis Peruſinæ conciliari poſſint, prorſus non video, niſi dicas ea, quæ a Paride narrantur, præceſſiſſe, atque paulo adhuc in ſeculo hærentem Capiſtranum vel a Ladislao miſſum, vel ſponte profectum Peruſium, ibique potenti & mirabili illa vocatione compulſum, moras omnes rupiſſe, penituſque ſeculo valedixiſſe, aſſumpto illo auſtero vitæ inſtituto, de quo ſubeundo numquam antea cogitavit.

Paris de Puteo to. 7. tractatuum.

Idem to. 16. tractat.

CXXV. Poſnaniæ in majori Polonia apud Minores Obſervantes, vulgariter Bernardinos nuncupatos, monſtratur vexillum, cum quo Vir ſanctus ad bellum illud Turcicum proceſſit. Extant huc uſque, & cum reverentia aſſervantur duo ejuſdem pileoli, alter gemmis ornatus apud eoſdem Patres in Cœnobio Samborienſi in Ruſſia; alter cum aliis ejuſdem reliquiis apud Patres Societatis in ſupradicta urbe Poſnaniæ. Rurſus apud eoſdem Minoritas Samborienſes eſt libellus pergamenus compaginis & characteris vetuſti, ita inſcriptus: *Iſta paſſio Domini noſtri Jeſu Chriſti eſt breviter compilata a me Capiſtrano ſecundum authenticos Doctores.* Concionis thema eſt: *Quo abiit dilectus tuus, O pulcherrima mulierum, & quæremus cum tecum?* Aliqua etiam illius opuſcula avide verſant, & diligenter cuſtodiunt Patres Poloni, utpote de Primatu Petri, de bello ſpirituali, de temporibus & perſecutione Antichriſti, atque de fine mundi. Omnia ferme ejus opera habentur MSS. Capiſtrani, aliquando, Deo dante, aliquali noſtra opera in lucem proditura.

Varia ejus ſpolia.

CXXVI. Jam tamdem hujus ſancti Viri geſtis, a nobis per tres ultimos tomos *juxta annorum partitiones diviſis, finem imponimus, ipſum humiliter deprecantes, ut noſtrum hunc qualemcumque laborem benigne reſpiciat. Conſtanti & improbo conatu omnes ſchedas, inſtrumenta & regeſta ejus percurrimus, codices perluſtravimus, nihilque ſolidum aut firmum,

* *Intellige de tomis primæ editionis in hac autem ſecunda editione habes omnia ab an. 1381. n. 7. pag. 67. Tom. 9. uſque ad annum iſtum.*

mum, quod ad tanti viri majorem gloriam poſſet conducere, prætermiſimus. Albam illam dumtaxat ſpectavimus metam: *Deo in laudem, Divo ad honorem, nobis in fructum*. Ita porro cedat, intimis votis poſtulamus. Coronidis loco breviuſculum hymnum, ejus honore frequenter a Confodalibus olim decantatum hic apponam, & tamquam ſupplicem libellum poſtulandæ laboris mercedi humiliter eidem Viro ſancto cupio porrectum.

O Chriſti miles inclyte
Joannes, voce, & opere
Diebus his noviſſimis
Clarus apparuiſti.
Tu cruce Turcas fugas,
Tu cruce morbos ſanas,
Tu cruce cunctos juvas,
Dux quibus fuiſti.
Implora nobis veniam,
Ac fidei conſtantiam.
Chriſti legis cuſtodiam,
Quem vere dilexiſti.

Num. 80. CXXVII. Anno præcedenti diximus miſſum Ludovicum Bononienſem ad Indiarum & Æthiopiæ regiones, e quibus regreſſum ſub hujus anni finem invenio remiſſum ad Perſarum, Armeniæ, Tartariæ & Æthiopiæ Reges, ut contra Turcarum formidabilem potentiam, & ſævam tyrannidem ad fœdera convocaret. Dabo diploma Pontificium ad Æthiopem directum, a quo reliqua non multum diſcrepant, præmiſſa de hac re Platinæ narratione. *Ad Uſum-Caſſanum*, inquit, *Perſarum & Armeniæ Principem, ad Regem Tartarorum Ludovicum Bononienſem, Ordinis ſancti Franciſci fratrem miſit cum multis & magnis muneribus, eos in Turcum excitans: qui perſuaſu hominis & magnas Turcis calamitates intulerunt, & oratores ſuos, quos ad Calixtum deſtinaverant, ad Pium Pontificem demum miſerunt, quos certe cum admiratione tum ob intervalla locorum, unde venerant, tum vel propter habitum noſtris oculis inſuetum inſpeximus. Ferunt, Uſum-Caſſanum, ſuperatis perſæpe hoſtibus, ad Pontificem ſcripſiſſe ſe quidem victoriam ex hoſte reportaſſe ob preces ab eo ad Deum habitas, ejuſque beneficii divini potius quam humani ſe aliquando memorem futurum. Inchoata hæc amicitia a Calixto eſt, quam nunc conſtanter Chriſtiani cum ipſo Principe retinent, qui Turcum continuis prœliis vexat.* Abiit impigre Ludovicus, & apud Perſas, Armenos & Tartaros obtinuit: ad Æthiopes non potuit proficiſci, ad quos tertio, anno ſequenti, uti tunc dicemus, fuit amandatus. Mirum quoties miſſus ad longinquas regiones, quantos ſubierit pro ſocialibus armis aggregandis labores, & quam expedite tam ardua, tamque periculoſa emenſus ſit itinera. Ex his litteris conſtabit, quantum tribuerit Pontifex epiſtolis Joannis Capiſtrani, de cujus obitu ſub Decembris initium nihil adhuc percepiſſe videtur.

Fr. Ludov. Bononien. miſſus ad Perſas, Armenos, & Tartaros.

Platina in Calix. III.

An. 1457.

Cariſſimo in Chriſto filio Conſtantino Zara-Jacob Regni Æthiopiæ Regi illuſtri.

Ex l. 10. Bullar. Calixti fol. 172. CXXVIII. *Qui cœlorum continet thronum Dei Rex Dominator Omnipotens ſit tecum in omnibus operibus tuis, tibique, tuæque uxori illuſtri, ac familiæ populiſque tuis in ea virtute benedicat, qua Prophetis, qua Sanctis, & electis ſuis benedixit, augeat-*

geatque ſuper vos & ſuper filios veſtros gratiam & omne bonum, qui domum Iſrael auxit, & exaltavit in gloria, ſuſcitetque ex renibus tuis ſemen Jacob in perpetuam æternitatem quaſi ſtellas, & ſitis filii dilectionis ſuæ. Tibi patem qualem Apoſtolis, tibi victoriam qualem Joſue præſtitit in campo Libani trans Jordanem, & duci Machabæo contra Thimetenem pugnanti, cui viri illi apparuerunt, manifeſtum de cælo præſidium afferentes. Is poſtquam nobis, licet immeritis, Pontificatus onus injunxerit, & affecti memoria calamitatis urbis Conſtantinopolitanæ, antequam de Conclavi recederemus, votum emiſimus, belli ſuſcipiendi contra Turcum, & omnes terrarum fidelium occupatores. Cumque ad id facultates Eccleſiæ non ſuppeterent, vires Principum orbis terrarum, qui Jeſum Crucifixum profitentur, convocare decrevimus; ex tunc etiam tuæ Serenitati ſignificavimus, & amicitiam cum felicis recordationis Eugenio Papa IV. prædeceſſore noſtro initam, nedum continuare, ſed in unitate ſanctæ fidei augere velle polliciti ſumus, exiſtimantes, illam eſſe veram amicitiam, non quæ præſentia, ſed Chriſti caritate conjungitur; nam qui unum corpus & unus ſpiritus in Deo ſumus, unius etiam voluntatis in Deo eſſe debemus. Verum quia in hoc ſanctiſſimo opere noſtra ſatis voluntas expleri non poteſt, legationes ad diverſos mundi Principes, non ſine magnis ſumptibus, miſimus, quemque pro viribus hortantes, ut ad expeditionem tam ſanctæ rei auxilia conferant, pro meritis æterna præmia expectaturi, qui omnes pro religione Jeſu Chriſti Redemptoris noſtri, quantum habent virium obtulerunt, & contra hujuſmodi rabiem multa præſidia nobis oblata ſunt: adhærent enim ex Orientalibus, tum etiam ex Occidentalibus partibus terra marique duo exercitus non contemnendæ virtutis; quos ille reformidans, tamquam canis rabioſior factus, vires Soldani, Shyturumque inimicorum Chriſtianæ religionis ſibi adjungere nititur, quod facile conſequi poterit ob communem perfidiam, & voluntatem in nos hoſtilem; unde tantis viribus cumulatis, victoria nobis difficilior videri poteſt. Nos tamen in Domino confidentes, cujus nutu Tartara contremiſcunt, & omnis fortitudo gentium diſſipatur, Serenitatem tuam huic ſancto operi convocare curavimus, quæ ſi cum ſua ſublimi potentia noſtris exercitibus acceſſerit, vel ſuis operibus Eccleſiam Dei juvaverit, ſatis virium habituri videmur ad profligandum impium Turcum, & non minus ſpei, terram Hieruſalem, aſperſione ſanguinis Jeſu Chriſti Redemptoris noſtri conſecratam, ab impietate infidelium vendicare poſſe: Sub tuo etenim ſublimi imperio non ſolum Deus magnos exercitus, ſed flumen Nili eſſe voluit; cujus inundatione tellus hoſtibus alimenta miniſtrat, quibus pro tuo arbitrio denegare poſſes. Sperantes igitur in eo, quem erga Crucem geris, affectu, per viſcera Jeſu Chriſti, cujus vexillum in ſacro baptiſmate recepiſti, per hoc Regium decus capitis tui, per omnia, quæ tu ſancta putas, ſi Chriſti fidem, cui ſuſceptus es, reſpicere dignaris, adverſus perſecutores illius, qui te in ſanguine redimere non dubitavit, juſta & pia bella ſuſcipere non moreris: præſta te nobis ferventiſſimum in eo opere, cujus merito laus omnis inferior eſt. Audivimus ſæpe a tuis, qui ad Romanam Curiam proficiſcuntur; Hebræum quemdam regnaſſe olim in inſula quadam Æthiopiæ vicina, qui omnes Chriſtianos in ea inſula commorantes trucidari juſſit. Id cum ad aures Imperatoris Conſtantinopolitani perveniſſet, Regi Æthiopiæ ſcripſit, ſe mirari, quod Rex potentiſſimus, Chriſti fidem profeſſus, non ſine ſuæ famæ jactura tam atroces injurias Chriſtianis fieri pateretur, cum illos facile tueri poſſet. Quare Rex ille prædeceſſor tuus claſſem paravit in perniciem tyranni illius, & quas decuit, pœnas exegit. Quod ſi litteris Imperatoris prædicti Rex ille vehementer commotus extitit, ſi

pro

pro inſula propulſanda, ſi pro vicinis tuendis arma ſuſcepit, quanto magis Serenitas tua ad interceſſionem Vicarii Domini noſtri Jeſu Chriſti, Petri ſucceſſoris, pro illius religione obſecrantis, juſta & pia bella ſuſcipere debet? Quod cum facere decreverit, ut ſperamus, per Nuncios, quos a circumvicinis partibus ad Italiam profecturos eſſe credit, celerius ac tutius nos certiores reddere non gravetur, vel ſi melius expectare putaverit, eos ipſos nuncios dirigere poterit ad dilectum filium noſtrum Ludovicum tituli ſancti Laurentii in Damaſo Presbyterum Cardinalem, nunc claſſis maritimæ Legatum in partibus Orientalibus jam commorantem. Nam cum fama detulerit noſtris Chriſtianis in Europa bellum gerentibus adverſus Turcos, tuam Serenitatem cum ſuis viribus acceſſiram, ſpes erit non mediocris victoriæ obtinendæ in Turcos, fientque noſtri exercitus ardentiores ad recuperationem Terræ ſanctæ. Verum quia non dubitamus, Serenitati tuæ gratum fore ea, quæ in Europa geſta ſunt, cognoſcere, ad tuam conſolationem nonnulla præſentibus duximus inſerenda. Turcorum Imperator, cultor execrabilis Mahumeti, jam proxima ætate cum ſuo valido & innumerabili exercitu, cum hoſtiliter in Hungariam penetraſſet, & in obſidione caſtri, cui nomen eſt Belgrado, ad ripam fluminis Danubii ſiti, moraretur, idque machinis tormentiſque ad ſolum diruerat, gentes Hungariæ, quæ pro defenſione aderant, adjunctis Cruceſignatis, quorum illuc ingens confluxerat numerus, duce Joanne Vayvoda, inclyto milite, & acerrimo propugnatore noſtræ religionis, cui nec animus, nec fides in Domino defuit victoriæ obtinendæ, ſacratiſſimo die beatæ Mariæ Magdalenæ, divino quodam inſtinctu excitati, facto impetu contra hoſtes, eos in fugam turpiter intulerunt. Adfuit noſtris de cœlo manifeſtum auxilium Dei, qui voluit tantos exercitus concludi in manus paucorum; nam ingenti ſtrage peracta, victoria potiti ſunt. Quid miramur, ſub uno milite cum parva manu tot millia fuiſſe confuſa? potens enim Deus eſt ſuper omnes exercitus, qui Madian, & Orientales populos, Judic. 7. 12. *quorum numerus ut locuſtarum multitudo, tradidit in manus Gedeonis; qui* 2. Machab. 4. *de cœlo præſidium dedit Oniæ ſacerdoti contra Eliodorum, ſanctam Hieruſalem prophanare volentem. O bone Jeſu, quanta tua eſt fortitudo, qui miſiſti gladium tuum ſuper capita illorum, qui fugiendo non pauciores ſeſe mutua cæde necarunt, quam a noſtris interfecti fuerunt, quibus victoriam dediſti ſimilem* 2. Machab. 15. *illi qualem præſtitiſti duci Machabæo, & populo Iſrael contra Nicanorem, qui conſtraverunt triginta quinque millia hominum, & præſentia Dei magnifice delectati fuere. In ea pugna Turcorum circiter viginti quatuor millia cæſa, totidem in fuga defecerunt, ſeſe mutuo trucidantes; caſtra incenſa, bombardæ captæ circiter trecentæ, baliſtarum innumerabilis copia, machinæ ad navigia per montes traducenda, inſtrumenta fabricata ad populos tranſvadandum, ſigna militaria, & ex ſexaginta quatuor navigiis, quæ ſuper Danubio retinebant, viginti capta, penes noſtros ſunt. Ipſe vero Turcus modo dux tanti exercitus, re male geſta, necdum ſuperbiæ modum ſtatuens, cum ad Sophiam urbem perveniſſet, in rabiem verſus, quamplures ex propinquis ſuis, ſine cauſa, ſua manu peremit. Quidam vero Deſpotus in provincia Serviæ noſtris gentibus adhærens, multos exploratores miſit, qui diligenter perquirerent, ubi Turcus ipſe ſeſe recepiſſet, multiſque ex illis redeuntibus, idemque referentibus, nihil certi de illius vita compertum eſſe potuit. Opinatur vel ipſum cæſum, vel forte perterritum in aliquas latebras ſe recepiſſe; id tamen ſi multi referant, nos tamen litteris dilecti filii noſtri Joannis de Capiſtrano Ordinis Minorum profeſſoris, qui omnibus rebus interfuit, facti ſumus certiores. Cum igitur, cariſſime fili, miles comes præſentis belli eventum expertus, ingentem ſtragem hoſtibus intulit, ſi tua Sublimitas cum ſuis operibus nobis acceſſerit, ſpe-*

ſperamus victorioſiſſimum finem contra perfidos hoſtes Chriſti, perterritos jam, ac tanto diſpendio laborantes. Unde per aſperſionem ſanguinis Redemptoris noſtri Serenitatem tuam requirimus, & in Domino obſecramus, ad opus tam neceſſarium pro ſancta religione ſe accingere maturet, auxilium nobis a Deo non defuturum ſperantes. Magnanimitati tuæ damus contra hoſtes aureum illum gladium, quem Hieremias dare viſus eſt Duci Machabæorum, dicens: Accipe ſanctum gladium munus a Deo, in quo dejicies adverſarios populi ſui. *Is enim Deus eſt omnium fortiſſimus, qui ſub Ezechia Rege per Angelum ſuum de caſtris Senacherib centum & octuaginta millia interfecit; is non ſecundum humanam potentiam, ſed ut ſuæ Majeſtati placet, dat dignis victoriam.* Nos autem, *ut inquit Apoſtolus,* quotidie flectamus genua ad Patrem Domini noſtri Jeſu, non ceſſantes ab orationibus, *ut implere dignetur, quod maxime deſideratis, confidentes, pro ſua ineffabili clementia nobis victoriam, perfidis hoſtibus confuſionem concedat, ut ſancta Civitate de manibus impiorum liberata, dicere poſſimus:* Surge, illuminare Jeruſalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini ſuper te orta eſt. *Ceterum, quoniam devotioni tuæ duximus convenire, per dilectos in Chriſto filios noſtros fratrem Paulum Sacerdotem, & Theodorum Diaconum, Ordinis ſancti Antonii Æthiopes, mittimus venerandas reliquias, videlicet de reliquiis ſanctorum Petri & Pauli Apoſtolorum, de reliquiis ſancti Joannis Baptiſtæ, de brachio ſancti Andreæ Apoſtoli, de reliquiis ſancti Jacobi Zebedæi Apoſtoli, de ligno Crucis, in qua ſuſpenſus fuit beatus Petrus Apoſtolus. Quas quidem reliquias, quoniam veneratu ſunt digniſſimæ, Serenitati tuæ pro devotione tua deſtinamus. Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno &c.* MCCCCLVI. *Kal. Decembris &c. anno* II.

2. *Mach.* 15. 16.

4. *Reg.* 19. 35.

Eph. 3. 14.

Iſai. 60. 1.

CXXIX. Tamdem hoc anno prodiit bulla compoſitionis ſeu concordiæ inter Conventuales & Obſervantes; circa quam adeo acriter diſceptatum fuiſſe diximus anno præcedenti. Integram hic exhibemus.

Num. 50. *& ſeqq.*

Ad perpetuam rei memoriam.

Ex l. 5. *bullarum Calix. fol.* 200. Bulla concordiæ inter Minores.

Illius, cujus in pace factus eſt locus, vices, quamquam immeriti, gerentes in terris, circa profeſſores regularium Ordinum quorumlibet, ut ſepoſitis contentionum & diſcordiarum vepribus, in amœnitate quietis & pacis illius famulentur auctori, noſtræ vigilantiæ ſtudium propenſius adhibemus. Sed id nimirum in ſacra religione Fratrum Minorum, qui fervore caritatis ignitì eorum dulci eloquio fructum in agro militantis Eccleſiæ afferunt ſalutarem, eo ſtudioſius agere ſatagimus, quo ipſi veluti quædam ſalutaris eruditionis exemplaria ceteris fidelibus eſſe debent, quorum diſcordiæ, ſi diutius perdurarent, vergere poſſent in eorum pernicem, perniciosum exemplum, ac ſcandalum plurimorum. Sane cum olim nonnulli Romani Pontifices prædeceſſores noſtri, circa quietem, & tranquillum regimen dilectorum filiorum profeſſorum ejuſdem Ordinis pie & ſancte ac multifarie laboraſſent, ordinantes aliqua circa regulam per beatum Franciſcum traditam, prout ipſis expedire videbatur; tamdem fel. rec. Eugenius Papa IV. prædeceſſor noſter quaſdam tunc inter eos, qui de Obſervantia *nuncupantur, & alios Fratres ejuſdem Ordinis profeſſores vertentes differentias ſedare & amputare, ac eis in poſterum bene vivendi normam tradidiſſe ratus, nonnulla circa regimen & gubernationem, & alia eoſdem Fratres de Obſervantia nuncupatos contingentia ordinavit, ſtatuit & conceſſit, prout in diverſis ipſius litteris deſuper confectis plenius continetur. Verum unde prædictus prædeceſſor pacem dediſſe credidit, æmulo humani generis ſuperſeminante zizania, eruperunt contentiones & odia, ac diſſenſiones & ſchiſ-*

ſchiſmata emerſerunt, quæ in eorum exacerbatis mentibus uſque ad noſtra tempora pervicacius perdurarunt. Ex quo nos cupientes illa, ne præfatæ Religioni, diutius inveterata (quod abſit) naufragium deſolationis pariant infirmorum, noſtræ proviſionis auſpiciis perpetuo terminari, digeſta ſuper his cum venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus deliberatione præhabita, de ipſorum Fratrum noſtrorum conſilio pariter & aſſenſu, ad laudem Omnipotentis Dei, & honorem beati Franciſci, ad quem ſingularem devotionem gerimus, necnon perpetuam dictæ Religionis quietem & pacem, nonnulla ſalubria, & Deo, ut ſperamus, accepta ſtatuta & ordinationes edidimus, per eoſdem Fratres, & eorum Prælatos perpetuis futuris temporibus, auctore Domino, inviolabiliter obſervanda. Auctoritate igitur Apoſtolica, & ex certa ſcientia, tenore præſentium ſtatuimus & ordinamus, quod omnes & ſinguli Fratres dicti Ordinis, præſentes & futuri, quocumqae nomine vocentur & cenſeantur, ipſique Miniſtri, Cuſtodes, aut Vicarii, & alii quicumque, Generali Miniſtro dicti Ordinis pro tempore exiſtenti, juxta continentiam prædictæ regulæ obedire teneantur; necnon quod omnes & ſinguli Cuſtodes vel Vicarii Fratrum prædictorum de Obſervantia nuncupatorum, quarumcumque provinciarum, eorumque diſcreti ad capitulum generale juxta morem dicti Ordinis teneantur accedere; in quo, poſtquam Vicarius Vicariorum vel Cuſtodum eorumdem officio Vicariatus hujuſmodi ceſſerit, ut moris eſt, iidem Cuſtodes, aut Vicarii, & diſcreti (præſidente dilecto filio Generali Miniſtro pro tempore exiſtenti, aut aliquo ab eo deputato, ſi ibidem noluerit intereſſe,) aſſumptis duobus ſcrutatoribus ex numero Vocalium, aliorum vota ſcrutentur; ut moris eſt, tres ex eiſdem Fratribus de Obſervantia nuncupatis nominent, & prædictus Generalis Miniſter unum ex dictis tribus ſic nominatis in Vicarium Cuſtodum vel Vicariorum eorum Fratrum de Obſervantia nuncupatorum inſtituat; & is, quem ex prædictis tribus Generalis prædictus inſtituerit vel confirmaverit, hujuſmodi inſtitutioni vel confirmationi conſentire teneatur, nec poſſit ſine rationabili cauſa vel juſto impedimento renunciare. Et ſi forſan aliqua controverſia circa nominationem, inſtitutionem vel confirmationem hujuſmodi oriretur, nominetur in eodem capitulo unus alius ab eiſdem Fratribus de Obſervantia dictis, qui poſſit & faciat ea, quæ incumbunt, quouſque controverſia hujuſmodi ſopiatur, quemadmodum de Miniſtris obſervatur. Præfatus vero inſtitutus poſtquam acceptaverit, Generalis prædictus committat illi plenarie vices ſuas, & nihilominus eamdem auctoritatem & poteſtatem in Fratres de Obſervantia nuncupatos habeat, quam dictus Generalis habet. In qua quidem electione, nominatione vel confirmatione celebranda, ſi Vocales deficerent ad nominationem prædictorum trium, ſuppleantur ex prædictis Fratribus de Obſervantia nuncupatis. Ordinantes etiam, quod Cuſtodes vel Vicarii prædicti de Obſervantia nominati in eodem generali capitulo ad electionem Generalis Miniſtri vocem activam tantum habeant, ſic quod, Domino largiente, pro tranquillo ipſius famulatu ordinamus & providemus, quod ſecundum Deum talem eligere ſtudeant, quem ad pacem & unitatem dicti Ordinis conſervandam fore crediderint aptiorem. Et inſuper quod Miniſtri Provinciales per ſeipſos, vel eis legitima cauſa impeditis, ab ipſis deputati electioni Vicariorum ſeu Cuſtodum Provincialium eorum, qui de Obſervantia nuncupantur, intereſſe poſſint, qui una cum duobus ſcrutatoribus, ex numero Vocalium ab eis eligendis, aliorum vota ſcrutentur, & qui a majori parte fuerit nominatus & electus Vicarius ſeu Cuſtos, per eoſdem Provinciales Miniſtros in ſingulis provinciis confirmetur: Et nihilominus ſit & pro tali habeatur: Et ſi aliqua diſceptatio vel controverſia ſuboriretur, interim unus eligatur

ab

ab eiſdem in ipſo capitulo, qui præſit & alia faciat, quæ incumbunt, quemadmodum de Miniſtris obſervatur, & de aliis ſe nullatenus intromittant. Guardiani vero inſtituti in congregationibus Provincialibus prædictorum Fratrum de Obſervantia nuncupatorum legantur in tabula Provincialium Capitulorum; ſimiliter autem Prædicatores & Confeſſores in congregationibus Provincialibus nuper electi, in eiſdem provincialibus capitulis confirmentur. Ordinamus præterea, quod prædictus Generalis Miniſter per ſe ipſum, dumtaxat prædictum Vicariorum vel Cuſtodum Vicarium de Obſervantia nuncupatorum viſitare, & ſi ejus demerita id exegerint, punire, ac pro notorio, & pro quo ad depoſitionem legitime procedendum eſſet, crimine, ab eodem officio deponere poſſit & valeat, de conſilio tamen & conſenſu ſaltem quinque vel ſex ex Vicariis vel Cuſtodibus antedictis. Quod ſi forte contigerit, aliquem ex Fratribus de obſervantia nominatis hujuſmodi prædicto Generali Miniſtro pro crimine deferri vel accuſari, tunc & eo caſu Generalis prædictus per ſeipſum, aut ejuſdem provinciæ, in qua accuſatus reſidet, ſeu etiam Vicarium Vicariorum vel Cuſtodum, ſeu quemvis alium Fratrum de Obſervantia in eadem provincia continue reſidentem viſitare, aut convictum ſeu confeſſum, in aliquo loco Fratrum de Obſervantia hujuſmodi, ubi convictus vel confeſſus fuerit, aut in quo deliquerit, corrigere & punire; & identidem obſervetur quoad omnem locum Fratrum de Obſervantia prædictorum. Ceterum volumus, quod nullus Frater de Obſervantia hujuſmodi de loco ſuo amoveatur, ſed in eo potius ad famulandum Altiſſimo quieta mente foveatur, prout in conſtitutione fel. rec. Martini Papæ V. prædeceſſoris noſtri dicitur plenius contineri: Quodque nullus Frater Conventualium nuncupatorum abſque licentia dicti Generalis, ſeu Provincialium Miniſtrorum ſaltem petita, ad loca Fratrum de Obſervantia, & e converſo nullus eorum, qui de Obſervantia nuncupantur, etiam legitima ſubſiſtente cauſa, ad loca ſeu Conventus aliorum Fratrum Conventualium prædictorum ſine ſpeciali ejuſdem Generalis, ſeu Provincialium Vicariorum petita & obtenta licentia, excepto evidenti ſuæ ſalutis periculo, poſſint accedere, prout in conſtitutione prædicti Martini Papæ V. dicitur contineri, ſub pœna privationis officiorum, quæ obtinent, & inhabilitatis ad quoſcumque actus legitimos exercendos. Et ut eiſdem Fratribus de Obſervantia delinquendi & vagandi tollatur occaſio, volumus quod ſi quis Prælatorum aut Fratrum tam Conventualium, quam de Obſervantia nuncupatorum aliquem Fratrem fugitivum receperit, ab officio, cui præeſt, ſuſpenſus, & ad actus legitimos exercendos inhabilis fiat eo ipſo: Adjicientes quod ipſe fugitivus a ſuo Prælato ubicumque repeti, ac pro crimine, levitate, aut alia ſuæ fugæ cauſa corrigi & puniri poſſit; qui poſtquam correctus & punitus fuerit, ſi recedere voluerit, petere debeat licentiam, prout ſuperius enarratur, nec de cetero a quovis Fratrum de Obſervantia repeti poſſit, niſi forte conſtiterit, eum ad frugem vitæ melioris redire voluiſſe. Si quis autem Prælatorum aut Fratrum prædictorum ſuper reſtitutione fugitivorum hujuſmodi requiſitus, illam facere noluerit, ſuſpenſionis & inhabilitatis prædictæ ſententiam incidat eo ipſo: quos fugitivos dictus Generalis Miniſter libris & aliis rebus ſuo uſui conceſſis etiam propter hæc privare debeat. Volentes inſuper quod Generalis Miniſter, & Vicarius Vicariorum vel Cuſtodum prædictorum attente caveat, quod nulli Fratrum Conventualium, vel de Obſervantia nuncupatorum, diſcurrendi vel vagandi per provincias licentiam concedat abſque rationabili cauſa, & evidenti neceſſitate, ſuper quo eorum conſcientias oneramus, etiam ſub aliquarum indulgentiarum ſpecie vel prætextu. Quod ſi litteræ conceſſionum hujuſmodi alias quam pro cauſa & neceſſi-

tate ſimilibus reperirentur, illæ nullius ſint roboris vel momenti. Ac etiam pro evitandis ſcandalis, prædictus Generalis Miniſter abſolutionem eorum, qui votum caſtitatis tranſgreſſi ſunt, & in poſterum tranſgredientur, ſi ad eum pro abſolutione acceſſerint, per ſeipſum impendere poſſit: Et nihilominus pro eodem delicto vel crimine eos ad Vicarios vel Cuſtodes Provinciales dumtaxat eoſdem remittere teneatur & debeat, qui illam per ſe exerceant, nec eam committere poſſint, niſi Guardianis locorum delinquentium eorumdem, qui pro modo culpæ injungant ſatisfactionem & pœnitentiam ſalutarem, ut omnibus qualitatibus & circumſtantiis diligenter penſatis, melius Deo animas lucrifacere poſſint. Vicarii vero vel Cuſtodes Provinciales Fratres de Obſervantia prædictos, in eorum provinciis conſtitutos, de loco ad locum transferre poſſint, prout viderint expedire. Et ſi cui forte Fratrum eorumdem conceſſum foret, ne de aliquo loco removeri poſſit, tunc Vicarius ipſe cauſam, ob quam remotionem ipſam facere vellet, indicare debeat concedenti. Ceterum ſi Vicarium Vicariorum vel Cuſtodum citra, & ultra-montanum infra tempus ſui officii inexpleti a rebus humanis decedere contigerit, Vicarius vel Cuſtos Provincialis in cujus provincia deceſſerit, gerat loco ejus Commiſſariatus officium, uſque ad capitulum generale, vel illius ſucceſſoris electionem, ſicut de Miniſtro obſervatur. Vicarius autem Vicariorum vel Cuſtodum officium gerat uſque ad capitulum generale, in quo eidem officio libere cedere teneatur; & ex tunc alterius Vicarii hujuſmodi proviſio fiat, prout ſuperius dictum eſt, & ſic ſucceſſive obſervetur, nec ipſe cedens pro ea vice nominari vel inſtitui aut præfici poſſit ſeu valeat quoquo modo. Et quoniam, uti etiam accepimus, propter quæſtas, quæ nonnumquam a vagabundis Fratribus ubique fiunt, quamplura ſcandala in eodem Ordine ſæpenumero oriuntur, omnibus & ſingulis tam Conventualibus, quam de Obſervantia Fratribus prædictis ſub excommunicationis pœna diſtrictius inhibemus, ne ipſi de Obſervantia ſub nomine Conventualium, neve Conventuales ſub nomine aut prætextu de Obſervantia Fratrum, aut locorum quæſtuare quoquo modo præſumant. Mandantes eorum ſuperioribus, ut eos qui contra inhibitionem noſtram hujuſmodi fecerint, carceribus uſque ad condignam pœnitentiam mancipent & obſervent: qui quæſtuantes nihilominus ad omnes actus legitimos inhabiles propterea cenſeantur eo ipſo, ac tamdem excommunicationis ſententiam incurriſſe declarari, & pro excommunicatis publice nunciari poſſint; a qua quidem ſententia Conventuales a Generali Miniſtro, de Obſervantia vero Fratres prædicti a Vicario dumtaxat, & non ab aliis, præterquam in mortis articulo conſtituti poſſint abſolvi; qui etiam ab ipſorum Prælatis rebus quæſitis hujuſmodi protinus priventur. Statuimus etiam & ordinamus, quod omnes & ſinguli Fratres tam Conventuales, quam de Obſervantia nuncupati ad civitates, terras ſeu caſtra, in quibus Conventus dicti Ordinis fuerint, pro tempore accedentes, teneantur & debeant ſaltem poſt annum diem naturalem ſe, Conventuales videlicet Conventualium, & de Obſervantia Fratres prædicti, de Obſervantia locorum Prælatis præſentare; in qua quidem civitate vel terra ſi unus dumtaxat Conventus fuerit, ad ipſius unius Prælatum debeant ſe conferre, illius mandatis humiliter parituri. Nos tamen ipſis ſub excommunicationis, ac ſimilis inhabilitatis pœna mandamus, a qua, ſi qui incurrerint, poſſint per eorum ſuperiores abſolvi, ne in eiſdem civitatibus ſeu terris, ſine Prælatorum ſuorum licentia, diutius permanere præſumant; qui ſi ſecus egerint, Prælati prædicti eos capere, punire, ac rebus ad eorum vitam conceſſis, & præſertim apud eos repertis, libere privare valeant; niſi a ſuperioribus eorum aliud habuerint in mandatis. Poſtremo,

mo, cum Vicaria Auſtriæ per plures Provincias, juxta morem dicti Ordinis extendatur, ne a quo Miniſtro Provincialis Vicarius, vel Cuſtos Provinciæ confirmari debeat, hæſitari poſſit, volumus ut ille Provincialis Miniſter congregationi Fratrum de Obſervantia prædictorum in eadem Vicaria intereſſe, & Vicarium hujuſmodi vel Cuſtodem confirmare poſſit & debeat, in cujus Provincia congregatio ipſa fuerit celebrata. Quocirca prædictis Generali Miniſtro, & aliis Miniſtris, Cuſtodibus vel Vicariis quibuſcumque prædictis, ceteriſque Fratribus, & perſonis dicti Ordinis præſentibus & futuris, in virtute ſanctæ Obedientiæ, ad quam ex voto tenentur, ac pro ſpe ſalutis æternæ, diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus circa obedientiam, electiones, nominationes, inſtitutiones & confirmationes, & alia ſuperius expreſſa, ordinationes, ſtatuta, mandata & inhibitiones noſtras hujuſmodi ſtudeant inviolabiliter obſervare, præmium exinde ab eo, qui auctor eſt concordiæ & pacis, uberrimum accepturi. Inſtitutis regularibus dicti Ordinis quoad reliqua nihilominus in ſuo robore permanentibus. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac Eugenii prædicti & aliorum quorumcumque prædeceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum ſtatutis, privilegiis & litteris, quorumcumque tenorum exiſtant, quæ ſi, & in quantum præſentibus obvient, haberi volumus pro inſectis; necnon ſtatutis & conſuetudinibus Ordinis & Provinciarum prædictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem quod tranſumpto præſentium litterarum, manu publica, ac dilecti filii noſtri Dominici tituli ſanctæ Crucis in Hieruſalem presbyteri Cardinalis, majoris Pœnitentiarii noſtri, ac dicti Ordinis Protectoris, ſigillo munito, plena fides adhibeatur in omnibus & per omnia, ac ſi originales ipſæ litteræ exhibitæ forent vel oſtenſæ. Nos enim ex nunc irritum decernimus & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo &c. noſtrorum ſtatuti, ordinationis, proviſionis, inhibitionis, mandati, præcepti, voluntatis, & conſtitutionis infringere &c. ſi quis &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno &c. MCCCCLV. IV. *Nonas Februarii &c anno* 1.

Inſtituuntur Cõſervatores prædictæ conſtitutionis.

CXXX. Ad ſingulos Provinciarum Miniſtros tranſmiſſa ſunt hujus diplomatis exemplaria, manu Cardinalis Firmani, Ordinis Protectoris ſubſcripta. Miſſum etiam aliud diploma ad Archiepiſcopos Toletanum & Compoſtellanum, quos Pontifex in regnis Caſtellæ & Legionis deputavit prædictæ conſtitutionis executores, & Fratrum de Obſervantia conſervatores. Alias etiam emiſit Pontifex litteras, quibus revocatam voluit ampliſſimam, ſed doloſe extortam, poteſtatem, quam dederat Miniſtro Turoniæ in Fratres de Obſervantia, quos, uti ſuperius dixi, *de Bulla* deriſorie nuncupabant, & in aliud quoddam reformationis genus ab his diſtinctum, omnimode Miniſtris ſubjectum, quod Obſervantum abſolute vocabantur. Utrumque ſubjicio diploma.

An. 1455. *n.* 43. *& 83.*

Venerabilibus fratribus Toletano & Compoſtellano Archiepiſcopis.

CXXXI. *Dudum pro quiete & tranquillitate Ordinis Minorum, qui inimico humani generis procurante, nonnullas turbationes, & diſſenſionum ſcandala patiebatur, & ut inter Conventuales, & de Obſervantia nuncupatos, ejuſdem Ordinis Fratres, omnis diſſidendi materia tolleretur, de conſilio & aſſenſu Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, nonnullas ordinationes fecimus & ſtatuta, atque decrevimus,*

Ex lib. 12. Bullar. Calixti fol. 32.

ſuper quibus litteras Apoſtolicas ſub data Romæ apud ſanctum Petrum anno &c. MCCCCLV. IV. *Nonas Februarii, Pontificatus noſtri anno* I. *expediri mandavimus. Quarum quidem ordinationum, ſtatutorum, & deſuper litterarum emanatarum tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſerti forent, haberi volumus pro ſufficienter expreſſis. Cupientes igitur, ut ordinationes & ſtatuta hujuſmodi inviolabiliter obſerventur & cuſtodiantur, Fraternitati veſtræ tenore præſentium committimus & mandamus, quatenus vos vel alter veſtrum, per vos vel alium ſeu alios omnia & ſingula ſtatuta & ordinationes prædictas, & in eis contenta, per cenſuram eccleſiaſticam, & alia juris remedia integre obſervari, & inviolabiliter ac realiter & cum effectu cuſtodiri faciatis. Et nihilominus prædictis Fratribus de Obſervantia commorantibus in omnibus & ſingulis Monaſteriis, Eremitoris, quæ in regnis & dominiis cariſſimi in Chriſto filii noſtri Henrici Caſtellæ & Legionis Regis tenent & poſſident, efficacis defenſionis præſidio aſſiſtatis, non permittentes, illos aut illorum domos, Conventus, & Eremitoria a quibuſvis perſonis, etiam dicti Ordinis Miniſtris, Cuſtodibus & aliis quibuſvis Prælatis & perſonis, cujuſcumque dignitatis aut præeminentiæ exiſtant, & quacumque auctoritate fungantur, moleſtari, vexari, aut eos a domibus, Monaſteriis & Eremitoriis prædictis expelli, aut alias quomodolibet inquietari, vel eis gravamina aut injurias, ſeu damna irrogari, ut ab eorum incepta obſervantia & laudabili propoſito retrahi aut impediri quomodolibet poſſint: moleſtatores & injuratores, ac inquietatores hujuſmodi, necnon contradictores quoslibet & rebelles, cujuſcumque ſtatus, gradus & dignitatis, ordinis vel conditionis extiterint, quandocumque & quotieſcumque expediat, per cenſuram &c. invocato &c. Non obſtantibus conſtitutionibus fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. &c. & aliis quibuſcumque conſtitutionibus & ordinationibus, quæ veſtræ in hac parte poſſent poteſtati quomodolibet obviare. Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno &c.* MCCCCLVI. VIII. *Kal. Maii &c. anno* II.

Ad futuram rei memoriam.

Ex l. 24. bullar. Calix. fol. 278.

CXXXII. ROmani Pontificis providentia circumſpecta ad hoc ſollicite intendit, ut pia loca, religione conſpicua, in quibus inviolata viget obſervantia regularis, fervet caritas, reſloret honeſtas, virtutum plantaria per bonorum operum ſtudia, & præclara laudabilis vitæ merita jugiter reviviſcunt, felicibus gratulentur eventibus, necnon religioſæ perſonæ in eis conſtitutæ, ſublatis omnibus moleſtiis & impedimentis ac litigiorum ſemotis anfractibus, in pace & quiete devotum & ſedulum exhibeant Domino famulatum. Dudum ſiquidem pro ſedandis contentionibus & odiis, quæ inter Fratres Ordinis Minorum Conventuales, & illorum de Obſervantia nuncupatorum exortæ fuerant, de Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium conſilio, & Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, per quaſdam noſtras litteras, quæ incipiunt: Illius, cujus in pace, nonnulla ſtatuimus, providimus, inhibuimus, mandavimus, præcepimus & voluimus, prout in eiſdem litteris, quarum tenores ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, habere volumus pro expreſſis, plenius continetur. Et deinde dilecti filii Miniſter & Fratres Conventuales Provinciæ Turoniæ dicti Ordinis a nobis litteras extorſerant, tenoris ſubſequentis: Calixtus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam. Reginimi univerſalis Eccleſiæ, quamquam immeriti, diſponente Domino, præſidentes, curis perurgemur aſſiduis, ut juxta creditæ nobis deſuper adminiſtrationis officium, pro fidelium quorumlibet

præ-

præſertim ſub regulari Obſervantia ſtudio vacantium piæ vitæ, ſtatu ſalubriter dirigendo, ſollicite vigilemus; & ut ſemotis quarumvis controverſiarum & diſcordiarum diſpendiis, ſub eorum ordinariis doctoribus proſpere gubernentur, opem libenter & operam impendimus efficaces. Sane pro parte dilectorum univerſorum Fratrum de Obſervantia nuncupatorum, Ordinis Fratrum Minorum Provinciæ Turoniæ, juxta morem dicti Ordinis, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod licet ipſi retroactis temporibus ſub obedientia, regimine & gubernatione & correctione dilectorum filiorum Generalis, & ejuſdem Provinciæ Provincialis Miniſtrorum, & aliorum Prælatorum dicti Ordinis pro tempore exiſtentium, juxta regularia Inſtituta dicti Ordinis, per Sedem Apoſtolicam ex ſpeciali privilegio confirmata, tenentur degere, conſueverunt vivere in eiſdem partibus grati & accepti, ac in bona æſtimatione habiti extiterunt, tamen a quibuſdam annis citra, poſtquam nonnulli alii Fratres etiam de Obſervantia, de Bulla *nuncupati, ab eadem obedientia devii, prætendenteſque dictos Fratres ab obedientia Miniſtrorum & Prælatorum prædictorum exemptos fore, ad prædictam Provinciam ſe contulerunt, ac nonnullas ſectas & diviſiones inferre cæperunt, affirmantes, ſe ſub obedientia, cura, viſitatione & correctione Generalis ac Provincialis Miniſtrorum, & aliorum Cuſtodum Provinciæ antedictæ non fore; & non verentes inter cetera etiam coram Magnatibus aſſtruere & affirmare, reliquos ejuſdem Ordinis Fratres in ſtatu damnationis exiſtere, & pleraque ſimilia, propter quod eorumdem Fratrum de Obſervantia ſtatus adeo immutatus & inverſus exiſtit, ut quietis, prout antea ſoliti erant, mentibus Altiſſimo famulatum impendere non poſſint. Quare pro parte eorumdem Fratrum de Obſervantia nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut cum ſuper iis per reductionem ad priſtinam obedientiam Miniſtrorum & Prælatorum prædictorum ſaluberrime valeat provideri, eorum ſtatui opportune conſulere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui ad prædicti & quorumlibet Regularium Ordinum procurandam unitatem, & tollendas diviſiones noſtris temporibus vigilare intendimus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica, & ex certa ſcientia, præſentium tenore ſtatuimus, decernimus & ordinamus, quod omnes & ſinguli tam de Obſervantia prædicta, quam de Bulla & alii quicumque dicti Ordinis Fratres, eorumque Vicarii præſentes & poſteri, infra limites ejuſdem Provinciæ pro tempore commorantes, ſub obedientia, cura, viſitatione & correctione Generalis & Provincialis Miniſtrorum ac Cuſtodum, & aliorum Superiorum Provinciæ antedictæ, prout alias ante emanationem dictæ bullæ conſueverunt, ac juxta regularia Inſtituta hujuſmodi tenentur, degere, eiſque ſubeſſe, & ab eis regi, corrigi & gubernari debeant & teneantur. Qui quidem Miniſtri, Cuſtodes, & alii Superiores ſuper diviſionibus, & aliis præmiſſis ſtudeant ſecundum Deum, & dicti Ordinis regularia Inſtituta ſalubriter providere. Ut autem ſtatutum & ordinatio noſtra hujuſmodi efficacius obſervetur, omnibus & ſingulis tam de bulla quam aliis Fratribus antedictis ſub virtute ſanctæ obedientiæ, ac excommunicationis pœna, quam quoslibet contrafacientes, ac mandati noſtri hujuſmodi contemptores incurrere volumus eo ipſo, & a qua præterquam a Romano Pontifice, ac Generali & Provinciali Miniſtris prædictis, præterquam in mortis articulo conſtituti, abſolutionis beneficium nequeant obtinere, diſtrictius inhibemus, ne ipſi vel eorum aliqui publice vel occulte, aut directe vel indirecte talia de cetero aſſerere, vel prædicare, aut populo ſeu quibuſvis perſonis perſuadere quoquo modo præſumant, quominus eiſdem Miniſtris Cuſtodibus & Prælatis obedientiam & reverentiam exhibeant congruentes. Et inſuper*

ſuper venerabilibus Fratribus noſtris Archiepiſcopo Turonenſi, & Epiſcopo Pictavienſi, ac Epiſcopo Maclovienſi per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi vel duo aut unus eorum per ſe vel alium ſeu alios, eiſdem Miniſtris Cuſtodibus & Prælatis ſuper ſtatuto, decreto, ordinatione & mandato noſtris hujuſmodi efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, ipſos & eorum quemlibet ad viſitationis, correctionis, & alia per eos, juxta formam dictæ Regulæ exercenda officia per de Bulla, *& alios Fratres prædictos, eorumque Vicarios humiliter & devote recipi & admitti, ac eis reverentiam & obedientiam debitas exhibere, auctoritate noſtra faciant & procurent, non permittentes eiſdem contra decreti, ordinationis, mandati & litterarum hujuſmodi tenorem, impedimentum aliquod vel moleſtiam, ſeu injuriam irrogari: præſumptores prædictos, necnon contradictores quoslibet & rebelles, cujuſcumque præeminentiæ, ſtatus, gradus & conditionis extiterint, etiamſi Archiepiſcopali, Epiſcopali, aut alia quavis eccleſiaſtica vel mundana dignitate præfulgeant, per cenſuram eccleſiaſticam, & alia juris remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, invocato ad præmiſſa, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus bulla prædicta, ac felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, quibus cavetur, ne quis extra ſuam civitatem &c. & aliis conſtitutionibus, ac etiam quibuſcumque tam in Conſtantienſi Concilio, quam piæ memoriæ Martini V. & Eugenii IV. in quibus inter alia ſtatuit, decrevit & ordinavit, quod Generalis Miniſter dicti Ordinis Vicario Fratrum de Obſervantia nuncupatorum prædictorum, in Ultramontanis partibus pro tempore deputato, in ipſos Fratres de Obſervantia omnem poteſtatem & facultatem ſuam, corrigendi videlicet, viſitandi, reformandi & alia tunc expreſſa faciendi concedere & totaliter committere deberet, quodque Miniſtri vel Cuſtodes, aut alii ſuperiores dicti Ordinis Fratres de Obſervantia corrigere, capere, aut captos tenere, Miniſtroque Generali ſeu Provincialibus Vicariis, vel cuipiam Fratri familiæ de Obſervantia nuncupatæ hujuſmodi, moleſtiam, ſeu impedimentum aliquod ſub excommunicationis latæ ſententiæ, & aliis pœnis tunc expreſſis inferre non audeant. Quinimo, quod ipſe Generalis Miniſter per ſe dumtaxat perſonaliter Generalem Vicarium, & alios Fratres hujuſmodi, & eorum loca de conſilio aliorum Fratrum viſitare, corrigere & emendare; de regimine vero eorumdem Fratrum de Obſervantia ſe alias nullatenus intromittere poſſet: necnon Nicolai V. & aliorum quorumcumque Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum reductionibus, reſervationibus, privilegiis &c. quorumcumque tenorum exiſtant: Quæ omnia & ſingula illa, ac ſi de verbo ad verbum &c. pro expreſſis habentes, ad Provinciam præmiſſam volumus non extendi, & quoad illam penitus revocamus, caſſamus & annullamus, ac pro nullis, irritis & infectis haberi volumus: ſtatutis quoque, & conſuetudinibus Ordinis &c. aut ſi aliquibus communiter vel diviſim &c. quod interdici &c. Nulli ergo &c. noſtrarum voluntatis, revocationis, caſſationis, & annullationis infringere &c. Si quis autem &c. Datum Romæ apud S. Petrum anno &c.* MCCCCLV. VI. *Kal. Martii &c. anno* 1. *Cum autem, ſicut exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Procuratoris dicti Ordinis Citramontanorum & Ultramontanorum, eorum qui de Obſervantia nuncupantur, petitio continebat, licet nos per alias noſtras litteras, quæ incipiunt:* Conditor orbis, *omnia & ſingula privilegia per nos ſeu Sedem Apoſtolicam, etiam motu proprio contra ſtatuta, ordinationes, proviſiones, inhibitiones, mandata, præcepta hujuſmodi conceſſa, & inantea concedenda revocaverimus & irritaverimus, nihilominus prædicti Miniſtri & Fratres Conventuales ejuſdem provinciæ dilectos filios Vicarium*

rium & Fratres de Obſervantia vulgariter nuncupatos dictæ provinciæ, in vim præinſertarum litterarum hujuſmodi, coram nonnullis executoribus in dictis præinſertis litteris deputatis, multipliciter vexarunt atque perturbarunt, a quibus quidem vexationibus & perturbationibus pro parte ipſorum Fratrum de Obſervantia dictæ provinciæ fuit ad Sedem Apoſtolicam appellatum. Quare pro pro parte ipſorum Procuratoris nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut præinſertas litteras prædictas, pacifici ſtatus ejuſdem Ordinis perturbativas, revocare, caſſare & annullare, aliaſque paci & quieti dictorum Fratrum de Obſervantia ejuſdem provinciæ in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur attendentes, quod priores litteræ prædictæ cum matura deliberatione proceſſerunt, & toto Ordini prædicto pacem tribuunt, & quod de his in eiſdem extortis litteris plena mentio facta non fuit, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, præinſertas litteras prædictas, ac omnia & ſingula in eis contenta ac inde ſecuta quæcumque, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, ex certa ſcientia revocamus, caſſamus & annullamus, ipſaſque litteras de regiſtris noſtris, & alibi ubicumque reperiantur, caſſari volumus atque mandamus: decernentes illis, necnon proceſſibus deſuper forſan habitis in judicio & extra nullam prorſus fidem adhibendam fore vel adhiberi debere; ac volentes quod priores noſtræ litteræ prædictæ firmiter obſerventur; diſtrictius inhibentes executoribus prædictis, vel ab eis deputatis ſubexecutoribus, ne ulterius ad illarum executionem procedere, ſed proceſſus per eos habitos revocare, necnon prædictis Fratribus Conventualibus provinciæ Turoniæ, ne prætextu præinſertarum per nos revocatarum litterarum hujuſmodi, vel alias quomodolibet ipſos Fratres de Obſervantia dictæ provinciæ directe vel indirecte, aut quovis alio colore quæſito moleſtare, vexare vel perturbare quoquo modo præſumant ſub excommunicationis pœna, quam tam ipſi, quam executores vel etiam ſubexecutores hujuſmodi, necnon omnes & ſinguli eis auxilium, conſilium, vel favorem præſtantes, ſi ſecus egerint, incurrant ipſo facto: ac decernentes ex nunc omnes & ſingulos proceſſus, ſententias & cenſuras in dictos Fratres de Obſervantia ejuſdem provinciæ, prætextu præinſertarum revocatarum litterarum forſan habitos vel promulgatos, ac quos & quas haberi vel promulgari, necnon totum, & quidquid ſecus ſuper iis a quoquam quavis auctoritate ſcienter &c. irritum & inane &c. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon omnibus illis, quæ in dictis prioribus litteris voluimus non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo &c. noſtræ revocationis, caſſationis, annullationis, voluntatis, mandati, conſtitutionis & inhibitionis infringere &c. ſi quis &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno &c. MCCCCLVI. VIII. *Kal. Maii &c. anno* II.

CXXXIII. Etſi vero adeo mature, multoque præmiſſo examine, ſupradicta bulla concordiæ digeſta ſit, non tamen omnibus placuit, fueruntque ex utraque parte qui aliqua reſcindi, aliqua cuperent ſuperaddi. Miſſis itaque inſtructoriis litteris, Obſervantum Superiores Baptiſta de Levanto Vicariorum Vicarius (hoc demum ei inditum nomen) & Jacobus de Marchia Conventuales Miniſtros duxerant compeſcendos. Ita ſcripſit uterque. Rumores inter Minores ſedantur.

Re-

Reverendis in Chriſto Patribus Vicariis Provincialibus Ordinis Minorum regularis Obſervantiæ: Frater Baptiſta de Levanto humilis Vicariorum Vicarius.

Ex reg. ord. pag. 43.

Reverendi in Chriſto Patres, poſt recommendationem in Domino, & ſalutem, incrementa virtutum & gloriam adipiſci. Ex conſtipatione nubium nonnumquam claritas ſyderum contabeſcit. Ex Auſtrali vento æquore concitata procella, ipſius profunda perſpicua nulla viſus acutie penetrantur. Fulvi auri ſpeciem luti deturpatio quaſi contemptibilem labefacit. Ex controverſiarum conglomeratione veritas offuſcatur; ex malitiarum denſitate ad mundos oculos lippiditas derivatur; ex malorum ſuggeſtione bonorum claritas caligat. Sed ſicut ſolari ſpiculo rarefacta nubium denſitas paulatim diſſolvitur, Eurique afflatu periculoſa freti concitatio quietata pervium uſque ad profunda ſanis oculis reddit intuitum, aurificiſque peritia abſterſa macula fulgore ſuo aurum perſeverat illæſum; ſic prorſus nobis, ignoto ſapientiæ divinæ judicio, in agitata tranſactis diebus his in Romana Curia cauſa noſtra ſæpius geſtum eſſe, qui mecum uſque ad finem belli compromiſſarii familiæ perſeveravere Patres, certa experientia didicerunt. Superiorum enim, inferiorumque cauſarum vapores tot ſæpius ad cognoſcendæ veritatis noſtræ offuſcationem inſimul convenerunt, ut niſi ſolis juſtitiæ Chriſti Dei noſtri vi quadam nubes reſcindente litium, Fratrum lacrymis interpellata, prævius futuræ luci, quaſi radius quidam emicuiſſet, gratiæ penitus luce ſubtracta, errantes in invio viam civitatis habitaculi invenire nequiſſemus. Æmulantium nobis ſuggeſtiones tam impetuoſam in Franciſci piam plantulam, familiam noſtram paupertulam, per totam Curiam indignationem concitarunt, ut nedum audiri in cauſa noſtra fas eſſet, ſed & amodo exoſos omnibus vix videri permittebatur; niſique tenuis auræ illius ſibilus, in quo Eliæ apparuit Dominus, ſubintrans corda, Romano Pontifici, Domino Protectori, totique ſacro Collegio DD. Cardinalium inſufflaſſet, priſtinoſque fluctus, nobis naufragium comminatos, in eiſdem erga nos propria amœnitate placaſſet, tot jam inundantium procellarum anfractibus conquaſſata navis, qua dormiebat Dominus, expergefactus clamore diſcipulorum periclitantium, in naufragii ſcopulos protinus impegiſſet. Irrogatæ nobis infamiæ claritatem familiæ noſtræ aliquandiu denigrantes, vitam noſtram adeo contemptibilem atque damnabilem proclamarunt, ut uſque ad hæreſim proſilirent. Sed clementia Dei noſtri, quo majori temporis in hujuſmodi diuturnitate cauſa protracta, eo majori maturitate diligentiaque digeſta & diſcuſſa, modificatis nonnullis, neceſſariis autem familiæ nedum pie benigneque conceſſis, ſed & majori ſolito robore confirmatis, indultis quibuslibet aliis familiæ noſtræ antea conceſſis firmitate perdurantibus, fulgore ſuo familia integra perſeverat, eo minus in futurum litigiis laceſſenda, quo Papa, Cardinalibuſque ex humilitate noſtra benevolis nobis effectis, tradita nobis bulla eorumdem omnium aſſenſu, auctoritateque fulcitur. In qua quidem bulla, ſi quid boni gratique vobis eſſe noveritis, id tantum bonitati divinæ, clementiæ ſanctiſſimi D. N. favori Dom. Protectoris, interpoſitioni P. fratris Jacobi de Marchia, indefeſſæque uſque ad ſanguinem ſollicitudini PP. Commiſſariorum familiæ qui laboraverunt fideliter, adſcribatis. Si quid autem moleſti, a priſtinaque bulla alieni, demeritis meis primo, Romanæ Curiæ ſic volenti, cui reſiſtere ſacrilegium, impotentiæque aliter cum bona conſcientia, ſanoque conſilio faciendi, non negligentiæ, adſcribatis. Die noctuque, intus & extra, ſimul & private, lit-

litteris, verbis & geſtis non parcendo, jejuniis, frigoribus, vigiliis, diſcurſibus, fami & ſiti, diuturnitati temporis, aut faſtidiis Curiæ, infamiis, reprehenſionibus, objurgationibus manifeſtis, calamitatibuſque quampluribus non cedendo, per venerabiles mecum deputatos actum eſt, quidquid poſſibile fieri judicarunt: quæſiere quærenda, petiere petenda, renuere renuenda, conſuluere conſulenda, ægre tulere ægre ferenda; conqueſti ſunt ubi querendum, Apoſtolicæque Sedis diſpoſitione ſemper ac obedientia reſervata, nihil eorum penitus omiſerunt, quæ abſentibus vobis, ideo proceſſus rei forte ignaris, aut non acceptanda, aut interponenda, aut requirenda, aut conſulenda, aut reclamanda, aut addenda, aut minuenda, aut excipienda, aut alias quomodolibet modificanda fuiſſe viderentur. Sed talibus extremitatibus quoad opinionem, rem & favorem quandoque declivis cauſa noſtra ſuccubuit, ut a morte ad vitam eam relevatam judicaremus, qui duodecim favoris ejuſdem gradus & perfectionis pro medietate, pro tertia parte nonnunquam libentiſſime admitteremus. Qui diligenter cogitantes compenſaveritis omnia, intelligetis facile, ſed majori firmitate, benevolentiaque Curiæ a favoribus primæ bullæ & perfectione non longe diſtare, ſi forte non inveniatur excedere. Quidquid attamen ſit, vel diminutionis a prima, vel augmenti, quia a Sede Petri, nedum æquanimiter tolerandum, ſed reverenter & humiliter ſuſcipiendum a vobis. Etſi ſolari lumini fruſtra candelæ ſuperraddatur lumen, ut cum eidem ſacratiſſimæ Sedi morem geram, ut dignum eſt, harum ſerie vobis omnibus, præſentibus, abſentibus & futuris, prælatis & ſubditis meæ curæ commiſſis, obſervandum antepono, quod vobis ex debito veſtræ profeſſionis obſervare committitur. Ne autem alicui nuper confectæ bullæ ignorantia ſit occaſio delinquendi, ejus tranſumptum ad vos tranſmitto, quod vulgariter & litteraliter omnibus exponatis, obſervarique diligentius ſtudeatis. Ex imminentibus in Curia impedimentis ad vos venire nequivi. Suadeo autem vobis abſens corpore, præſens vero ſpiritu profeſſionis veſtræ Obſervantiam, ſinceræque dilectionis vinculum inter vos primo, deinde inter vos & Conventuales, ac Clerum, a quorum obloquutione, ut a veneno caveatis. Ut autem ab inutilibus diſcurſibus etiam indulgentiarum, potiſſime Romæ, in futurum abſtineatis, intendo. Si autem in Curia aliquid vobis agendum erit, quia hoc tempore impetrare aut impoſſibile, aut difficillimum eſt, Commiſſario meo ſignificare, non fratres mittere, pro viribus ſtudeatis. Si quid autem vobis, aut provinciis veſtris per me gratum fieri valet, inſinuate, avidius enim injuncta proſequar, quam confidentius injungatis. Valete, & orate pro me: ad Capitulum generale a proximo futuræ Pentecoſtes ad annum Mediolani celebrandum, Vicarius provinciæ ejuſdemque diſcretus venite. Ex Urbe, VII. *Februarii* MCCCCLVI.

Reverendo in Chriſto Patri N. provinciæ ſancti Franciſci Miniſtro &c. frater Jacobus de Marchia &c.

CXXXIV. *Reverende in Chriſto Pater, tibi pax & gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti ſit ſemper. Multas tribulationes & anguſtias hinc inde a PP. Conventualibus, & ab iſtis de Obſervantia Minorum perpeſſus ſum, ſed Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis ſecundum magnam miſericordiam ſuam me potenter eripuit ab his omnibus. D.N. Pontifex in virtute Spiritus ſancti mihi præcepit, ut unionem & concordiam in Ordine ſancti Franciſci facere conarer ſecundum conſcientiam meam integram & immaculatam, ponens Deum Judicem intra me & ipſum* Ibid. pag. 45.

ut in die Judicii de Ordine ſancti Franciſci redderem rationem ego, & non ipſe. Stupefactus igitur & territus de tam ſtupendo præcepto, pluries excuſans me in tam gravi re & ſcandaloſa, dicens me non eſſe ſufficientem & capacem, nulla ratione voluit meas legitimas excuſationes admittere, ſed replicans ait: fac quod tibi præcepi. *Certe, P. honorande, videns me ad tam horrendum judicium obligatum, de Ordine ſancti Franciſci reddere rationem, hujus tam gravis rei timens Deum, & ſalutem animæ meæ, timens commiſſionem mandati Vicarii Jeſu Chriſti benedicti, ac etiam cum ſemper fuerimus zelantes de unione ſacræ noſtræ Religionis, poſtpoſitis omni acceptione perſonarum, omnique diſplicentia quorumcumque, habens Deum præ oculis, in nomine Jeſu manum meam adrem tam difficilem & ſcandaloſam mittens, ad quam certe olim bon. mem. Papa Nicolaus V. cum toto ſacro Conſiſtorio, ac etiam multi DD. Cardinales, Venerabiles Prælati ad hanc materiam decidendam deputati, ſentientes magnum periculum exinde poſſe evenire, non præſumpſerunt ponere manus ſuas. Videns igitur ego jura ipſorum Fratrum de Obſervantia, quæ ipſi a Sede Apoſtolica ſecundum multa conſilia peritorum Doctorum, ſolemniumque Collegiorum, quæ ipſi acquiſierunt, attamen propter unionem ordinis ſperans de Dei miſericordia, judicavi & determinavi omnes articulos in ſchedula incluſos, ex ipſorum juribus extrahens, & in nomine Jeſu Chriſti præbui & donavi Reverendiſſimo Patri Generali, & fere omnia jura & bullas ipſorum irritavi, annullavi, & caſſavi ſicut clarius perſpicietis. Certus autem ſum in extremo Judicio non reddere rationem ſummo Deo aliquid juris extuliſſe a R. P. Generali, cum nihil, imo unum jota ab ejuſdem juribus acceperim, ſed bene ex parte iſtorum de familia, quorum jura ab eiſdem accepi, & eidem Patri Generali commodavi, ut ſacer Ordo reintegraretur, & unus paſtor & unum ovile fieret in eodem; & tamen multi ex Fratribus, paſſionibus oculos obtuſos habentes, poſt ipſorum jurium expoliationem, me etiam eruiſſe oculos eorum forte deſiderantes, non ſolum mihi indignati ſunt, ſed etiam valde offenſi, quamvis certus ſim quod omnes RR. PP. Miniſtri, venerabileſque Patres & Fratres omnes in hac tam gratioſa unione me laudabunt, & gratias innumerabiles juſto Deo agent, & me omnium ſervum paternali amore, & caritate magna amplexabuntur. R. vero P. Generalis nullo modo vult acquieſcere contra voluntatem ſummi Pontificis, & Domini noſtri Protectoris, & multorum DD. Cardinalium, quod ejus Vicarius Generalis fiat per electionem, ſed ipſe de ſuo pectore vult talem Vicarium familiæ dare, cum aliter fieret contra regulam; & hoc non eſſe verum probatur, cum Cuſtodia per electionem dat Cuſtodem Miniſtro, & non econtra, & provincia dat per electionem Diffinitores eidem Miniſtro, & non econtra, ac etiam per electionem dat Miniſtrum Patri Generali, & non econtra; & congregatio familiæ dat per electionem Vicarium Miniſtro, & non e contra. Debet ergo acquieſcere Pater Generalis voluntati ſummi Pontificis, & conſiderare unionem Ordinis, & tam magna jura ipſorum de familia ſibi eſſe donata, & in nomine Chriſti de tam utili & gratioſa unione ſui Ordinis in omni plenitudine caritatis contentari. Tu vero, Pater honorande, oſtende hos articulos Patribus provinciæ, & hanc litteram, & me in Chriſto eiſdem recommendetis. In omnibus his Dom. Protector ordinavit, & compoſuit omnes articulos ſicut in bulla clare perſpicietis, quæ ab eodem confecta eſt. Ex Urbe, ultima Januarii* MCCCCLVI.

Non facile pacificantur Ultramontani.

CXXXV. Nihilominus multi ex Ultramontanis Patribus, præſertim in Gallia & Belgio novam hanc recuſantes conſtitutionem, Eugenianæ adhæſerunt, appellationemque interpoſuerunr ad ipſum Calixtum melius in-

informatum. Baptiſta Vicarius Ciſmontanus prævidens mala & diſſidia inde ſecutura, miſit Hieronymum de Magiſtris Mediolanenſem, inſignem Eccleſiaſten, qui Joannem Vicarium Ultramontanum de ſingulis præſens moneret, ſecreto conſilio ad Obſervantiæ defenſionem excitaret, & tamdem rogaret ut proximis comitiis generalibus intereſſet, in quibus communibus ſuffragiis imminentia mala repellerent.

Vicarius Obſervantum omnem exhibet reverentiam Miniſtro.

CXXXVI. Emiſſi diplomatis tempore procul ab Urbe diſtabat Generalis Miniſter, ad Inſubres profectus, ſuique muneris judicavit Baptiſta omnem ei reverentiam, noviterque ex recentis conſtitutionis præſcripto exortum obedientiæ genus ei quantocius exhibere. Miſſo itaque diplomate, ſcriptiſque litteris ad Chriſtophorum de Modoetia, Guardianum Mediolanenſem, & N. Ticinenſem, præcepit, ut eumdem adirent, & quo decebat, reverentiæ obſequio cum Pontificia conſtitutione ſuas litteras contraderent. Tenor hic eſt epiſtolarum.

Venerandis PP. FF. Chriſtophoro de Modoetia Guardiano ſancti Angeli Mediolani, & N. Guardiano Papiæ.

Ex reg. ord. pag. 45.

CXXXVII. *Tandem, venerande Pater, quod ab Omnipotente Deo ſemper votis & precibus optavimus, illa nobis illuxit dies qua poſt maximos labores paupercula familia noſtra, multo jam tempore tribulationum fluctibus varie exagitata, utcumque in Domino quieſcere poterit. Agitur quidem, optime Pater, octavus menſis poſtquam ex congregatione in Bononia electus fui Vicarius, quod nulla mihi præſtita eſt quies mentis, nunc Pontificem precando, nunc Cardinales exorando, nunc dominos interpellando, nunc varios labores, ut ſtaremus firmi, libenter impigreque ſuſcepi. Itaque ut res hæc celeriorem conſequeretur finem, accerſitum olim huc R. P. Generalem ea qua merito debuimus, veneratione ſuſcepimus, cum eoque multipliciter communicato ſermone, tractatiſque quamplurimis contra omnem noſtram voluntatem cum eo capitulis, ad talia condeſcendimus, quæ omnis humana ratio ſancte juſteque refellere minime debuiſſet. Is autem ſumma arte ad ardua intendens, nos vero in terris proclives ſuſcipere non acquievit, menteque nequaquam quietata aut contenta recedens, credit omnia ad votum poſſe conſequi. Sed Deus cordis ſecreta conſpiciens aliter diſpoſuit. Non facile dicam, dum Pater Generalis hinc receſſurus erat, quam facillime illico nobis ſe præbuit fidum fautorem Dom. Protector, qualem numquam futurum ſine dubitatione expectabamus. Eis quidem cauſa noſtra terminis, etſi non ad libitum noſtrum, omnino concluſa eſt, quod non erit facilis diſceptandi occaſio niſi malignare volentibus. Videre poteris in tranſumpto, qualiter compoſita ſunt omnia. Poſtquam vero ſic placitum eſt coram Pontificis majeſtate & digniſſimo Cardinalium cœtu acceptum, pro debito noſtro & reverentia Generalis, cui ſemper eam exhibere tenemur, opportunum judicavi hujus expeditionis a me ſibi per te notitiam perferri oportere. Hæc eadem ſcribo Guardiano ſancti Angeli Mediolani, cum quo hujuſmodi calculato negotio, ad Patris Generalis præſentiam adire ſtudeatis, blanda cum prævenientes allocutione, ut quod per Romanam Eccleſiam ſancitum eſt, etſi nobis, non ſibi moleſtum, gratanter ſuſcipere velit, utque quiete vivamus, favorabilem ſe præbere; offerentes ei totam familiæ confraternitatem, quam velit pro ſua in omnes caritate benigno proſequi favore, & nos omnem, quam debebimus, ultro ac libenter obedientiam præſtabimus; ea inſuper adjiciendo, quæ veſtra prudentia circa hæc judicaverit neceſſaria. Ex Urbe,* IX. *Febr.* MCCCCLVI.

CXXXVIII. Suggeſſerunt aliqui Pontifici, mutato ſtatu, auctoritate, & nomine Superioris Obſervantum, dignitatem vel officium ex novo decreto certis limitibus circumſcriptum, debere ſuum pondus & confirmationem a Miniſtro Generali juxta novam bullam accipere. Scripſit itaque brevia hæc monita tum Baptiſtæ Vicario, ut peteret, tum Mozanicæ Miniſtro, ut concederet confirmationem.

Vicario Vicariorum vel Cuſtodum Fratrum Minorum de Obſervantia nuncupatorum.

Ex autographo. Jubetur Vicarius petere confirmationem a Miniſtro.

Dilecte fili, ſalutem. Quia propter noſtras novæ inter Fratres Ordinis tui compoſitionis editas litteras dubitari forſan ab aliquibus poſſet, an tu Vicariatus officium, quod hucuſque exercuiſti, exercere amplius debeas, ad tollendam hujuſmodi dubitationem, & ne nova Fratrum congregatio Ordinem ipſum ad præſens perturbet, volumus, & tibi per præſentes mandamus, ut recepta a dilecto filio præſenti tui Ordinis Generali Miniſtro debita inſtitutione, quam ab eo per te, vel alios ad id deputatos humiliter poſtulabis, officium tuum præfatum uſque ad capitulum generale in proximo fiendum, ſub ea poteſtate & titulo exerceas, de quibus in prædictis litteris latius continetur; volentes etiam & concedentes, ut donec inſtitutionem præfatam habueris, ipſis Fratribus de Obſervantia nuncupatis juxta formam litterarum earumdem continuo præſis, cuncta, quæ incumbunt, cum timore Dei & debita diligentia exequaris. Contrariis non obſtantibus quibuſcumque. Datum &c. die XV. *Februarii.*

Dilecto filio Generali Miniſtro Ordinis Minorum.

Ex autographo. Et Miniſter ut concedat.

CXXXIX. *Dilecte fili, ſalutem. Ne ob novam Vicarii Vicariorum vel Cuſtodum electionem, ſi fieri inpræſentiarum contingeret, Ordo ipſe ulterius inquietetur, mandavimus præſenti Vicario, ut officium juxta contenta in noſtris novæ compoſitionis litteris uſque ad capitulum generale primo fiendum continuaret, & a te inſtitutionem debitam humiliter peteret: Quare cum in præſentiarum ea de cauſa ad te mittat, devotionem tuam in Domino exhortamur, ut pro pace & quiete Ordinis eam illi cum caritate, & ſine dilatione impendere velis. Quod a vobis pro veſtra & aliorum pace & quiete ita fieri judicamus. Datum ut ſupra.*

CXL. Miſit Baptiſta litteras has Pontificias Bartholomæo Caymo, Guardiano novi Conventus Mediolanenſis, de quo mox agemus, ut Miniſtro traderet Generali, ab eoque humiliter & reverenter traditi Vicariatus peteret confirmationem. Hanc ad ipſum Miniſtrum epiſtolam adjunxit.

Reverendiſſ. P. fratri Jacobo de Mozanica Ordinis Minorum Generali Miniſtro, ſacræ Theologiæ Magiſtro.

Ex reg. ord. pag. 49. Petit Vicarius.

Reverendiſſime Pater in Chriſto. Etſi ſatis mihi conſtet, te nulla animi tui moleſtia ingratum ducere officium meum, in tuo quoque arcano pectoris jam in eodem me confirmaſſe, tamen ut hortamentis Apoſtolicis paream, & debitum tuæ Paternitati honorem perſolvam, in remotis agens, ſtatui harum bajulos ad te venturos, humili, qua convenit, obſecratione petens confirmationem officii mei, qua & cumulus tibi honoris futurus eſt, & officium meum ſumma cum laude tua, & maximo Religionis incremento exercere poſſim;

hoc

hoc enim non erit a tua dignitate alienum; quinimo ubique dum ero, tibi officioque tuo, quod meum extat, honorem, debitamque obedientiam præstare humiliter non reluctabor. Nunc in Apuliæ finibus ago; peracta vero solemnitate Paschali, in Calabriam proficiscar, inde in Siciliam transfretaturus. Quidquid mihi mandaveris, semper & ubique factum puta. Valeat in Domino Paternitas tua, quam incolumem tueatur Omnipotens. Me & totam confraternitatem hanc pauperculam tibi commendo, ut eam pio prosequaris affectu. Habebis certe illam tibi devotam: pro tua in eam præstita humanitate in perpetuum tibi ipsam devincies. In capitulo quoque generali futuro, si quæ pertractanda erunt, tuo judicio adhærebimus. Vale Reverendissime P. die XXII. *Februarii.*

CXLI. Dedit porro libenter Jacobus desideratam confirmationem hoc instrumento expressam. Abierat interim Baptista Neapolim; & peragrata Apulia, transfretavit in Siciliam, neque ante mensem Julii confirmatæ sibi auctoritatis documentum Panormi, (ubi Bonaventuram de Plantavidis Vicarium in congregatione Provinciali, ad sanctæ Mariæ de Gratiis Pergami electum, suis litteris confirmavit) excepit. In eo porro displicuere quædam restrictæ auctoritatis clausulæ, quas postea accepit ampliores, ad modum traditæ per Magistrum Antonium de Ruſconibus Joanni de Capistrano. Confirmat Ministet.

In Christo sibi carissimo fratri Baptistæ de Levanto Ordinis Minorum provinciæ Januæ: frater Jacobus de Mozanica, artium, & sacræ Theologiæ Doctor, ac ejusdem Ordinis Generalis Minister & servus, salutem, & pacem in Domino sempiternam.

CXLII. *Cum per singulare Sanctiss. Dom. nostri, D. Calixti divina providentia Papæ III. ad me directum breve sub Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris* XV. *Februarii* MCCCCLVI. *Pontificatus sui anno* II., *fuerim exhortatus, ut pro pace & quiete Ordinis mihi commissi, meum te in Italia Vicarium super Fratres devotos, seu de familia instituerem, tibique mandaverit, ut infrascriptionem ipse a me deberes humiliter postulare, tuque institutionem ejusmodi per tuas a me litteras petieris reverenter. Idcirco cupiens ejusdem Sanctissimi D. N. exhortationibus, quas pro mandatis suscipio, morem gerere, simulque Fratribus ipsis, per universam Italiam constitutis, volens, prout jam dudum desideravi, opportune providere, ac familiæ ipsi de persona tua, juxta illius votum salubriter in Domino complacere, te, de cujus integerrima vita, egregia virtute, morum sanctimonia, Religionis amore, justitiæ zelo, discretione præcipua, prudentia circumspecta, ceterisque virtutum prærogativis, atque aptitudine singulari ad familiam ipsam regendam, gubernandam, & si oportuerit, reformandam, veridico multorum relatu, & ipsa teste sum experientia informatus, de complurium venerandorum sacræ Theologiæ Professorum, aliorumque nostri Ordinis proborum Fratrum concordi consilio pariter & assensu, mei auctoritate officii, super omnes & singulos Italiæ seu Citramontanos Fratres de familia, seu sub illius Vicariis constitutos, meum Vicarium Commissariumque cum plenitudine potestatis usque ad proxime futurum capitulum generale Mediolani, Domino volente, celebrandum instituo, atque institutum denuntio per præsentes, dans tibi plenam & integram tenore præsentium facultatem & etiam potestatem universa & singula dictorum Fratrum devotorum loca, ipsosque omnes & singulos Fratres præsentes pariter & futuros* Ibid. pag. 52.

gubernandi & reformandi, tam in capitibus, quam in membris, publiceque ac private viſitandi, vocandi, citandi, conveniendi, examinandi, inquirendi, procedendi, admonendi, ſententiandi, corrigendi, carcerandi, & a carceribus liberandi, officiales inſtituendi, & eorumdem in loco alios ſubrogandi, gratias concedendi, ad ſacros Ordines licentiandi, prædicatores & confeſſores examinandi & promovendi, actibus legitimis privandi, privatoſque ad eoſdem reſtituendi, habilitandi, & provehendi: contradictores quoslibet & rebelles per cenſuram Eccleſiaſticam, & juris & facti remedia, ſive de jure, ſive do approbata Ordinis noſtri conſuetudine in eodem Ordine hactenus conſueta coercendi, & compeſcendi, omniaque alia, & ſingula circa eorumdem regimen, gubernationem, curam, ac reformationem habenda & expreſſa pro ſufficienter expreſſis quomodolibet faciendi & exequendi, quæ ego ipſe facere, ſeu exequi poſſem, ſi apud eadem loca, ſeu Fratres præfatos perſonaliter intereſſem. Quare mando tibi ad meritum obedientiæ ſalutaris, quatenus præfatum Vicariatus & Commiſſariatus officium, tuis humeris per me injunctum, humiliter & reverenter ſuſcipias, ſuſceptumque diligenter ac fideliter exequaris juxta multiplicem gratiam a Domino tibi datam; hortans te nihilominus in Domino Jeſu Chriſto, ac per Sanguinis aſperſionem ejuſdem, & B. P. N. Franciſci glorioſi Stigmata te obſecrans & obteſtans, ut in præſenti cura regiminis adeo prudenter, adeo mature, adeo ſollicite, adeoque circumſpecte te ipſum habere velis, ut uberes atque optatos fructus & videam inſimul & gaudeam proficiſci, tuque apud Deum & homines de diligentia magis laudem reportes, quam de negligentia (quod abſit) ſis merito arguendus. Et per eamdem ſalutarem obedientiam, & nihilominus ſub pœna inobedientiæ contumacis, omnibus & ſingulis dictis Fratribus per univerſam Italiam ubilibet conſtitutis, cujuſcumque gradus, ſtatus, conditionis ſeu dignitatis exiſtant, præſentibus pariter & futuris diſtricte præcipio & injungo, quatenus tibi tamquam meo legitimo & indubitato Vicario, ſeu Commiſſario deſignato & inſtituto, velut perſonæ meæ propriæ, toto Vicariatus ſeu Commiſſariatus ejuſdem tempore in omnibus, quæ ad dictum pertinere videbuntur officium, humiliter & abſque contradictione aliqua pareant & intendant. Quos tibi, teque illis facio carius in Domino commendatos. Vale in Domino Jeſu, & pro me ora. Datum Cremonæ, die XXII. *Aprilis* MCCCCLVI.

An. 1455. *n.* 79. Multa conferuntur privilegia Guardiano Hieroſolymorum. *An.* 1455. *n.* 80.

CXLIII. Antonio de Mugnano electo, ut dixi, Guardiano Hieroſolymorum, hoc anno in ſanctam civitatem profecturo, varia privilegia his duobus inſtrumentis diſtincta Pontifex conceſſit. In horum altero ampliſſimas facultates Ludovico Bononienſi, ad Æthiopes, uti narravimus, amandato reſtrinxit, ita urgente Vicario Baptiſta, qui male habuit, Ludovicum apud Pontificem egiſſe de confirmando Balthaſare de Marchia per triennium, jam Hieroſolymorum Guardiano, & excludendo noviter electo Mugnano.

Dilecto filio Antonio de Mugnano, Guardiano domus Montis Syon Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia nuncupatorum, in partibus Hieroſolymitanis conſiſtent. ſalutem &c.

Ex l. 5. bullar. fol. 109. *Apoſtolicæ Sedis copioſa benignitas perſonas ſub regulari Obſervantia aſſidue ſtudio piæ vitæ vacantes, congruo favore proſequitur, & earum honeſtis precibus ſe propitiam exhibet & benignam. Cum itaque, ſicut accepimus, tu, qui Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia nuncupatorum profeſſor, & per dilectum filium Vicarium dilecti filii Generalis Miniſtri dicti*

cti Ordinis, ac alios Fratres, ad quos id ſpectabat, in Guardianum domus Montis Syon dicti Ordinis in ultramarinis partibus conſiſtentis deputatus de more exiſtis, ad eaſdem partes de proximo habeas te conferre. Nos attendentes, quod tu tam pro ingreſſu tuo, & aliorum ſociorum tuorum in eiſdem partibus, quam pro expenſis viagii, & neceſſitatibus domorum & Fratrum partium prædictarum magno fidelium ſubſidio indigebis, ac volentes tibi ſuper his aſſiſtere favoribus gratioſis, tibi viginti perſonis cujuſcumque conditionis, ubicumque fuerint, quæcumque vota (peregrinationis liminum Apoſtolorum dumtaxat excepto) ita tamen, quod tibi in ſubſidium viagii, ac Fratrum & domorum prædictorum tantum, quantum in perſonali executione votorum hujuſmodi, aut in per ſe tranſmittendum expendiſſent, aut quantum tibi videbitur, in pecunia numerata perſolvant, auctoritate noſtra relaxandi, & ab illis abſolvendi auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium concedimus facultatem. Mandantes nihilominus omnibus & ſingulis Fratribus prædictarum partium præſentibus & poſteris, quatenus tibi & ſucceſſoribus tuis dictæ domus Guardianis pro tempore exiſtentibus in omnibus & ſingulis licitis & honeſtis, & quæ ad regimen & gubernationem locorum & Fratrum eorumdem quomodolibet pertinebunt, in omnibus & per omnia pareant & intendant, ad Citramarinas partes aut de loco ad locum ſine tua, & ſucceſſorum prædictorum ſpeciali licentia minime tranſituri. Et quoniam dudum nos dilecto filio Ludovico de Bononia, dicti Ordinis profeſſori, ad Æthiopiæ & Indiæ partes ire cupienti conceſſimus, ut quotquot dicti Ordinis Fratres vellet, voluntarios ſecum ducere poſſet, ac gratias etiam plenarias quibuſcumque Principibus, populis, & particularibus, quas ipſe Ludovicus, & iidem ſecum accedentes ducerent offerendas, conceſſimus; diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus eidem Ludovico, ne ultra quatuor dicti Ordinis Fratres voluntarios ſecum ducat, neve conceſſione oblationis hujuſmodi, quam nos tenore præſentium revocamus, utatur, diſtrictius inhibeas; reliquis facultatibus, commiſſionibus, & gratiis per nos, & fel. rec. Nicolaum Papam V. prædeceſſorem noſtrum circa hoc ſibi conceſſis & datis in ſuo robore duraturis. Ceterum nos omnibus & ſingulis Ordinis & Obſervantiæ prædictorum Fratribus diſtrictius inhibemus, ne ad Ultramarinas partes hujuſmodi ſine ſpeciali Sedis Apoſtolicæ, aut prædicti Generalis, ſeu Vicarii, vel aliorum Prælatorum Ordinis licentia, quam gravibus dumtaxat & idoneis dari volumus, accedere, aut in illis quæſtuare & mendicare, aut quæſtus ſeu eleemoſynas de loco ad locum ſine tua licentia (breviario & aliis ad veſtitum & victum neceſſariis dumtaxat exceptis) transferre & exportare quoquo modo præſumant, ſub virtute ſanctæ obedientiæ diſtrictius inhibemus: tibi & ſucceſſoribus tuis præfatis omnes & ſingulos, qui contra prohibitionem & mandatum hujuſmodi ſcienter venerint, per cenſuram Eccleſiaſticam, & ſi opus fuerit, carcerationem & arreſtationem coercendi, facultatem tenore præſentium concedentes. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon dicti Ordinis ſtatutis & conſuetudinibus juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Aut ſi aliquibus communiter vel diviſim a Sede prædicta indultum exiſtat, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Nulli ergo &c. ſi quis &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno &c. MCCCCLV. *IV. Idus Januarii, anno* 1.

Di-

Dilectis filiis Antonio de Mugnano, Guardiano domus Montis Syon, ac univerſis Fratribus Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, in partibus Hieroſolymitanis, & per totam Aſiam commorantibus, præſentibus & futuris.

Ibid. fol. 107. CXLIV. *Etſi ex debito ſollicitudinis paſtoralis quibuslibet religioſis perſonis eſſe nos decet favorabiles & benignos, tamen illos veſtri Ordinis Fratrum Minorum, qui ferventioris ſpiritus ardore ſuccenſi, non timentes ſed amantes barbaras nationes, ad illarum converſionem pergunt intrepidi, affectuoſiori ſtudio confovere tenemur, ut in eorum ſanctis operibus, per quæ fides Catholica pullulat, poſſint ad aream Dominicam multos afferre manipulos, & de talentis eis creditis bonam Domino reddere rationem. Cupientes igitur ut vos, qui inter infideles ſedulo converſamini, ad ſubeunda pericula converſationis hujuſmodi eo promptiores & animoſiores ſitis, quo majoribus gratiis per Sedem Apoſtolicam fueritis communiti, vobis, ut quaſvis domos, Conventus ſeu loca dicti Ordinis per univerſam Aſiam vobis hactenus conceſſa, ſeu a vobis recepta, deinceps pro veſtris uſu & habitatione perpetuis tenere & habere, necnon alia de novo ædificare & conſtruere, ac ædificata & conſtructa recipere, & pro uſu & habitatione ſimilibus perpetuo retinere; necnon ut vos ac omnes & ſinguli dicti Ordinis Fratres, qui in eiſdem locis pro tempore reſidebunt, omnibus & ſingulis privilegiis, gratiis, indulgentiis, exemptionibus & libertatibus, aliis Fratribus dicti Ordinis in genere conceſſis, & quibus illi quomodolibet potiuntur & gaudent, potiri & gaudere libere & licite valeatis, auctoritate Apoſtolica concedimus per præſentes. Tibi nihilominus, Guardiane, fili dilecte, & ſucceſſoribus tuis pro tempore exiſtentibus, & in tua ac illorum abſentia gerenti vices Guardiani hujuſmodi, necnon illi vel illis dicti Ordinis Fratribus, cui ſeu quibus tu vel ſucceſſores prædicti id in partibus illis dumtaxat ſpecialiter duxeris ſeu duxerint committendum, & quoſcumque dicti Ordinis Fratres, necnon fideles in partibus illis pro tempore commorantes, ſeu per illas tranſeuntes, ut vos ipſos, ac illi ſeipſos etiam invicem a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, ac ſimoniæ & apoſtaſiæ, & aliis etiam majoribus criminibus, exceſſibus & delictis, præterquam falſificationis litterarum Apoſtolicarum, in quibuſcumque caſibus etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis, toties, quoties opus fuerit, abſolvere, & ſic abſolutis pœnitentiam ſalutarem injungere; necnon Cathecumenis baptiſmatis, pœnitentiæ, Euchariſtiæ & Extremæ unctionis ſacramenta, licet non ejuſdem anni, fidelibus miniſtrare, & altaria, calices, corporalia, & alia divino cultui deputata paramenta benedicere, necnon Miſſas antequam illuceſcat dies, cum qualitas negotiorum pro tempore ingruentium id exegerit, celebrare, aut per aliquem dicti Ordinis Fratrem in Sacerdotio conſtitutum facere celebrari. Et inſuper quoſcumque Fratres, de quibus tibi & eiſdem ſucceſſoribus videbitur, ad Ultramarinas, ac etiam ad quaſvis infidelium partes, cum opportunum fuerit, deſtinare, necnon alios voluntarios ad eaſdem partes ducere & advocare, & cum eiſdem ſuper rigore Obſervantiæ, ſeu regulæ in itinere, necnon ſuper irregularitate quacumque, præterquam homicidii, & mutilationis membrorum, ac bigamiæ, diſpenſare. Præterea cum excommunicatis, ſuſpenſis & interdictis, necnon hæreticis, ſchiſmaticis, Judæis, Sarracenis, & aliis a Romana Eccleſia deviantibus, legitima & rationabili cauſa converſari & commorari, ac in loquendo, edendo, bibendo & alias, non tamen in crimine, participare; & inſuper alicujus ſcan-*

ſcandali evitandi gratia eoſdem ſchiſmaticos, hæreticos, excommunicatos, ſuſpenſos & interdictos divinis officiis intereſſe permittere. Et denique, ſi opus fuerit, medicinalia a medicis prohibitiſque perſonis poſtulare, & recipere libere ac licite valeas, dictique ſucceſſores, & prout tibi & illis videbitur, alii prædicti Fratres poſſint & valeant, licentiam & facultatem, auctoritate prædicta, earumdem tenore præſentium concedentes. Non obſtant. fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri prohibent. ne Fratres Ordinum Mendicantium in aliqua civitate, villa, vel caſtro, ſeu aliquo loco quocumque ad inhabitandum domos &c. mentionem, & quibuslibet aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon ſtatutis & conſuetudinibus &c. roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo &c. noſtræ conceſſionis & voluntatis infringere &c. Si quis &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno &c. MCCCCLV. IV. *Idus Januarii, Pontificatus noſtri anno* I.

Friderico vit Princeps fit Minorita.

CXLV. Hoc anno vir Princeps Fridericus a Greiffenklaro patre Friderico, matre Jumgarde ab Ippelbrum, poſtquam ex nobili conjuge Adelheide a Langenaro filios filiaſque procreaſſet, illaque deceſſiſſet, hoc ſuſcepit Inſtitutum Raguſæ in Daxæ Conventu. Relicto Cæſare Friderico, cui adhærebat, humilem laicatum gratiæ prætulit Imperatoriæ, ſpretiſque terrenæ militiæ honoribus, ſpirituales prælegit adoreas. Ex filio Joanne ejuſque poſteris multi deſcenderunt heroes, & Principes Eccleſiaſtici, ex quibus unus Moguntinus, alter Trevirenſis Elector. In cartophylacio hujus familiæ, ex quo hæc deſumpta ſunt, aſſervatur ejus teſtamentum, & aliquot piæ ejus epiſtolæ, ex quibus una data hoc anno IX. Junii lectu digniſſima. In ea liberos a ſeculi vanitatibus dehortatur, mœrenteſque propter hoc vitæ genus ſuſceptum mire conſolatur, Ordinem, quem delegit, maxime commendans.

Ex monum. MSS.

B. Jacobus Picenus fructuoſe prædicat Fabrianis.

CXLVI. Beatus Jacobus Picenus hoc anno cumulatiſſimo fructu prædicavit Fabrianenſibus, quibus etiam illud perſuaſit, ut tria Xenodochia ſive hoſpitalia, primum Confraternitatis ſanctæ Mariæ de Mercato, ſecundum ſanctæ Mariæ de Miſericordia, tertium Sodalitatis Sutorum, tenuioris cenſus, quam ut miſericordiæ opera pro indigentium neceſſitate exerceri poſſent, in unum contraherent, miniſtroſque præficerent infirmis curandis, projectis infantibus excipiendis, nutriendis, educandis, puelliſque apud ſe decenter enutritis maritandis. Ita totius populi applauſu, præſente Marino Urſino Archiepiſcopo Tarentino, Picenæ regionis Prælide, ſolemniter factum eſt, uti hæc commemorat inſcriptio.

Vita MSS. beati Franciſci Fabrianen. c. 43.

> *Anno Domini* MCCCCLVI. *Calixto III. Pont. Max. Marino Urſino Archiepiſcopo Tarentino, agri Piceni Præſide primum lapidem inferente, Jacobo ex Minorum Ordine prædicante, ſub* XII. *Rectorum gubernatione, communi totius Fabrianenſis populi conſenſu, ex tribus hoſpitalibus hoc unum ſub nomine beatæ Mariæ Jeſu conſtructum eſt.*

CXLVII. Ante aliquot annos diſſimili exitu ibidem prædicaverat. Nicolaus Picininus, Pontificii exercitus tunc Imperator, Picenis incubabat. Fabriano appropians nuncium accepit, diſpoſito per ſtationes milite, clauſiſque januis aditum ſibi denegari, & e ſuggeſtu ita perſuaſiſſe oppidanis concionatorem. Simulata ira, Jacobum accerſivit. Nihil hic adverſi ſuſpicatus, ſola innocentia ſecurus protinus acceſſit. Nicolaus inſultare, imprecari, comminari; Jacobus ſe prorſus innocentem dicere, donec vocatis perfidis

fidis militibus tribus, qui talia prædicantem ſe audiviſſe dixerunt, conjectus eſt cum ſocio in arctam cubiculi cuſtodiam. Intrepide ille dixit, Dei vindictam impios calumniatores apprehenſuram, ſeque brevi ab injuſti & crudelis detentoris manu liberandum. Ita factum eſt: ut enim beatum Virum ita inſidioſe detentum audiverunt Fabrianenſes, dato ſigno, ad arma convolarunt, & in apertum irruentes, Picininum effugarunt, ſuumque concionatorem reduxerunt, & falſi teſtes paulo poſt miſere perierunt.

Naſcitur Bernardinus Tomitanus.

CXLVIII. Patavii hoc anno prædicans Jacobus, egregiæ indolis adoleſcentulum Bernardinum Tomitanum ad religionem attraxit, ſuiſque manibus habitu donavit. Natus ille anno MCCCCXXXIX. patre Donato, matre Corona Rombaldoni in civitate Feltrenſi, Marchiæ Tarviſinæ notiſſima. Fuerunt, qui aſſererent non tam in urbe, quam in agro Feltrenſi, genere obſcuro, oppidulo Tomi natum, atque inde dictum Tomitanum. Plures & potiores Auctores ita cognominatum a familia paterna, inter Feltrenſes illuſtri, conſpirant, & patrem in collegio Notariorum nobilem, bis Oratorem miſſum ad Duces Venetos; primum pro retinenda urbis libertate; ſecundum pro repellendis Hebræis, qui ex Senatus decreto ſedem ſibi in urbe ſtatuere cogitabant. Primum hunc genuit Donatus filium, & Martinum nuncupavit, ſecuti ſunt alii quinque, & filiæ quatuor. Secundus natu Antonius fratrem æmulatus hoc ipſum Inſtitutum ſubivit: ex Sororibus tres ſuam virginitatem Deo ſacrarunt in tribus diſtinctis Monaſteriis Patavinis. Felices parentes ſobole fœcundi, pietate generoſi, liberos decem a Deo acceperunt, quinque reddiderunt.

Gratian. in vita B. Bernard. Marc. 3. p. l. 7. c. 21. Cimarel. 4. p. l. 6. c. 25. Legendæ duæ MSS.

Ejus puericia.

CXLIX. Martinum ab ipſa infantia piis moribus & litteris imbuendum ſtudioſe curarunt, eoque ille affectu his proſequendis incubuit, ut a rudimentorum libellis abreptum mater ad pueriles ludos vel invitum frequenter emitteret. Magiſtris Damiano de Pola, publico eloquentiæ profeſſore, & Jacobo Mediolanenſi, Guarini Veronenſis, Latini idiomatis peritiſſimi, non ſpernendo diſcipulo, ante completum ætatis annum duodecimum Latine optime loqui, omnium carminum modulis canere perfecte didicerat; & quartodecimo anno adſcriptus honorifico collegio Notariorum, gravi præmiſſo examine, paulo poſt ſub *Italiæ* nomine & cultu, in publico foro ſtabilitæ paci inter Alphonſum Aragonium Siculum Regem, & Duces Venetum ac Mediolanenſem carminibus applaudit. Sub Zacharia Puteo Patavino Profeſſore, ut peſtem fugeret, Feltrium profecto, Logicam & Aſtrologiam apprehendit. Patavium translatus, a Daniele Purſilio viro nobili exceptus, & filiis aſſociatus, id genus ſtudii proſecutus, in rebus Aſtronomicis cum optimis hujus ſcientiæ Magiſtris diſputavit, multorumque errores ætate grandiori confutavit. In Philoſophiæ præceptis Thomam de Vio Caetanum, & Michaelem de Carrara doctiſſimos, audivit; deinde cœpit Juri Cæſareo operam adhibere. Comatus aliquando inceſſit, ſed dum pectendo tempus tereret, crines ad cutem uſque præſcidit, dicens virum comatum ſtudioſum non eſſe; eoſque plus temporis in lucro ponere, qui potius digitis quam pectine uterentur.

Adoleſcentia & litteraria ſtudia.

Fit Minorita.

CL. Anno ætatis XVII. audiens, quem diximus Jacobum Picenum de mundi contemptu, mundanorum ineptiis, de quatuor noviſſimis egregie diſſerentem, & vehementer perculſus duorum præceptorum Zachariæ Putei & Romanelli, florenti ætate repentina ferme morte raptorum, mundum decrevit relinquere, & Minorum legibus adſtringi. Quo id modo faceret, inſtructorem adhibuit Jacobum, qui prima ſemina indidit vitæ potioris; eoque dirigente, die XIV. Maii hujus anni in Cœnobio ſancti Franciſci, ædis

ædis præfecto Antonio Frizimelica, habitum ſuſcepit ex manibus ipſius Jacobi, expoliatoque vetere homine, etiam ipſam Martini appellationem dereliquit. Solemne erat ubique, præſertim apud fratres Bernardini Senenſis nomen, hujus itaque vocem aſſumpſit, cujus vitam ſibi propoſuit æmulandam. Ejus ſemitas perfecte ſectaturum prævidit Jacobus, tunc ita vaticinatus: *Hodie Chriſti caſtris novus miles acceſſit, qui noſtrum illuſtrabit Sodalitium, Deo honorem, animabus ſalutem advehet, & diaboli fraudes evertet*: Etiam ipſe divus Bernardinus de hoc ſuo prophetizavit ſectatore: ante aliquot annos dicens, poſt ſe venturum, qui ſuum nomen præferret, magnoque animarum lucro univerſam Italiam inſtructurum.

CLI. Miſſus ad ſolitarium extra urbem ſanctæ Urſulæ tirocinium, Antonio a Caravagio præceptore, exultavit in gaudio ad currendam viam; cum ecce pater accurrit, & quibus poteſt modis rectum iter ingreſſum ad devios ſeculi anfractus ſtudet revocare. At ille immobilis in ſancto perſeverans propoſito, tales fecit in religioſæ vitæ limine profectus, ut majora indicaverit provectioris virtutis incrementa. Omnium ſuffragiis ad ſolemnia vota vocatus, amandatus eſt ad Cœnobiolum ſancti Spiritus Mantuanum. Illic aeris intemperie laborans miſſus eſt Veronam, ubi annum agens decimum nonum, deprecante Sanctimonialium Confeſſore, ſancti Hieronymi epiſtolas, & Baſilii de virginitate tractatum fecit Italica. In Comitiis provincialibus deſignata domo ſancti Franciſci a Vineis Venetiarum, biennio ſub Magiſtro Pariſienſi ſacram audivit Theologiam. Hinc Mantuam translatus, in Conventu ſancti Franciſci annos ſeptem commoratus, amicum, & vitæ ſpiritualis magiſtrum adſcivit venerabilem virum fratrem Sixtum Mediolanenſem, vitæ integritate, & virtutum excellentia Mantuanis percelebrem. Piis hujus documentis æquiori ferebat animo gravem herniæ tumorem, Venetiis contractum. Mederi quidem voluit ignito aureo filo, quod dum minus caute ligat, retracta inteſtina introduxerunt, verſaque in fiſtulam ægritudo, annis octo Dei ſervum vexavit. Illac tranſiens beatus Jacobus Picenus, a quo diximus ad Ordinem receptum, ad virilem patientiam excitavit, dicens: *Macte animo, perfer ægritudinem hanc: majora oportet te pro Dei gloria, & animarum ſalute perferre.*

Ejus tirocinium.

In religione profectus.

CLII. Juſſus adoleſcentes imbuere Grammaticæ rudimentis, ne illi ab humilitatis & pietatis exercitiis litterarum arido ſtudio diſſueſcerent, commeatu ſæpe dato, ſpiritualibus erudiebat diſciplinis. Coactus a Cœnobiarcha in diei omnium Sanctorum cœna ſermocinari, de paradiſi gloria, & ſanctorum perfecta lætitia tanta dixit facundia, & ſpiritus ardore peroravit, ut ciborum Fratres obliti, ex ejus ore penderent. Interrogatus, cur præter thema nihil latine interlocutus ſit? reſpondit: *Oſtentatio fructu caret, & oratio ſæpius interrupta minus penetrat, movetque auditores.* Funebres orationes habuit illic plurimas, heroum Latinas, dominarum vernaculas, eaque venuſtate dicebat, ut cives univerſos attraheret. Illic etiam ad ſacerdotium aſſumptus, ſumma humilitate & reverentia ſacrum peregit miniſterium, indignum ſe reputans, qui tanto fungeretur officio. Obedientiæ, paupertatis, rigoroſæ pœnitentiæ, aliarumque virtutum, quibus inſigniter per omnem vitam effulſit, opportune ſuis locis varia miniſtrabimus documenta.

Initiatur presbyteratu.

CLIII. Floruit hoc tempore Bernardus Hungarus laicus ſeu converſus in provincia Etruriæ, in monte Alvernæ diutius commoratus, oſtiarii functus officio. Tantæ erat contemplationis, ut ad ſingulas orationes Dominicas, & ſalutationes Angelicas, quas pro officio ſeu penſo diurno tenebatur

Floret Bernardus Hungarus. *Marian. l. 5. c. 27.*

ſæpe repetere, extra ſe raperetur, neque poſſet abſolvere. Unde Marcus Bononienſis Vicarius Generalis neceſſarium judicavit eum ab officii obligatione abſolvere. Dum idem Marcus Bononiæ in Eccleſia ſancti Petronii in feria ſexta Paraſceves anno MCCCCLIII. de paſſione Domini ſermonem haberet, Chriſto compaſſus Bernardus adeo condoluit, ut prius in copioſas lacrymas, mox in amoris flammas totus diffluereet; & poſtremo tamquam ignis naturam aſſecutus, in altum elatus, ſuper auditorum capita fluitans, in ſuggeſtum volitavit, ac Crucifixi Symbolum e concionatoris manibus ereptum, fortiter brachiis adſtrinxit. Concionator ſuperioris, qua fungebatur, auctoritate, manu capiti impoſita, tacite præcepit, ut remiſſis ardoribus quieſceret. Ita omnium ſtupore peregit. Sed dum abſoluta concione e roſtris deſcenderet, omnes tangere, venerari, habitum diſcerpere & Viro ſancto acclamare. Ne tantus populi favor ad inanes efferret cogitationes, protinus ad Alvernæ ſolitudinem redire Marcus præcepit. Integro triduo inter condenſas ſylvas cœnobii ſancti Benedicti de Nave ſolebat latitare, ſolo pane contentus, divinis meditationibus totus intentus. Dum omnia nivibus albeſcerent in Conventu Scarlini, Dei creaturis compatiens, auibus frumentum, canibus panem, feris eſculenta opportunis locis reponebat.

CLIV. Matthæus a Montalone Alpes tranſiturus, repentina correptus nive, in ſpeluncam ſe abdidit, ubi per biduum hærere oportuit, nihil habens, quod manducaret. Nives effundere cœlum non deſiſtebat, nec ſpes ulla erat ſubſidii. Oravit jugiter ſanctum Franciſcum, ut ſibi addictiſſimo in tanta ſuccurreret neceſſitate: neque inanes preces effudit, quippe recentes panes ante ſe poſitos admirabundus conſpexit. Patefacto itinere domum rediturus, acceptique beneficii gratias acturus, montem Alvernæ conſcendit, ubi omnium primus Bernardus oſtiarius occurrit, ſalutavitque dicens: *Bene venias, Domine Matthæe; quales tibi viſi ſunt panes Alpeſtres?* Obſtupuit ille, rem nemini prædictam, Bernardo fuiſſe manifeſtam, reque Fratribus communicata, judicarunt omnes eum a Deo revelationem accepiſſe, vel panem ejus miſterio eſurienti ſubmiſtratum. Porro divulgata per omnes provincias Bernardi ſanctimonia, Hungari repetitis precibus impetrarunt a Baptiſta Levantino, ut in patriam remitteretur. Varias paſſa viciſſitudines illa provincia, modo Obſervantibus, modo Conventualibus ſubjecta, inter contentionum procellas defuncto Bernardo, non fuit, qui geſta conſcriberet, nec ubi ſepultus ſit, ad poſteros tranſmitteret.

Galeſin. in vita S. Didaci par. 1. c. 18. Penna lib. 1. c. 17. Marc. 3. p. l. 5. c. 4.

CLV. Sanctus Didacus, de quo in præcedenti volumine multa præmiſimus, hoc anno Complutum venit a Superioribus miſſus, ut novi Cœnobii, quod hoc item anno, uti paulo dicemus inferius, ab Alphonſo Carillo Archiepiſcopo Toletano exordium accepit, ſua induſtria, & pietatis opinione fabricam promoveret. Variant auctores circa provinciæ Vicarium, a quo illuc amandatus eſt, & circa ſocium itineris. Marcus Uliſſiponenſis Vicarium conſtituit Rodericum de Ocanna, Franciſcus Gonzaga Alphonſum Boroxium, Franciſcus Penna Rodriguez de Onna, niſi fortaſſis error ſit typographi, eumdemque velit, quem Marcus affirmat. Comitem aſſignat Penna Alphonſum Caſtrenſem, Petrus Galeſinius Rodriguezium Honnium. At tam vere Marcus circa Vicarium, quam Penna circa ſocium effatur; etenim Boroxius poteſtate illa, quam a Vicario Generali familiæ Ultramontanæ ſuper Hiſpaniæ Obſervantes diximus accepiſſe, Occanienſem illi præfecit Cuſtodiæ, & Caſtrenſis multis annis Didacum aſſociavit.

S. Didacus mittitur Complutum.

Gonz. in Prov. Caſtellæ Conv. 2.

An. 1451. n. 50.

CLVI. Ceterum eo in loco Vir Dei reliquam vitam ſancte peregit, Deo & hominibus gratiſſimus. Præcedente virtutis fama, ſummo gaudio

Omnibus proficuus.

Com-

Complutenſes advenientem exceperunt. Nec immerito, cum ex ſanctorum hominum ſocietate maxima rebus publicis commoda naſcantur. In odorem unguentorum ejus undique accurrebant miſeri, & tamquam ex aromatario bene inſtructo ſuis malis remedia reportabant. Omnibus perhumane & benigne ſuſceptis conſilium dabat & auxilium, pauperibus levamen, ægris ſanitatem, afflictis opem, ſolamen univerſis. Admirabantur omnes, unde tam varia alimenta, tam multa miſellorum remedia conquirere poſſet, dum nullus e conſpectu ejus redibat, cui non ubertim ſatisfaceret. Scholaſtici duo, adoleſcentes bonæ indolis, ſed pauperes, & morbo & inedia afflictabantur: utrumque in Cœnobii latibulum ſecreto conduxit eo loco, quo nunc ipſe requieſcit, ſtratoque lecto officioſe habitos brevi priſtinæ reſtituit ſanitati. Convaleſcentes etiam victus & veſtis beneficio proſequutus, neceſſaria quæque præbuit, donec bonarum artium ſtudium abſolverunt.

CLVII. Humanæ eloquentiæ expers, tanta erat imbutus ſuavitate ſermonis, ut omnes leniret animi ægritudines, omneſque ad ſe confluentes etiam varie affectos recrearet. Vir quidam melancolicus qui vehementer animi cruciatu, & corporis morbo afflictabatur, atræ bilis vim, & doloris acerbitatem ejus alloquio mirabilem in modum ſenſit imminui. E manu ejus cum aliquid ſumebat edulii, tanta ſe perfundi dicebat dulcedine, ut cœleſti ſe putaret pabulo nutriri. Luce divini ſpiritus perfuſus Chriſtianæ doctrinæ inſtitutis ignaros imbuebat, & ſi quæ latebant fidei myſteria, dilucide explicabat: quo factum eſt, ut plerique ab eo inſtructi normam ſibi vivendi perſcripſerint meliorem. Ludovicus Conchenſis liberalium artium Magiſter, Medicinæ candidatus, qui prope Complutum habitabat, & Viri Dei virtutem ſæpius in corporis mentiſque doloribus curandis excepit, divinam ei inditam ſapientiam non uno experimento probavit, cum ab eo ſenſus eruditione reconditos frequenter hauriret, & graviſſimarum diſceptationum ſolutiones, quas in clariſſimis Academiis Pariſienſi, Salmanticenſi, aliiſque locis, in quibus ſtuduerat, conſequi non poterat, aperte perciperet. Mira hæc & impoſſibilia, ſi conſuetum aſpiciamus ordinem naturæ, ſed qui dixit ſe revelaturum parvulis, quæ ſapientibns & prudentibus abſcondit, facile potuit humilem Didacum tantæ ſapientiæ ſplendoribus irradiare. Hæc ſancti Viri virtutum incrementa, & factorum prodigia placuit hic præmonſtrare; paucula, quæ ſuperſunt, ad vitæ terminum reſervamus.

Ei ſcientia divinitus infuſa.

Matth. 11. 25.

CLVIII. Præter memorandam inſignis viri Joannis Capiſtranenſis mortem, inciderunt in hunc ipſum annum trium clarorum virorum tranſitus, Petri Regalati, Gabrielis Anconitani, & Philippi Aquilani. Petri acta ſuperius retulimus, in hunc locum, quæ ſub mortem erant dicenda, & quæ poſt mortem patravit, dumtaxat reſervavimus. Gravi itaque ſenectute confectus, videns tot turbas, paulo antea relatas, contra Obſervantiam excitatas, timuit, ne reſtitutæ in Hiſpania diſciplinæ opus feliciter inchoatum, adverſariorum ſtudio, aut rectorum negligentia, maxime in illa Cuſtodia langueret. Sentiens proinde vitæ terminum non longe abeſſe, ad Cœnobium ſancti Antonii prope Ficonedam leucis quadraginta quatuor remotum, ubi Lupus Salazarius a Salinis, nobilis facinoris impiger adjutor languebat, magno animo contendit. Longo ſermone explicuit, quo in ſtatu res verſarentur, quidque in poſterum agendum. Admonuit, homines in molliora proclives, aſſidua cura, frequenti verbo, conſtanti exemplo, & repetitis præceptis, ne laxentur, atque a ſancto Inſtituto, quod ſuſceperunt, aberrent, eſſe continendos. Majori etiam ſtudio his incumbendum, quo facilius in deteriora labuntur ſectatores, dum pereunt anteſignani. Jam obiiſſe Villacre-

An. 1448. *n.* 4. *Daza in vita Regalati. Proceſſ. pro canonizatione. Relatio Auditorum Rotæ.*

Petrus Regalatus moriturus magnam agit curam Obſervantiæ.

cretium, & Sanctojanum, ſe annis gravem, & viribus fractum parare diſceſſum; qui auctoritate præſit, & præire poſſit, ipſum dumtaxat Salazarium ſupereſſe, idque ſibi in morte parari ſolatium, quod tanto oneri parem Deus ſubſtituerit, qui pro dignitate pondus illud ſuſtineat, ſub quo tres primi inceptores vehementer laborabant. Multa deinde ſubjunxit monita particularia circa quoromdam mores & ſtudia, ut quoſdam arcereret a regimine, alios, ut regerent, invitaret. Circa Monialium præfecturam, quam vel invitos aliquando ſuſcepturos prævidit, plurimas adhibuit cautelas, probe ſciens, quam periculoſa ſit cum mulieribus, etſi ſanctiſſimis, converſatio, quæ ſenſim & blandiuſcule virilem enervant virtutem. Plurima hujus generis prudentiſſime & tempeſtive prædixit, quæ Salazario ſalutari fuerunt inſtructioni, & ille pio ſcripto teſtamento tranſmiſit ad poſteros.

CLIX. Regreſſus ad Cœnobium Tribulanum, unde exivit, pauliſper hæſit ultima daturus documenta, deinde ad Aquilerium perrexit, aſſumpto ſocio fratre Alphonſo Spina, viro docto, auctore libri, qui inſcribitur, *Fortalitium fidei*, quod eruditum opus, & divinarum rerum cognitione illuſtre vocant ſcriptores Hiſpani. Regalatus porro ſub quadrageſimæ initium imminentis mortis præſcius, ibi hæſit ultimum emiſſurus ſpiritum, ubi religioſioris Inſtituti ſumpſit exordium; & tamquam itineri accinctus omnia prudenter diſponebat, tum morti neceſſaria, tum regimini opportuna.

Garibay. l. 16. hiſtor. Hiſp. c. 46. Marian. l. 22. c. 13.

CLX. Gravi demum correptus languore, cœpit moleſto faſtidientis ſtomachi malo laborare. Interrogatus a medico, an quidquam appeteret, vel aliquod edulii genus placeret? reſpondit, peregrino quodam appetitu excitum ſibi deſiderium deguſtandæ conturnicis. Diſplicuit viro, quod avem cuperet eo anni tempore raram, inſipidam, & captu difficilem; attamen propter viri ſtudium & reverentiam cogitavit aucupes mittere, qui prehenderent. Dum in oppidum a Conventu diſſitum regreditur, ecce videt celerrimo volatu ad ſe properantem conturnicem inſequente accipitre, cujus ungues ut fugeret, medici ſe credidit tutelæ. Rem ſecum expendens, non tam caſu, quam Dei providentia accidiſſe judicavit, probavitque Deum ita ſuis complacere ſervis, ut ad nutum videatur omnia miniſtrare. Infirmus & Medicus *petierunt*, *& venit conturnix*. Reverſus ad languentem Medicus acta retulit, & conturnicem porrexit. Acceptam Vir Dei blanditiis demulcens, & veluti ratione pollentem fraterne alloquutus, dixit: *Amantiſſima ſororcula, non eſt cur in meis manibus quidquam timeas, nolo proditorie tecum agere; mortem fugiens, vitam ſperaſti in medici poteſtate; quam non potuit inimicus accipiter, ego nolo mortem inferre. Vade, vive, Deum collauda*, hiſque dictis liberam avolare permiſit.

Appetenti mirabiliter advenit conturnix.

Pſal. 104. 40.

CLXI. In hebdomada majori majores ſenſit aculeos, ut Chriſto his diebus paſſo compateretur. Die Paſchatis Euchariſtia procuratus, inſigni ſermone filios in circuitu flentes conſolatus, & ad conſtantem in virtute famulatum exhortatus, omnibus benedixit, etſi vitæ aliquale ſpatium ſibi noverit ſupereſſe. Die Martis ſentiens medicus in languidulo corpore tenuem palpitare ſpiritum, juſſit extremo ſacramento muniri. Afferentibus ſacrum oleum dixit, ut patienter agerent, expectarentque adventum Epiſcopi, e cujus manibus hoc ultimum ſperabat beneficium. Illis aſſerentibus periculum eſſe in mora, incertumque Epiſcopi adventum, quippe qui longe remota conſtitutus urbe nihil ſciverit languoris, neque rogatus fuerit, ut veniret, ſubjunxit: *Potens eſt Deus ut moneat, & ducat in hoc tuguriolum*. Non prius dixit, quam oſtiarius accurrens dixerit, præ foribus eſſe Antiſtitem, & Fratres cum infimo hærentes, ut exciperent, advocarit.

Mortis præſcius pie ſe præparat.

Re-

Recta Episcopus perrexit ad cubiculum decumbentis, ducto secum adolescentulo nepote a nativitate contracto, claudo, & deformiter gibboso. Accedentem Vir sanctus hilari vultu excepit, dicens: *Amice & Domine, unde tibi tanta mora? parum aberat, ne sine te morerer, & absenti valedicerem. Rogo humiliter, ut postremam hanc gratiam sacræ Unctionis a te recipiam.* Collatis deinde clauso ostio, quibusdam arcanis, rogavit Episcopus, ut pro juvene fervide peroraret. Monuit ille ut corporis saluti animæ præmitteret sanitatem, & sacris Pœnitentiæ atque Eucharistiæ sacramentis tanto se præpararet excipiendo beneficio. Abiit Episcopus sacra facturus, & juvenem rite confessum divino pabulo refecit, deinde sacerdotalibus indutus Virum sanctum Extrema-unctione linivit, iterumque rogavit pro nepotis salute. Hæsit paululum Petrus in oratione defixis oculis in cœlum, mox ad se vocatum infirmum manu attrectabat, ubi male habebat. Ubicumque tangebat statim salutis consequebatur beneficium, audiebaturque fragor ossium inter se collidentium, in propriasque sedes contendentium. Projectis fulcris ligneis cœpit adolescens exilire, Episcopus lætari, & circumstans turba Deum laudare, qui talem dedit homini potestatem, ut languores curaret, incurvatos erigeret, & nutantes gressus consolidaret. Ob Viri sancti reverentiam, atque ut jugis remaneret apud consanguineos recepti beneficii memoria, petiit Episcopus sibi conferri habitum, in quo obierat, collatumque dedit adolescentulo, quem ille reverenter in domo & familia sua reposuit, perpetuo oppignoratum vinculo, ut ad posteros simul cum hæreditate, & bonorum successione transiret.

Nobilem adolescentem contractum sanat.

CLXII. Sanato in omnium conspectu supradicto adolescentulo, pauperem petiit pro Dei amore a Cœnobii præfecto lacernam; deinde orans & psallens oculis in Cœlum erectis, inter discipulorum choros, illa proferens verba: *In manus tuas commendo spiritum meum*, placide expiravit paulo ante meridiem III. Kalendas Aprilis anno Christi MCCCCLVI. ætatis sexagesimo sexto. Corpus molliusculum & flexibile, postremo speciosius, per dies aliquot importuni populi patuit venerationi, suavissimum spirans odorem, cœpitque miraculis multis coruscare.

Miraculum hoc elucidatur.

CLXIII. Miraculum istud postremum prænunciati adventus Episcopi, & sanati adolescentis, ex historicorum in evolvendis monumentis imperitia nonnullam ingessit difficultatem; non enim omnes cohærent circa Episcopi & nepotis personas. Recens vitæ scriptor Hispanus diu ante postremam infirmitatem restitutæ adolescenti salutis beneficium præmittit, & hujus avunculum ab eo, qui extremam contulit unctionem, palam distinguit. Primum nuncupat Sancium Rojas de Sandoval; secundum Petrum de Castilla, Petri Regis Castellæ nepotem. Inde vero error irrepsit, quod in effigie antiquissima illius ædis miraculum hoc exprimitur, indicato ita adolescentis nomine. *Don Diego Gomez de Sandoval hijo del Conde de Castro.* Occurrerat hujus nominis heros, filius Ferdinandi Guttierrez de Sandoval, & Agnetis de Rojas sororis prædicti Sancii primum Episcopi Palentini, mox Archiepiscopi Toletani. Concurrentibus itaque & adolescentis nepotis nomine & avunculo Episcopo Palentino, facile absque majori indagine judicavit, & hunc Didacum Gomezium Sandovalium a Viro Dei sanatum, & avunculum Episcopum Sancium fuisse prædictum. Cum vero hic Antistes longe ante Regalatum obierit (decessit enim anno MCCCCXXII. die XXIV. Octobris Compluti) transtulit hic auctor miraculum ad primordia vitæ & sanctitatis Regalati, ne cogeretur ex contradictione temporum rem palam in omnium oculis transactam, monumentis pictis & lapideis consigna

Anton. Daza.

tam

tam, bonorum auctorum ſcriptis confirmatam, omnino denegare.

Piſa lib. 4. hiſtor. Telet. c. 28.

CLXIV. At neque hac ratione difficultatem effugit, neque eatenus retrahere potuit miraculum ad tempora anteriora, ut in perſona prædicti Didaci, inſtante & rogante Sancio avunculo, dum Epiſcopatum regeret Palentinum, potuerit contigiſſe. Etenim translatus eſt Sancius ad Sedem Toletanam anno MCCCCXV. ita rogantibus Catarina Regina Caſtellana, & Ferdinando Rege Aragonio: hoc autem anno vigeſimum quintum dumtaxat annum agebat Regalatus, quo vel a Patribus Conventualibus ad ſolitudinem Aquileræ, & Societatem Villacretii non receſſit, vel adhuc non tanta florebat ſanctitatis opinione, ut Epiſcopus viſum veniret, & nepotem male habentem ſecum duceret ſanandum. Deinde eſt quod objiciatur, in tabulis illius Monaſterii vocari hunc Didacum, a ſancto Viro ſanatum, Comitis Caſtrenſis filium: ſed ille Didacus Sancii nepos, quem hic auctor obtrudit, non Comitis Caſtrenſis filius, ſed primus ipſe erat Caſtri Cæſaris Comes a Joanne II. Rege creatus in urbe Taurina anno MCCCCXXVI. jam translato avunculo ad Archiepiſcopum Toletanum.

CLXV. Quod ultra dicit, & Regalatum ipſum tunc Miſſam legiſſe, & adoleſcentis confeſſionem excepiſſe, facile rejicitur; non enim adeo veriſimile eſt, tunc confeſſarium fuiſſe Regalatum, neque etiamnum ſacerdotem, quippe non niſi viginti quinque annos habebat ætatis, quando Sancius translatus eſt ad Eccleſiam Toletanam; & miraculum, quod prætendit, accidiſſe oportuit dum Palentinam retineret, & Regalatus annos haberet pauciores. Poſtremo, quod præcipuum eſt, in monumentis illius Monaſterii, & ſepulcro alabaſtrite ab Eliſabetha Regina Catholica condito, rei totius ſcena exponitur; Vir ſanctus lecto decumbit, Epiſcopus languentem oleo ſancto inungit, prope ſupplex orat adoleſcentulus contractus, cujus nomen uti dixeram, in aliis tabulis manifeſte declaratur; atque ad hoc tempus vitæ ſupremum miraculum reducunt omnes, qui in Actis per Commiſſarios Apoſtolicos compactis de hac re ſententiam dixerunt.

CLXVI. Revocandum itaque erit miraculum ad mortis tempus, & producendi Epiſcopus tunc Palentinus, qui ſacramentum miniſtravit, & adoleſcens ſupradicti nominis, Epiſcopi nepos, ſalutis beneficium conſequutus. Diſcuſſis rerum Hiſpanicarum hiſtoriis, ita rem omnem abſolvo. Translato prædicto Sancio ad Sedem Toletanam, ſucceſſerunt in Palentina Alphonſus Arguello Minorita, confeſſarius Infantis Ferdinandi Caſtellæ Rectoris, mox Aragonii Regis, translatus ad Cæſarauguſtanam, uti alibi retulimus, mox Rodericus Velaſcus, deinde Guttierrus de Toleto, quarto Petrus de Caſtella, Petri Regis ex filio Infante Joanne nepos, ad hunc Epiſcopatum ab Uxamenſi translatus anno MCCCCXL. in eoque ſedit uſque ad annum MCCCCLXI. Hic proinde ille eſt Epiſcopus Palentinus, qui morienti adſtitit, contracta prius cum ſervo Dei magna neceſſitudine in illo Epiſcopatu Uxamenſi (namque & in ea diœceſi domus conſiſtit Aquileræ) ubi familiare & frequens cum illo conſortium inivit.

Ex tabulis Eccl. Palent. apud me MSS. Tom. 10. anno 1419. n. 6.

CLXVII. In veſtigando deſignandoque nepote ſub illo nomine *Didaci Gomez de Sandoval* nuncupato, majori opus fuit indagine. Tamdem omnia liquent, & libros exteros monumentis domeſticis concordare, veroque verum conſonare compertum eſt. Alter ab illo primo Didaco Gomez Sandovalio, Sancii de Rojas Epiſcopi ſupradicti nepote, fuit hujus nominis & cognominis heros illius primi nepos. Ille enim Didacus primus ex Beatrice de Avellaneda (quorum uterque jacet in aula capitulari Aquileræ) genuit Ferdinandum, ſecundum Comitem Caſtrenſem. Ferdinandus ex Joanna.

Marian. l. 18. vulgar. hiſtor. Hiſpan. c. 7.

Man-

Manrique de Caſtilla filium procreavit Didacum Gomez de Sandoval, ita propter avi memoriam nuncupatum.

CLXVIII. Hic ille eſt, quem Vir ſanctus curavit, & in quem notæ omnes concurrunt. Nomen illud eſt, quod Aquileræ exprimunt monumenta, Caſtrenſis Comitis erat filius, namque uno vel altero anno ante mortem Regalati obierat in Aragonia primus ille Didacus, hujus Didaci avus, ſucceſſitque in Comitatu Caſtrenſi Ferdinandus, primi Didaci filius, & hujus Didaci Pater. Sub hoc tempus & annum mortis Regalati recte computatur ejus pueritia, namque patri ſucceſſit in Comitatu anno MCCCCLXXIV. obiitque MDII. uti Annales teſtantur Hiſpani. Nepos erat prædicti, quem ſignavimus, Epiſcopi Palentini Petri de Caſtilla ex propinquo ſatis genere materno. Petrus Epiſcopus ſecundo gradu deſcendit a Petro Rege, Joanna Didaci genitrix tertio gradu ab Henrico ſecundo, Petri fratre. Hujus etenim filius erat Fridericus de Caſtilla, iſte filiam genuit Leonoram de Caſtilla, illa Joannam, hujus contracti Didaci genitricem. Ita omnia recte cohærent, nec eſt cur ad alias recurratur ambages, aut majoribus ſe quidam implicent, ut minoribus explicent, difficultatibus, quas ipſi ex hiſtoriæ adinveniunt imperitia. Adde his, Innicum Manrique Archiepiſcopum Hiſpalenſem, Joannæ fratrem, & adoleſcentuli avunculum, tamquam teſtem domeſticum, & totius rei conſcium, teſtimonium dixiſſe coram Judicibus deſignatis ſanctitati Regalati explorandæ, & miraculis examinandis. Hic ergo ſanatus adoleſcens acceptum Viri ſancti habitum ab Epiſcopo avunculo reverenter in domo ſua & familia depoſuit, & majoratui, ſive primogenituræ perpetuo vinculavit. Ipſe primus inſtitutus eſt Marchio Deniæ a Regibus Catholicis ſub annum MCCCCLXXIV. & tranſeunte hoc ſacro pignore ad poſteros, tamdem hæres factus eſt Dux Lermenſis, & Marchio Deniæ Franciſcus Gomez de Sandoval, Philippi III. intimus & ſummus conſiliarius, qui capſa argentea & gemmata incluſum, quocumque ibat aliquandiu hæſurus, circumferebat.

Vide Nobiliar. genealog. Hiſpan. tom. 1. l. 1. c. 1. & lib. 4. c. 3.

Citron. Joann. 2. c. 133. Garib. l. 14. c. 26.

CLXIX. Ita ſerio, ſed neceſſario hujus miraculi veritatem examinavimus, ut denſas nubes exortas ex caligine adverſantium in hac re hiſtoriarum veritatis ſpiculo diſcuteremus, & dubia ex illorum cordibus amoveremus, qui vel hinc inducti, in dubium reduxerunt præcipua acta compacti proceſſus. His ergo, quæ in vita geſſerat, relatis, ad ea, quæ poſt mortem evenerant, nunc liberius deſcendemus. Duo ſervantur codices vetuſti MSS. in archivo Conventus, in quibus ſcripta ſunt potiora miracula, quæ Virum Dei perpetraſſe, tabulis publicis & notariorum ſyngraphis compertum eſt. Primus codex continet quadraginta miracula, quæ ante ſex ab obitu menſes operatus eſt, & vera eſſe, perſonæ ipſæ, quæ beneficia receperunt, conteſtatæ ſunt coram Regiis Notariis, eaque amplius confirmari curavit publicis inſtrumentis quatuor ſcribarum frater Alphonſus Valliſoletanus Vicarius domus Aquileræ, vigeſimo tertio Octobris anni MCCCCLVI. eo ipſo anno, quo Regalatus deceſſit. Alius codex habet miracula ſeptuaginta unum, quæ in ſequentibus annis contigerunt, & rogante fratre Bonaventura Guardiano prædictæ domus, tranſumpta ſunt authentice anno MDLI. a quinque Notariis. Utrumque codicem & exemplaria accurate ibidem ſervata, anno MDCXXXI. Eminentiſſimi D.D. Cardinales Congregationis ſacrorum Rituum, dum ſollicite ageretur de Viro hoc inter cœlites connumerando, Romam afferri curaverunt. Alii etiam recentiora miracula collegerunt, diligenter examinarunt, & in publica acta redegerunt Judices Apoſtolici, Reverendiſſimus Martinus Manzus a Zuniga Epiſcopus

Tres compacti proceſſus geſtorum Regalati.

Oxomenſis, & Alphonſus de Portillo ejuſdem Eccleſiæ Theſaurarius, quibus hæc cura poſtremo commiſſa eſt in Hiſpania. Omnia nos hic miniſtrabimus lectori ea fide, non ordine, quo ſcripta ſunt. Ad faciliorem methodum, tædii vitandi gratia duximus reducenda, & per varias ſectiones juxta gratiarum varietatem, & corporis membrorumque affectiones diſtribuenda, in hoc ſecuti D. Bonaventuram, qui plurima noſtri Inſtitutoris miranda opera ſub diverſis titulis diſtinxit.

De corporis fragrantia.

CLXX. Statim a Viri ſancti obitu confluebat ad Cœnobium hominum ac mulierum multitudo ſepulcrum veneratura, & importune a Præfecto poſtulabat particulas aliquas veſtium, aut rei alicujus ad ipſum ſpectantis. Joannes a Caſtro, tunc ædis Vicarius tot victus moleſtiis decrevit, ut quod daret haberet, eum quo ſepultus erat, habitum in ſegmenta diſcindere. Itaque XIII. Aprilis, & XIV. ab obitu die injunxit Joanni de Olmedo, & Joanni de Valdivieſo, ut exhumatum corpus, ſi per corruptionem aut graveolentiam liceret, veſte exuerent, alia operirent. Noctu terram effodientes, antequam corpus attingerent, admirabilem ſenſerunt odorem, nullam cum reliquis habentem ſimilitudinem, quo perterriti inchoatum opus amplius proſequi non audebant. Præfectum vocaturi ad cubiculum acceſſerunt, quibus ille præloquutus dixit, intenſiſſimum optimumque ſe percipere odorem, peregrinum tamen & incertæ originis. Illis factum narrantibus deſcendit in Templum Vicarius, & audenter detecto corpore diſcidit aliquot habitus ſegmenta, piis viri cultoribus diſtribuenda. Eam ſpirabant fragrantiam, ut intra cellam contineri non poſſent, nec ille præ vehementia dormire.

Ex ſepulcro pauperi panem largitur.

CLXXI. Senem quemdam pauperculum ſolebat quotidiano cibo reficere. Paulo poſt ejus mortem acceſſit mendicus ad oſtiarium, ſolitam accepturus eleemoſynam. Sed reſponſo accepto, tarde adveniſſe, nihilque ſupereſſe erogandum, impatienter tulit, abiitque in Templum ad ſepulcrum Regalati, ubi conqueſtus de janitoris erga ſe incuria, dixit: *Piiſſime Pater ſi tu vixiſſes, non ita male mecum ageretur, neque abſque refectione rejiceret oſtiarius. Mihi tecum bene ſemper erat, nunc fame pereo, nec eſt qui reſpiciat.* Res mira! Audita miſelli querela Vir ſanctus brachium exeruit, panemque porrexit. Magna debuit eſſe erga proximos caritas viventis, cui tanta inerat defuncto erga pauperes miſeratio.

Nobili ſepulcro & epithaphio cohonestatur.

CLXXII. Jacuerat in hoc ſepulcro annis triginta ſex, nullo majori cultu, quam adventantium gratis obſequiis. Soli exteri colebant, qui beneficia capiebant. Ea vero fuerunt adeo ingentia & frequentia, ut Catholicam Reginam Eliſabetham, Ferdinandi digniſſimam conjugem, Granata ad venerandum ſepulcrum avocaverint. Putavit miraculis illuſtrem illuſtri etiam conditum videre mauſoleo, ſed invenit humi inter ſuos Conſodales communi jacentem cœmeterio. Subiit cogitatio & deſiderium tot miraculorum auctorem videre, effecitque ut in frequenti Cleri & populi conſpectu exhu-

exhumaretur. Inventum eſt integrum & illæſum ea membrorum perfecta & recenti compagine, ut divelli non potuerint abſque ferri miniſterio. Curavit Regina ex manu abſcindi digitos quatuor, ſed accepto vulnere, ingens copia ſanguinis effluxit, quem ſudariolis, & pretioſis linteaminibus adſtantes avide exceperunt. Digitum unum apud ſe retinuit, alterum in loco prioris ſepulcri repoſuit, reliquos duos in ſacrario Aquileræ reliquit, quorum unum Fratres Matritum tranſtulerunt. Deinde injunxit Comitiſſæ Harenſi, ut nobili ſepulcro alabaſtrite corpus reponeret in ſacello majori ad latus Evangelii. Ita factum opere eleganti, inciſis lapidi præcipuis miraculis & ſequenti epitaphio.

Jacet ornata caro, fulgent Oſſa quieta, perſeverans Chriſto ſervivit, mundum ab infantia fugiens, honoreſque deſpexit miſerabilis ſeculi Petrus Vicarius de domo Dei, & Scala Cœli: hic finivit ſub regulæ paupertate ſancti Franciſci, nullum ſeculi quærens præmium ob gratiam Chriſti. Comitiſſa de Haro adornavit ſepulcrum, qui in præmium orat pro ea aſſidue Chriſtum. Laboribus carnis finem dedit, die 11. *Reſurrectionis Domini* M. CCCC. LVI. *anno.*

Tranſeo ad miracula, quæ utroque conditus ſepulcro mirifice perpetravit.

Caput dolentes ſanati.

CLXXIII. Tertio ab obitu menſe, Maria Alvarez, Didaci Agricolæ ex vico Jedræ, Ordinis Calatravæ, conjux, per biennium vehementi capitis dolore afflicta propoſuit ſepulcrum inviſere. Cum iret, voti compos effecta eſt, nec diſtulit beneficium, qui vel in voto cultum duxit impenſum.

Sancia Hernandez Alphonſi Hernandez uxor, longo tempore caput dolens, & in auribus perpetuo laborans murmure, præ ſepulcro adorans, obducto capiti ſegmento habitus Viri ſancti, perfectam ſalutem conſequuta eſt.

Ferdinandi Garciæ ex vico Fontis-Leſendri filius, ex tumore capitis ita graviter ægrotaverat, ut ex doloris magnitudine ſenſus oberrarent, & tribus integris horis mortuus videretur. Pater votum vovit Regalato, modo filium ſanaret, quod ad ſepulcrum duceret gratias acturum. Non prius votum emiſit, quam beneficium ſit conſecutus, capite integro, auditu reſtituto.

In oppido Motæ filius erat Gundiſalvo Garciæ, qui capite & manibus fœde tremebat. In Templum abiit ad ſepulcrum oraturus, & ſtatim convaluit.

Vir Catalanus ex Ailaga vico, nuncupatus Joannes Alphonſi, filium capite & latere affectum, & tertio poſt affectionem die elinguem, deinde ſemimortuum commendavit ſerio Viri ſancti tutelæ, promittens ſe ad ſepulcrum ducturum, & faculam oblaturum. Poſt paucas horas malum omne diſceſſit, & adoleſcentulus cum patre ſequenti die votum implevit.

Mariæ de Tortoles ex vico ſancti Petri de Jedra, filia, ex alto cadens muro caput colliſit craneo confracto. Filiæ vices dolens genitrix, nec habens quod Chyrurgis pro gravis & periculoſi vulneris medicamine ſolveret, petiit a Regalato, ut miſereretur. Exaudivit, ſanavit repente, nullo relicto rupturæ veſtigio.

Surdi audiunt.

CLXXIV. Kalendis Maii proxime poſt mortem ſequuti, Joannes Martinez de Sotillo oppidi Vertoſillæ, annis viginti duobus aure dextra dolens vehementer, auditis miraculis Regalati ipſum adiit, remedium reportaturus. Ad ſepulcrum orans, auditiſque Miſſis, repente curatus eſt; necnon Joanna conjux Michaelis Sanchez oppidi Fontis-iduena, anno uno ſurdaſtra.

Joanna altera adoleſcentula Caſtri Caſtillejo annis quinque ita obſurduerat, ut nonniſi magnis clamoribus quidpiam audiret. Acceptam terram ex ſepulcro auribus applicuit, & apertæ ſunt conſeſtim. Agnetem Fernandez Didaci Fernandez uxorem eodem malo & altero ventris laborantem appoſitæ reliquiæ Viri ſancti liberarunt.

Cæci vident.

Anno 1456. die 22. Junii.

CLXXV. Toribia Sanchez Ferdinandi Sanchez a Caſtro filia, utroque orbata lumine venit in Templum, adoravit ſepulcrum, allatam ſibi Regalati habitus particulam oculis impoſuit. Immenſo cœpit torqueri utriuſque oculi dolore, qui lacrymas extorſit. Paulo poſt, antequam exiret de Templo, aperti ſunt oculi ejus, manſeruntque ad plenam viſionem.

Michael Mermexus Caracenæ, vico Ineſio natus, adeo infirmo erat viſu, ut umbras dumtaxat rerum cerneret, neque quidpiam diſtingueret, etſi magnus arboris truncus objiceretur. Utroque læſus pede lignis ſubalaribus lente & laborioſe e domo ſua ad ſepulcrum venit, confectis diebus octo in itinere decem leucarum. Oravit, adoravit, conſeſtim vidit, perfecte ambulavit, exiliens, in domum ſuam majori, quam venerat, compendio regreſſus eſt. Adoleſcentula oppidi Languas unius oculi, & Ferdinandi de Aioſra filius, utriuſque uſum prorſus amiſſum in eodem Templo orantes recuperarunt. Catarina Guttierrez ex urbe Tudelæ ſeſqui anno cæca, ad ſepulcrum ducta, dum preces funderet, beneficium lucis accepit.

Eodem anno Kal. Junii.

Muti loquuntur.

Eod. anno prid. Kal. Maii.

CLXXVI. Garcias Alphonſus, Barrholomæi ex villa Turriſcrematæ filius, per ſeptem menſes obmutuit, auditu etiam amiſſo. Ductus ad ſepulcrum rediit utroque malo liberatus, & loquebatur recte magnificans Deum.

Joannes de Mota, oppidi Sinogas agricola, ab aratro regreſſus apoplexia correptus in terram decidit veluti inanimis, ita totius corporis partes ſine motu, ſine vita videbantur. Aliquantulum reſumpto ſpiritu, ſed amiſſa loquela, ut potuit, nutibus & ſignis petiit afferri atramentarium & chartam, ſcriptiſque rogavit, ut Aquileram eveheretur, Deo dilectum Regalatum veneraturus. Ductum collocarunt cognati ſuper ſepulcrum, & rogaverunt Cœnobitas, ut Viri ſancti habitum imponerent. Fecerunt; ille protinus convaluit, voce magna iis verbis. *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto*. Gratias Deo reddidit, ſuiſque pedibus domum rediit, qui adminiculis venerat alienis.

Ex vico Motæ, diſtrictus urbis Taurinæ, advenerat adoleſcens Petrus, Andreæ Gonzalez filius, a nativitate mutus & ſurdus, cumque paululum oraſ-

oraſſet ad ſepulcrum, ſolutum eſt vinculum linguæ, & apertæ ſunt aures, ita ut qui neque loquelæ uſum, neque artem habuit, abſque magiſtro diſerte loqueretur.

Manci curantur.

CLXXVII. Maria Joannis Sutoris uxor, ex Vico Pineli D.P. a Curiele diſſito, menſes duos acuto laborabat dolore in brachio ſiniſtro. Tamdem contractis nervis ſub unguibus aqueus humor emanabat. Manus contabuit, & claudi non poterat, digitique intumuerunt, nec extrahi poterat annulus indicularis. Gravius aliud cordis malum, contorquens pœna in clamores adigebat, qui frequenter vicinos excitabat ut ſuccurrerent. Tædio affectus vir, derelinquere penſitabat. Doloribus preſſa, & mariti timens divortium, calidas preces effudit, & ſepulcrum hoc inviſit die Dominica, in qua incidit ſancti Antonii feſtivitas. Ab omni malo liberata læta rediit ad conjugem, comitantibus pleriſque hujus beneficii ſpectatoribus. *An. 1456. 16. Kal. Iulii.*

Andreas Fernandez Tudelanus brachio & manu dextris male habebat per ſeſqui-annum, neque toto hoc tempore manum claudere poterat neque aperire. Simili etiam malo affecti brachii Maria Roderici Sanchez conſors, perfectam conſecuti ſunt ſoſpitatem.

Joannes de Aquilera, Verlanga oriundus, cecidit e turre, quam nuncupant Martini Gonzalez, eoque caſu brachium dextrum confractum eſt. Annis ſex nihil illius brachii miniſterio facere potuerat, neque gladium evaginare. Ad ſepulcrum orans ſenſit occultum immitti vigorem, & ſtatim cœpit brachium movere, gladio admovere, & reliquis uſibus applicare.

Joanna Andreæ Ferrati conſors ex Turriſcrematæ oppido venit ad ſepulturam, deprecatura medelam contracti ex doloroſo puerperio utriuſque brachii. Pendebant enim abſque ullo humano uſu, nec ad mammillas poterat erigere, ut infanti porrigeret. Loco hoc malorum refugio, oravit, & exaudita eſt, brachiis priſtino ſtatui reſtitutis. *Eod. anno 9. Kal. Iulii.*

Juvenculam ex Caſtello Roderici-Diaz eodem malo laborantem, mutam etiam aperto ore hiantem, lingua immobilem, ſputo defluentem, genitrix duxit ad tumulum, Viri ſancti habitum admovit, integra nocte vigilias celebravit, oravit pro filiæ ſalute, impetravit, ſanamque reduxit.

Petri Bravi e Turegano filius una manu impotens, laxatis nervis inutili, illuc abiit, rogavit, ſanus receſſit.

Valliſoleti ea parte, quæ Salinerium nuncupatur, Catarinæ Alphonſiæ luxato medio digito oſſellum fœde & cum dolore prominebat. Adligavit particulam veſtis Regalati, poſt dies aliquot ſoluta faſciola, e ſomno expergiſcens comperit bene articulatum digitum, & ſuo uſui reſtitutum.

E Methymna Campenſi Petrus Gonzalez calceator, veteri apoplexia correptus, linguæ, brachii & cruris, imo totius ſiniſtri lateris uſu deſtitutus, emiſſo voto viſendi ſepulcri, ſequenti die e lecto integris membris ſurrexit, & promiſſa complevit.

Sacerdos Preſtamenſis, diœceſis Calaguritanæ, annis octo brachio contracto, oculis horrendis, ore retorto, fœdiſſimus apparebat. Præ ſepulcro miſerias expandens, felix decuſſis omnibus domum redivit.

Alphonſi Claudi Granatenſis filia, ferme ſeſqui-annis, digitum unum reliqua manu habebat majorem. A patre Aquileram ducta, longa prece Deo oblata, & nihilo meliore effecta, triſtis pater abſceſſit, licet conſecuturam adhuc ſalutem ſperaret. Ut ventum erat Valliſoletum, amplius intumeſcens di-

digitus, & fœdior effectus, ſpei reliquum videbatur ſuperaſſe. Attamen illuſtrius hoc fecit miraculum, ut ubi majus malum increverit, difficilius eſſet remedium, & ſpectabilius, ſi ſequeretur. Vere ſequutum die ſequenti, relicto tamen, ne memoria excideret, ſigno mali præcedentis.

In vico Gumielis Mercati puerulo, Petri Fabri lignarii filio, germanus frater natu major & viribus potentior brachium contorſit. Chyrurgus ut in locum ſuum oſſa coirent, & nervi corroborarentur, omnem artem & operam impendit, majori tamen dolore juvenculi perſtitit: crevit eo exceſſu pœna, ut vitam agere miſellus videretur. Oravit genitor ut patrocinaretur Regalatus, & ſub mediam noctem evigilans ex ſomno filius dixit genitrici, brachium ſuo vigori reſtitutum. Ita illa vidit, ita ille ſequenti luce probavit, libere brachio uſus in lacertoſo exercitio.

Convenerunt vir unus, & fœmina in oppido Roæ, brachia affecta habentes, & in templum hoc aſcenderunt. Simul orarunt, ſimul optatam receperunt ſanitatem. Alphonſus de Villa-umbrali Palentinus ſimile ibidem ſuſcepit beneficium vigoris priſtini brachio dextro reſtituti.

Tremulis cordis paſſio fugatur.

Ann. 1456. 14. Kal. Julii. CLXXVIII. Martinus Ruiz de Turegamo, parochus Muñoveri terræ Secubienſis oppidi, integro quinquennio perpetuo laborabat cordis tremore, & gravi timore, orto ex repentino quodam incurſu, eoque præſertim tempore magis excreſcebat, quo ſacrum facere cogitabat; tunc etenim cruribus tibiiſque tremebat; unde ſæpius ſacras veſtes indutus deponere compellebatur, neque toto illo temporis ſpatio ultra tria Miſſarum ſacrificia potuit peragere. Conſuluit vicinos longeque poſitos medicos, urbes, oppida, Provincias integras percurrit, tanto malo antidotum quæſiturus. Leucas mille quingentas emenſus, magnos ſumptus adhibuit, nullo mali decremento. Die Dominica, Junii quintadecima, neque valens populo ſibi commiſſo ſacra miniſtrare, neque reperiens, qui ejus vices ſuppleret Miſſam lecturus, vertit ſe ad Deum & divum hunc, votum vovit properare, & ſiſtere ſe ad ejus ſepulcrum, modo hac liberaret afflictione. Dicto citius timor & tremor receſſit, audenti præſtitit animo, ſacris ſe induit abſque ullo prioris paſſionis veſtigio, & ſacrum tranquille celebravit. Aliud etiam acceſſit beneficium fugatæ diſtractionis, & malæ cogitationis, quæ prius inter celebrandum, vel invitum torquebant. Ad votivum locum properavit, diebus tribus manſit, gratias, quas potuit, ſuo habuit benefactori.

Pleuritici liberantur.

Eod. anno menſe Aprilis. CLXXIX. Joanna Ferdinandi Gonzalez filia e vico ſancti Pauli, pleuritide dolens acuta, altero oppreſſa eſt morbo, inflammatis nimio ſanguine faucibus reſpiratione intercepta. Medicis aſſerentibus, jam actum eſſe de adoleſcentula, & ſuadentibus ut confeſtim unctio adhiberetur extrema: caſu venerat conjux Joannis cognomento Monachi, applicuitque locis affectis veſtis Sancti viri ſegmentum, & malum ab utroque fugavit.

Eodem lateris acuto & pungente dolore decumbebat Andreas Valliſoletanus, Petri Fernandez filius, & medici judicio feſtinabat ad interitum. Joanna Lopez Petri mercatoris conjux habitus particulam, & dentem Regalati, a Conſodale Conventus Tribulani accepta, admovet lateri, & ſtatim perfecte convaluit.

In

In ipſa Aquileræ villa Dom. Maria Otañez hoc malum, & inſuper inflationem hepatis paſſa graviſſimam, monita eſt, ut ſanctis Eccleſiæ ſacramentis ſe præmuniret deceſſuram. Medicus de vita deſperans, juſſit advocari, qui animam Deo commendarent. Venerunt ex Cœnobio Fratres duo. Reliquias Regalati aſportarunt, adhibuerunt, confeſtim curaverunt.

In villa Roæ Dom. Eliſabetha de la Puente, Dom. Franciſci de Ortega genitrix, ad eumdem ſtatum ex pleuritide etiam redacta, petiit ſibi aſferri reliquias, promiſitque ſe ſepulcrum inviſuram. Extemplo ſalutem conſequuta, quod promiſit, adimplevit.

Nephritis pellitur.

CLXXX. Tudelæ (vicus eſt diſtrictus Valliſoletani) Joannes de Media-villa annum circiter nephrite ſive renum dolore graviter vexabatur, nec ambulare poterat, niſi curvo corpore, preſſiſque manibus a tergo ſuper lumbos. Varia tentavit remedia; omna inania. Crebra fama motus, opem & ſolatium petit a Regalato, & viſum ire decernit. Nonis Junii die ſabbati domum relinquit, Martis ad ſepulcrum pertingit, Mercurii totus ſaneſcit. *Eod. anno 5. Id. Junii.*

Ferdinandus Martinez e Santivañes, longiori, quippe annorum quinque affectus malo nephritico, ſimiliter tumulum veneratus, ſanus & lætus abſceſſit.

Joannes Gonzalez & Tareſia conjux e vico Motenſi filiolum Petrum ſexenio nephrite & lumbagine contorto corpore ægerrime, & lapſabundum ambulantem eo duxerunt, divo commendarunt, idque ſalutis compendio, ſtatim pulſo dolore & corpore correcto.

Hernioſus ſolidatur.

CLXXXI. Ex vico Villalvæ Antonia genitrix filium hernioſum & cruribus tumentem ad Arandam Durianam medicum conſultura conduxit. Dixit ille, humanum nullum ſupereſſe remedium, divinum ſolum huic malo pellendo ſufficere. Hoc itaque ad ſepulchrum Regalati implorat, impetrat, faſcias ponit, ibique ſuſpendit.

Claudi ambulant.

CLXXXII. Sex annis claudicaverat pede dextro Catarina Martinez Joannis Lopezii de la Puerta conjux, Cuelaris oppido frequenti oriunda, neque abſque ligno ſubalari poterat incedere. Ille tranſiens, qui reliquias ſancti Viri habebat, tibiæ applicavit, & ſtatim ſenſit eam e contractione laxari, extendi, parem jam alteri factam. Fulcro abjecto recta & læta ambulavit, exivit, ad Monaſterium venit gratias habitura ſalutis curatori. *Eod. anno 6. Non. Junii.*

Joannes e Cuellari Rupefideli (*Peñafiel*) oriundus, militiæ ſanctæ Catarinæ eques, menſibus ſeptem utroque claudicabat pede, & ægro greſſu ſcipioni innixus parum ambulabat. Statuit ad Petri pergere ſepulcrum, & ſtatim melius ſe ſenſit habere, ita ut illo die leucas duas conficeret, ſequenti totidem, & tertia reliquum iter. Preces coram ſancti Viri tumulo effudit, & exauditus eſt, accepta integra valetudine.

Joannes ab Jedra, Petri Dominguez filius, genu dextrum per biennium dolens vehementer, multa adhibuit remedia, ſed fruſtra. Auditis ſancti Viri mirandis operibus, ut ſibi opitularetur, rogavit. Oratione facta, ſenſit *Idib. Junii.*

ſit per crus & pedem humorem, doloremque deſcendere, & ab utroque ſe perfecte liberari.

Kal. Auguſti. Joannes de Portillo ex Cuelaris oppido, filiam habebat Catarinam ſexennem, ab ipſo ortu utroque pede claudam, quæ manibus & genibus quadrupedum more incedebat. Brachia etiam emarcuerant & tabuerant, aliorumque ope cibus ori porrigebatur. Audit genitor ſancti Viri novella miracula, deſtinat vovetque miſellam filiam ad ejus tumulum deferre. Abeunt, comitatur genitrix, & fraterculus Franciſcus. Impetrato a religioſis loci incolis habitu, quem deferebat, & virgunculæ obducto, ſimul orant, ut proficiat. Inde ad prandium abeuntes juſſerunt parentes, ut Franciſcus reptantem per templi circuitum educeret. Vocat ille, & inclamat, ut pranſum adveniat. Non tam voce illa reſpondet quam factis obſequitur, & in pedes erecta, de facili, & ſine ullo innixu currens inſequitur: totam ſanam, valentemque ſe profeſſa. Mirari parentes, laudes dicere, & canere, denique fama per vicinos & cognatos deferri. Omnes concurrere ad videndum, aliqui ad explorandum. Invenerunt omnia fraude vacua, Deo plena.

11. Kal. Septemb. Maria Gonzalez Taurinenſis, Gregorii Calceolarii, e Pedroſa oppido, conjux, utroque contracta pede, ſuſtentaculo, ut incederet, egebat. Ut coram Virum ſanctum veneraretur, ferventer cupiebat, ſed ægre poterat, ea erat corporis macies, & virium hebetudo. Ducta tamen, & præ ſepulcro conſtituta cauſam dixit, miſeriam expoſuit, ſanari rogavit, obtinuit integro donata inceſſu, viribus reſtitutis. Simile recepit beneficium, & aridi brachii remedium Joannes Alphonſus de Ortiguela Verlangæ in eadem Eccleſia precibus effuſis.

Mulier Aillonenſis, ſenſu membrorum medio corpore a parte inferiori deſtituta, ita reſolutis nervis, ut vix etiam fulcris poſſet ire, multa conſilia vel auxilia audiverat, adhibuerat; fruſtra, non remittebat malum. Fama accidit de Petri virtute, abiit probatura: precibus effuſis, cœpit conſolidatis nervis paululum ambulare, ſed debili greſſu; aſcenſo demum equo reliquum cogitabat iter abſolvere. Antequam Arandam (ea via hoc occurrit oppidum) perveniret, ſudore copioſo perfuſa, rogavit genitricem, & qui in comitatu erant, dimitti. Dum illi dubitant, ipſa in terram proſiliit toto recreata corpore, & firmo greſſu cum reliquis domum reverſa eſt.

An. 1551. 5. Id. Julii. Fœmina altera e Padillæ Spiritus ſancti vico utraque adfecta tibia, fulcro incedens auxiliari, huc etiam deducta ferventes preces edit, ſentitque calorem & vigorem tibias penetrare, & baculi abjecto adminiculo, greſſu pergit reditque conſtanti.

Stephanus Fernandez Methymnenſis annis viginti quinque a cingulo deorſum toto dolens corpore, & conractis nervis, incurvatiſque cruribus per quadriennium axillaribus ſuſtentaculis incedens, neque ingeniculare, & inflectere niſi alterum genu, neque ubi ſedebat ullo modo exurgere valebat, incurvato etiam corpore deformis. In pervigilio ſanctæ Mariæ Magdalenæ venit ad Monaſterium, ſenſitque demitti per tibias & crura inſolitum ardorem, cum quo dolor omnis evanuit, & conſolidatis plantis, perfecte ambulavit. Eodem ipſo tempore, itineris & morbi ſocius faber ferrarius e contracta tibia repente convaluit.

Berenghelæ e Tudela, Joannis de Salamantica uxoris, crura, tibiaſque tumor ingens invaſit, neque calceos, neque caligas poterat obducere. Aures ejus prodigiorum Aquileræ ſermo pepulit, ire inclinavit, & ivit. Propitiari ſibi Deo carum poſtulavit: exaudita eſt; facile ſine ullo innixu ambulavit.

Pe-

Petri Velaſquez filius e Coſtæ vico, inverſa tibia & retracta, vix digitis primoribus ſolum calcabat. Adhibitæ variæ medicinæ, balnea, peregrina fomenta nihil profuerunt. Copia miraculorum excitus patrem orat ſe mitti Aquileram. Mittit: ibi orat adoleſcens, pedem dirigi, nervos extendi, parem ſentit utramque tibiam, firmoque greſſu recedit.

Martinus Alphonſi ex Motæ vico eo etiam vehi curavit filiam Catarinam, annis quinque utroque pede affectam, & brachii dextri uſu deſtitutam. Dum ſacrum fieret ſolemne, admovit, & ad ipſum contactum inſpectantibus Cœnobitis ſana & vegeta ſurrexit. *An. 1456. 8. Id. Junii.*

Joannes Rodriguez e Curiele, pede uno breviore ſcipioni innitebatur. Aliorum exemplo medelam inventurus acceſſit ad Monaſterium, divi adjutorium implorat; adfuiſſe ſenſit, pedi juſta menſura reſtituta. Ejuſdem oppidi Curielis alter Franciſcus ſcriba, anno integro uno claudicans pede, poſt emiſſas preces, contacto Viri ſancti habitu, virtutem ejus ſenſit attracta ſalutis virtute. *An. 1551. 8. Kal. Aug.*

Ægidius a Cantalapetra, annis ſex claudus fulcris incedens, & ſepulcrum inviſens, firmo greſſu domum redivit. Petri de Grado uxor urbis Taurinæ, eodem affecta malo, cum ad ſepulcrum duceretur, antequam perveniret, beneficium, quod optabat, conſecuta eſt.

Qui exteris tot conferebat beneficia, domeſticis non denegabat. Cœnobita frater Marius, aculeato dolore in utraque afflictus tibia, tumore premitur moleſtiori; Ædis Vicarium rogat, ut veſtis, qua Divus incedebat, ſegmentum collo impendat; facit; dormit æger: ſomno excuſſo ſaneſcit, eoque robore ut paulo poſt uno die leucas decem pedes hilariter devorarit. *7. Kal. Maii.*

Franciſcus Garcia natus in pago Sotillo, lapide uno a conventu Aquileræ, annis multis ambobus pedibus male habens axillaribus adminiculis corpus ſuſtentabat, & lapſabundus circumferebat. Intendit Aquileram proficiſci, & horis novem tumulo inhærere. Equo impoſitum ducunt amici, ſtatuto omnes tempore orationem producunt. Abſoluto termino ſalus non differtur, protinus ſaneſcit, & qui alienis pedibus acceſſit, propriis receſſit. *An. 1627. 18. Kal. Junii.*

In villa Gumielis de Iſan, Libana (ita nuncupabatur) juvencula Joannis filia, unius cruris contractionem duplici ſupplebat ligno ſubalari, neque toto hoc adminiculo abſque moleſtia ingenti poterat ambulare. Fruſtra multiplicatis medelis parentes beato Petro patienter ferentem conſecrarunt. Ad tumulum evecta ſimili novena adhæſit ſepulchro, atque inde ſanitatem reportavit, fulcra ſupervacua ponit, liberatori ſuſpendit. *An. 1626. 5. Kal. Aprilis.*

Angina ſublata.

CLXXXIII. In villa Roæ Agatha Iſquerda, Didaci Antonii recens conjux, annis nata vicenis, adeo obſtruſa angina, & faucium inflammatione afficiebatur, ut nihil ſumere, neque jam, ut videbatur moritura, ſacroſanctæ hoſtiæ particulam poſſet deglutire. Ita præfocabat malum ut ſpiritum continendo reſpirationem inhiberet. Morienti adſtiturus acceſſit Clemens Iſquierdus popularis & vicinus, Regalato perquam addictus, & prodigiorum præco continuus. Hic perſuaſit ſancti Viri venerationem, relatis multis ab ea patratis miraculis. Adoleſcens ſponſus vehementer dolens & flens ob immaturam conjugis jacturam, votum vovit Domino, ſi liberaretur a malo Regalati meritis, ſe ducturum melius habentem ad ejus ſepulcrum, ibique per dies novem utrumque vigilias celebraturum. Simile illa votum mente concepit, quod lingua non potuit, & confeſtim inflammatione dimi- *An. 1627. 6. Kal. Januarii.*

nuta, cœpit liberius respirare, ova, & jusculentum sorbere, & protinus mali reliquiis absterſis, quo promisit, abiit, stetit, vigilias absolvit.

Eod. anno 5. Id. Septemb. Tali morbo & periculo succubuit Alphonsi Diez & Hieronymæ Ordonnez filius novennis, in pago Gumielis Mercati, rogavitque mater suam genitricem, ut quam citissime ad Monasterium iret, & religiosis suaderet, reliquias sancti Viri ferrent puero applicandas. Abiit, petiit, sed impetrare non potuit, Cœnobitis circa alia distractis. Tristis reversa narravit filiæ repulsam, at illa ingenti fiducia inquit: *nihil refert, tantæ virtutis reputo hunc Dei famulum, ut etiam absque contactu reliquiarum possit sanare filium meum.* Quo dicto, in cubiculum ascendit, & quem reliquit semimortuum, invenit melius habentem, & paulo post vidit integræ redditum saluti.

Podogra & chyragra simul pulsæ.

CLXXXIV. Michael Perez Sacerdos, e villa Cerveræ oriundus, articulari morbo ita afficiebatur in manibus & pedibus, ut nullum posset movere. Decumbente quotidie, magis de fluxione, crescebat & dolor, nec somno dabatur locus aut quieti. Membris captum curavit se transferri in conspectum loci, unde sperabat salutem. Ad Viri sancti sepulcrum ut accessit, malum recessit.

Vari profligati.

CLXXXV. Hucusque narravimus varias membrorum affectiones, & remedia a fonte hoc scaturientia, nunc subjiciemus vitiosi corporis, & integri passiones aut morbos, ejusdem viri meritis fugatos.

An. 1427. mense Novemb. In villa Roæ VI. M.P. ab Aquilera, Uxamensis diœcesis, Baltazar Marrochinus, & Dom. Anna de Velasco infantulum genuerunt Franciscum Otannez. Dum adhuc penderet ad ubera genitricis, pituitæ eruptione varis aut pustulis in summa cute exuberantibus plene coopertus est. Infesto malo, & infantibus exitiali, extremum subiit discrimen. Diebus sex lac non suxit, nihil deglutivit, medici insanabilem dixerunt: ad funus omnia præparata, sepulcrulum apertum, expectabatur solum, ut ultimo halitu animam ageret, & inferretur. Divina dumtaxat ope parentes mederi poterant morienti; & ad hanc ventum est. Eo in loco celebris erat Regalatus: invocatur a parentibus ejus auxilium, voventque, se infantulum ad ejus tumulum delaturos. Emisso voto, accedit mater, ubera porrigit, sugit infans, & pustulæ evanescunt.

Aquileræ medicus filiolam habebat mensibus decem prognatam, ulcusculis his, & periculosis varis misere affectam. Alio iturus curam commendavit alteri ejusdem facultatis Doctori. Hic intra paucos dies de vita desperandum dixit. Superavit tamen genitricis fides Doctoris scientiam; Divo devovit, sanam recepit.

Sacer morbus vetus sublatus.

An. 1456. Kal. Junii. CLXXXVI. Joannes Thomæ Lombardus, e Principatu Mediolanensi juvenis delatus est in Hispaniam. Ab infantia passus morbum Herculaneum, sive caducum, gravius & frequentius in adolescientia impetebatur, & in terram collidebatur, unde latus sinistrum pene erat emortuum. Fama accedit de Petro, & frequenti malorum remedio. Sepulcrum invisere, ceream effi-

effigiem offerre ex animo vovet. Ivit, fecit, reliquias veneratus, veſtis ſegmentum collo appendit, liber & immunis ab hoc malo rediit, & per totam vitam permanſit.

Petrus Rodriguez e Puteolo, paſtor per quinquennium hoc miſero comitiali morbo affectus, & quotidie correptus, poſt omnia probata remedia, ſed ſine fructu, ad divinum recurrit, atque ut intercedat Petrus, exorat. Promittit ſepulcrum venerari, complet, perfectam impetrat ſanitatem.

Paralytici ſanantur.

CLXXXVII. Alphonſus Fernandez Sacellanus Eccleſiæ Raudæ ſive Arandæ, menſes octo ſcipioni innixus, aut parieti inclinatus, vix lente & trepide poterat ambulare, paralyſi ſive nervorum ſideratione affectus. Medici pharmaca, balnea, unguina nihilum profuerunt. Deſperatus ad Divum hunc reſpexit, & auxilium imploravit. E propinquo accepturus abiit ad locum, in quo jacebat: die Veneris pervenit, preces effudit. Dolor etiam ſabbato habuit, & angor gementem, morbo nondum ſoluto. Recedit e tumulo, & ſcalas Cœnobii ægre aſcendit, fulcro incumbens axillari. Sentit in aſcenſu novum vigorem infundi, procedit animoſius, videt baculum magis eſſe moleſtiæ, quam auxilio; abjicit, & ſine adminiculo ad ſuperiorem ædis partem aſcendit. *Miraculum!* exclamat, teſtes advocat recepti beneficii omnes Cœnobitas, & qui in templo erant, externos. Laudes & grates Deo, ac Divo curatori dicit, & qui ſimul dicant, alios deprecatur. *Eod. ann. Non. Junii.*

Maria Diez Palentina, Joannam Garciam filiam paralyticam, ore contortam & hiantem, linguam perpetuo motu volventem, brachio & crure dextro trementem, & manum clauſam habentem commendavit pietati & patrocinio Regalati. Placuit inſuper inviſere ſepulcrum, & ope indigam filiolam coram ſiſtere, atque multiplici miſeria ad miſerandum provocare. Dum pergunt in via, & ad pagum Villæ-Tueldæ accedunt, erigit filia utrumque brachium, manum aperit, & extendit genitrici, dicens: *Ecce mater Viri ſancti beneficium: non expectavit ut in conſpectum venirem, jam ſanam effecit.* Læta genitrix, & qui in comitatu erant, teſtes adhibent ſtabularios diverſorii in quo morabantur, laudeſque reddunt ſaluti. Nihilominus ultra proficiſcuntur ſepulcrum veneraturæ, & in templo offendunt virum nobilem D. Didacum de Zunniga, qui cauſam adventus ſciſcitatus, & quæ in itinere acciderant, obaudiens, vidit adhuc pollicem palmo manus hærentem, dixitque ut ſe efferentem pollicem, & deprimentem, aliiſque digitis conjungentem conaretur imitari. Ut voluit, fecit, nullo labore membra prius affecta ſuis uſibus accomodans. Perfecte itaque curata domum hilaris regreditur; ſed dum attingit, ecce vetus malum renovatur, & priſtinis affectionibus ſuccumbit: unde hoc malum? unde irati hæc Numinis vindicta? Cogitat, & fatetur mater ſe, non filiam ſupplicio dignam, & diſplicere Deo infidelem promiſſionem. Vovit, novem dies cum filia ad ſepulcrum excubare; non fecit, beneficio etenim accepto ſalutis ſtatim receſſit; inde judicat hoc malum immiſſum. Nec fefellit opinio: redit, excubat, per novendium in oratione perſeverat, die penultimo in pervigilio ſancti Antonii Patavini, denuo conceſſam ſalutem omnes admirantur. *Eodem ann. Idib. Junii.*

Nicolaum Roderiquez, villæ Arandæ ſcribam, morbus hic invaſit, & uſu privavit membrorum. Rogavit Virum ſanctum, ut mederetur, & ad ſepulcrum ductus preces iteravit. Non diu hæſit, quin exauditum ſe probaret, integræ reſtitutus ſanitati.

Sanguinis fluxus reſtinguitur.

CLXXXVIII. Vallisoleti erat nobili mulieri Joannæ Lopez ancilla, Maria Sancii Gonzalez ſartoris uxor, quæ fœtu concepto ante menſes quinque, primum hunc partum ſperabat ſe feliciter editurâm. Copioſo tamen fluens ſanguine menſe ſexto timebat abortire. Porrectæ ſunt Regalati reliquiæ, & collo appenſæ, ſtatimque ceſſavit fluxus, & uterum robuſte ad partum uſque portavit.

In villa Gumielis de Izan Anna Beltrana mulier nobilis & opulenta, annis multis hoc etiam patiebatur profluvium, eaque aliquando copia, ut pene deficeret. Nullum intentatum remedium, nullæ prætermiſſæ Divorum ſupplicationes: itum eſt ad ſanctam Caſildam, eo tempore miraculis illuſtrem; ſuſcepta item peregrinatio ad beatum Joannem de Ortega, ſed omnia fruſtra, malo ſemper pertinaci. Eo tandem proceſſit, ut tota exanguis extremum ſubierit vitæ periculum, atque adeo Sacramentorum adminiſtratione ad exitum, communi medicorum decreto ſe præpararet. Advenerunt religioſi duo a Præfecto domus Aquileræ amandati, ut languentem ſibi addictiſſimam inviſerent, precibus & reliquiarum contactu, uti poſſent, adjuvarent. Pio ſacra pignora venerata, ſummo affectu rogavit Virum ſanctum, ut propitiaretur, & votum vovit, ſi ſaneſceret, ad ſepulcrum pedeſtrem proficiſci. Non citius facto dictum, ſubito exaruit fons ille ſanguineus, ſuiſque pedibus, etſi provectiori ætate, ad Monaſterium laudes dixit ſuo liberatori, & protracta in multos annos vita, immunis ab hoc malo perſeveravit.

Profunda propulſatur triſtitia.

CLXXXIX. Spiritus triſtis exſiccans oſſa, & gaudium omne depellens, invaſit Joannis Moralles filium in ipſo oppido Aquileræ. Conſumptis carnibus, ſola cute & oſſibus conſtabat; lætari non poterat, ridere ſumma erat pœna, manducare tormentum. Venit in templum, oravit Deum, ut permerita ſui famuli redderet lætitiam ſalutarem, & ſpiritu principali confirmaret. Appenſo ad collum habitus ſegmento, ſtatim exhilaratus eſt, & triſtitia univerſa procul receſſit.

Inſaniens ad mentem reducitur.

CXC. In caſtro Sernæ, adoleſcentula mente capta, depravata functione principis animæ facultatis, ab annis quindecim neque orabat, neque ſigno crucis ſe muniebat, neque Chriſtianum ullum officium exhibebat. Deducta Aquileram, renuebat templum ſubire; ut intraret, vi compulit genitrix, & ſtitit ſepulcro. Habitu Viri ſancti induta ſtatim crucis ſignum obduxit, orationem Dominicam & ſalutationem Angelicam recitavit, rogavit ut vocaretur, qui reatuum confeſſionem exciperet, gratias egit compoſitæ mentis auctori, & deinceps vixit ſapienter.

Vulnus ſolidatur.

CXCI. Garcias de Roa, Epiſcopi Uxamenſis famulus, manu ſiniſtra vulneratus, læſis duobus digitis, & medii præſciſis nervis, graviter dolebat ex chyrurgi judicio nullum profuturum remedium, quin mancus remaneret.

ret. Aquileram profectus, cum uno ex Cœnobitis egit de adhibenda medela. Monuit ut missis humanis remediis, procul faceret unguenta & emplastra, Divumque rogaret, vellet mederi. Obsequutus viri religiosi monitis oravit, fasciola linea vulnus ligavit; & post biduum, dum loqueretur cum suo patruele de miraculorum ibidem patratorum multitudine, sensit per brachium humorem descendere, & mali timens ex hoc descensu augmentum, solvit ligaculum, viditque omnia se bene habere, remanente dumtaxat vulnerum vestigio.

Ex alto cadens bis salvatur.

CXCII. In ipsa Monasterii Ecclesia, & saccelli majoris testudine operabatur Joannes Hinnus, Villæ Tueldæ incola, faber cæmentarius, adjutoremque habuit filium Josephum. Hic dum incaute per tabulata incedit, ex alto decidit in pavimentum. Qui adfuerunt, putarunt undique contusum & collisum obiisse; sed dum accedunt visuri, ille sanus exsurrexit, & ad sepulcrum cucurrit gratias acturus Regalato, cujus, dum caderet, opem dixit se imploraſſe, & vere illam probavit, nullam sentiens ex altissimo præcipitio læsionem. Alias etiam sancti Viri patrocinium sensit ex tecto altissimæ domus in plateæ durissima saxa prolabens; invocato enim ejus auxilio, se incolumem e terra levavit pluribus inspectantibus & mirantibus. Pater succensus reprehendit, jussitque ut deinceps cautius ageret: *fortassis*, inquit, *Vir sanctus tuam temeritatem exosus, te negliget, neque dignabitur quotidie in tuam salutem egregia hæc miracula perpetrare.* *An. 1615.*

Molestæ & malæ visiones abiguntur.

CXCIII. Petrus Martinez de Torruelo, vico Sepulvedæ, ante annos octo attonitus, & toto corpore rigescens ex visione nocturna defuncti, incidit post dies tredecim in morbum diuturnum, & tamdem perdidit usum brachii lateriſque sinistri, ac pedis utriusque. Ductus in templum, & ad sepulcrum Regalati, vegeto sanoque corpore recessit. *An. 1456. mense Aprilis.*

Mirum & magnum duplex hic miraculum narrandum in pia & prudenti adolescentula, quæ cordis dolore & molestis spectris affecta diu languit, & in solo hoc Divo reperit medelam. Illustri stirpe virgo Maria Petri Alvarez & Mariæ Oliveriæ filia, in Ontalvilla districtus Cuellarensis vico, gravem cordis compressionem diebus duodecim passa, ne se discerperet, aut præcipitaret, a viris septem vix poterat cohiberi. Cessavit tamdem dolor, sed ad tempus, post hebdomadas septem reversus vehementius. Ita invadebat malum, ut valida secuta animæ defectione, & spirituum viriumque concisione, videretur mors in confinio constituta. Neque magna hæc passio sine Geniali opera. Audiebat sibi loquentem, & prava persuadentem mulierem, nec videbat. Secundo eamdem percepit loquelam, & ex consortio sermonis surda, muta, cæca, manu dextera contracta & clausa remansit. Tertio tamdem congressu apparens, se videndam commisit, facie dumtaxat absconsa, pulla veste, digitis anulatis, amica voce persuadens ut se ejus fidei crederet, promisso amplo statu & felici. At virgo subdolum aliquid suspicata, indignanter rejecit vocantem, & flocci pendit promissa. Auditis Petri miraculis, statuit illo ire, opemque implorare. Ecce nova spectra, nova mulieris consilia, ne credat fictis fraterculi miraculis, nec ab eo quidquam expectet auxilii. Illa sanctum dicere, miracula vera reputare. Indignata *Eodem anno mense Maii.*

præ-

præſtigiatrix minas adjecit, illam e ponte, per quem tranſeundum erat, cum univerſo comitatu ſe dejecturam. Minas dixit virgo inanes, ubi deerat potentia, neque quidquam ei licere, quod divinæ non placeret poteſtati. Inde omnia ſperanda & æquanimiter ſufferenda. Quod ſi Deo placeret, etiam illius etſi hoſtis & iniqui miniſterio mortem inferre, ſe non recuſare. Garrule & importune fraudulento inimico multa objiciente, & artificioſe modo blandis, modo aſperis verbis plurima inſinuante, tamdem erecto animo virgo in malam rem abire juſſit, & ſe omnino, contemptis ejus minis & pollicitationibus, ad Sancti buſta profecturam. Ne autem propoſiti pœniteret, voto firmavit, & opere poſt aliquot dies adimplevit. Occurrit prope Roam in itinere dæmon, & novis minis terrere cœpit, ut rediret. Nolentem furioſe aggreſſus eſt ut ſuffocaret, ſed illa divina ope artes ejus elufit, & tamdem pervenit Aquileram. Illic voti compos domum redivit incolumis, neque cordis dolorem, neque ſpectri terrorem amplius perſenſit.

Mulierem e Turre Galindi eadem ſpe, eodemque fructu maritus eo conduxit. E ſcalis ceciderat, & in ipſo caſu horribilem quamdam & nigram viderat effigiem. Hinc obriguit ſenſibus ſopitis, at paululum in ſe reverſa magnis clamoribus ingeminabat, ſe a malo Genio per montes & valles, per rupes & invia transferri, nec aliud quidquam inerat præter horrenda ſpectra & clamores. Ceterum læſæ potentiæ nulli erant uſui, neque externos, neque domeſticos, neque ipſum virum cognoſcebat. Quid amplius? ad ſacrum Petri tumulum priſtino ſtatui integre reſtituta eſt, libera & immunis deinceps ab omni Geniali illo malo perſeverans.

Leproſi mundantur.

CXCIV. In pago ſancti Dominici de Calzata, Didacum hominem provectum & robuſtum ſcabies aut vitiligo totum infecit, quam Elephantiam aut lepram inſpectores & medici judicabant. Deteſtabile malum, & quod extra conſortium hominum ablegat. In Europa primum Gn. Pompeii tempore cognitum, & e Syria Judæaque illatum aliqui ſcribunt. Miſer dolere & pudere, atque ad commune hoc malorum levamen recurrere. Fuſis precibus, deterſa ſcabie, abſque ulla humana opera fœdam & elephanticam carnem in nitidam vegetamque mutavit.

Michael Sanchez e villa ſancti Dominici, integro anno claudus, axillari ſuſtentaculo greſſus obfirmans, & lepræ quadam ſpecie toto corpore niger, a prædicto Didaco monitus, ad ſacrum hoc beneficiorum promptuarium Julio menſe accedens, ut oravit, illico ſe mundatum, pedibuſque ſenſit erectum.

Apoſtemata & ulcera curantur.

CXCV. Lupi Salzedi uxor Joanna, e vico Pineti inferioris, in tibia ſiniſtra infeſtari ſtrumis multiſque ulceribus cœpit, & malum ingenti dolore pati per triennium. Ecce audit de benefico Divo hoc, & virum rogat permittere illuc iter, & ſi commodum eſſet, comitari. Annuit maritus, & cum languida tardo greſſu ad votivum locum pervenit Sabbato antemeridiano. Perſeverarunt in templo orantes uſque ad Veſperas diei ſequentis, qua hora ſentiens mulier ulcera coiviſſe aut reſediſſe, clamat, tibiam ſibi melius habere, & marito oſtendit. Nihil frequentis ulceris vidit ille remanſiſſe præter veſtigia, quæ dicerent malum infuiſſe. Tum ſerio læti grates Divo acclamant, lætique recedunt.

In

In clara urbe Burgenſi, & nobili fœmina miraculum illuſtre. Ea heroina annos ſex infeſtata in una mammillarum inflatione primum & tumore, deinde ulcere peſſimo & immedicabili oris ſiderati, & carne exſenſa ac mortua, hiatu adeo magno, ut pugnum exciperet, vehementer dolebat. Horrebant, qui aſpiciebant; quid illa miſera, quæ ferebat? Medici chyrurgi varie advocati, aut evocati manum adhibuerunt, non remedium, & victi denique, ægram deponere, & malum illud non niſi divina ope curandum dictitare. Ea adfuit facili occaſione. Appoſita particula habitus prodigioſi hujus Viri, extemplo convaluit.

Iſabella, Didaci & Agnetis Fernandez filia, pleuritide & apoſtemate ad mortem uſque languebat. Agonem ſuum Deo & Regalato commendavit, & protinus utrumque malum abſceſſit. Mirari ipſa, lætari parentes, omnes qui adſtabant, laudem dicere, & ſanatæ congratulari.

Gurielis Dux, ſive Capitaneus, famulam habebat, & hæc in altera mamma durum tumorem. Præter duritiem, quæ lapidis videbatur, livor aderat, perpetuus dolor & exeſio. Ab omnibus medelam petebat, nec invenit, niſi ad ſancti Viri ſepulcrum, ubi perfectam conſecuta eſt ſanitatem.

Maria Mañeria ſexagenaria, Paſchalis Morales Aquilerani conjux, ſtrumis multiſque ulceribus infecta deſperabat de remedio, eoque gravius malum, quod contagioſum eſſet, & parentes atque vicinos e conſpectu & conſortio fugaret. Medicus omnem operam & artem impendit, neque quidquam profuit, unde veluti incurabilem dereliquit. Oraverunt parentes & conſanguinei Regalatum, ut ſuam opem interponeret. Exauditi ſunt, & omnia ulcera coiverunt. Caſu rediit Medicus, & obſtupuit. *Anno 1626.*

Idem medicus filiam triennem, angina & duplici in gutture apoſtemate de vita periclitantem, ea, quæ patris eſt, cura medicabatur; ſed cum in caſſum irent omnia medicamina, obnixe rogavit Regalatum, patriæ & domus ſuæ tutelarem, ut ſui & filiæ vellet miſereri. Acquievit Vir ſanctus, & ſibi Fratribuſque addictiſſimo hanc gratiam conceſſit.

In villa Gumielis Mercati, Joanna Garcia Dominici filia, longo & gravi morbo eo devenit miſeriæ, ut ſeptem in ventre hiantibus ulceribus, inteſtina apparerent, ruptiſque viſceribus per graveolentia hæc oſtiola ſordes (ſit honos auribus) & excrementa prodirent, nulli jam uſui receſſu, aliiſve partibus emiſſoriis. Septem totos menſes ita jacuit, neque remedia docte & ſollicite adhibita hilum profuerunt. Mantuam Carpetanam Regis Catholici ſedem pater abiit de filiæ anxius ſalute, Regios medicos conſulturus. Expoſuit mali originem & ſtatum, ſed communi judicio illi decreverunt humanas artes univerſas omnino inefficaces. Reverſus dixit languenti ſola patientia malum hoc deliniendum, & divina dumtaxat ope curandum. Triſte nuncium, ſed inevitabile. Patienter tulit illa, neque ſpem omnem depoſuit converſo animo ad cœleſtia. Quæ audierat frequenter narrari Regalati miracula, in ſpem magnam conſequendæ ſalutis erexerunt, cum lacrymis oravit, & votum adjunxit ſe ſiſtere ſepulcro. Patri, quod promiſit, aperuit, atque iter permittere, & neceſſaria miniſtrare, ſupplicavit. Ægre annuebat genitor, timens ne in via deficeret, & ipſo conatu moreretur. Illa per pietatem & Dei miſericordiam deprecari, ut unicum hoc ſibi relictum, & cordi inditum remedium non denegaret. Tamdem victus, linteaminibus communitam, & faſciis circumcinctam operoſe deduxit in templum, & ſepulcro admovit, illique beati Viri reliquias. Statim viſcera coaleſcunt, integrantur, hiatus ventris clauduntur, faſciæ ſolvuntur, & vegeta animoſaque exurgit, vix veſtigio ulcerum remanente. *Anno 1618.*

A ſe-

A fœdo ulcere & diro cancro puella liberatur.

Supra n. 182. CXCVI. In Sotilli pago, Urſula Garcia puella, Franciſci Garciæ (quem etiam diximus ſancti Viri virtutem expertum) filia, putido ulcere, & peſſima gangræna in tibia afficiebatur. Dolor interior vehemens, ad alias corporis partes ſenſim ſerpebat. Ne latius ſe diffunderet, exeſæ carnis pars magna diſſecta. Horrebant qui aſpiciebant; quid illa miſera, quæ ferebat? Medici artem omnem probantes inaniter, victi denique ægram deponere, & carcinoma illud inſanabile conſtanter aſſerere. Tamdem ad finem malorum deventum eſt ad ipſam mortem, & mortis apparatum, Extremam-unctionem, & animæ jam tranſituræ commendationem. Cum reliquis orabat pater, ut felici tranſitu vitam terminaret filia, & in locum ſperandæ ſalutis abiret. Recordatus autem beneficii a Divo accepti, quando conſolidatæ ſunt baſes ejus & plantæ, preces mutavit, & corporis popoſcit ſanitatem, illud ipſum reverentiæ & cultus promittens obſequium, quod pro ſua impendit ſalute. O illuſtre miraculum! mors vicina repellitur, ſtatim tibia ulcerata, & crus affectum curatur, cancer eradicatur, & ſalute integra conſurgit: patrem comitatur ad ſancti Viri ſepulcrum, orat, laudes dicit, quod genitor promiſit, facto complevit. Admirandis his curationibus, & patratis in ſua filiæque perſona miraculis ita afficiebatur erga Divum perpetuo cultu Franciſcus, ut nihil tam commendaret filiis & conſanguineis quam ſancti Viri cultum, quem ob inſignia & frequentia prodigia prædicebat ſolemni ritu aliquando cœlitus adnumerandum.

Parturientes e ſummo periculo liberantur.

CXCVII. In Portilli pago, per octiduum ingenti cruciatu, & magno vitæ diſcrimine affligebatur quædam parturiens. Ejus vices deflenti ſorori occurrit quidam Minorita, Bernardus nomine, ex Cœnobio Tribulitano, interrogavitque cur fleret? cui illa tædioſum & miſerabile expoſuit ingemiſcentis puerperium. At hic funiculum ſeu cingulum nodoſum, quo utebatur Regalatus, tranſmiſit, eoque præcincta edidit feliciter infantem.

Ibidem conjux Ferdinandi Vaſquez tabularii ſive Notarii Regii ex Brigantino portu, vulgo Corunna oriundi, menſem totum hoc laborabat diſcrimine. Tamdem poſt dolores multos, & medicinas plurimas fruſtraneas, morti videbatur propinqua, & veluti jam morituram deflebant conſanguinei. Advenientes duo Conſodales ex Conventu Aquileræ, partem habitus Regalati adhibuerunt, & protinus uterum exoneravit.

Ex Aranda Duriana abiit Didacus e Caſtro ſuam conjugem Mariam Martinez in diebus puerperii viro ſancto oblaturus, rogaturuſque ut partum concederet felicem. Orantem præ ſepulcro fœminam vehementes compreſſerunt dolores, quibus ædis præfectus ſubvenire docuit per contactum Reliquiarum. Allato & ſuperpoſito hujus ſancti Viri habitu, brevi peperit & ſine cruciatu.

Plurimi attracti, & languidi ſanantur.

CXCVIII. Multos his malis affectos & liberatos in unum faſcem collectos hic proponam, & tædii vitandi cauſa breviter expediam. Tertio poſt obitum Viri ſancti die, venerunt in domum Catarinæ Sanchez Segovienſis, re-

relictæ Didaci Sanchez de Soto, Minoritæ duo Alphonſus de Ribera, & Petrus Villa-franca Cœnobitæ Rupis-fidelis, vulgo *Peñafiel*, & membris annum unum attractam adminiculis incedentem monuerunt, ut ſe commendaret precibus fratris Petri Valliſoletani, qui in Cœnobio Domus Dei ad Aquileræ villam ante biduum obierat, virtutibus & miraculis illuſtris. Subjunxit illa, ſe indignam eſſe quæ exaudiretur, & proinde ab iis petere, ut pro ſe vellent apud Divum intercedere. Orarunt illo ipſo die Jovis infra octavam Paſchatis Reſurrectionis Dominicæ, & die Veneris inſequente mulier abſque ullo adminiculo ſana & recta gradiebatur.

Catarina Sanchez altera, quondam uxor Joannis Fernandez Moreni defuncti, digitum medium dexteræ manus habebat emortuum & curvum annis decem. Venit in Templum, oravit, manum elevavit, ut frontem obſignaret, vidit digitum antiquo vigori reſtitutum.

Didacus Rodriguez e Peñalva, diœceſis Palentinæ aliis totidem annis medio corpore e cingulo deorſum inſenſibili, duobus fulchris non tam ambulabat, quam pedes per terram trahebat. In feſtivitate Corporis Chriſti audita re ſacra, ſolidari greſſu, & vivificari ſenſit partem emortuam, & paulo poſt abſque ullo adminiculo domum redivit.

Benedictus Sanchez e ſancta Maria Riazæ, pago Aillonenſi, annis tribus genibus & renibus calore deſtitutis graviter dolebat, & axillaribus incedebat ſuſtentaculis. Receſſit e tumulo ſanatis renibus, greſſu tamen aliquanto debili, & adminiculis deinceps non indiguit.

Michael de Monte Gallus, ex diœceſi Podienſi, & villa *Monde*, brachio & pede dextro a nativitate læſus, illud deſiccatum & emortuum ex humero pendens, manu clauſa & retorta portabat, pedem non tam movebat quam per terram trahebat. Annum agens vigeſimum quintum decrevit Compoſtellam ad inviſendum Apoſtoli Jacobi corpus proficiſci; audita tamen fama miraculorum Regalati, eo divertit, ſperans inde ſalutem reportare. In Templo aliquandiu hærens ſenſit brachium vivificari, & ex digitis tres extendit, paulo poſt reliquos duos, & pede greſſuque firmo exiliens & ſaltans laudabat Deum.

Joannis Madrigalenſis uxor, menſibus octo totis luxata membris, lecto decumbens, ad Aquileram aſportata perfecte convaluit. Hujus bono excitus ſucceſſu Joannes Hernandez de Madrigal, oppido ortus Joannis Romani in diſtrictu Arevalenſi, ſimili unius anni malo hoc idem remedium interceſſionis beati Petri adhibuit, & plene profecit. Idem contigit Joannæ Perez, filiæ Petri Fernandez Chamorro ortæ in pago Braojos, ſub juriſdictione Methymnæ Campenſis; viginti annis tibiis & pedibus ſiderata, in illo Templo ſuo morbo reperit medelam.

Sancia Rodriguez, Alphonſi Fernandez ex eodem pago oriundi conjux, ſuperiori parte corporis & brachiis contracta, eo profectura, dum appropinquaret Rupifideli, melius habuit; non tamen perfecte convaluit, donec ad ſepulcrum pervenit, ubi quæ prius ſemper jacebat, nec e lecto ſurgere, niſi aliorum poterat adjutorio, vegeta, & ſana ſuis pedibus domum redivit.

Annis octo Catarina filia Joannis Garciæ, & Mariæ Velaſcæ, ex Turri-Equitum pago Segovienſi, toto languebat corpore, ſuo uſu deſtitutis membris fere univerſis. A ſororio Nicolao Martinez in templum hoc deducta, & habitu Regalati obducto, priſtino vigori eſt reſtituta.

Petrus Garçias parochus Eccleſiæ ſancti Michaelis de Ribero, & Joannes Ramirez e Pinelo inferiori, pedibus attracti ſalvi fiunt, primus ad ſepulcrum, ſecundus poſt habitus indumentum.

In vico Pinedæ, Dom. Maria Alphonſi Fernandez uxor, annis tribus & menſibus ſex uno correpta latere, lingua balbutiente, curvo corpore alari incumbebat adminiculo. Salutato ſepulcro, expeditis membris, erecto corpore, & ſoluta lingua, grates reddidit ſuo benefactori.

Quidam ex oppido *Inojoſe de la ſierra*, longo tempore attractus ſe movere non valens; & alius nuncupatus Joannes Hernandez de Bega, diœceſis Calaguritanæ, e cingulo deorſum frigidis & enervatis membris, alaribus fulcris incedens, ita utroque indigebat, ut ſi manu forte decideret, alterum non ſufficeret ſuſtinendo, neque ipſe quod deciderat, elevando; ad ſepulcrum orantes convaluerunt.

Ad Ulmetum, conjux Alphonſi Garciæ, filia Martini Garciæ ſcipioni innixa dolenter incedebat; & Andreas Fernandez menſes novem ſimili affectus claudicatione, & baculi indigus adminiculo: Franciſcus Garcia ex vico Sotilli, tertio a Cœnobio lapide, annis multis totus affectus, horis novem ſepulcro inhærens; deſideratam conſecuti ſunt ſanitatem.

Joannes Plata ab Aranda Duriana, Sacerdos ex longa infirmitate membrorum omnium tantam incurrit corruptelam, ut nec in lecto corpus verſare, aut ab uno in alterum latus volvere in ſua eſſet poteſtate. Ambulare intentavit etiam axillaribus fulcris innixus, neque potuit; quid? neque ſtare, niſi a famulis ſuſtineretur. Triſtis & dolens votum vovit Deo & beato Petro, quod ſi infra triduum ſaneſceret, ad ſepulcrum totum excubaret novendium, & ſacrum offerret Miſſæ ſacrificium. Quod optavit, obtinuit; quod promiſit, adimplevit.

Eliſabetham de Prato membrorum uſu deſtitutam, Joannes Pratenſis, & Maria de Ortega parentes, & conſanguinei, itineris ſocii ex Aranda Duriana duxerunt ad ſancti Viri ſepulcrum, & languentem in pavimento depoſuerunt, donec Miſſarum abſolverentur ſacrificia. His expletis, eunt ad prandium, relicta juvencula prope ſepulcrum, & famulo, qui adſtaret. Dum prandent, ecce conſpiciunt præcurrentem ſervum, & feſtino curſu ſequentem puellam, clamantes & ingeminantes: *Miraculum! miraculum!* Vere magnum, ut quæ prius ſe movere non poterat, repente curreret, & quæ proſtrata jacebat in templo, exiliens & ſaltans prodiret in campum. Redeunt in fanum omnes, gratias Divo liberatori agunt, & tam inopinatam ſalutem ei merito adſcribunt & divulgant. Longo tempore recordata Eliſabetha accepti beneficii ſæpiſſime venit e prædicto oppido pedeſtris, grates repetitum.

Franciſcus Ordoñez oppidi Onræ incola, prius habitaverat in villa Aquileræ, ubi ancillam habuit Olaliam e vico *Palacios de la ſierra*, & hæc conſanguineam nervis contractis greſſu impotentem, duobus fulcris axillaribus innixam, quæ eo delata eſt ex pago Caſtelli Reginæ. Secundo poſt adventum die, equo vecta eſt ad Cœnobium, ibique fuſis per horas novem precibus multis, perfectam ſalutem impetravit, alares baculos poſuit, ad tumulum ſuſpendit.

Quartanæ febres pelluntur.

CXCIX. Petri Velazquez ex oppido Cuellaris conjux, trium annorum a febre quartana, emiſſo voto de inviſendo ſepulcro, liberata eſt. Mulier altera ex Onræ vico, duplicem quartanam, induto ad ſepulcrum habitu excuſſit. Marcum adoleſcentem ex Portilli pago, Didaci Fernandez e Cuellari filium, attactum ſepulcrum & reliquiæ e duorum annorum febre hac quadrimi circuitus liberaruut. *Ann.* 1627.

Joan-

Joannes de Cuevas, villæ Peñarandæ Decurio, incola factus eſt Mantuæ Carpetanæ, ubi filiolum habuit continua febre, quarto quoquo die exacerbatiore, ad eum ſtatum redactum, ut probatis, quæ excogitari poterant, remediis humanis, ad ſola divina fuerit recurrendum. Audivit eo appuliſſe duos Conſodales Cœnobii Aquilerani; quæſivit, invenit, oravit, ut pro infantulo intercederent ſerio apud ſuum tutelarem Regalatum; cujus intuitu ſi Dominus ſalutem impertiret, promiſit æquum pondus ceræ pendere, & Regalati nomenclatura filio perennem affigere memoriam recepti beneficii. Domum abierunt, ad lectum ingeniculantes domeſtici Divi opem invocarunt, præſentem ſenſerunt puero ſanato. Pater voti compos obſervavit promiſſum, munus dedit, filium ex Regalati cognomine nuncupavit.

A febre continua plurimi ſaneſcunt.

CC. Eo ipſo die, quo huic mundo valedixit Regalatus, & ſupradictum nobilem adoleſcentulum Sandovalium, Epiſcopi Palentini conſanguineum, ſaluti reſtituit, adfuit Rodericus Rave, aulicus Joannæ Manrique Comitiſſæ Caſtrenſis, quam juvenis diximus genitricem. Paucos poſt dies ea ipſa hebdomade abiit in villam Turris-crematæ, ibique invenit ſuum genitorem, & amicos cœnantes. Cœpit inter convivandum vitam, mortem, & miracula beati Viri, quem ipſe viderat religioſiſſime expirantem, referre. Ex convivis unus, Simon de Mazuelo dixit, ſe domi, longe inde per ſpatium leucarum octodecim diſtantis, reliquiſſe filium duobus ferme menſibus continua febre æſtuantem, quod ſi novellus hic Sanctus ſalutem redderet, promiſit ſe ad ſepulcrum oblaturum. Die ſequenti domum abiit, & tertio pervenit, interrogavitque obviam ancillam, in quo ſtatu filius verſaretur. Illa bene ſe habere, & a tribus diebus febrim nullam ſenſiſſe. Obſervata hora in qua morbus receſſit, compertum eſt, eamdem fuiſſe, qua pater votum emiſit. Pater filium incolumem ad ſepulcrum, uti promiſit, adduxit, & pro accepto beneficio gratias habuit benefactori. *ſupra n. 269.*

In villa Hari, Martinus Callexa perpetua febre tabeſcens, ab uxore ductus eſt Tordomarum, ut a muliere quadam in dignoſcendis morbis peritiſſima, diutino morbo medela aliqua adhiberetur. At cum ibi fruſtra hæreret, ſuadebant amici & cognati, ut regrederetur, ne extra domum ſuam obire contingeret. Genitrix & conjux ancipiti fluctuabant conſilio, ſi domum reducerent longa tabe jam pene mortuum, timentes ne deficeret in via: ſi vero illic exitum ſperaret vel remiſſi morbi, vel vitæ tranſactæ. Hæc cogitantibus, & inter alios diſcutientibus, occurrit Joannes, Mariæ Lamæ filius, dicens ſe pridie e Cœnobio Aquileræ veniſſe, & ſecum aſportaſſe ſepulcralis terræ pugillum, eaque ſe fide eſſe, ut ſi religioſo devinceretur obſequio ſanctus Petrus Regalatus, per hujus pulveris contactum ægrum, etſi in ſummo conſtitutum diſcrimine, ſalute donaret. Tenero affectu mater extempore promiſit, nudis pedibus ad ſepulcrum proficiſci, ibique ſyndonem appendere, quam filii præparabat funeri, modo convaleſceret. Deinde ad collum alligata crumena hoc pulvere referta, preces Deo & Divo pro filii obtulit ſalute. Non prius oravit, quam morbus abſceſſit, & qui diuturna febre contabuit, ſanus ſurrexit.

In civitate Burgenſi Eliſabetha Rodriguez, Roderici Villæ-viridis uxor, fervide Divum hunc oravit pro filio Joanne Lopez, Canonico Eccleſiæ Cathedralis, profunda melancholia, & peſtilenti febre oppreſſo. Protinus exaudita eſt fugato morbo, & immiſſo ei appetitu, qui nihil prius pote-

rat manducare, neque deglutire. Paulo poſt alio miraculo in ſe ipſa Viri ſancti probavit virtutem. In oppido Methymnæ Campi, dum quibuſdam colendis arvis intenderet, & nobile Clariſſarum ingredi vellet Monaſterium, ſubito dolore correpta, brachium dextrum obriguit, intumuit, pedes contracti ſunt, & vehemens febris inſiliit, triplicique hoc oppreſſa malo per tres hebdomades decubuit. Eufis Divo precibus, nocte intempeſta duobus ille ejuſdem Inſtituti Sanctis aſſociatus apparuit, ſe eumdem eſſe, cujus opem illa invocavit, aſſeruit; in humeris leviter tetigit, & malis omnibus liberavit. Rem omnem illa ubique propalavit, & quem numquam viderat, iis, qui paulo ante Divum, dum viveret, agnoverunt, perfectis delineamentis, corporis ſtatura, vultu & veſte depinxit.

Antonius Gomez in villa Aquileræ, a nativitate lenta febre continuo tabeſcens, deinde ejuſdem filius eodem affectus malo; & Petrus Beltranus oppidi Guzmani, per menſem febricitans, & capitis dolore laborans, attactu habitus Viri ſancti convaluerunt. In villa Roa, Catarina Mercati nobilis fœmina, & Petri Borgiæ conjux, diuturna febre & cibi inappetentia, carnibus conſumptis, cute & oſſibus conſtabat, & ſolam mortem præſtolabatur. Miſit tamen Aquileram, qui rogaret Fratres, ut ſibi addictiſſimam, & perpetuam Conſodalium hoſpitem viſum venirent, & Regalati reliquias afferrent. Plurimis in Sodalitium collatis beneficiis devinctus ipſe Cœnobiarcha
Ann. 1618. Lazarus a Saldaña abiit, lypſana detulit, applicuit, ſalutem impertiit. In villa Gumielis Izanii, Didacus Gaitero filiolum triennem per quindenam febre continua, & Sarampionis quem Hiſpani vocant, morbo, morti propinquum Divo commendavit, & ſalutem impetravit.

Vicina mors repellitur.

CCI. In Epiſcopatu Palentino villa eſt binomia *Encinas* & *Canillas*, cujus Dominus & poſſeſſor Didacus ab Aquilera tabifica & diuturna laborabat infirmitate. Medicinæ univerſæ nihil profuerunt, quin ad mortem properaret. Miſit qui Fratres oraret, ut reliquias mitterent Regalati. Accepit, oravit, vovit, ſe & dona ad ſepulcrum oblaturum. Obtinuit, quod cupivit; ſolvit, quod promiſit.

In villa Roæ, Chriſtophorus Velaſcus, Roanus Comes, incurabili lan-
Ann. 1600. guens infirmitate, rebus deſperatis ſe parabat ad exitum. Nobiliſſima conjux Iſabella de Vargas aulicum deſtinavit Diegum de Haro, qui Præfecto Cœnobii Aquileræ narraret ſummum viri diſcrimen, Cœnobitarum precibus commendaret, & Divi pignus aliquod afferret. Allatas reliquias marito admovit, ſtatimque melius habuit, medicis valedixit, & perfecte convaluit. In recepti beneficii memoriam vovit quotannis ſepulcrum Divi venerari, & cum Fratribus ſacras hebdomadæ majoris ferias tranſigere; quod, dum vixit, complevit.

Ann. 1615. In villa Tortoleſia, Antonius de Ortega & Ulloa, vir nobilis, magnis æſtuabat febribus, aliiſque acceſſoriis protinus peribat morbis, fruſtra adhibente remedia Martino de Cuevas, medico Roano. Tamdem judicatum eſt, mortem præ foribus eſſe, neque ſalutem amplius ſperandam ab artibus humanis. Deſtinavit ille Palentiam, qui ſcrinium afferret, in quo coſtas binas Regalati, recenti carne obtectas reverenter condiderat. Acceperat genitor a religioſo viro conſanguineo, qui ſub hoc Inſtituto militaverat in Cœnobio Aquileræ. Extractas devote veneratus & oſculatus reliquias, agonem ſuum Divo expoſuit, liberari petiit, & exauditus eſt.

Joan-

Joannes Sanz, in Aranda Duriana filiam annis duodecim, tædioſa infirmitate decumbentem, humano deſtitutam remedio, promiſit diebus novem ſiſtere ad Viri ſancti ſepulcrum, modo ſalutem impertiret. Convaluit, abiit, præ tumulo oravit, ſtatutis diebus excubias protraxit, gratias habuit ſuo liberatori.

In vico Quintanæ del Pirio, Franciſcus Quadrillierus nocte intempeſta abiit rogatum Martinum Cueſtam ſuum cognatum, ut veniret viſum, conſolareturque uxorem ſuam mœſtiſſimam & dolentem præ agone filiæ quadriennis Dorotheæ in mortis periculo conſtitutæ. Accedens uterque vidit morti propinquam puellam, & univerſa proximæ mortis indicia. Indicatum eſt, tunc in oppido Aquileræ in acta redigi omnia Regalati miracula, & fortaſſis conſultum iri infantulæ ſaluti, ſi huic Divo conſecraretur. Ita factum, & paulo poſt ſic convaluit, ut die ſequenti in platea aliis colluſerit puellis. *An. 1628. die 22. Martii.*

Philippus III. Hiſpaniarum Rex, in eodem Arandæ oppido æſtivabat; ſed ecce omnium dolore & mœrore Philippus Princeps, qui hodie vaſtiſſimum regit imperium, acuta correptus febre, quotidie graviori premebatur languore, neque interdiu aut noctu poterat dormire. Eo deventum eſt, ut Regis Protomedicus ad Aulicos & Dynaſtas, præ cubiculi veſtibulo excubantes, dixerit jam actum eſſe de Principe, neque ſpem ullam ſupereſſe ſalutis. Quid Pius Pater? ad Divos, divorumque moderatorem ſe convertere, vota preceſque offerre, ſupplicationes indicere, eleemoſynis & piis donariis divinam excitare clementiam; tamdem amandare heroes, qui ex Aquileræ Cœnobio cucullum Regalati, & digitos duos ex ſacrario adſportarent. Sub mediam noctem, dum Cœnobitæ ad matutinas procedunt laudes, accedunt, Regis votum Præfecto Franciſco Borgiæ exponunt. Confeſtim cum illis abit, pia pignora defert, ad Principis cubiculum accedit, atque in ipſo ingreſſu invadit languentem ſomnus, qui prius ab oculis fugiebat. Poſtea expergiſcenti admotæ ſunt reliquiæ, atque ab eo tempore cœpit melius habere, quod cœleſti beneficio medici omnes tribuerunt. Hoc adſtrictus munere Rex egit cum religioſis, qui aderant, & Præfecto de impendendo honore ſui filii curatori. Scriptis litteris ad ſummum Pontificem Paulum V. ad S. R. E. Cardinales, & Legatum Romanum, ſummis precibus flagitabat piiſſimus Rex, ut tantus vir inter cœlites referretur. Dilatum tamen negotium propter varia impedimenta: revixit ſub eodem Philippo IV. qui ſuo liberatori gratias acturus omnem nunc operam navat, ut quod Pater avide cupiebat, ſolemni ritu Divus adſcribatur cathalogo Sanctorum. *An. 1610.*

Exitialis morbus curatur.

CCII. Franciſcus Gonzalez tonſor ad oppidum Gumielis, filiam ſuam Agnetem, Joannis Reati conjugem, peſte infectam, & carbunculo maligno in fœmore affectam, cito morituram curabat divinis myſteriis ad exitum præmunire. Jam receperat ſacrum viaticum, & extremum unctionis Sacramentum quam citiſſime parabatur, vitam enim agebat momentaneam. In his anguſtiis conſtituta vidit ex Patris cingulo pendere vittam coccineam, qua paucos ante dies venam aperuit Regalato, poſtremo morbo decumbenti, & interiori excita impulſu rogavit, ſuo corpori circumcingi. Ita factum, & illa per horam elinguis obſtupuit; deinde copioſus invaſit ſudor, & paulo poſt lætiſſima exclamavit: *Eja pater! convalui, peſtilens morbus abſceſſit: ecce me & a morte, & a morbo liberatam.* *An. 1456. menſe Aprilis.*

Di-

Didaci Lopez Scribæ Valliſſoletani filia juvencula hac contagione animam actura, veſtis Regalati ſegmento contacta, repente liberata eſt, & cum aliis puellis ſana colluſit. Andreæ Lopez Tribuni Burgenſis filia, in vico non longe ab urbe ad mortem peſtillentia languebat. Miſſo a conſanguineis nuncio ad patrem, ut interrogaret, ubi vellet filiam ſepeliri, reſpondit ſatius eſſe in vico quam in urbe, ne genitrix obiiſſe reſciret. Etſi tamen de ſepultura ageret, non omnem depoſuit vitæ ſpem, quin Regalatum oraret, ut propitiaretur, pollicitus ad ſepulcrum ducere, eique perpetuo devovere ſanatam. Regreſſus nuncius, qui de ſepulcri loco referret, invenit a morbo liberam, toto corpore ſanam & valentem.

Mortui ad vitam revocantur.

Eodem anno menſe Junii. CCIII. In oppido Murielis, Alphonſus de Coſtina, in ſolemnitate Corporis Chriſti duxit in templum ſanctæ Mariæ conjugem, & filium ſexennem. Repentinus languor corripuit puellum, & in gradibus proſtravit altaris. Domum revectus fœdis & violentis motibus geſtiebat, cibum evomebat, dentibus ſtridebat, eoque horrore univerſa membra contorquebat, ut e conſpectu omnes abirent. Dum inter has dolorum torturas miſellus periret, acceſſit quædam Sanctimonialis dicta Conſtantia, quæ dira patienti compaſſa, non potuit diu horrendum ſpectrum intueri. Recedens ſuggeſſit genitori, in tanto pueri malo ſolum divinum valere remedium, monuitque ut viro Dei Petro Valliſoletano, paulo antea defuncto conſecraret. Fecit Pater, vovit ad ſepulcrum ferre, & ceræ honeſtum pondus offerre. Ceſſarunt ſtatim incompoſiti motus, & horridi geſtus, viſuſque eſt quietem agere, ſed egit animam. Clauſit genitrix gemens & flens ocellos defuncti, & glacie frigidiorem faciem contexit. Dilatum funus uſque in Veſperam diei ſequentis; ſed dum efferre cogitant, jam ad oſtium præparatis rebus neceſſariis, & conjuctis amicis, qui funus comitarentur, ecce puer rigidus, & ferme biduum mortuus animam recipit, & ſe commovet; oblata in cibum aut potum admittit. Valetudine integrata, pater voti reus ad ſepulcrum defert, offert, & ceræ oblato munere voti ſe abſolvit.

Eodem anno. Martinus Figuero in oppido Gumielis de Mercato, filios duos equo impoſitos repentino caſu vidit in terram colliſos. Petrus natu major in Franciſcum juniorem decidit, & graviter offendit. Elevato ſuperiori, inferior viſus eſt ſuffocato ſpiritu, & everſis oculis interiiſſe. Pater clauſis ore & oculis indubitanter reputans defuctum, ingemiſcens, ait: *Heu fili mi, lumen oculorum meorum, quia ita placuit tuo Creatori, abi felix, in pace requieſce.* Aſſumptis deinde majori animo & fiducia genuflexus ita oravit: *O vir optime, famule Dei, beate Pater, qui in Monaſterio jaces Aquileræ, redde mihi filium; quod ſi exaudieris, voveo a domo mea in tuam non pedibus, ſed genibus proficiſci.* Extemplo puerulus vitam recuperat, & ſanus exurgit. Stupens & hærens interrogavit genitor: *Quid hoc fili mi? Parte aliqua doles? aut omnibus ſaneſcis?* Cui ille ſe univerſim bene valere reſpondit. Qui aderant, magnum miraculum exclamant vitæ defuncto reſtitutæ. Pater Aquileram eo, quo promiſit, genum inceſſu longo tractu abiit, & filii liberatori debitas gratias perſolvit.

Eodem in oppido, Joannes infans trimulus, Joannis Reynoſi filius, ad fontem ſancti Petri incaute pueri more geſticulans, decidit in ſuppoſitum aquarum receptaculum. Poſt horas tres puella quædam ad fontem veniens, ut aquam hauriret, triſti ſpectaculo conterrita, ut puerum agnovit, clamori-

ribus & ejulatu vicinos advocavit. Jacebat miſellus ſub aqua ſupinus, hianti ore, ſanguine rubricatus, quo etiam fons inficiebatur. Extractum corpuſculum capite inverſo ſuſpenſum eſt, ut aqua efflueret: ſed cum nulla exiret, neque ulla motus aut vitæ ſigna apparerent, in vicinam porticum delatum eſt. Inde forte tranſierat Didacus Ordoñez Aquilerani Cœnobii Vicarius, videnſque eo convolantem oppidanorum multitudinem, & mulieres ejulantes ac flentes, in turbam irruit, quid rei eſſet, conſpecturus. Triſte vidit ſpectaculum, luridum ac frigidum corpuſculum, inverſos tumidoſque ocellos, diſtentum aquis ventrem, pallentia ora, & rigentia membra, aliaque ſigna mortis notiſſima. Senſit deinde interno ſe moveri impulſu, ut puero vitam per merita Regalati, de quo in Sanctorum numerum referendo nuper cœperat pertractari, a divina poſtularet clementia. Silentium itaque colliſis manibus indicens, ad circumſtantes converſus: *Quandoquidem*, inquit, *nullum aliunde ſperari poteſt remedium, ad Deum recurrendum eſt, & ab ipſo petendum, ut propter Regalatum ſervum ſuum hujus pueruli velit miſereri, & animam corpori reſtituere*. Quotquot aderant omnes in genua procumbentes orarunt, & parentes votum emiſerunt, ſi reviviſceret, ad ſepulcrum puerum, & ſyndonem, qua involvebatur, delaturos. Tum Didacus junctis manibus oravit, & mox ſignum crucis ſuper puerum produxit, dicens: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti per interceſſionem & merita beati Regalati vitam tibi, infantule, concedat Dominus Omnipotens*. Deinde arctiſſime defunctum amplexus bis aures & maxillam oſculatus eſt. Res mira! ſtatim puerulus ingemuit, tenſiſque brachiis & membris veluti e ſomno expergiſcens, omnem, quam hauſit, aquam reddidit, & paulo poſt livida & fœda facie in rubicundam, & pulchram converſa perfecte convaluit. Abſque ulla mora Aquileram duxerunt genitores, ſuo liberatori conſecrarunt, & ex ejus nomine habitu Franciſcano indutum, Regalatum deinceps appellarunt. Vivit adhuc miraculi teſtis irrefragabilis, ac præco perpetuus.

In territorio Arandæ Durianæ pagus eſt Villalvæ, ibique obiit parochi ex ſorore nepos, tenellæ etatis. Ferali obvolutum amictu aliquandiu domi retinuit genitrix, volebatque Aquileram deferre, & ſuper Regalati ſepulcrum collocare, pio & vehementi matris affectu inde ſperans cara pignora meliora recipere. Reſtitit Frater, & in ſuam juſſit Eccleſiam aſportari. Hic lacrymis, precibus, vi, muliebri impatientia & importunitate funus impediit mater, & tamdem obtinuit, quod ante petebat, ut ad Divi tumulum afferretur. Ut ſepulcrum attigit, revixit, multiſqus annis ſupervixit, reſtitutæ vitæ teſtimonium reddens, & hiſtoriam enarrans.

Tacentur multa, relata aſtruuntur.

CCIV. Plura hic liceret aggerare, ſed aut prioribus paria, quæ cum tædio iterentur; aut obſcura, quia nec locis, nec temporibus, aut perſonis ſatis diffinita. Paſſim enim ad Divi ſepulcrum ſcipiones, fulcra, ſyndones, variæ hominum, aut eventuum figuræ, quæ latam opem oſtendunt, ſed ut dixi, incertam, & narratu haud facilem, quoniam in re iſta ſacrorum, nec libet nec licet ingenio indulgere. Superſedemus; & quidni ſatis ſint iſta ſanctitati & beneficientiæ ejus aſſerendæ? Sed & cultui & venerationi illius in animis excitandæ? Porro quæ hactenus dedimus, unius ferme ab obitu ſemeſtris ſunt, & pauca poſtremis his noſtris annis collecta. Media annorum centuria miracula non defuerunt, ſed qui ſcriberent. Altum toto

hoc

hoc tempore ſilentium, an non incuria, aut omiſſione eorum, penes quos ſacrum depoſitum? Ego arbitror: ſive etiam ſatietas eos cœpit ſcribendi, aut colligendi, cum viderent perpetua ſcaturigine proſilire. Neque enim deſiiſſe miracula vel hæc ætas dicit, in qua paucis abhinc annis memorabilia evenere, publicis actis comprehenſa, & fidis tabulis ſignata.

Porro his, quæ narravimus, majori cura fidem adſtruere, cenſeo ſupervacaneum. Vetera ſunt, & novitia. Iſta in oculis atque in plurimorum, qui etiamnum vivunt, geſta, & concurſu, plauſu, fructu gentium celebrata. Illa ab iſtis non infirmam fidem capiunt. Si enim nunc facta, & videmus, cur nuper & olim fuiſſe abnuamus? Omnia vetuſta & recentia in oculis plurium geſta ſunt, teſtibus firmata, ſæpe Magiſtratuum ſignis. Acta priora majores noſtri confecerunt, religioſiſſimi homines, & publici Tabularii confirmarunt; poſteriora publico mandato Epiſcopi Oxomenſis congeſta ſunt; deinde omnia ex præſcripto Apoſtolico, juxta traditas regulas explorata, & inquiſita ab altero ejuſdem Sedis Antiſtite, aſſiſtente Theſaurario, qui in publicas fidaſque tabulas redegerunt. Ex illis univerſa hæc nos decerpſimus. Acta & Regeſta legimus; & ex iis ſelegimus, quæ videbantur digniſſima promulgari. Potiora expoſuerunt ſanctiſſimo D. Urbano VIII. tres Romanæ Rotæ Auditores, Joannes Baptiſta S. Rotæ Decanus, Philippus Pirovanus, & Clemens Merlinus, qui poſt longam diſcuſſionem, quæ firmiori conſtabant fide, in ordinem compacto libello, reduxerunt, & Eminentiſſ. DD. Cardinalibus ſacrorum Eccleſiæ Rituum directoribus graviori adhuc trutina librandum porrexerunt. Hinc prodiere aliquot decreta, quæ Acta, & res geſtas amplius confirmant. Pauca ex multis hic exhibeo.

Valliſoletana.

CCV. *Frater Didacus Ordoñez Minorum Obſervantium ſancti Franciſci, provinciæ Conceptionis Regni Caſtellæ, Beatificationis & Canonizationis ſervi Dei fratris Petri Regalati ejuſdem Ordinis, exhibitis in ſacra Rituum congregatione proceſſibus Petri Regalati fabricatis, inſtitit, illos de more committi, aperiri, recognoſci, interpretari, & omnia alia opportuna, & neceſſaria fieri; & ſacra Rituum Congregatio commiſit Illuſtriſſimo Cardinali de Torres, & petita conceſſit cum omnibus aliis ad cauſam facientibus, necnon mandavit ad ulteriora procedi, ſtante quod non comprehenditur ſub decreto Sanctiſſimi, ex quo ſunt lapſi a die obitus ipſius anni centum ſeptuaginta quinque. Die* XXVII. *Januarii* MDCXXIX.

Decretis hoc habetur inter alia nuper impreſſa fol. 27.

Joannes Baptiſta Card. Detus. Loco ✠ Sigilli.
Fr. Fulvius Benignus Segretarius.

Referente Illuſtriſſ. Card. de Torres proceſſus auctoritate Apoſtolica fabricatos ſuper ſanctitate & miraculis ſervi Dei fratris Petri Regalati, Ordinis Minorum ſancti Franciſci de Obſervantia, ſacra Rituum Congregatio cenſuit cauſam eſſe committendam tribus ſacræ Rotæ Auditoribus antiquioribus, ad effectum procedendi ad ulteriora juxta formam commiſſionis. Die V. *Maii* MDCXXIX.

Joannes Baptiſta Card. Detus. Loco ✠ Sigilli.
Fr. Fulvius Benignus Segretarius.

Com-

Comparuerunt in ſacra Rituum Congregatione Reverendiſſimi Domini Rotæ Auditores Coccinus Decanus, Pirovanus, & Merlinus exhibentes relationem factam etiam Sanctiſſimo ſuper validitate proceſſuum, heroicis virtutibus, & miraculis ſervi Dei fratris Petri Regalati, Ordinis ſancti Franciſci de Obſervantia, & inſtatum illam committi, ad effectum obtinendi beatificationem, & canonizationem, & ſacra Rituum Congregatio commiſit Illuſtriſſimo Card. de Torres. Die XIX. *Januarii* MDCXXX.

Joannes Baptiſta Card. Detus. Loco ✠ Sigilli.
T. Tegrimius Epiſcopus Aſſiſien. Segretarius.

ADDITIO ALIORUM.

„ In hac relatione S. Rotæ ad Urbanum VIII. impreſſa Romæ eodem
„ an. MDCXXX. pag. 8. de ipſo beato Petro Regalato hæc leguntur: *Sanctio-*
„ *ris vitæ tamen exemplum clarioribus virtutum incrementis tum demum*
„ *præſtitit, cum relictis mundi hujus illecebris, quidquid habuit maſculini ſe-*
„ *xus, ſe ipſum ſcilicet, conſecravit Domino, ingrediens Religionem Seraphici*
„ *Patris Franciſci de Obſervantia, in qua poſt ſuſceptum illius habitum, pro-*
„ *feſſionem emiſit, ut ſuper 4. & 15. iidem, & alii Teſtes deponunt.*

Actum fuit ad relationem Eminentiſſimi de Torres ſuper virtutibus requiſitis ad canonizationem fratris Petri Regalati de Obſervantia ſancti Franciſci. Et ſacra Rituum Congregatio cenſuit, prius diſcutiendum eſſe de quatuor miraculis, nempe tranſitus fluminis ſuper pallio, commutationis panis & carnis in flores, eleemoſynæ factæ poſt mortem cum emiſſione brachii extra ſepulcrum porrigentis panem egenti, & itineris quadraginta milliarium una hora completi. Ex quorum approbatione reſultabunt virtutes neceſſariæ præcedentes canonizationem. Die X. *Septembris* MDCXXX.

C. Epiſcopus Portuen. Card. Pius. Loco ✠ Sigilli.
T. Tegrimius Epiſcopus Aſſiſien. ſecretarius.

Inſtante fratre Didaco Ordoñez de Obſervantia ſancti Franciſci, Procuratore conſtituto in cauſa canonizationis ſervi Dei fratris Petri Regalati ejuſdem Ordinis, citato, intimato, & opponente, ut moris eſt, Promotore fidei, ad relationem Eminentiſſimi Card. de Torres ſuper virtutibus dicti ſervi Dei, cauſa bis acerrime diſcuſſa, Sacra Rituum Congregatio unanimi Eminentiſſimorum Patrum conſenſu pronunciavit, plene conſtare de virtutibus in gradu heroico dicti ſervi Dei ad canonizationem neceſſariis. Die XVI. *Novembris* MDCXXX.

C. Epiſcopus Portuen. Card. Pius. Loco ✠ Sigilli.
T. Tegrimius Epiſc. Aſſiſien. ſecretarius.

ADDITIO ALIORUM.

„ Demum poſt varias alias cauſæ diſcuſſiones Innocentius XI. P. M.
„ die XI. Martii anno MDCLXXXIV. benigne annuit, poſſe a Franciſcanis
„ utriuſque ſexus ſub ritu duplici, & a Secularibus diœceſis Valliſolet. &
„ Oxomen. ſub ritu ſemiduplici de hoc Servo Dei Officium recitari, quod
„ ſucceſſivis temporibus pro aliis etiam conceſſum, ut opportunius in pro-
„ prio loco referemus.

CCVI. Gabriel Anconitanus, illuſtri gente Ferretta natus (etſi quidam de Micholis cognominent) ſpretis ſeculi vanitatibus illuſtrior evaſit in humili ſodalitio Minorum. Virtutum omnium fundamentum humilitatem ſibi propoſuit æmulandam, eamque perfecte aſſecutus, omni creaturæ propter Deum

Marian. l. 5. c. 32. Marc. 2. p. l. 4. c. 22. & ſeqq. Rodul. fol. 162. Gabrielis Anconitani humilitas.

Deum ſubeſſe cupiebat. Abjecta & humilia quæque officia libenter obibat, juſſuſque patrio præeſſe Cœnobio, ipſe ſtipem colligebat, & Fratribus inſerviebat. Quod officii ſui erat aliquid incaute neglexit, vel ignoranter omiſit, & Jacobus Picenus Provinciæ Vicarius errorem correcturus præcepit ut publice coram Fratribus in capitulo pœnam ſubiret. Hilari vultu mandatum excepit, hilariori peregit, & donariolum remiſit, pretium injunctæ pœnitentiæ. Provinciæ adſcitus regendæ, dum ad Indulgentiam Portiunculæ lucrandam Aſſiſium proficiſceretur, Fulginei incognitus & deſpectus, juſſus ſacerdoti celebraturo inſervire, prompte obedivit. Superveniens Guardianus, hominemque cognoſcens, ædituum reprehendit, qui huic addixit miniſterio. Humiliter ille reprehenſum excuſavit, dicens ſe tanto munere indignum, opuſque illud excelſius, quam a quoquam contemni poſſit, ipſis Angelis honorificum.

Avarum male perituram prædixit.

CCVII. Vocatus ut exciperet confeſſionem cujuſdam avari divitis brevi morituri, conſuluit, facultatum pinguium partem in pauperes diſtribueret, & eleemoſynis peccata redimeret. Dum hæc perſuadere non poterat, interrogavit, ubi reconditos nummos haberet? cui cum ille, credens ſe diutius victurum, reſponderet, ſibi nullos ſupereſſe, infelicem prædixit Gabriel interitum; nec aberravit, paulo enim poſt abſque contritionis ſignis, imperceptis poſtremis ſacramentis deceſſit. Rediit Vir Dei, & vocatum avari nepotem in ſubterraneum locum deducit, juſſitque in angulo effodere, ubi ollam pecunia plenam invenit. Flentes autem conſanguineos a lacrymis prohibuit, dicens, non eſſe deplorandum, qui ſanum reſpuit conſilium, nec pauperum precibus Dei miſericordiam voluit implorare: *Periit*, inquit, *& de male acquiſitis abſcondito theſauro, theſaurizavit ſibi iram in die iræ, & revelationis juſti judicii Dei.*

Ejus virtutes & miracula in vita patrata.

CCVIII. Concionatoris officium, qua decuit ſolertia, & animarum zelo annis multis exercuit, virginalem puritatem ſumma retinuit vigilantia. Frequentes habuit Chriſti & Genitricis viſiones, atque ab hujus extollendis & contemplandis excellentiis, nullis negotiis, nullis diſtrahi potuit impedimentis. Affectum beata Virgo abunde rependit, collatis eidem multis gratiis, dono præſertim prophetiæ. Miracula multa in vita patravit, quorum hic damus compendium. Caſſandram Comitis Ferretti filiam, nobili viro nuptam, crure & pede fœde tumeſcentem, crucis ſigno; heroem quemdam menſibus ſeptem continua febre laborantem, dato quodam ſacro liquore; Petri cujuſdam filium comitiali morbo miſere affectum, cruce impreſſa; mulierem quamdam ſibi devotam, gravi infirmitate ita oppreſſam, ut triduo jacere videretur exanimis, impoſita capiti manu; quemdam collo graviſſime affectum, cruce ſignatum, perfecte ſanavit.

CCIX. In urbe Auximana concionatus inviſit fratrem Nicolaum ſuum Conſodalem, eodem loco progenitum, acuta febre proſtratum. Imperavit morbo, ut recederet, ſtatim receſſit; alios duos eodem malo crucis ſigno liberavit. Antonium Florentinum perpetuo mœrentem frequenti jactura filiorum infantum, qui non prius lucem aſpiciebant, quam amittebant, non prius nati, quam mortui, jucundo conſolatus eſt vaticinio, de felici uxoris partu mox ſecuturo, & de filii vita diuturna, ac ſalute perfecta. Natus puerulus, & in baptiſmo renatus, Franciſci accepto nomine, ingenti parentum lætitia vitam vixit longiorem. Priori ſancti Ægidii in urbe Anconitana, & domeſticis aliquot epidimia infectis, bono eſſent animo, perſuadens, prædixit nullum periturum. Vere locutum rei probavit eventus, eo mirabilior quod ſingulis diebus ea in urbe ſexaginta circiter peſte decederent.

rent. Clementi civi Anconitano de filii Venetiis peſte correpti ſalute valde ſollicito prænunciavit bene habiturum, pauciſque elapſis diebus, ſervum Dei certo prophetaſſe comprobavit. Petri ſancti Anconitani diro apoſtemate animam agentis, medicorum ope deſtituti, conjux ſummis precibus egit, ut viſum Gabriel veniret. Uti acceſſit, ſe toto corpore roborari ſenſit infirmus, deinde gratiſſimo Viri Dei colloquio amplius confirmari; demum cruce ſignatus e lecto exiliit ſanus & vegetus, qui paulo ante erat morti propinquus.

CCX. Tamdem virtute illuſtris, probatiſſimæ vitæ præmium accepturus lethaliter ægrotavit, adſtiteruntque languenti Jacobus a Monte Prandonis, & Georgius Albanenſis, quibus ille gratias ſub vitæ exitum rependens, dixit: *Gaudete & exultate, quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlis*. Ingraveſcente morbo, perceptis omnibus ſacramentis, præſentibus Confratribus & devote pſallentibus, feliciter ad Dominum migravit. Exequias ſolemnes curarunt concives, concurrentibus Epiſcopo & Clero univerſo, ſermonemque honorarium habuit Jacobus Picenus. Sepulcrum accepit in pavimento veteris Eccleſiæ; habet enim Cœnobium iſtud duas Eccleſias, antiquam Divo Franciſco ſacram, & novam ab hoc Gabriele conſtructam. Pie moritur.

„ His temporibus una dumtaxat in hoc Cœnobio Eccleſia viſitur, alia anti- „ quiori in Chorum, & Triclinii partem converſa. „ Antequam ſepulturæ traderetur, Luciam Anconitanam ad feretrum accedentem manu ſiniſtra duodecim annis, & recenti angina inflammatis faucibus affectam; Riccabellam alteram quatuor annis cæcam, oculos pedibus admoventem, & argenteos promittentem, voti compotes in omnium fecit conſpectu. His aliiſque miraculis excitati cives Anconitani, miſſis Oratoribus rogarunt Calixtum Pontificem, ut ſingula conſcribi, & æquo pondere librari juberet. Provinciam hanc mandavit Jacobo Piceno, qui adhibitis Notariis probatiſque teſtibus, miracula multa in proceſſum redegit, atquæ ad Calixtum detulit, relicto Fratribus Anconitanis authentico exemplari, ex quo præcipua hic relata exſcripta ſunt. ADDITIO ALIORUM. Miracula poſt mortem.

CCXI. In eodem libro, temporis injuria ex parte læſo, hæc etiam narrantur miracula. Nicolaus de Rocca filiam febricitantem, & morbo regio afflictam, voto emiſſo, ad ſepulcrum perduxit, eodemque die ſanam reduxit. Adoleſcentulus anginam ita paſſus, ut nec loqui valeret, ad ſepulcrum accenſa candela orans, ſtatim convaluit. Ibidem Conſtantia Anconitana a ſexenni ſanguinis fluxu & ſterilitate meruit liberari. Quidam ejuſdem urbis incola, tactis beati Viri reliquiis, febrem excuſſit. Infantulum mortuum deduxerunt parentes ad ſancti Viri tumulum, appenſoque cereo ſimulacro, vivum reportarunt. Alterum morientem genitrix Viri ſancti meritis commendavit, & exaudita eſt. Franciſcum juvenem, Dominici a Monte ſancto Anconitani filium, inimici extra civitatem feraliter in collo & in ventre percuſſerunt. Decidentibus inteſtinis, ſemimortuum domum, qui pertranſibant, aſportarunt. Parentes uti defunctum plorabant, ſed ille reaſſumpto aliqualiter ſpiritu vovit, quod ſi Gabrielis interceſſione ab hoc vitæ diſcrimine liberaretur, ſancti Franciſci ſubiret Inſtitutum. Gratiam accepit, votum adimplevit, vixitque probe longo tempore in Religione.

CCXII. Catarina Thomæ Albanenſis, civis Anconitani conjux, filium enixa languidulum extemporaneum tribus horis omnium judicio mortuum, precibus ſancti Viri commendavit, & dum ſepelire cogitarent conſanguinei, illa ſanum conſpexit. Quidam fœda lepra viginti quatuor annis aſperſus, invocato ad ſepulcrum Viri ſancti nomine, mundus evaſit. Comitiſſa Cor-

Cornea, Tertiaria Anconitana, laborabat morbo manuum insanabili. Quam medicorum ope consequi non potuit, tacto Viri sancti palliolo, perfectam consecuta est salutem. Frater Ludovicus Anconitanus, Sacerdos Minorita, utroque orbatus lumine, Gabrieli, Jacobo Piceno, & Francisco Castelli de Milo, sibi olim familiaribus, vita defunctis, se devote commendavit. Omnes ei apparuerunt, communique beneficio visum restituerunt, & sequenti die absque ullo impedimento sacrum celebravit.

CCXIII. Hujus generis signa sexaginta tria collegit beatus Jacobus fideliter examinata, & publica scribarum fide adnotata. Præter hæc alia triginta ad sepulcrum patrata leguntur, & cum pereuntibus postremis libri foliis alia perierunt. Viri Dei soror diploma obtinuit Pontificium, ut ad nobilius sepulcrum suis facultatibus construendum corpus transferri posset. Testamento pecuniam legavit, & hæredes nobilem condiderunt tumulum marmoreum, opere arcuato, gentilitiis insignibus illustrem, in muro veteris Ecclesiæ ad lævam ingredientis portam præcipuam „ Nunc autem idem „ marmoreum sepulcrum ad dexteram Aræ maximæ in Templi novi Presbyterio cernitur. „ Per quamdam fenestrellam integrum corpus conspicitur, habentque Anconitani in magna veneratione, etsi post translationem ad novum Mausoleum nulla sentiant patrasse miracula „ Verum enimvero „ illud sane mirificum in dies habetur, quando aliquod imminet infortunium, rumorem in Arca edi, audirique velut hominis se moventis in „ lecto non stabili, vel capsam conatu aperientis. Odor etiam suavissimus „ a sacro corpore emanat, & quod mirabilius, ex pallii ipsius, quo vivus „ utebatur, quodque ad ægrotos in dies defertur, superpositione, vel sanitas recuperanda, vel imminens interitus non obscure dignoscitur. „ Enimvero si lætitia ægrotum occupat, sanatio subsequitur, si vero pondus „ molestum, nec ferendum æger experitur, fere quantocyus mortalitatem „ exuit „ Calixti bullam circa hanc translationem in archivo Anconitano adhuc servari refert Gonzaga.

ADDITIO ALIORUM. Transfertur ejus corpus.

ADDITIO ALIORUM. *Gonz. in Prov. March. Conv. 1.*

Monum. MSS. Prov. March.

Gonz. in Prov. March. Conv. 1.

ADDITIO ALIORUM.

„ CCXIV. Verum, non Calixti, sed Innocentii VIII. litterarum de „ translatione sacri Corporis in archivo Anconitani Cœnobii prostat Autographum: cujus exemplum hic exhibemus.

INNOCENTIUS PAPA VIII.

Dilectis filiis Guardiano, & Fratribus domus sancti Francisci Anconitan. Ordinis Minorum de Observantia.

Dilecti filii, salutem, & Apostolicam benedictionem.

Ex Autographo quod in archivo Conventus Anconæ servatur.

„ *Desiderantes, uti nuper nobis exponi feciſtis, corpus quondam Gabrielis Minorum de Observantia in Ecclesia vestra reconditum, cujus meritis & intercessione Altissimus nonnulla miracula ibi in dies dicitur operari, pro augenda Christifidelium devotione, e loco, ubi reconditum est, exhumari facere, & in marmoreo sepulcro, quod ad hoc ipsum construi feciſtis, recondere, nobis humiliter supplicaſtis, ut dignaremur licentiam vobis desuper concedere. Nos hujusmodi supplicationibus inclinati, ut corpus, seu ossa ejusdem Gabrielis, e loco ubi reconditum est, exhumari, & in dicto sepulcro sine aliqua solemnitate recondi facere possitis, & valeatis, licentiam & facultatem vobis concedimus per præsentes. Non obstantibus*

„ *tibus Conſtitutionibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.*
„ *Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die* XVII. *Junii* MCCCCLXXXIX. *Pontificatus noſtri anno* V.
„ *

A. Rapezuntius.

* *Fortaſſis etiam Calixt. ſimiles dedit litteras quas tamen invenire nequivimus.*

Obiit die XII. Novembris hujus anni; ſed craſſe errat circa diem, annum, Pontificem Petrus Rodulphus, dicens obiiſſe 1. Novembris anno MCCCCL. & pro illius ſcribendis miraculis, eoque inter Sanctos connumerando Anconitanos pluribus Nunciis, & litteris egiſſe apud Eugenium IV. qui anno MCCCCXLVII. deceſſit. Ait ejus diem feſtum Anconæ celebrari die XI. Novembris. Ad ejus ſepulcrum lapidi magno marmoreo hæc habentur inciſa.

Hic ſitus eſt Gabriel frater, non parva Minorum
Gloria, ſic patriæ fama, decuſque ſuæ.
Non ſibi nobilitas parat hoc, non copia rerum;
Humanas quoniam ſponte reliquit opes.
Hic humilis, pauper, caſtus, patienſque laborum,
Invictam merito ſumpſit honore crucem:
Qua pia Franciſci veſtigia rite ſecutus,
Ante ſacros Chriſti creditur ipſe pedes.
Quem cum Matre rogat patriæ interceſſor, ut ipſa
Tuta ſit, & ſummo ſemper amica Deo.

Exceſſit MCCCCLVI. *pridie Idus Novembris.*

ADDITIO ALIORUM.

„ CCXV. Ejus imago in tabula, ab eximio Carolo Cribello depicta, „ prope ſepulcrum viſitur, deauratis caput circumdantibus ornata radiis; „ aliaque marmori inſculpta ſuper januam, prope Triclinium Conventus „ ſita conſpicitur, Gabrielem genuflexum iiſdem ornatum radiis, itemque „ Deiparam cum puero Jeſu ſibi apparentem exhibens.

Monum. MSS. Provin. March.

Philippi Aquilani puericia & adoleſcentia. *Marian. l. 30. c. 31. Marc. 3. p. l. 3. c. 60. Rodul. fol. 127. Legenda MSS.*

CCXVI. Philippus Aquilanus patre Amico Fociano, matre Bucia apud Caſſinam, agri Aquilani oppidulum, modico genere natus, anno ætatis ſexto utroque parente orbatus, a Jacobo avunculo ſuſceptus eſt. Ab illa ætatula ſummam præ ſe ferens honeſtatem, & morum gravitatem, placida quadam hilaritate ab ipſa natura præditus, jam tum cœpit jejuniis, & piis vitæ inſtitutis aſſueſcere. Integri anni ſingulis diebus ſuper parentum ſepulcrum prolixe orabat, interrogatuſque quid illic faceret? reſpondit ſe parentum beneficia, quibus poterat modis, compenſare. Peccata prævenit pœnitentia, prius enim caſtigavit, quam commiſit. E lecto ſurgens in paleis aut nuda humo brevem delibans ſomnum, reliquam noctis partem precibus tribuebat. Induſii mollitiem, omneſque corporis delicias procul ablegavit, & pro cilicio, quod non habebat, interiores veſtes opplebat pungentibus & aculeatis ſeminibus teutlomalachæ, vulgo *Spinaci*, quod etiam pœnitentiæ genus poſt ſuſceptum Inſtitutum Franciſcanum retinebat. Clericali habitu ſuſcepto, Grammaticæ operam dedit, reliqua ſtudia proſecuturus, quæ Sacerdotali judicabat idonea dignitati. Sed provectioris factus ætatis, mundana expertus pericula, & perituras exoſus delitias, tutiorem vitæ normam delegit ſub formula a ſancto Franciſco præcepta.

Fit Minorita.

Ejus virtutes.

CCXVII. Exultavit ut gigas ad currendam viam iſtam Dei mandatorum, non ſolum præcepta, & ſaluti neceſſaria velut puſillus, aut ſpiritu infirmus, verum ſuperexcellentia opera virtutis, & conſilia Evangelica tamquam

quam virtute potens, & fide robuſtus, hilari vultu, lætaque mente obſervabat. A vino ut plurimum, a carne ſemper abſtinebat; jejuniis, verberibus, miriſque modis corpus excrucians. Superiorum nutibus prompte obediebat, eorumque reprehenſiones eo alacrius, quo ſeveriores excipiebat. Tenerrime aliorum miſeriis & fragilitati compatiebatur, erga ſe ipſum prorſus immiſericors; ſimplicitatem columbinam inceſſu & verbis repræſentans, in operibus & conſiliis ſerpentis utebatur prudentia. Nihil ponderoſum abſque conſilio aggrediebatur, & ſecum tacitus ruminabat, quæ cœlitus infundebantur beneficia. Omnia quæ proſpiciebat vel agebat, materiam ſuppeditabant altiora contemplandi. In chori concentu, cœleſtis Curiæ ſuaviſſimam harmoniam; in oratione Confratrum, Sanctorum communionem, piamque pro nobis interceſſionem; cubitum iturus, mortis imaginem, & anguſtam ſepulturam; in vermiculis e corpore prodeuntibus, & moleſte mordentibus, horribilia ſepulturæ germina; in religioſa mendicitate, Chriſti voluntariam paupertatem; in igne, glacie, tenebris, fœtore, inferni tormenta protinus tamquam præſentia, contemplabatur. Temporis æquus æſtimator nullum abſque fructu permiſit elabi.

Dæmon fruſtra ab oratione perturbat.

CCXVIII. In oratione aſſiduus, quotidie poſt Completorium accuratiſſimo examine ſingulas diſcutiebat illius diei actiones, & ſi quid ſevere judicabat vel minimum deliquiſſe, ſeveriori corripiebat ſupplicio. His ea hora ſemel intentus vidit Satanam in monſtruoſæ capræ terrifico ſpectro lampadem coram divini Corporis depoſito lucentem extinxiſſe. Tum ille intrepide: *Hæ tibi artes, futilis joculator, minime proderunt, neque enim me ab oratione turbabis, neque ſacras aras tenebris offundes.* Educto protinus ex culina lumine lychnum accendit, & lampadem altiori tractu ſuſpendit. Secundo & tertio his repetitis, & capra in fœtidum hircum converſa, indignatus Vir Dei: *Abi*, inquit, *in malam rem: in Dei nomine tibi præcipio, ne me amplius ab oratione perturbes.* Confuſus abiit inimicus, neque deinceps auſus eſt moleſtiam inferre.

Divinis valde intentus.

CCXIX. Officium divinum ſumma attentione, corpore erectus, neque muro, neque Sedili, neque ullo innixus ſuſtentaculo, perſolvebat. Arcanum Miſſæ ſacrificium quotidie offerebat, & quotquot in Templo ſacra fiebant, diligenter audiebat, dicens, nullum tempus utilius, quam in Miſſis legendis aut percipiendis impendi.

Et caſtitati conſervandæ.

Caſtitatis vigilantiſſimus cuſtos, minimas, quæ obrepere ſolent, inhoneſtas cogitationes diligenter eliminabat, prudenter dicens, quod ſi arbor prius radices non egerit, neque frondes, neque fructus emittet. *Beatus*, ajebat, *qui tenebit parvulos ſuos, & ad petram Chriſtum allidet. Sponſus animæ noſtræ eſt zelotypus, & delicatus, honeſtatis nullam ſuffert injuriam.* Si quem audiebat verba proferentem minus honeſta, peracriter reprehendebat, nullius ſexus aut qualitatis habito diſcrimine; eo tamen dicebat modo, ut nullius indignationem incurreret, eoque fructu, ut quoſcumque a ſe correptos vere redderet criminis pertæſos, & corde contritos. Mulierum conſortium diligentiſſime fugiebat, & annis quindecim nullam in facie conſpexit, eamque tamdem a Deo gratiam conſecutus eſt, ut ad fœminarum, non magis quam ad ligni, moveretur aſpectum.

Somno tentatur.

CCXX. Unius tentationis ei reliquit Dominus exercitium, videlicet ſomni moleſtiam, quam ut effugeret, per integrum triennium multo verbere ſevere in corpus ſuum animadvertebat; aliquando vinctis manibus, iniectoque ad trabem fune, ne in terram decideret; aliquando ligatis manibus & pedibus ad lecti ſcamnum, ſæpe glomerato corpore colligatis, conjun-

junctiſque manibus & pedibus inſtar agni vel hœdi revincti, vel ut plurimum ſedens, numquam jacens, breviuſculum ſomnum delibabat. Eo autem diligentius tentationem hanc propulſabat, quo vehementius moleſtis inſomniis, & inhoneſtis viſionibus afflictabatur. Miſere aliquando concuſſus, quid ageret? Interrogavit Joannem Capiſtranenſem. Patienter ferendum & viriliter agendum, reſpondit, omnemque hanc afflictionem ad meriti augmentum fuiſſe permiſſam. Otium malorum ſeminarium ſummo ſugiebat ſtudio, & ſi quod ſupererat orationi, tempus religioſis devovebat exercitiis. Animadvertens, humiles caſas & paupercula ſui Inſtituti domicilia libris choralibus, Pſalterio, Antiphonario, aliiſque hujus generis codicibus indigere, ſtatuit hos ſcribendi modum etſi difficilem addiſcere, mireque conſecutus, provinciam omnem his libris complevit. Oratoria multa in ſilvis & hortis Cœnobiorum vel ædificavit vel reſarcivit, probe ſciens, quod licet loca hominem non ſanctificent, valde tamen ad bene operandum pro ſua juvant oportunitate; & commodius a turbis ſeparati orant Viri contemplativi, quam ſi aliorum commercio diſtrahantur. Strictiſſimæ paupertatis amator nihil in victu aut veſtitu ſuperfluum, nihil in utenſilibus, neque Eccleſiæ paramentis pretioſum admittebat, dicens, pauperes Fratres paupere cultu debere gloriari.

Otium diligenter vitabat.

Paupertatē amabat.

CCXXI. Solidam prægnantemque hominis virtutem conſpicientes ſuperiores, inſtruendis tironibus præfecerunt, quibus ille optimam, quam a fratre Savino de Campellis, provinciæ ſancti Franciſci Viro ſanctiſſimo, diſciplinam accepit, cum fœnore inſtillavit. Illud ei potiſſimum ſtudium cœleſtium contemplatione a terrenis avocandi, & oratione mentali Deo conjungendi; neque adeo inhiabat laboribus corpus atterere, quam ſpiritualibus documentis animum colere, & internas paſſiones mortificare. Chriſti vitam piis exercitationibus docuit æmulandam, ſed præ omnibus myſteriis Paſſionem meditandam, quam quindecim punctis ſeu partitionibus optimo ordine diſtribuit. Eam ipſe tam vehementer intimo impreſſit cordi, ut quoties illam referri audiret, ſummo cruciaretur dolore, & ſingulis feriis ſextis Paraſceves eamdem lugubri ritu explicantibus, verbere multo, arctiſſimo jejunio, lacrymis, impatienti ejulatu *Adimplebat ea, quæ deerant paſſioni Chriſti in corpore ſuo*. Prudenter utique; Chriſtus ſufficienter paſſus eſt, ſed nobis etiam aliquid faciendum remanſit: *Remanſit quidem, quia non omnia noſtra Chriſtus explevit: per crucem quidem ſuam omnes redemit, ſed remanſit, ut qui redimi & regnare cum eo nititur, concrucifigatur. Hoc profectò reſiduum viderat, qui dicebat: ſi compatimur, & conregnabimus.*

Tirones inſtruit.

Coloſſ. 1. 24.

Greg. lib. 4. in 1. Reg. c. 9.

2. Timot. 2. 12.

CCXXII. Etſi ſubeſſe mallet quam præeſſe, conſtrictus majorum præcepto oportuit aliquando aliorum regimen ſubire. Ita tamen regebat, ut potius ſervire videretur, & aliis præfectus, omnibus eſſet æqualis, illius ſecutus conſilium, qui dixit: *Rectorem te poſuerunt? Noli extolli: eſto in illis quaſi unus ex ipſis. Curam illorum habe, & ſic conſide, & omni cura tua explicita recumbe, ut læteris propter illos, & ornamentum gratiæ accipias coronam, & dignationem conſequaris corrogationis.* Talem ille conſecutus eſt placido & prudenti regimine opinionem, ut omnes ſe illius tradere cuperent diſciplinæ, nec eſſet in illa provincia, qui non optaret cohabitare. Non erat, qui de eo loqueretur verbum malum, nec qui ad Prælatos majores querelas tranſmitteret. Imperfectos ad regulam componebat, perfectos ad potiora ſtimulabat. In redarguendo vehemens, in monendo ſuavis, in præcipiendo nullius animum exulcerabat; probe conſi-

Prudenter gubernat.

Eccli. 32. 1.

de-

derans quod prælatus indiſcretus facit inobedientem ſubditum. Juſtitiam & miſericordiam ita contemperabat, ut delicta non remanerent impunita, neque delinquens exaſperatus. Etenim juſtitia ſine miſericordia ſeveritas eſt, & miſericordia ſine juſtitia incentivum præbet delinquendi. Moleſte ferebat, ſi quem videbat otioſum, atque unicuique ſuum deſignabat miniſterium.

Prophetia claruit.

CCXXIII. Signis etiam & prophetiæ floruit virtute. In Conventu Terami juvenculam a dæmone oppreſſam, præcipiente Guardiano, cruce ſignavit, ſtatimque a malo genio liberavit. Sulmonenſis Cœnobii factus Guardianus, viam quæ ducebat ad civitatem, non parvo labore fecit ampliari. Interrogatus a Fratre collaborante, ut quid tanto Fratrum ſudore, & aliquot impenſis ſemitam curabat dilatari? *Pauculis*, inquit ille, *Fratribus noſtris callis hæc abundanter ſufficit, eiſque qui ad nos veniunt, hominibus: ſed prope eſt tempus, quo ingens populorum multitudo hinc ſit tranſitura.* Verum prædixiſſe apparuit, cum poſt ejus mortem crebris commendatam miraculis, maximus fieret ad ſepulcrum piæ gentis concurſus. Magno æſtuans Chriſtum videndi ardore, viginti annis Deum rogavit, ut e corporis ergaſtulo ſuſpirantem animam placeret educere. Sæpiſſime repetebat illud Apoſtoli: *Cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto*; addebatque, valde ſe iis invidere, qui ad Chriſtum præceſſerant. Tandem exauditus cœpit ægrotare, deinde variis morbis affligi, & ingraveſcentibus doloribus, vehementer torqueri; in quibus illa dumtaxat ejus vox audiebatur: *Dominus fortitudo mea, Dominus refugium meum, & liberator meus*; demum languidulo ſpiritu, cum ſentiret mortem propinquam, præmiſſa confeſſione, devotiſſime ſanctiſſimum Chriſti corpus flexis extra lectum genibus, appenſo ad collum ſune, ſuſcepit, petita a ſancto Franciſco tranſgreſſionum venia, feliciter hoc anno migravit ad Dominum, die IV. Maii in prædicto Conventu Sulmonis, quem regebat. Corpus, dum viveret, ad nigredinem tendens, & facies fuſca ita facta ſunt alba, & labia quaſi roſa rubentia, & membra omnia adeo tractabilia & mollia, ut omnes mirarentur, cuperentque tangere & venerari. Acceſſit ad Viri ſancti honorem gloria miraculorum, quæ magno numero notarii manu collegit Epiſcopus Sulmonenſis, & alia plurima Fratres ſcripſerunt.

Phil. I. 23.

Pie moritur.

Quinam de eo ſcripſerunt.

CCXXIV. Ejus vitam ſcripſerunt Marianus Florentinus, Marcus Ulyſſiponenſis, Petrus Rodulphus, atque omnibus diffuſius ejus conterraneus beatus Bernardinus Aquilanus, quæ circumfertur MSS. ex qua ego potiſſima decerpſi. In opuſculo, quod de provinciæ ſancti Bernardini Cœnobiis compoſuit, ita de hoc ſancto Viro ſubjungit: *In loco ſancti Nicolai prope Sulmonem Corpus beati Philippi Aquilani requieſcit, qui paupertatis maximus zelator fuit, caſtitatis & obedientiæ maximus amicus, oratione devotus, diſcretione ſingularis, humilitate præcipuus, ſimplicitate purus, prudentia cautus, quaſi ſerpens, contra diaboli inſidias ſemper intentus, & (ut brevibus multa complectar) ſingularis noſtri beati ſancti Franciſci filius. Cunctis erat ſpeculum ſanctitatis, tamen totis viribus ſuam ſanctitatem abſcondere nitebatur: ſed (ſecundum Dominum, qui dicit:* Nemo accendit lucernam, & ponit eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo ſunt) *quanto magis nitebatur abſcondere, tanto magis ſanctitas ejus circumquaque diffuſa fuit. Denique poſt mortem multa miracula Dominus propter ſua merita oſtendere voluit, ut patet Sulmone. De quo viro pro nunc alia non dico, quia vitam ſuam latè deſcripſi.* In eodem Conventu eum jacere, ita etiam Franciſcus Gonzaga commemorat: *Hoc*

Luca 11. 33.

Gonza. in Prov. S. Bernard. Conv. 8.

in

in loco jacet corpus venerabile beati Philippi Aquilani, ad cujus mauſoleum ejus meritis divina operante virtute plurima contingunt miracula. Fuit beatus hic Pater, dum viveret, acerrimus vitiorum perſecutor, & melliorum chariſmatum diligentiſſimus ſectator. Beatus Joannes Capiſtranus audita ejus morte vehementer indoluit, & dixit: *Heu mihi, quia incolatus meus adeo prolongatus eſt, ut poſt ſanctum hunc virum inter has ærumnas oporteat ſuſpirare. Felix urbs Sulmonenſis, quæ tantum meruit poſſidere theſaurum.* *Vide ſupra n. 85.*

CCXXV. Floruerunt hoc tempore Magiſter Sanctes de ſancto Geneſio apud Conventuales provinciæ Marchiæ, vir doctrina, & dexteritate in rebus agendis illuſtris; necnon frater Gregorius Prima, ſanguine & virtute illuſtris, Calixti Pontificis nepos, cui ille Prioratum Monaſterii ſancti Petri de Stano Camaldulenſis Ordinis, Boſanan. diœceſis in Sardinia, a Monaſterio ſanctiſſimæ Trinitatis de Sacargia dicti Ordinis, Plonacen. diœceſis in eodem regno dependentem conceſſit hoc anno IV. Kal. Auguſti: *ut ſtatum* (inquit) *tuum decentius tenere valeas, pro quo dilectus filius nobilis vir, Seraphinus Montagas nepos noſter, aſſerens te germanum ſuum fore, humiliter ſupplicavit.* Frat. Gregorius Calixti III. nepos.

CCXXVI. Aſſumpti ſunt ad Eccleſias titulares, facti aliorum Antiſtitum ſuffraganei, qui ſequuntur. Ad Archiepiſcopatum Cambalien. in Tartaria, frater Joannes Pelletz ſacræ Theologiæ profeſſor, per obitum Bernardi, Kalend. Martii. Datus eſt ſuffraganeus pridie Idus ejuſdem menſis Jacobo de Roſembergk electo Uratislavienſi. Ad Cariſenenſem Metropolim, frater Baſilius Tuaten, ſacræ Theologiæ Magiſter, per obitum Joannis, Idib. Octobris. Ad Eccleſiam Embronen. Epiſcopalem ſub Patriarchatu Hieroſolymitano, frater Alvarus de Luna antea promotus, varia obtinuit hoc anno a Pontifice privilegia. Exercebat Pontificalia in diœceſibus Toletana, Hiſpalenſi, & Cordubenſi. Ad Sebaſten. in Saniaria ſub eodem Patriarcha, frater Georgius de Carpo ſacræ Theologiæ profeſſor, per obitum Jacobi de Mutina, XI. Kal. Julii. Exercebat Pontificalia in diœceſi Mutinenſi. Ad Berratinam, ſive Bernitinam, ut habetur in libro Conſiſtoriali, in Lesbia inſula ſub Archiep. Mytilenæo, longiſſimo tempore vacantem, frater Joannes de Falconeyo ſacræ Theologiæ profeſſor, & in Baſilica ſancti Petri in Urbe major Pœnitentiarius, VII. Idus Julii. Datus eſt ſuffraganeus Joanni Epiſcopo Atrebatenſi. Eodem die ad Vernen. in Macedonia ſub Arch. Theſſalonicenſi, frater Henricus Ribegerſte ſacræ Theologiæ Doctor, per obitum Hermanni, in cujus loco factus eſt ſuffraganeus Petri Epiſcopi Nuemburgenſis ſub Arch. Magdeburgenſi. Ad Jeropolitanam in Phrygia ſub Archiep. Synadorum, frater Ulricus Anmeir, per obitum Joannis, X. Kalend. Auguſti. Suffraganeum accepit Fridericus Epiſcopus Ratiſponen. Ad Helenopolitanam in Bythinia ſub Arch. Nicomedien. longiſſimo tempore vacantem, frater Petrus Cheminotus, IV. Idus Decembris. Datus eſt ſuffraganeus Ludovico Epiſcopo Malleacen. in Gallia ſub Arch. Burdegalen. Ex hac humili Fratrum proviſione ad Eccleſias dumtaxat titulares, ut ſuffraganeo apud alios Antiſtites munere fruerentur, apparet, quantum e ſua majeſtate & decore Religionis corpus per novam reformationis propaginem deciderit. Etenim vel tranſeuntibus ad Obſervantes viris primariis, vel laxatis regularis Inſtituti habenis, vel imminuta jam opinione apud Pontifices, non conferebantur, uti prius ſolebat, nobiles Eccleſiæ, non Cardinalitia dignitas, non Legationes Apoſtolicæ, non committebantur negotia graviora. Obſervantes in humili ſtatu a ſerio litterarum ſtudio ut plurimum abhorrentes, his

Arch. Cymbalien. Fr. Joannes.

Cariſenen. Fr. Baſilius.

Fr. Alvarus epiſcop. Embronen.

Fr. Georg. Sebaſten.

Fr. Joan. Barratinus.

Fr. Henric. Vernen.

Fr. Ulricus Jeropolitan.

Fr. Petrus Helenopolitan.

his muniis videbantur parum idonei; unde factum eſt, ut a Summis Pontificibus, etſi Ordini addictiſſimis, Martino, Eugenio, Nicolao, Calixto nihil ferme magnum aut honorificum circa munia publica, aut excelſos magiſtratus ſuerit collatum.

Conv. viridarii Mediolani.

CCXXVII. Ad hujus anni partus ſeu Conventuum ſtructuras jam tandem deſcendendum eſt. Diximus, Fratres regularis Obſervantiæ extra urbem Mediolanenſem Conventum accepiſſe ſub nomine ſanctæ Mariæ de Angelis: ſed cum in civitatem frequenter prædicaturi venirent, & concurreret ingens populorum multitudo, intra ſepta capaciſſimi viridarii prope *portam novam* nuncupatam, inter Eccleſias beatæ Mariæ *della ſcala*, & beati Petri ad Carnaredum, locum hunc amœnum & commodum deligentes, ſermonem habebant. Frequenter accedens Marcus de Figinio civis Mediolanenſis, videnſque cumulatiſſimum animarum fructum, quem pii & docti prædicatores reportabant, teſtamento legavit bonam pecuniæ ſummam Joanni Rodulpho de Vicemalis *, ut in hunc uſum dictum emeret viridarium. Hic emptum ſibi, liberaliter Fratribus donavit, transferens in eos jus omne, dominium & proprietatem. Illi vero timentes, ne in præſcriptas ſibi a ſancto Franciſco paupertatis leges peccarent, Pontifici ſcrupulum expoſuerunt. Ut omnem amoverent, Calixtus hoc anno aſſumpſit in ſe proprietatem omnem & dominium, relicto Fratribus uſu ad prædicandum, licentiamque impertivit partem ejuſdem viridarii prædicto Joanni vendendi, pretiumque convertendi in ampliſſimi tecti opus a piis fidelibus inchoatum, pro defendendis auditoribus ab inclementiis cœli: *Pro veſtra ad beatum Franciſcum*. II. Idus Febr. Poſtquam autem Galeatius Maria Sfortia, Mediolanenſium Dux, Patribus Dominicanis Eccleſiam ſatis elegantem, ſed anguſtam, ad conciones habendas, & fidelium confeſſiones excipiendas, in eadem urbe ſub *Roſæ* appellatione conſtruxiſſet, prædictus Joannes Rodulphus Duci perquam familiaris, in ſupradicto viridario pia æmulatione alteram prægrandem, ingentis multitudinis capacem Eccleſiam Minoritis fabricavit, quam a loco *Viridarium* voluit nuncupari, aliquando jocoſe objectans, ſuo viridario Ducis Roſam inſeri potuiſſe, vel ex eo decerpi. Templi ſtructura inſignis eſt, LXX. P. longa, LVI. lata, nullis columnis aut trabibus innixa, ſeptem arcubus ingentem ſuſtinet concamerationem. Pulchrum opus & magnificum collateralibus ſacellis, iiſque nobilibus picturis, & cruſtis marmoreis recenter ornatum. Longo tempore deſervivit Fratribus ſancti Angeli ad quadrageſimales, ſolemneſque conciones habendas, fideliumque confeſſiones excipiendas, commorantibus illic duobus, vel tribus Fratribus loci cuſtodibus. Orta demum nova Obſervantiæ reformatione, multiplicatiſque Fratribus, cum frequenter Mediolanum venirent, neque proprium haberent domicilium, obtinuerunt a Franciſco Belgiojoſo, Commiſſario Generali Ciſmontanæ familiæ, & Patribus Provinciæ Mediolanenſis domum prædictam, reformatorum Cuſtode Mauritio ab Hipporedia. Sub his Patribus in eam crevit amplitudinem, ut adjecta dormitoria, & reliquæ officinæ centum capiant religioſos. Magnus illic ſemper populorum concurſus ad divina officia (quæ rite & devote peraguntur) adventantium, præcipuumque cenſetur in quadrageſima concionantium hujus templi auditorium. Habet domus hæc copioſum ſacræ Theologiæ ſtudium, inſtructiſſimam bibliothecam, pulchrum Odæum, inſigneſque ſanctorum Reliquias.

* al. *Vicemara*.

Gonz. in Prov. Mediolan. Conv. 35.

Morig. in ſuppl. nobilit. Mediolan. c. 7.

Fr. Hieronymus Hiſpanus.

CCXXVIII. Obiit hic Hieronymus Hiſpanus, profeſſione laicus, qui dum in Belgio militaribus mereretur ſtipendiis, & in magnum vitæ incideret diſcrimen, votum vovit Domino ſe illi reliquum vitæ tempus dicaturum

ſub

ſub ſancti Franciſci Inſtituto. Suſcepto in ſtatu Mediolanenſi habitu, ita pie & religioſe vixit, ut copioſum gratiæ munus a Deo acceperit, & vitæ ſanctitatem multis miraculis comprobarit. Librum de ejus vita, & mirabiliter factis compilavit frater Bonaventura a Varena ſtrictioris Obſervantiæ, ſervanturque authentica miraculorum documenta. Corpus jacet in ſupradicta Eccleſia in peculiari ſepultura ſeorſim ab aliis Fratribus, plumbeo loculo incluſum, miraque erga eum feruntur Mediolanenſes devotione.

CCXXIX. Conventum antiquum Bulzani, vulgo Germanico *Potze*, opulenta mercatura celebris, Tridentinæ diœceſis, olim provinciæ Auſtriæ, nunc Tyrolenſis, poſſederunt Patres Conventuales, & fortuito incendio abſumptum refecit frater Michael Viennenſis, Helenæ, Jacobi Regis Scotorum filiæ, Sigiſmundo Auſtriæ Duci nuptæ ſacellanus; eoque jure ſibi perpetuo regendum committi curavit. Sed cum Miniſtri Generalis præcepto a præfectura remoto, alius ſubſtitueretur, Helena Duciſſa hoc anno obtinuit a Pontifice, ut reſtitueretur. Locum hunc primitus ſtruxerunt monaſticæ cujuſdam inſtitutionis profeſſores; ab iſtis deſcendit ad Minoritas Conventuales, ab his demum ad Obſervantes ſub Franciſco Lycheto Generali Miniſtro. *Gonz. in Prov. Tyrolen. Conv. 3.*

CCXXX. In Corſicæ inſula hoc anno primum poſuerunt lapidem Conventus ſancti Franciſci Aragnani, non procul ab oppido Corbariæ de Balana, communibus incolarum facultatibus conſtructi, pii Fratres Mathæus de Ochiatana ſacerdos, & Marianus a Muro laicus, vir religioſiſſimus, propter vitæ ſanctimoniam in illo regno notiſſimus. Jacet in hujus Cœnobii templo Ambroſius a Corbaria laicus, virtutibus inſignis; & ex hoc oppido prodiit beatus Thomas a ſancto Antonio laicus, ad Aram-cœli in Urbe, uti alias dixi, ſepultus. De his tribus viris piis alias ſermo redibit iis annis, quibus deceſſiſſe feruntur. Conv. Aragnani. *Idem in Prov. Corſica Conv. 14.* *Tom. 3. an. 1251. n. 57.* *An. 1526. 1565. 1517.*

CCXXXI. Conventum Complutenſem hoc anno conſtructum aſſerit Gonzaga; Petrus Salazarius biennio facit priorem. Atqui in eo uterque errat, quod præſcripto ab iis fundationis tempore, ab Eugenio IV. (qui tamen anno MCCCCXLVI. deceſſit) ædificandi facultatem dicant conceſſam, in quem errorem alii etiam inciderunt. Dederat Eugenius ante aliquot annos, uti dixi, bullam Vicario Generali Ultramontano pro recipiendis aliquot Conventibus. Hujus diplomatis virtute ſibi a Vicario generali Theodorico de Auriga communicata, Alphonſus Boroxius anno MCCCCLIV. die IV. Junii, uti habet antiquum Ordinis memoriale, prædictum Conventum recepit. Operis conditor Alphonſus Carillus, Archiepiſcopus Toletanus, Obſervantum ſtrenuus protector, & munificus benefactor, confeſſarium habuit Joannem Pennalverium, ejuſdem Inſtituti digniſſimum alumnum, & conſtantem propugnatorem, qui ut faceret, perſuaſit. Præceſſit eo in loco parochialis Eccleſia beatæ Virginis, cujus jura ad propinquam ſancti Joannis Eccleſiam, annuente capitulo Toletano, curavit transferri. Nomen indidit ſanctæ Mariæ Jeſus a diſcipulorum ſancti Bernardini conſuetudine, qui eo titulo templa a ſemet ubique conſtructa connotabant. Sanctiſſimis viris ab ipſo ortu hic locus effulſit, evocante Archiepiſcopo, ſecundum auctoritatem ſibi a Generali Miniſtro conceſſam, ex quibuſcumque locis bonæ opinionis religioſos. Ex his illic diem clauſerunt ſanctus Didacus, Alphonſus Sartor, Pennalverius prædictus, Julianus a ſancto Auguſtino, Franciſcus a Turribus, & alii ſuis temporibus memorandi. Hic ſua nomina dederunt multi viri Principes, Joannes Aragonius Regiæ ſtirpis, Didacus a Stunica, Joannis magni caſtellæ Commendatarii filius, Antonius a Mendo- Conv. Complutens. *Idem in Prov. Caſtell. Conv. 2.* *Salaz. l. 3. chron. Prov. Caſtel. c. 13.* *Penna in vita B. Didaci l. 1. c. 17.* *Galeſin. in ejuſd. vita cap. 18.* *Tom. 11. anno 1446. n. 20.*

za Marchionis de Canete filius, Ducis de Infantado frater, qui Caſtellæ provinciam rexerunt; Antonius Manriquius Marchione de Guardia progenitus, Ultramontanæ familiæ Commiſſarius Generalis; Franciſcus Gonzaga ſatus Principibus Mantuanis, totius Ordinis Generalis Miniſter, qui multis modis ſuum Inſtitutum illuſtravit, eoque virtutum ſplendore refulſit, ut de connumerando inter cœlites nunc ſerio agatur in Curia.

CCXXXII. Religioſiſſima hæc domus copioſam habet Fratrum familiam, illuc concurrentibus ex univerſis nationibus ſtudiorum cauſa adoleſcentibus. Inſigne habet Theologicæ facultatis gymnaſium, & juniorum Fratrum nobile tirocinium. Fœcundum ſane eſt, & optimum provinciæ Caſtellanæ aliarumque ſeminarium. Ex Angelorum provincia quini, vel ſeni illic aluntur religioſi, quorum intuitu Dux Bejarii largas mittit eleemoſynas, & totidem ex provincia ſancti Gabrielis, quibus ſuſtentandis liberalem ſe exhibet benefactorem Dux Infantadus. Suppeditavit, dum vixit, neceſſaria quæque Archiepiſcopus fundator, maxime quæ ad divinum ſpectabant cultum, calices, paramenta, cruces, aurea argenteaque vaſa, libros ſacros, utenſilia, omnemque ferme ſuppellectilem. Qui & ſeipſum Fratribus dedit, quomodo non ſecum eis omnia donavit? Moriens animam Fratrum orationibus commendavit, corpus eorumdem cuſtodiæ. Jacebat in medio ſacelli majoris alabaſtrite mauſoleo, eleganti ſculpto artificio, ſua Archiepiſcopali ſtatua, aliiſque ſimulacris ex eadem materia elaboratis adornato, hoc inciſo epitaphio: *Sepulchrum Reverendiſſimi, admodumque magnifici Domini glorioſæ memoriæ, Alphonſi Carrilli, Toletani Archiepiſcopi, hujuſque monaſterii fundatoris, qui vixit Archiepiſcopus* XXXV. *annis,* V. *menſibus, &* X. *diebus, mortuuſque eſt in hoc Complutenſi oppido prima Junii anno Dom.* MCCCCLXXXII. *ætatis vero ſuæ anno* LXII. *menſe* X. *atque die* XX. Nunc conſpicitur elato ſepulchro ad latus Evangelii.

Conv. Arnedi. *Conv. in Prov. Burgen. Conv. 8.*

CCXXXIII. Seſquimilliari ab oppido Arnedo in Hiſpania, ex inſperato apparuit devota beatæ Mariæ Virginis imago cuidam potentiſſimo Mauro, cui Canis de Vico nomen, eamque indidit religionem, ut ad fidem converſus ruralem domum ſuam in Eccleſiam beatæ Virgini ſacram transformarit, in eaque religioſe prædictam collocarit imaginem. Dum vero multis coruſcaret miraculis, beatus Lopetius a Salinis, Comitibus Arenſibus Petro Ferdinandez a Velaſco, & Beatrici Manrique, præfati oppidi dominis gratiſſimus, prædictam impetravit Eccleſiam, utque contiguum fabricarent Conventum, perſuaſit. Porro fecerunt hoc anno, adjuti aliorum piorum facultatibus. Viget hic Philoſophiæ ſtudium, & ſumma erga beatam Virginem pietas quotidianis aucta miraculis.

Conv. Cidamonii. *Ibidem. Conv. 9. Mon. MSS. ejuſdem Provin.*

CCXXXIV. Prædictus Lopetius Salinarum ſuaſit hoc eodem anno ſtrenuo Duci Innico Ortitio a Stunnica, (a quo nobiliſſima deſcendit Stunnicarum familia) ut prope oppidum Cidamonii, ad quintum ab urbe ſancti Dominici Calciatenſis lapidem, templum Conventumque ſub nomine beatæ Mariæ de Angelis extrueret. Sub annum MDXXXV. Fratres, deſerto hoc loco, in prædictam abierunt urbem, a civibus frequenter rogati. Eccleſiæ Collegiatæ Canonici vehementer reſtiterunt, omnemque moverunt lapidem, ne fieret translatio. Actum coram Cæſare Carolo V. coram Nuncio Apoſtolico, & demum in Rota Romana de hac controverſia, civibus ubique Religioni propitiantibus. Cedentibus tamdem Canonicis, elegans extructus eſt Conventus tum publicis, tum privatis civium facultatibus, adjecto per fratrem Bernardum a Freſneda, Philippo II. a ſacris confeſſionibus, Seguntinum, Cordubenſem, & Cæſarauguſtanum Antiſtitem, ſacello majori

cum

cum adhærentibus ædificiis: qui ditiſſima ſuppellectile, annuentibus Pio V. & Gregorio XIII. & jubentibus ne diſtraheretur, ſacrarium inſtruxit. Hic jacet ipſe nobili ſepulcro in medio ſacelli, & a latere ſiniſtro in ſacello laterali ejus frater Franciſcus de Albarado & Velaſco. Utriuſque dabimus epitaphium, & diffuſius de Bernardo anno MDLXXVII. quo deceſſit, agemus.

CCXXXV. Magna fuit hoc anno controverſia inter Fratres Conventuales, & Obſervantes provinciæ ſancti Jacobi circa Conventum Pontis-veteris, Compoſtellanæ diœceſis, ab Obſervantibus in ſuam poteſtatem redactum. Juſſit Pontifex ſub gravibus cenſuris, ut denuo Conventualibus reſtitueretur, conſtitutis præcepti Apoſtolici executoribus Archiepiſcopo Compoſtellano, & Epiſcopo Lucenſi; ſed anno ſequenti commiſſa cauſa eidem Archiepiſcopo, & Epiſcopo Legionenſi, juſſit, ut penes Obſervantes Conventus hic, & alter de Villalpando remanerent.

Conv. Pontis-veteris reformatur. *Ex l. 5. bullar. folio 292.*

Ex l. 23. bull. fol. 103.

CCXXXVI. Renatus Hieroſolymorum & Sicilæ Rex, Andegaviæ & Barri Dux &c. Balmetæ Eremitorium ſub titulo beatæ Mariæ Magdalenæ Obſervantibus hoc anno loco peramœno Andegavenſis diœceſis ad Ligerim fluvium, mirabili ſtructura, in rupe duriſſima conſtruxit, inſignes ibi Reliquias collocavit, quas ipſe ſupplicatione publica inſtituta, cum aliquot Epiſcopis ab arce *Studium* Balmetam uſque pedes proſecutus eſt. Statuit, illic abſolvi officium divinum ſine cantu, ut commodius, & diutius Fratres orationi vacarent. Diſpenſatum hoc voluit Leo X. deprecante Joanne a Coſta Curiæ Romanæ Commiſſario, & virtute hujus indulti anno MDXVIII. pridie Paſchæ Reſurrectionis cœperunt Fratres in officio divino cantum adhibere. Vivunt illic religioſiſſime ultra viginti Fratres magna hominum exiſtimatione, concurrentibus illuc aſſidue Principibus viris nobilibus, & univerſa plebe Andegavenſi, quæ etiam copioſas mittit eleemoſynas.

Conv. Balmetæ. *Gonz. in Prov. Turon. Pillav. Conv. 20.*

CCXXXVII. Sub hoc tempus Calixtus facultatem conceſſit generoſo heroi Guidoni de Calviniaco, ut Conventum ædificaret in oppido Argentonii, diœceſis Bituricenſis. Extruxit ad Croſæ flumen juxta aliud oppidulum ſancti Marcelli nuncupatum, ubi ſanctorum Martyrum Marcelli & Anaſtaſii III. Kal. Julii occiſorum corpora requieſcunt. Præceſſit hic Fratrum Eremitorium, in quo ſuperius diximus, Joannem Maubertum capitulum Obſervantum celebraſſe. Locum hunc dilapidarunt hæretici, ſed reſtaurarunt Duces Montiſpenſerii, Argentonienſes Domini, Fratrum optimi protectores.

Conv. Argentonii. *Indid. Conv. 12.*

An. 1448. n. 22.

CCXXXVIII. Hoc anno die XXVII. Junii Joannes Epiſcopus Venecomponenſis, Theodorici Archiepiſcopi Colonienſis in Pontificalibus Vicarius Generalis, Eccleſiam & omnia altaria tam templi, quam domus capitularis & valetudinarii Conventus Obſervantum vallis Joſaphat prope Noviomagum conſecravit, conceſſiſque per multos dies feſtivos magnis Indulgentiis, conſecrationis feſtum celebrandum inſtituit Dominica prima poſt feſtum ſancti Jacobi Apoſtoli.

Conv. Noviomagi conſecratur. *Mon. MSS. Colon.*

CCXXXIX. Cobilini, diœceſis Gneznenſis in Polonia oppidi, Conventum hoc anno inchoarunt frater Climachus nobili genitus proſapia, & a Capiſtrano initiatus, & frater Philippus Artium magiſter, Guardianus Uratislavien. poſtquam Joannem Sprovium Archiepiſcopum Gneznenſem & canonicos fabricæ valde adverſantes, humilibus precibus genuflexi permoverunt. Primo Eccleſia ex ligno facta eſt, deinde ex ſolido muro, ſub titulo ſanctæ Mariæ ad Præſepe ædificata eſt prope matricem Eccleſiam, opus promovente Gabriele Veronenſe. Jacet hic honorifico tumulo frater Juſtinus, vir ſummæ ſimplicitatis ac profundiſſimæ humilitatis, cui Chriſtus Dominus paulo ante mortem apparens, bono animo eſſe præcepit, quandoquidem ſemetipſum daturus erat in præmium meritorum.

Conv. Cobilini. *Gonz. in Prov. Polon. Conv. 6. Mon. MSS. Polon.*

Monaſt. Abbatis villæ. *Gonz. in Provin. Franciæ Pariſien. mon. 11.*

CCXL. Ad Abbatis villam, Viromandorum urbem, domicilium ſibi poſuerunt quædam piæ fœminæ vulgo *Beguinæ*, ibique per aliquot annos commoratæ tamdem paulatim defecerunt. Hoc itaque anno cives illuc religioſas Tertii Ordinis ſancti Franciſci transferri curaverunt. Virtutum odore populis gratæ ad numerum creverunt quadrageſimum, iiſque liberaliter cives neceſſaria quæque miniſtrant. Translationem hanc poſt aliquot annos Sixtus IV. ſuo probavit diplomate.

Monaſteriis Clariſſarũ variis tribuuntur privilegia.

CCXLI. Ludovico de Borbonio Comiti Montispenſerii, Delphino Alverniæ, & Domino Combralhiæ, ejuſque conſorti Gabrielæ indulſit hoc anno Pontifex, ut Clariſſarum Monaſterium in villa de Ardilis, vel in alio loco ſui dominii ædificarent: *Ut Religio quælibet*. XVII. Kal. Aprilis. An fecerint, mihi non conſtat; neque enim inter reliqua recenſetur Monaſteria. Clariſſis Uratislavienſibus confirmavit penſionem quinquaginta marcharum groſſorum Pragenſium numeri Polonici, ſolvendam a Rectoribus parochialis Eccleſiæ in Suverdun, diœceſis Uratislavienſis, eidem Monaſterio a longo tempore incorporatæ. Inhibuit ludos, choreas, convivia, & joculatoria fieri ſolita in quibuſdam ſolemnitatibus ad Monaſterium ſanctæ Claræ urbis Barulanæ. Monaſterio ſanctæ Mariæ Magdalenæ Clariſſarum Trevereni, de quo ſupra diximus, applicuit bona, & poſſeſſiones Conventus Minorum Conventualium Confluentini, paulo ante ad Obſervantes translati.

An. 1453. n. 60.

Domibus Tertii Ordinis alia cõceduntur.

CCXLII. Sororibus Tertii Ordinis Burgi ſancti Sepulcri, diœceſis Civitatis Caſtelli, facultatem conceſſit domos quaſdam, in quibus prius habitaverant, ſibi a Nicoloſa, relicta quondam Nerii Franciſci Mitiæ, ea conditione donatas, ne ullo unquam tempore alienari poſſent, vendendi, aliaſque ſibi commodiores coaptandi. Ejuſdem Inſtituti Sororibus domus ſanctæ Agnetis Peruſinæ, conceſſit domos & bona omnia Funis Joannis civis Peruſini, quæ ille poſt filiorum filiarumque mortem pauperibus legaverat. Supererat una ejuſdem filia Migluccia in domo prædicta profeſſa, magnaque Sorores premebantur egeſtate: judicavit itaque Pontifex, conceſſionem hanc non multum aberrare a teſtatoris voluntate. Sororibus ſanctæ Agnetis Aſſiſiatibus indulſit, domum alteram ſanctæ Eliſabethæ ejuſdem urbis vendere, pretiumque in reparationem ſuæ domus convertere, admiſſis prius in conſortium parvulis Sororibus ejuſdem Inſtituti inibi habitantibus.

CCXLIII. In urbe Mediolanenſi habitabant Sorores Tertiariæ prope portam Novam in domo Margaritæ de Cruce, quæ ſe eiſdem connumeravit, domumque ſuam legavit, ut in ea habitarent, & ſi alio transferrentur, ut ex reditibus ejuſdem ſatisfieret ſacellano, qui Sororibus Miſſas & divina celebraret Officia; ita ut nullo unquam tempore poſſet alienari, niſi ad ſummam penuriam redigerentur Sorores. Adeo porro creverunt numero, ut in ampliorem domum tranſire oportuerit, atque hanc etiam adjunctis aliis ædibus ampliare. Inito itaque pacto cum Joanne Cubizolo, emerunt ab eo ſedimen cum opportuno horti ſpatio, datis in excambium prædicta domo, & quadam ſumma pecuniarum; quæ rata habuit hoc anno Pontifex, non obſtante Teſtatricis diſpoſitione. Has ego puto illas, quæ poſtea temporis ſucceſſu ad perfectiorem vitam aſpirantes impetrarunt a Pio II. anno MCCCCLIX. & deinde a Paulo II. anno MCCCCLXIX. XV. Kalend. Julii, ut ad ſecundam beatæ Claræ Regulam poſſent tranſire. Magiſtris ex Sanctæ Claræ Monaſterio acceptis, antiquum ſanctæ Eliſabethæ titulum in ſanctæ Mariæ de Jeſu commutarunt. Tamdem de virtute in virtutem aſcendentes, & ad majorem adhuc tendentes perfectionem, annuente Six-

Gonz. in Provin. Mediolan. mon. 2.

to

to IV. anno MCCCCLXXII. primam, & arctiorem ſanctæ Claræ regulam ſibi ſtatuerunt ſervandam. Inſigne hoc eſt Monaſterium: & inter optima Mediolanenſia ferme obtinuit principatum. Omnes ut plurimum incolæ, quæ numerum excedunt centeſimum, ſunt nobilis proſapiæ. Eccleſia conſecrata fuit anno MCCCCXCVIII. die XXI. Februarii a Guillelmo Savonenſi Epiſcopo Minorita. Magna opinione ſanctitatis hic deceſſerunt ſorores Modeſta Soncinas anno MDLXXXII. Laura Felix de Saulis anno MDLXXXV. omni virtutum genere præditæ; Angela Cæcilia de Reinis, quæ ſui obitus diem longe antea prædixit; Scholaſtica Mediolanenſis, ob crebra miracula peculiare ſortita ſepulcrum; Joanna Maria Cavanaga pluries Abbatiſſa, quæ perpetuo jejunio carne interdicta, variiſque pœnitentiis uſque ad annum ætatis octuageſimum corpus maceravit; Felix Beſutia continuo cilicio, orationibus nocturnis, brevi ſomno, erga infirmas caritate, exactaque diſciplina regulari inſignis; Joanna Baptiſta Mediolanenſis, Alexandra Simonetta, Julia Lavinia, Bona Franciſca Abdua, & aliæ, pietate religioſaque vita commendabiles. Monaſt. Jeſu Mediolani.

CCXLIV. Orta inter Rectores parochialium Eccleſiarum urbis Argentinenſis, & ſuperiores Minorum, aliorumque Mendicantium circa confeſſiones audiendas controverſia, Pontifex ad preces eorumdem ſuperiorum, & utriuſque Alberti Auſtriæ, & Bavariæ Ducum, juxta Clementinam: *Dudum de ſepulturis* declaravit licere Religioſis libere, & abſque prædictorum Rectorum licentia utriuſque ſexus hominum confeſſiones excipere, aliaque adjecit in decretali: *Ad ea libenter intendimus*. II. Idus Martii. Deinde ſecundas & tertias adjunxit circa eamdem materiam litteras, judiceſque deputavit Conſervatores: *Nuper pro terminandis*. pridie Kalend. Septembris. Erat hoc anno apud Pontificem Regis Galliæ Orator nobilis vir Antonius de Albuconio Miles Bailivus Turonenſis, Minoribus addictiſſimus, qui nobile ſacellum ſancto Bernardino ſacrum in Eccleſia Minorum Turonenſi curavit fabricari. Varia privilegia Ordinis Minorū.

CCXLV. Hoc anno conceſſit Pontifex licentiam transferendi Sorores Clariſſas Monaſterii de Amuſco, Palentinæ diœceſis ad Cœnobium Benedictinorum de Calabazanos, ejuſdem diœceſis, a Petro Manriquio Præfecto Legionenſi, & Leonora conjuge, mox Clariſſa, conditum, quorum etiam opus erat præfatum Monaſterium. Id factum poſt biennium, ut ſuperius diximus, dato Minoribus Clariſſarum Monaſterio. *Romanus Pontifex*. XIII. Kalend. Martii. Quid ſi hic ille Minorum Conventus, quem Gonzaga de Caſtro-Mocho, ejuſdem Palentinæ diœceſis appellat? Eidem etiam Monaſterio de Amuſco, antequam Moniales transferrentur, uniendi Eccleſiam parochialem ſancti Joannis de Vezilla, ejuſdem diœceſis, a dicto Monaſterio XI. M.P. diſtantem, facultatem conceſſit. Monaſteria omnia Monialium Minorum regimini ſubjecta, a ſolutione decimarum, ſubſidiorum, gabellarum, omniumque ſimilium onerum liberavit, confirmatis circa hæc ſuorum prædeceſſorum privilegiis. *An.* 1449. *n.* 52. *Gonz. in Provin. Concep. Mon.* 2.

CCXLVI. Inſigne & notabile, ut ait Pontifex, erat hoc tempore in urbe Florentina Hoſpitale ſancti Franciſci, alias ſancti Pauli, Tertii Ordinis ejuſdem Sancti, ſeu de Pœnitentia nuncupatum, a Fratribus ejuſdem Inſtituti magna pietate miniſtratum. Orta circa regimen controverſia cum Proconſule Artium ſocietatis Quarterii ſanctæ Mariæ Novellæ, quædam circa adminiſtratoris electionem ſeu præſentationem Pontifex vtiliter conſtituit. Hoſpitale Florentinum.

SUP-

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

I. INgenti Chriſtianorum victoria de immaniſſimo Turca hic annus univerſo clariſſimus Orbi, noſtrum non expectavit laborem: quamobrem lectorem ab Annalium noſtrorum perutili lectura non retraham, & maxime eos, quos tangit Religionis honor, & præclariſſimorum Heroum Chriſti acta cognoſcendi pia curioſitas urit. Secundam nihilominus analectis, veluti non ingratis bellariis parabimus menſam. Cliviæ Ducatus apud Batavos, a Clivis appellationem traxiſſe creditur: extatque ejus nominis Oppidum præclarum ad Rheni ripam, in tribus clivoſis Collibus extructum, ab Eumenio Rhetore in Oratione, quam pro ſcholis inſtaurandis dixit, Auguſtum Clivenſium Oppidum vocatum, in cujus Arce ſtatua conſpicitur cum inſcriptione: *Eumenius Rhetor*. Hanc Civitatem, quæ vulgo *Cleve* dicitur, Minoritarum habuiſſe Cœnobium, teſtis eſt Piſani Catalogus, in Provinciæ Coloniæ cuſtodia prima, numero ſeptimo: habuiſſe præterea Tertii Ordinis ſancti Franciſci Sorores, quæ albis amictæ induſiis vagabantur per Urbem, Calixti III. breve: *Eximiæ devotionis &c.* expeditum Idibus Januarii, oſtendit. Monialibus ſanctæ Mariæ de Spe, Amuſci Oppidi nobilis, in Palentinæ urbis Hiſpaniarum diœceſi, nonnullas gratias impertiit: *Piæ conſideratione &c.* VI. Idus Februarii. IV. Kalend. ejuſdem commiſerans neceſſitudinibus Fratrum in Ruſſia, Sarmatiæ Europeæ regione perampla, Polonici Regni degentium, iiſdem pro reparatione Conventus de Buſſano reſcripſit: *Humilibus &c.* beneficio fratri Jacobo Philemoni conceſſo: *Religionis zelus &c.* XI. Kalend. Martii.

Fr. Bertius in deſcrip. Cliviæ fol. 237.

Indic. ex Vatic.

II. Lingonæ civitas Epiſcopalis, antiquis ſcriptoribus Lingones, & Gallis *Langres*, Galliæ Celticæ in Vogeſi Montis-Jugo, ubi is ad Occidentem finitur, Lotharingiæ, Campaniæ, & Burgundiæ in confinio ſita, & media fere inter Trecas Campaniæ urbem, & Veſuntionem Sequanorum Metropolim, noſtrorum, ac D. Auguſtini Religioſorum Cœnobia habet, quorum incolæ his temporibus inter ſe diſſidebant. Litem vero importunam in Romanam Curiam delatam ſummus Pontifex opportune diremit, expedito brevi: *Humilibus &c.* XIV. Kalend. Aprilis; VI. Nonas Maii pro Fratribus Tertii Ordinis Hoſpitalis ſancti Pauli Florentiæ expeditis litteris: *Humilibus &c.* IV. Nonas ejuſdem Monialibus ſanctæ Agnetis Peruſii, pro quadam domo in Civitate Aſſiſii ſcripſit: *Piis fidelium &c.* Sororibus Tertii Ordinis Mediolani pro aliquibus bonis: *Ex injuncto &c.* XIII. Kalend. Junii; & confirmatis quibuſdam litteris pro fratre Petro de Carchano: *Hodie emanarunt &c.* V. Kalend. Julii: pro ſubſidio & decimis omnium Monialium breve dedit: *Apoſtolicæ ſervitutis &c.* pridie Kalend. ejuſdem, & aliud pro Terra ſancta ad omnes Chriſtifideles directum: *Cum his ſuperioribus &c.* III. Kalend. Julii: quo tempore conſtruendi Cœnobium apud Quinſanum Oppidum Montis-ferrati licentiam impertitus eſt. *Sacræ Religionis &c.* Pro incorporatione vero cujuſdam Eccleſiæ litteras dimiſit Clariſſis Monialibus Uratislaviæ: *Sacræ Religionis &c.* VIII. Idus præfati menſis: fratri Martino de Senis circa eleemoſynas ſcripſit: *Credebamus &c.* die duodecima Julii, & fratri Cherubino de Spoleto circa abſolutionem Cleri Fulginatenſis: *Significarunt &c.* XXIV. Auguſti: Blancæ Tertiariæ de Venetiis poſſe eligere Confeſſorem indulſit: *Devotionis tuæ &c.* X. Kalend. Octobris.

Ex Typogr. Ferr.

Indic. ex Vatic.

III. Pro-

Anno Christi	Calixti III.	Friderici III. Imp.	Religionis Minorum anno 249.
1456.	anno 2.	anno 17.	

III. Provinciæ ſancti Salvatoris Hungariæ Monumenta referunt, hoc anno Claudianopolim, indigenis *Clausburg*, Civitatem in Tranſilvania, Conventum Fratrum Minorum de Obſervantia pia munificentia Matthiæ Regis Hungariæ fundatum, habuiſſe: Veruntamen Matthias filius ſecundo-genitus Joannis Corvini Vaivodæ Tranſylvaniæ, & pro Ladislao juvene Regni Hungarici Moderatoris, cui morienti adſtans Capiſtranus hoc eodem anno, ſpiritu prophetico prædixerat ſui ſecundo-geniti Regiam dignitatem; nonniſi anno ſequenti, quo Pragæ in Boemia Ladislaus Rex ætatis annorum decem & octo, improlis obiit, a Regni Proceribus e carceribus extractus, ad Thronum exaltari potuit: ac forte nondum Rex Cœnobium excitavit, quod poſtea in ſcholam hæreticorum abiit; Conventum vero Bleſenſem, quem Angli in tumultu bellorum anno MCCCCXXIX. deſtruxerant, hoc anno a Comitiſſa Aurelianenſi, & Bleſenſi reſtitutum fuiſſe, Annaliſta refert: at documenta Provinciæ eam nominant potentiſſimam Mariam de Clivia, Caroli Ducis Aurelianenſis uxorem, & Ludovici XII. Regis Francorum matrem.

Chron. MSS. Provin. S. Salvat.

Degl. cit. ſupra. Ladislaus obiit. Conventus Bleſenſis reædificatur a D. Matia de Clivia. *Wadd. ad ann.* 1419.

IV. Inter Fratres provinciæ Boemiæ diſſenſiones illæ, quæ nimis odioſæ vigebant, hoc anno in feſto ſancti Patris Franciſci, convocatis Fratribus Olomucii, compoſitæ religioſe fuere: celebratis enim Comitiis Provincialibus, fratri Nicolao de Carnovia, tamquam legitimo & vero Miniſtro omnes concorditer ſeſe humiliarunt, ac tunc primo Fratres Patria extorres revocati fuerunt. Frater Jacobus a Montella, omnibus pietatis operibus aſſidue intentus ſanctam Deo animam reddidit hoc anno, & Neapoli in Campania honorifice jacet. Blancam etiam viduam, Reginam Dyoniæ, ſub Tertii Ordinis ſancti Patris Franciſci Inſtituto, virtutibus & bonis operibus cumulatam migraſſe ad Dominum anno MCCCCLVI. XII. Kalend. Junii, teſtatur Cornelius Florentinus.

Diſſenſiones Provinciæ Boemiæ ſedantur.

Blanca Regina Dyoniæ.

In Tab. SS. Tertii Ordinis.

Digitized by Google

REGESTUM PONTIFICIUM.

Digitized by Google

REGESTUM PONTIFICIUM.

NICOLAI V.

ANNO CHRISTI 1448. PONTIFICATUS ANNO 2.

BULLA I.

Ut unum locum maritimum in regno Portugalliæ, & venientes ad Ordinem recipere, atque in Quadrageſima lacticiniis uti poſſint. Ex lib. 1. de Regularibus, anno 2. folio 228.

Dilectis filiis Vicario, & Fratribus inſularum diſperſarum Canariæ, Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia &c.

§. I. DIGNA reddimur attentione ſolliciti, illa ad exauditionis gratiam admittere vota, per quæ Religio propagari conſpicitur, & Divinus cultus ſalubriter adaugetur. Cum itaque &c. licet quamplures zelo devotionis accenſi, cupientes ob frugem melioris vitæ ad veſtrum Ordinem Fratrum Minorum tranſire &c. in inſulis diſperſis Canariæ conſiſtentibus, permanere ſummopere deſiderent, tamen pro eo, quod tu in aliena Provincia extra dictas inſulas ut plurimum commoraris, ſic tranſire, & vivere cupientibus, licet id a te humiliter requirant, habitum per Fratres dicti Ordinis geſtari ſolitum exhibere, & ab eis profeſſionem per dictos Fratres emitti ſolitam regulares recipere non potes; quodque Fratribus in prædictis inſulis commorantibus, ob defectum victualium plurimum neceſſarium eſſet in regno Portugalliæ aliquem locum maritimum . . . in quo aliqui ex eiſdem Fratribus morari, & ad Fratres in inſulis commorantes neceſſaria tranſmittere valerent, ac, ſicut eadem petitio ſubjungebat, in prædictis inſulis oleum non reperiatur; pro parte tua nobis fuit humiliter ſupplicatum &c.

§. II. Nos igitur attendentes multiplicem fructum, quem Fratres dicti Ordinis ſub prædicta Obſervantia viventes, ubilibet in Dei Eccleſia, & præſertim in dictis inſulis dietim afferunt, & ſunt veriſimiliter continuo allaturi, ac propterea illa tibi, & ſucceſſoribus tuis Vicariis Vicariæ dictarum inſularum, juxta morem dicti Ordinis, qui erunt pro tempore, ac eorum Loca-tenentibus prædictis concedere volentes, per quæ commodius, & laudabilius in Domino poſſitis in dictis inſulis jugiter proficere incrementis; hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, tibi & ſucceſſoribus, ac Loca-tenentibus prædictis, etiam in alternis Provincia, ſeu Diœceſ. extra Vicariam hujuſmodi omnes & ſingulos ad te & illos venientes recipiendi, ipſiſque habitum exhibendi, & ab eis profeſſionem hujuſmodi admittendi, necnon ad prædictas inſulas tecum aut ſecum ducendi & tranſmittendi, ac tibi & ſucceſſoribus, atque Loca-tenentibus prædictis unum locum in regno Portugalliæ, ſi illud vobis pia Chriſtifidelium largitione, aut alias concedatur, ad inſtar vel ad ſimilitudinem loci maritimi de *Sanlucar* in regno Caſtellæ con-

conſiſtentis, recipiendi, & in eo tu & dicti ſucceſſores, ac Loca-tenentes cum aliquibus ex Fratribus prædictis morandi & inhabitandi, necnon quibuſcumque incolis & habitatoribus dictarum inſularum ad Chriſti fidem pro tempore converſis, & aliis in ipſis inſulis pro tempore commorantibus, quod in Quadrageſimalibus & aliis jejuniorum diebus, lacticiniis uti libere & licite poſſint, concedendi plenariam &c. licentiam concedimus pariter & facultatem: jure &c. ſalvo. Non obſtant. felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. &c. quibuſcumque. Nulli ergo &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXLVIII. IV. Kalend. Aprilis, anno II.

II.

Ut privilegiis Obſervantibus ubilibet degentibus conceſſis utantur. Ibidem folio 118.

Dilectis filiis, univerſis & ſingulis Fratribus Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia *nuncupatorum, ſub obedientia dilecti filii Joannis de Mauberto, ejuſdem Ordinis in partibus Ultramontanis Vicarii Generalis, in inſulis maris, in Franciæ & Turoniæ Provinciis, circa Normanniæ & Britanniæ partes, velut Eremitis, & peregrinis degentibus.*

MEntis &c. Hinc eſt, quod nos veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, vobis, & veſtrum cuilibet, & quandiu in inſulis maris, in Franciæ & Turoniæ Provinciis, circa Normanniæ, & Britanniæ partes, veluti Eremitæ & peregrini, de licentia & conſenſu patronorum, ac Dominorum locorum, ſeu inſularum hujuſmodi, Altiſſimo exhibueritis famulatum, omnibus & ſingulis privilegiis &c. gaudent, uti, frui & gaudere valeatis, ac loca veſtra valeant, conſtitutionibus &c. nequaquam obſtantibus &c. indulgemus: volumus tamen, quod per hoc nullum vobis jus in locis, in quibus vos pro tempore morari contigerit, contra Dominos & patronos prædictos quomodolibet acquiratur. Nulli ergo &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXLVIII. Nonis Aprilis, anno II.

III.

Aſſumitur ad Archiepiſcopatum Cambalien. Ex lib. 1. de Proviſionib. &c. anno 2. folio 54.

Dilecto filio Bartholomæo de Caponibus Electo Cambalien.

APoſtolatus officium, quanquam inſufficientibus meritis, nobis ex alto commiſſum, quo Eccleſiarum omnium regimini præſidemus, utiliter exequi, coadjuvante Domino, cupientes, ſolliciti corde reddimur & ſolertes, ut, cum de ipſarum regiminibus agitur committendis, tales eis in Paſtores præficere ſtudeamus, qui commiſſum ſibi gregem Dominicum ſciant non ſolum doctrina verbi, ſed etiam exemplo boni operis informare, commiſſaſque ſibi Eccleſias in ſtatu pacifico & tranquillo velint & valeant, duce Domino, ſalubriter regere & feliciter gubernare. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Leonardo Archiepiſcopo Cambalien. regimini Cambalien. Eccleſiæ præſidente &c. Poſtmodum vero Eccleſia prædicta per obitum ejuſdem Leonardi Archiepiſcopi, qui extra Romanam &c. deſtituta &c. Demum

mum ad te Ordinis Fratrum Minorum profeſſorem &c. teque illi præficimus in Archiepiſcopum & Paſtorem &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXLVIII. XVII. Kalendas Maii, anno II.

IV.

Præficitur Eccleſiæ Ipponen. Ibidem, folio 95.

Dilecto filio Petro de Medina Electo Ipponen.

APoſtolatus officium &c. Dudum ſiquidem bon. mem. Auguſtino Epiſcopo Ipponen. regimini Ipponen. Eccleſiæ præſidente &c. Poſtmodum vero præfata Eccleſia per obitum ejuſdem Auguſtini Epiſcopi, qui extra Romanam Curiam &c. ſolatio deſtituta &c. Demum ad te Ordinis Minorum profeſſorem &c. teque illi præficimus in Epiſcopum & Paſtorem &c. *Vide ut ſupra.*

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXLVIII. XVII. Kalendas Maii, anno II.

V.

Fit Epiſcopus Diœceſarien. Ibidem folio 97.

Dilecto filio Theodorico Curſho Electo Diœceſarien.

DIvina diſponente clementia, cujus inſcrutabili providentia ordinationem ſuſpiciunt univerſa, in Apoſtolicæ Sedis ſpecula licet immeriti conſtituti, ad univerſas orbis Eccleſias aciem noſtræ conſiderationis extendimus, & pro earum ſtatu ſalubriter dirigendo, Apoſtolici favoris auxilium adhibemus; ſed de illis propenſius cogitare nos convenit, quas propriis carere Paſtoribus intuemur, ut eis juxta cor noſtrum Viri præficiantur idonei, qui commiſſos ſibi populos per ſuam circumſpectionem ſalubriter dirigant & informent, ac Eccleſias ipſas non ſolum gubernent utiliter, ſed etiam multimodis efferant incrementis. Dudum ſiquidem bon. mem. Ludovico Epiſcopo Diœceſarien. &c. præſidente. Poſtmodum vero præfata Eccleſia per obitum ipſius Ludovici Epiſcopi, qui extra Romanam Curiam &c. vacante &c. Demum ad te Ordinis Fratrum Minorum profeſſorem &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXLVIII. XVII. Kalendas Maii, anno II.

VI.

Inſtituitur Archiepiſcopus Antibaren. Ibidem folio 52.

Dilecto filio Andreæ Electo Antibaren.

DIvina diſponente clementia &c. Dudum ſiquidem proviſiones omnium Cathedralium etiam Metropolitanarum Eccleſiarum &c. Cum itaque poſtmodum Eccleſia Antibaren. ex eo quod venerabilis frater noſter Petrus in ..... Eccleſia Epiſcopus, nuper Antibaren. Archiepiſcopus, hodie regimini, & adminiſtrationi ipſius Eccleſiæ Antibaren. quibus tunc præerat, per venerabilem fratrem noſtrum Gabrielem Epiſcopum Mothonen. Procuratorem ſuum, ad hoc ab eo ſpecialiter conſtitutum, in manibus noſtris ſponte & libere ceſſit, noſque ceſſionem hujuſmodi duximus admittendam, vacaverit, & vacet ad præſens, Nos ad proviſionem ipſius Eccleſiæ celerem &c. *Vide ut ſupra.*

De-

Demum ad te Ordinis Fratrum Minorum profeſſorem &c. teque illi præficimus in Archiepiſcopum & Paſtorem &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXLVIII. XIII. Kalendas Maii, anno II.

VII.

Ut bona ad domos eorum ſpectantia vendant. Ex lib. I. de Regularib. anno 2. folio 11.

Dilectis filiis Fratribus locorum ſanctæ Mariæ de la Nova de Neapoli, ſancti Franciſci de Caeta, de Surrento, & ſancti Franciſci de Caſtello ad mare Ordinis Minorum de Obſervantia &c.

CUm proximis temporibus ad ſupplicationem Chriſtifidelium civitatum & terrarum, in quibus loca habetis, bonæ memoriæ nonnulli prædeceſſores noſtri ipſa loca a Fratribus Conventualibus habitata, vobis concedi, ac tenenda & habitanda dari voluerint & curaverint; inſuperque juſſerint bona immobilia, quæ dicti Conventuales tenuerant ac poſſederant, gubernari per aliquos ſeculares, qui eorum bonorum fructus, reditus, ac proventus converterent in utilitatem reparationemque locorum veſtrorum, ac neceſſitates veſtras; & Nobis fide digna relatione innotuerit, tantam eſſe neceſſitatem reparationis Eccleſiarum, ædificiorum & officinarum, ac proviſionis librorum & ornamentorum in prædictis locis veſtris faciendæ, ut Chriſtifidelium eleemoſynæ largitioneſque nullatenus ſufficere videantur: Nos conſiderantes, quod aliquando Nobis dici feciſtis, eam poſſeſſionum & bonorum immobilium retentionem pro locis veſtris, ut prædicitur, factam, licet per procuratores ſeculares viros illa gubernentur, aliqualiter contra Regulæ veſtræ puritatem fieri, cum proprietatis ſuſpicione non careat, & propterea veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, Procuratoribus ipſis, quorum nomina & cognomina hic haberi volumus pro ſufficienter expreſſis, omnia ipſa bona, quotquot & qualiacumque ſint, etiam relicta ſub onere dicendi Miſſam dietim per Fratres dictorum locorum, & qualitercumque alienari prohibita per eos, qui ipſa bona conceſſerant, etiamſi clauſulam appoſuiſſent, quod in caſu, quo alienarentur, ad hæredes ipſorum, vel hoſpitalia, ſeu alias Eccleſias, vel pauperes devoluerentur, vel aliæ conditiones quæcumque eſſent appoſitæ, quas hic haberi volumus pro ſufficienter expreſſis, vendendi, & alienandi pro pretio, quod juſtum &c. *ut in ſupradicto anno, uſque ad* concedimus per præſentes.

An. 1447. in Regeſt. Tom. II. pag. 522. Bulla 15.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXLVIII. IV. Non. Junii, anno II.

VIII.

Confirmatur donatio domus ſancti Spiritus de Milide Tertiariis conceſſæ. Ibidem folio 237.

Dilecto filio Abbati Monaſterii ſancti Petri de Fora extra muros Compoſtellan.

§. I. APoſtolicæ Nobis injunctæ deſuper officium ſervitutis mentem noſtram excitat & inducit, ut circa ea, quæ pro ſtatu proſpero Eccleſiarum aliorumque piorum locorum, ac perſonarum, in illis ſub Regulari Obſervantia Altiſſimo famulantium, profutura fore conſpicimus, favoris

Apo-

Apoſtolici præſidium extendamus, & iis, quæ propterea prodiiſſe comperimus, ut illibata perſiſtant, libenter, cum a Nobis petitur, Apoſtolici muniminis adjicimus firmitatem. Sane pro parte dilectorum filiorum Miniſtri & Fratrum domus ſancti Spiritus de Milide, Tertii Ordinis ſancti Franciſci, *de Pœnitentia* nuncupati, Mindonien. Diœceſ. &c. petitio continebat, quod dudum quondam Petrus Comes de Traſtamare prædictam domum, quam cum Eccleſia, campanili &c. officinis fundari & conſtrui fecerat, de nonnullis bonis, poſſeſſionibus, ac reditibus, & præſertim quodam territorio ſeu diſtrictu, *de Baſadria* nuncupato, cum parochiali Eccleſia beatæ Mariæ etiam de Baſadria in dicto territorio ſeu diſtrictu conſiſtente, Lucen. Diœceſ. dotavit, ac eidem domui territorium, ſeu diſtrictum, & Eccleſiam hujuſmodi cum eorum fructibus, reditibus, proventibus, juribus, & obventionibus univerſis conceſſit & donavit, ipſique Fratres dotationis, conceſſionis, & donationis earumdem vigore domum, territorium, ſeu diſtrictum, & Eccleſiam hujuſmodi aſſecuti, illa ex tunc a ſeptuaginta annis citra tenuerunt &c. poſſident pacifice & quiete, fructus, reditus & proventus percipientes ex eiſdem; quodque poſtmodum dicti Miniſter & Fratres donationem & conceſſionem prædictas per claræ memoriæ Henricum primo, & deinde per cariſſimum in Chriſto filium noſtrum Joannem illuſtrem Caſtellæ & Legionis Reges approbari & confirmari obtinuerunt, prout in quibuſdam inſtrumentis publicis &c. plenius dicitur contineri. Cum autem &c. ipſi Miniſter & Fratres conceſſionem &c. & ſingula in inſtrumentis, ſeu litteris contenta hujuſmodi, pro eorum ſubſiſtentia firmiori, Apoſtolico munimine roborari deſiderent; pro parte eorumdem Miniſtri & Fratrum, aſſerentium, quod territorii, ſeu diſtrictus, & Eccleſiæ prædictorum fructus, reditus & proventus quindecim librarum Turonen. parvorum, ſecundum communem æſtimationem, valorem annuum non excedunt, nobis fuit humiliter ſupplicatum &c.

§. II. Nos igitur &c. diſcretioni &c. mandamus, quatenus ſi &c. legitime conſtiterit, illas, & prout eas concernunt, ac rationabiliter proceſſerunt, omnia & ſingula in inſtrumentis, ſeu litteris contenta hujuſmodi, auctoritate noſtra approbes & confirmes &c. Non obſtantibus &c. quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXLVIII. XIV. Kalendas Julii, anno II.

IX.

Ut Obſervantes domum recipiant prope villam Marnani. Ex lib. 2. de diverſis formis anno 2. fol. 242.

Dilecto filio Officiali Egitanien.

Fidelium votis, illis præſertim quæ ſalutem animarum, necnon Divini cultus augmentum reſpiciunt, libenter annuimus, &, ut optatum ſortiantur effectum, libenter interponimus ſollicitudinis noſtræ partes. Sane pro parte dilectorum filiorum nobilis viri Henrici Ducis Viſen. & Infantis Portugalliæ, necnon hominum & Communis villæ de Marnan. Egitanien. Diœceſ. petitio continebat, quod cum in quodam vicino dictæ villæ loco, in quo nec Eccleſia, nec oratorium fundata comperiuntur, Altiſſimus ſua ineffabili providentia viſibus humanis, meritis glorioſæ Virginis Mariæ, pene innumerabilia miracula his in temporibus demonſtrare dignatus fuerit, de præſentique demonſtret, ipſique Dux, homines & Commune, occaſione hu-

hujuſmodi moti, ac zelo devotionis, quam ad eamdem beatam Mariam gerere comprobantur, accenſi &c. in dicto loco unam domum cum Eccleſia, campanili &c. officinis, pro uſu & habitatione Fratrum Minorum, ſub Regula ſancti Franciſci degentium, de bonis a Deo ſibi collatis de novo conſtruere &c. proponant &c. Quare pro parte prædictorum Ducis, hominum & Communis nobis fuit humiliter ſupplicatum &c. Nos igitur &c. diſcretioni tuæ &c. mandamus, quatenus ſi eſt ita, dictis Duci, hominibus & Communi domum hujuſmudi, ut præmittitur, pro uſu & habitatione dictorum Fratrum, juxta Ordinis ejuſdem Sancti Obſervantiam degentium, jure &c. ſalvo, fundandi &c. licentiam largiaris. Non obſtantibus fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. &c. Fratribus, qui in ipſa domo &c. ſingulis privilegiis &c. uti & gaudere valeant &c. indulgemus.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXLVIII. Nonis Julii, anno II.

X.

Confirmantur donatio Monaſterii Jeſu Capuan. Ordinis ſanctæ Claræ, & electio Abbatiſſæ ejuſdem. Ex lib. I. de Regularibus, an. 2. fol. 158.

Venerabili Fratri Archiepiſcopo Capuan.

Vide Conſtit. 8. hujus Pontif.

§. I. APoſtolicæ &c. Sane pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Abbatiſſæ, & Conventus Monaſterii *Jeſu* nuncupati, Ordinis ſanctæ Claræ Capuan. nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim, poſtquam Antonius Tobiæ, & dilecta in Chriſto filia Blancuccia relicta dicti Antonii Laici vidua Capuan. de bonis ſibi a Deo collatis, in quadam ipſorum domo, in civitate Capuan. conſiſtente &c. Monaſterium ipſum, in quo degunt, cum Eccleſia & neceſſariis officinis, ſub vocabulo ejuſdem Sancti nominis Jeſu, conſtrui & ædificari fecerant de licentia Ordinarii loci, ac eidem Monaſterio pro dote, reſervato eis quoad viverent uſufructu ac etiam Jurepatronatus, omnia bona ſua donaverant &c. nonnullæ Moniales Ordinis ſanctæ Claræ de licentia Provincialis Miniſtri Ordinis Minorum, Provinciæ Terræ laboris, ſecundum morem dicti Ordinis, tunc exiſtentis, prædictum Monaſterium per Antonium Tobiæ, & Blancucciam prædictos eis nomine dicti Ordinis donatum, conceſſum, ac etiam aſſignatum intraverunt, & deinde Moniales, & Conventus tunc inibi exiſtentes, vocatis omnibus quæ voluerunt, potuerunt & debuerunt electioni hujuſmodi commode intereſſe, die ad eligendum præfixa, ut moris eſt, convenientes in unum, dilectam in Chriſto filiam Agneſellam Monialem dicti Monaſterii, Ordinem ipſum expreſſe profeſſam, de legitimo matrimonio procreatam, ac in ætate legitima conſtitutam, in earum & dicti Monaſterii Abbatiſſam concorditer elegerant, ipſaque Agneſella, electioni hujuſmodi conſentiens, electionem ipſam a dilecto filio Vicario tunc Generalis Miniſtri Ordinis Minorum prælibati, juxta ipſius Ordinis conſuetudinem diutius obſervatam, obtinuit confirmari, & ſucceſſive Abbatiſſa & Conventus prædictæ in prædicto Monaſterio honeſte & laudabiliter ſub Regularibus dicti Ordinis inſtitutis perſeverantes, in illo octo annis vel circiter permanſerunt Altiſſimo famulantes.

§. II. Cum autem Abbatiſſa & Conventus prædictæ fundationem, conſtructionem, & donationem hujuſmodi, ac omnia & ſingula in dicto inſtrumento contenta, & inde ſecuta, cupiant Apoſtolico muninime roborari; pro parte Abbatiſſæ & Conventus prædictarum nobis fuit humiliter ſuppli-

ca-

catum &c. Nos igitur &c. fraternitati tuæ &c. mandamus, quatenus de præmiſſis &c. informes &c. conſtructionem, fundationem &c. & ſingula in dicto inſtrumento contenta &c. approbes & confirmes, ſuppleaſque omnes defectus &c. Non obſtantibus &c. quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXLVIII. XIII. Kalendas Auguſti, anno II.

XI.

Ut Sorores Tertii Ordinis Piſtorien. cohabitent, domum conſtruant, & Miniſtram eligant. Ex lib. 2. de diverſis formis anno 2. folio 216.

Venerabili Fratri Epiſcopo Piſtorien.

§. I. Piis fidelium votis, illis præſertim quæ ſalutem animarum, necnon Divini cultus augmentum reſpiciunt, libenter annuimus, &, ut optatum ſortiantur effectum, libenter interponimus ſollicitudinis noſtræ partes. Sane pro parte dilectorum filiorum Communis & Civium civitatis Piſtorien. nobis nuper exhibita petitio continebat, quod dilectæ in Chriſto filiæ Maria de Florentia, Andrea, Catarina, & Angela de Piſtorio, Sorores Tertii Ordinis ſancti Franciſci, *de Pœnitentia* nuncupati, in dicta civitate ſeparatim commorantes, ob frugem melioris vitæ, in aliqua domo civitatis ejuſdem ad hoc congrua & honeſta, in congregatione, & ſub debito obedientiæ gubernaculo, alias juxta Regularia dicti Ordinis Inſtituta vivere &c. Quare pro parte Communis & civium prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut pro laudabili dictæ domus directione prædictis Sororibus, poſtquam in ipſa congregatione fuerint, ut præfertur, quod unam ex eis, quæ ceteris præſit, eaſque juxta ipſius Ordnis regulam dirigat & gubernet &c. hac vice, & ſucceſſive cum domus ipſa per ejuſdem Miniſtræ ceſſum vel deceſſum, aut alias quovis modo Miniſtra caruerit, ſibi perpetuis futuris temporibus in Miniſtram, quæ per Viſitatorem, per eas juxta hujuſmodi inſtituta ex aliqua approbata Religione eligendum, ſuis demeritis exigentibus, de conſilio tamen &aſſenſu earumdem Sororum, amoveri valeat, eligere, quodque mulieres a ſeculo fugientes, in domo prædicta Domino famulari cupientes, Miniſtra pro tempore exiſtens ad habitum & profeſſionem ipſius Regulæ juxta hujuſmodi inſtituta recipere & admittere valeat, ac Viſitator, qui pro tempore fuerit, Miniſtrum & Sorores prædictas, cum expedire videbitur, dum tamen dictæ domus ſepta non ingrediatur, pro corrigendis exceſſibus viſitare, culpabileſque repertas corrigere valeat, licentiam concedere &c. dignaremur.

§. II. Nos igitur &c. fraternitati tuæ &c. mandamus, quatenus de præmiſſis &c. informes &c. eiſdem Sororibus pro tempore exiſtentibus aliquam domum in dicta civitate, ad id congruam &c. recipiendi, & poſtquam illam receperint, ac &c. dictæ domus Miniſtram eligendi, & Miniſtræ ſic electæ domum & Sorores hujuſmodi regendi &c. licentiam largiaris. Nos enim, ſi conceſſionem &c. Miniſtræ, & Sororibus pro tempore exiſtentibus, ac domui prædictis, ut omnibus & ſingulis privilegiis &c. conceſſis, uti & gaudere valeant &c. indulgemus. Non obſtant. ſel. rec. Clementis V. & Joannis XXII. ac Bonifacii VIII. &c. quibuſcumque: jure &c. ſalvo.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXLVIII. II. Kalendas Septembris, anno II.

XII.

Tranſfertur ab Imelacen. ad Clonferten. Eccleſiam. Ex lib. 1. de Proviſionibus anno 2. fol. 20.

Venerabili fratri Cornelio Ocunlis Epiſcopo Clonferten.

Vide Conſt. 5. hujus Pontificis.

DIvina diſponente clementia &c. Dudum ſiquidem proviſiones Eccleſiarum Cathedralium omnium &c. reſervavimus &c. Cum itaque poſtquam Eccleſia Clonferten. ex eo apud Sedem prædictam vacaverit, & vacet ad præſens, quod Venerabilis frater noſter Joannes Vuyth ipſius Clonferten. Eccleſiæ Epiſcopus regimini & adminiſtrationi dictæ Eccleſiæ, cui tunc præerat, per Venerabilem fratrem noſtrum Cornelium Omulalayd Imelacen. tunc etiam in .... Eccleſia Epiſcopum procuratorem ſuum, ad hoc ab eo ſpecialiter conſtitutum, in manibus noſtris ſponte & libere ceſſerit &c. Nos ad proviſionem ipſius Eccleſiæ Clonferten. celerem &c. Demum ad te Clonferten. tunc Imelacen. Epiſcopum &c. oculos noſtræ mentis. Intendentes igitur tam dictæ Clonferten. Eccleſiæ, quam ejus gregi &c. providere, te apud Sedem eamdem conſtitutum, a vinculo, quo eidem Imelacen. Eccleſiæ, cui &c. tenebaris, abſolventes, ad prædictam Clonferten. Eccleſiam tranſferimus, teque illum præficimus in Epiſcopum & Paſtorem &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXLVIII. III. Kalend. Septembris, anno II.

XIII.

Tranſfertur a Clonferten. ad Imelacen. Eccleſiam. Ibidem fol. 18.

Venerabili fratri Cornelio Omulalayd Epiſcopo Imelacen.

ROmani Pontificis providentia circumſpecta Eccleſiis univerſis, quæ vacationis incommoda deplorare noſcuntur, ut gubernatorum utilium fulciantur præſidio, proſpicit diligenter, & perſonis Eccleſiaſticis, ut ſtatum ſuum decentius tenere valeant, libenter, prout decens eſt & congruum, de ſubventionis auxilio providet opportuno. Sane Eccleſia Imelacen. ex eo Paſtoris ſolatio deſtituta, quod nos hodie Venerabilem fratrem noſtrum Cornelium Ocunlis Clonferten. tunc Imelacen. Epiſcopum apud Sedem Apoſtolicam conſtitutum, a vinculo, quo ipſi Eccleſiæ Imelacen. cui tunc præerat, tenebatur &c. abſolventes, ipſum ad Eccleſiam Clonferten. tunc vacantem duximus auctoritate Apoſtolica tranſferendum, præficiendo eum eidem Clonferten. Eccleſiæ in Epiſcopum & Paſtorem. Nos ad proviſionem ipſius Imelacenſis Eccleſiæ &c. Intendentes igitur tam dictæ Imelacen. Eccleſiæ, quam ejus gregi &c. providere, te apud eamdem Sedem conſtitutum a vinculo &c. abſolventes, te ad prædictam Imelacen. Eccleſiam tranſferimus, teque illi præficimus in Epiſcopum & Paſtorem &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXLVIII. III. Kalend. Septembris, anno II.

XIV. *Præ-*

XIV.

Præficitur Eccleſiæ Sydonien. Ibid. fol. 81.

Dilecto filio Ludovico de Valleoleti Electo Sydonien.

APoſtolatus officium &c. Dudum ſiquidem bon. mem. Joanne Epiſcopo Sydonien. regimini Sydonien. Eccleſiæ præſidente, Nos cupientes &c. Poſtmodum vero præfata Eccleſia per obitum ejuſdem Joannis Epiſcopi &c. deſtituta &c. Demum ad te Ordinis Fratrum Minorum & S. Theologiæ Profeſſorem &c. teque illi præficimus in Epiſcopum & Paſtorem &c. *Vide Conſt. 3. hujus Pontificis.*

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXLVIII. IV. Nonas Septembris, anno II.

XV.

Fit Epiſcopus Cuperſan. Ibid. fol. 85.

Dilecto filio Petro de Migolla Electo Cuperſan.

APoſtolatus officium &c. Sane Eccleſia Cuperſan. ex eo Paſtoris ſolatio deſtituta, quod nos hodie Venerabilem fratrem noſtrum Donatum Valven. & Cuperſan. Epiſcopum a vinculo &c. abſolventes, eum ad dictam Eccleſiam Valven. tunc vacantem duximus &c. transferendum, præficiendo eum ipſi Eccleſiæ Valven. in Epiſcopum & Paſtorem; Nos ad proviſionem dictæ Cuperſan. Eccleſiæ &c. Demum ad te Ordinis Fratrum Minorum expreſſe profeſſum &c. teque illi præficimus in Epiſcopum & Paſtorem &c. *Ut ſupra.*

Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXLVIIII. pridie Nonas Septembris, anno II.

XVI.

Ut recipiant domum in oppido Anceniſii. Ex lib. 1. de Regularib. an. 3. fol. 234.

Dilecto filio Vicario Provinclalis Miniſtri provinciæ Turonen. Ordinis Fratrum Minorum, ſuper ipſos Fratres dicti Ordinis de Obſervantia *nuncupatos deputato.*

HUmilibus ſupplicum votis, illis præſertim, quæ ad Divini cultus augmentum, & Religionis propagationem reſpiciunt, libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis. Exhibita nobis nuper pro parte dilectæ in Chriſto filiæ nobilis mulieris Joannæ de Henricuria de Rieux, & Caſtri Briandi Domicellæ, petitio continebat, quod ipſa ex ſingulari zelo devotionis &c. gerit, in altero ſuorum oppidorum, videlicet de Ancenis, ſeu juxta illud, Nannaten. diœceſ. quamdam domum cum Eccleſia, campanili &c. officinis, pro perpetuis uſu & habitatione quorumdam ex Fratribus Ordinis Minorum, *de Obſervantia* nuncupatorum, per te, & tuos Miniſtri Provincialis prædictæ Provinciæ Vicarios ſucceſſores ſpecialiter regendorum, ipſa &c. fundare & conſtruere &c. deſideret &c. Nos igitur &c concedimus, quatenus in dicto oppido de Ancenis, aut juxta illud, unam domum, ſi nondum fundata & conſtructa exiſtat, fundare & conſtruere, vel ſi jam incœpta vel non perfecta fuerit, perficere, cum Eccleſia &c. officinis, & ſi tibi a dicta devota & nobili Joanna, ſeu ab aliis intra ſeu juxta dictum oppidum de Ancenis donetur &c. per te, & alios Provinciales Provinciæ Turonen. Miniſtri

ſtri Vicarios ſucceſſores ſpecialiter, ut præfertur, regendorum, recipiendi &c. retinendi, Diœceſani &c. minime requiſita &c. concedimus facultatem: Et nihilominus tibi per Apoſtolica ſcripta mandamus, ut cum hujuſmodi conceſſio facta fuerit, Fratres de hujuſmodi Obſervantia Regulari in ipſius loci corporalem poſſeſſionem introduci & intromitti noſtra auctoritate procures, eoſque in ipſum locum inducas. Et inſuper univerſis &c. ut omnibus & ſingulis privilegiis &c. conceſſis, & in poſterum concedendis, uti &c. valeant &c. indulgemus. Non obſtant. fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. &c. Propter quod &c. Venerabili fratri noſtro Epiſcopo Nanneten. & dilectis filiis Archidiacono de Media in Eccleſia Nanneten. & Decano Eccleſiæ beatæ Mariæ de Cliſſio per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi aut alter ipſorum, per ſe aut alium ſeu alios, Fratribus hujuſmodi Ordinis & Obſervantiæ Minorum, quoad prædicti loci acceptionem, receptionem & introductionem, favorem præbeant opportunum, ſimulque, quoad futuram in eodem loco habitationem, contra turbantes, contradicentes & impedientes quoſcumque per cenſuram &c. ipſos Fratres Obſervantes conſervent, ſpecialiterque protegant & defendant; ac etiam ſe ulterius de conſuetudine ſolutionis quartæ portionis diligenter informent, ac illam conſuetudinem, quam in dicto loco, ſeu magis in aliis circumvicinis repererint æquiorem, & Juri magis conſonam, faciant auctoritate noſtra etiam per cenſuram Eccleſiaſticam, aut alias per ipſius loci Curatum ſeu Curatos, patronum ſeu patronos, atque dictæ domus Guardianum ſeu Guardianos ac Fratres perpetuo & inviolabiliter obſervari. Non obſtant. aliis &c. quibuſcumque &c.

Datum Romæ apud ſanctam Potentianam anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXLVIII. XIII. Kalend. Novembris, anno II.

XVII.

Ut Monaſterium ſanctæ Claræ Boyſſetanum transferatur, & in eo inſtituantur Capellaniæ, ac Jus-patronatus Comitibus de Armaniaco reſervetur. Ex Archivo ſecreto lib. 23. Bullar. fol. 276.

Venerabili fratri Epiſcopo Bitteren. & dilectis filiis Abbati ſecularis & Collegiatæ Daurati, ac Præpoſito Monaſterii Anſolien. locorum, Lemovicen. diœceſis Eccleſiarum.

§. I. HUmilibus & honeſtis ſupplicum votis, illis præſertim per quæ piæ decedentium diſpoſitiones, circa ſacræ Religionis propagationem, & Divini cultus augmentum adimpleri, vel in conſimilia alia Deo grata & accepta opera commutari valeant, libenter annuimus, eiſque, quantum cum Deo poſſumus, favorem Apoſtolicum impertimur. Hodie ſiquidem pro parte dilecti filii nobilis viri Bernardi de Armaniaco, Marchiæ, Perdriaci, & Caſtren. Comitatuum Comitis, nobis expoſito, quod ipſe ad Ordinem ſanctæ Claræ, præſertim ad illius Monaſteria tam in ſuis, quam in quorumdam aliorum Principum, Magnatum, & Baronum territoriis ſeu dominiis conſiſtentia, in quibus illorum Abbatiſſæ, & Sorores ſub Regulari Obſervantia, & Fratrum Ordinis Minorum *de Obſervantia* nuncupatorum, a Generali ipſius Ordinis Minorum Miniſtri pro tempore exiſtentis ſuperioritate, & obedientia non exemptorum, cura & aſſiſtentia, nihilque proprii poſſidentes, de puris Chriſtifidelium eleemoſynis, quæ pro eis per eoſdem Fratres mendicando quæruntur, juxta quaſdam quondam Coletæ Bocheti Sororis profeſſæ Ordinis ſanctæ Claræ hujuſmodi, natione Ambianen. aliquo-

Bernardus de Armaniaco conſtruendi Monaſteria poſtulat facultatem.

quorum ex ipſis Monaſteriis fundatricis, reformationes, ac alias laudabiliter pro tempore vivunt, magnum devotionis affectum gerens, nonnulla alia ejuſdem Ordinis ſanctæ Claræ Monaſteria de ſuis & per eum aliunde procurandis piis ſuffragiis, pro Abbatiſſarum & Sororum, ſub Obſervantia, & aliis vivendi modis præmiſſis Altiſſimo pro tempore famulaturarum, uſibus & habitationibus perpetuis fundare, conſtruere &c. deſiderabat & proponebat. Nos ſibi præmiſſa faciendi & adimplendi per alias noſtras litteras licentiam conceſſimus, ac inter alia ſtatuimus & ordinavimus, quod Abbatiſſæ & Sorores fundandorum Monaſteriorum hujuſmodi obſervantiam, & alios vivendi modos prædictos imitari, tenere & ſervare tenerentur &c.

§. II. Exhibita etiam tunc nobis pro parte ejuſdem Comitis petitio continebat, quod olim quondam Iſabella de Rodis mulier in loco de Boyſſet, ſancti Flori diœceſis, cujus ipſa, dum vixit, Domina temporalis extitit &c. quoddam Monaſterium pro una Abbatiſſa & duodecim Sororibus prædicti Ordinis ſanctæ Claræ, Deo inibi pro tempore ſervituris, legatis, & aſſignatis per eam de bonis hujuſmodi, in ipſius Monaſterii dotem, pro ſuſtentatione Abbatiſſæ & duodecim Sororum earumdem certis perpetuis annuis reditibus, ſeu penſionibus, canonice fundari, & uſque ad erectionem dumtaxat cujuſdam illius capellæ, & certi habitaculi, quod interim nonnullæ ipſius ſanctæ Claræ Ordinis Sorores ingreſſæ ex tunc inibi deguerunt, prout de præſenti degunt, conſtrui & ædificari facere incœpit, ſed ejus ſuperveniente obitu, Monaſterium ipſum tam ad clauſtrum, quam ad reliquas omnes illius officinas neceſſarias incompletum & imperfectum remanſit, propter quod, & etiam quia habitatio eſt inibi quaſi campeſtris, & pravorum malignitatibus hominum patens &c. pia ipſius Iſabellæ intentio deſeri timetur in brevi penitus defraudata.

Iſabella de Rodis pro uno Cœnobio conſtruendo dotem relinquit.

§. III. Cum autem &c. ſi de Apoſtolicæ Sedis licentia Monaſterium hujuſmodi in alio tutiori, congruentiori & honeſtiori loco fundandum, conſtruendum & ædificandum transferretur, ita quod illius Abbatiſſa, & Sororibus, quæ pro tempore forent, obſervantiæ, curæ, aſſiſtentæ, reformationibus, & aliis vivendi modis ſe conformantibus antedictis, reditus, ſeu penſiones hujuſmodi pro aliquibus perpetuis Capellaniis, una videlicet in dicta capella, ne illa alias ad profanos uſus veluti hæreditas redigeretur, & reliquas earum in Eccleſia transferendi Monaſterii hujuſmodi fundandas, ac pro nonnullorum perpetuorum Capellanorum, ſingulorum videlicet ex ipſis in ſingulis ex Capellaniis eiſdem Miſſam die quolibet pro tempore celebraturorum, congrua ſuſtentatione dotandis deputarentur & aſſignarentur, ex hoc intentio prædicta ab omni fraudatione ſecura, utilem & fructuoſum indubie conſequeretur effectum, & ad illum conſequendum idem Comes, qui prædictæ Iſabellæ in temporali dominio hujuſmodi legitime ſucceſſit, opportunum remedium apponi deſideret: pro parte ipſius Comitis nobis fuit humiliter ſupplicatum &c. tot videlicet, ad quot ipſorum reditium, ſeu penſionum facultates, commode ſuppetere videbuntur, in Eccleſia præfata pro totidem perpetuis Capellanis, Miſſas inibi pro Iſabellæ & Comitis prædictorum, ac ſucceſſorum ſuorum animarum ſalute celebraturis, ut præfertur, fundandi & dotandi licentiam concedi, ac reditus ſeu penſiones eoſdem pro fundatione, & dotatione Capellaniarum hujuſmodi deputari & aſſignari, eidem quoque Comiti, & ſuis hæredibus & ſucceſſoribus, ut ex hoc ſpecialis dictæ Sedis privilegii titulo honorentur, Juspatronatum omnium & ſingularum Capellaniarum earumdem, illaſque, videlicet ſingulas ipſarum, poſtquam fundatæ & dotatæ fuerint, tam primariis vi-

Petitur ut Monaſterium cum ſuis adnexis transfertur.

vicibus, quam in poſterum, quoties pro tempore vacaverint, ſingulis perſonis idoneis auctoritate propria conferendi, & de illis etiam providendi, perpetuo reſervari pariter, & concedi mandare, ac alias ſuper iis opportune providere &c. dignaremur.

§. IV. Nos igitur &c. diſcretioni veſtræ &c. mandamus, quatenus vos vel duo aut unus veſtrum, ſi eſt ita, incompletum Monaſterium ad tutiorem &c. locum hujuſmodi auctoritate noſtra transferentes, prædicto Comiti illud cum Eccleſia, campanili &c. officinis de piis ſuffragiis inibi fundandi, conſtruendi &c. necnon de reditibus ſeu penſionibus, quorum qualitates & veros annuos valores præſentibus hujuſmodi volumus pro ſufficienter expreſſis, Capellanias hujuſmodi ubi, & prout, ac quemadmodum, & quo fine dictum eſt ſuperius, fundandi & dotandi, Ordinariorum &c. minime requiſitis, jure &c. ſalvo, plenam & liberam licentiam concedere: reditus quoque, ſeu penſiones eoſdem pro fundatione & dotatione Capellaniarum hujuſmodi deputare & aſſignare; necnon Comiti, ac hæredibus & ſucceſſoribus ſuis prædictis patronatus Capellaniarum, & illas poſt fundationem & dotationem earum conferendi, providendique, jus hujuſmodi, ut præmittitur, reſervare ac concedere; necnon degentibus adhuc in incompleto Monaſterio Sororibus hujuſmodi, pro earum ſuſtentatione interim, ac etiam poſtquam in loco translationis conſtructum & ædificatum fuerit Monaſterium hujuſmodi, ſi illæ una cum aliis illud ingreſſuris Sororibus, obſervantiæ, curæ, aſſiſtentiæ, reformationibus, & aliis vivendi modis ſupradictis per ipſas alias, ut præfertur, tenendis & ſervandis ſe conformare forte noluerint, quoad vixerint, de reditibus ſeu penſionibus prædictis neceſſaria congrue miniſtrari facere, auctoritate noſtra curetis, Contradictores per cenſuram &c. compeſcendo. Non obſtant. conſtitutionibus &c. contrariis quibuſcumque &c. Nos enim ſi translationem, & alia præmiſſa, vigore præſentium per vos fieri contigerit, Abbatiſſæ & Sororibus in transferendo Monaſterio pro tempore permanſuris hujuſmodi Apoſtolica auctoritate concedimus, quod illæ & illud omnibus & ſingulis privilegiis &c. utuntur & gaudent, in futurum utentur & gaudebunt, perpetuo uti & gaudere &c.

Pontifex annuit.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXLVIII. X. Kalend. Novembris, anno II.

XVIII.

Ut conſtruatur domus in oppido Montis-Rotundi. Ex lib. 3. de diverſis formis anno 2. folio 201.

Dilecto filio Andreæ Antonii de Monte Rotundo Canonico Sabinen.

Vide Conſt. 12. hujus Pontif.

§. I. Piis &c. Sane pro parte dilectorum filiorum nobilis viri Jacobi de Urſinis, Domini temporalis, necnon incolarum & habitatorum terræ Montis-Rotundi, Sabinen. Diœceſ. petitio continebat, quod ipſi ob ſingularem, quam ad Ordinem Fratrum Minorum ac ipſos Fratres gerunt devotionem, & ut prædicatio verbi Dei ad animarum ſalutem ibidem exerceretur, & frequentaretur, Eccleſiam beatæ Mariæ extra muros dictæ terræ, quæ de Jure patronatus temporalis dictæ terræ Domini pro tempore exiſtentis exiſtit, etiam ad hoc dilecti filii Antonii Joannis Rectoris, Archipresbyteri nuncupati, dictæ Eccleſiæ, accedente conſenſu, in domum conventualem cum cœmeterio, & aliis neceſſaris officinis, pro uſu & habitatione perpetuis nonnullorum Fratrum dicti Ordinis, ac etiam capellam beatæ Mariæ

riæ Magdalenæ de dicta terra, quæ de simili jure, ac eidem Ecclesiæ subjecta existit, & cui cura per Vicarium perpetuum, ab ipso Rectore pro tempore deputatum, exerceri solita imminet animarum, in parochialem Ecclesiam, quæ de cetero Archipresbyteratus nuncupetur, erigi, ac eidem capellæ possessiones & bona stabilia dictæ Ecclesiæ applicari plurimum affectantes, Ecclesiam ipsam cum territorio sibi contiguo, & aliis obventibus ex funeralibus, & eleemosynis fidelium infra dictam Ecclesiam provenire solitis, prædictis Fratribus pro usu & habitatione prædictis perpetuo concesserunt & donarunt, ac hujusmodi possessiones, bona eidem capellæ, quantum in eis fuit, applicarunt. Quare pro parte Jacobi, incolarum & habitatorum prædictorum nobis fuit humiliter supplicatum &c.

§. II. Nos igitur &c. discretioni tuæ &c. mandamus, quatenus si vocatis dicto Antonio, & aliis qui fuerint evocandi, tibi de consensu, ac aliis præmissis legitime constiterit, concessionem, donationem & applicationem prædictas auctoritate nostra approbes & confirmes &c. Et nihilominus, si approbationem &c. fieri contigerit, eisdem Fratribus Ecclesiam ipsam recipiendi, illamque in domum conventualem cum campanili &c. officinis pro usu &c. erigendi, & perpetuo retinendi &c. licentiam largiaris. Nos enim omnibus & singulis Fratribus in dicta erigenda domo &c. ut omnibus & singulis privilegiis &c. concessis, uti &c. valeant &c. indulgemus: jure &c. salvo. Non obstant. sel. record. Bonifacii Papæ VIII. &c. quibuscumque.

Datum Romæ apud sanctam Potentianam anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXLVIII. III. Kalend. Novembris, anno II.

XIX.

Ut quædam bona ad suum Conventum spectantia per Procuratorem faciant vendere. Ex lib. 2. de Regularib. anno 2. fol. 106.

Dilectis filiis Guardiano, & Fratribus domus sancti Fortunati prope oppidum Montis-falci, Ordinis Fratrum Minorum, Spoletan. Diœcesis.

§. I. Sedis Apostolicæ gratiosa benignitas piis fidelium, præsertim sub Religionis habitu Domino militantium, votis libenter annuit, & honestis eorum precibus favorem benevolum impertitur. Dudum siquidem felicis recordat. Eugenio Papæ IV. prædecessori nostro pro parte dilectorum filiorum Universitatis & hominum oppidi Montis-falci, Spoletan. Diœcesis. exposito, quod ipsi &c. juxta Ecclesiam sancti Fortunati, quæ per medium milliare vel circa prope dictum oppidum consistebat, & licet habitu curata esset, actu tamen sine cura erat, mediantibus suis & aliorum Christifidelium eleemosynis, unam domum dicti Ordinis cum Ecclesia, campanili &c. officinis, pro perpetuis usu & habitatione aliquorum Fratrum prædicti Ordinis Regularis Observantiæ fundare &c. proponebant &c. ac tantum terreni, sive terræ spatium, quod pro fundatione & constructione hujusmodi sufficeret, assignaretur, dictus prædecessor Ecclesiam prædictam cum structuris, & spatio terreni prædictis, pro fundatione & constructione hujusmodi deputari, & eisdem Universitati & hominibus, quod ipsa Ecclesia, si opus esset, vel alias Fratribus prædictis videretur, demolita, juxta eam domum cum Ecclesia, campanili, & aliis necessariis officinis prædictis fundari & construi, necnon aliquibus ex Fratribus Observantiæ & Ordinis prædictorum, quod domum hujusmodi, postquam fundata & constructa foret &c. recipere &c. possent, quodque cedente vel decedente venerabili fratre nostro Latino Archiepiscopo Tranen. qui tunc dictam Ecclesiam in com-

mendam, ſeu alias ex conceſſione & diſpoſitione Apoſtolica obtinebat, vel Eccleſiam ipſam alias quomodolibet dimittente, duo boni & probi viri, quos ad id Epiſcopus Spoletan. pro tempore exiſtens, de Fratrum in ipſa domo pro tempore degentium conſenſu eligeret ſeu deputaret pro tempore, omnia & ſingula poſſeſſiones & bona ad dictam Eccleſiam ſpectantia, regere & gubernare, illorumque fructus, reditus & proventus in fabricam vel conſtructionem Eccleſiæ, ac domus prædictarum, necnon in emptionem librorum & aliorum ornamentorum Eccleſiaſticorum pro cultu divino inibi neceſſariorum convertere poſſent & deberent, per ſuas litteras ſtatui, decernique mandavit, certis deſuper executoribus deputatis. Et deinde poſtquam nos, qui dicto prædeceſſore, ſicut Domino placuit, ſublato de medio, divina favente clementia ad apicem ſummi Apoſtolatus aſſumpti fuimus, vobis ſub Obſervantia hujuſmodi degentibus, qui vigore earumdem litterarum debitæ executioni demandatarum, domum cum aliis pro veſtris uſu & habitatione neceſſariis officinis hujuſmodi fundari & conſtrui facere cupiatis, quod cedente, vel decedente dicto Latino Archiepiſcopo, vel ipſam Eccleſiam alias dimittente, deberet Procurator dictæ domus, a vobis ſecundum indulta Apoſtolica pro tempore deputatus, poſſeſſiones, jura & bona prædicta ſimul vel ſucceſſive quibuſvis perſonis vendere, ac pretium ſeu pretia ex venditione ſeu venditionibus hujuſmodi proveniens vel provenientia, in perfectionem, necnon emptionem librorum, ornamentorum, aliorumque neceſſariorum antedictorum, juxta veſtras diſpoſitionem & voluntatem convertere, conceſſeramus; ac ſubſequenter dictus Latinus Archiepiſcopus prædictam ceſſionem in manibus noſtris ſponte & libere fecerat &c. dilecto filio Magiſtro Nicolao de Aſſiſio ſcriptori, & familiari noſtro per alias noſtras litteras commiſimus, ut quatuor bonos & prudentes viros, de quibus ſibi videretur, eligeret, qui ſimul cum Procuratore a vobis, ut præfertur deputando, prædicta bona ſimul vel ſucceſſive, quibus vellent, venderent & alienarent, ac pecunias ex ipſis venditionibus recipiendas dicto Procuratori aſſignarent, ad libitum Fratrum prædictorum in complementum ædificationis &c. exponendo, prout in ſingulis prædeceſſoris, & noſtris litteris plenius continetur.

§. II. Cum autem &c. licet dictus Nicolaus ſibi directarum litterarum obtentu, quatuor bonos & prudentes viros elegerit, & ſic electi una cum Procuratore a vobis deputato hujuſmodi aliqua ex bonis antedictis vendiderint, tamen pro eo quod ſic electi viri prædicti in prædicto oppido præſentes non ſunt, ad ulteriorem venditionem hujuſmodi faciendam commode haberi non poſſunt, & propter dilationem venditionis hujuſmodi non modicum recipiatis detrimentum: pro parte veſtra nobis fuit humiliter ſupplicatum &c. Nos igitur &c. volumus &c. concedimus, quod inantea dictus per vos pro tempore deputatus Procurator poſſeſſiones, jura & bona prædicta ſimul vel ſucceſſive quibuſvis perſonis vendere, & pretium ſeu pretia ex venditione ſeu venditionibus hujuſmodi proveniens in complementum perfectionis domus, necnon emptionem librorum, ornamentorum, & aliorum neceſſariorum antedictorum, juxta voluntatem & diſpoſitiones veſtras, convertere libere & licite poſſit & debeat: non obſtantibus deputatione aliorum quatuor bonorum & prudentum virorum prædicta, conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon omnibus illis, quæ nos in noſtris, & dictus prædeceſſor in ſuis litteris voluimus & voluit non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXLVIII. VII. Idus Novembris, anno II.

XX.

Moniales Monaſterii ſanctæ Catarinæ Januen. iterum ſubjiciuntur Fratrum regimini. Ex Archivo ſecreto lib. 24. Bullar. folio 52.

Ad futuram rei memoriam.

§. I. QUia plerumque in futurorum eventibus ſic humani fallitur incertitudo judicii, ut quod utile veriſimilis conjectura, imo etiam attenta conſideratio pollicetur, non ſolum inutile, ſed damnoſum reperiri contingat, idcirco Romanus Pontifex nonnunquam per ſuos prædeceſſores geſta, cum illa, rebus cognitis, in abuſum, ac Regularium perſonarum præjudicium vergere proſpicit, caſſat, revocat & annullat, eaque moderatur & ordinat, ſicuti rerum, perſonarum, atque locorum neceſſitati & utilitati conſiderat in Domino expedire.

§. II. Dudum ſiquidem fel. rec. Eugenius Papa IV. prædeceſſor noſter litteras conceſſit tenoris ſubſequentis: *Eugenius Epiſcopus &c. Dilectis filiis Philippo Aduruo, Abbati Monaſterii ſancti Venerii de Tyro Portus Veneris, Lunen. Diœceſ. & Joanni de Gattis Priori ſancti Theodori de Janua* &c. Ad Eccleſiarum, & Monaſteriorum illorum &c. *Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno &c.* MCCCCXLIII. VII. *Idus Octobris, anno* XIII. Nuper vero querelam dilectorum filiorum Jani de Campo Fregoſo Ducis, ac multorum civium Januen. accepimus continentem, quod licet Philippus Abbas & Joannes Prior prædicti, ad earumdem litterarum executionem juxta illarum tenorem & continentiam procedentes, prædictum Monaſterium tam in capite, quam in membris viſitaverint, & Moniales ipſas ab excommunicationis ſententia hujuſmodi abſolverint, necnon eiſdem Fratribus ne ad ipſum Monaſterium accedere, ſeu Abbatiſſam & Conventum prædictas viſitare, aut in eas Juriſdictionem aliquam exercere, ſeu earum curam gerere præſumerent, ſub pœnis & cenſuris tunc expreſſis inhibuerint, ac alia, quæ pro illarum reformatione ac directione opportuna erant, & quæ ad hujuſmodi viſitationis officium pertinebant, prout ex litterarum prædictarum forma poterant, ſtatuerint, ac pariter ordinarint. Nihilominus Abbatiſſa & Conventus prædictæ, poſtquam a cura & Juriſdictione Fratrum dicti Ordinis liberæ fuerant & exemptæ, ac habitum Ordinis ſancti Benedicti, & profeſſionem, juxta morem dicti Ordinis, licet de facto emiſerant Regulares, non ſolum meliorem, aut laudabilem vitam ducere, & ſecundum inſtituta Regularia dicti Ordinis vivere, eorumque immortali ſponſo, cui virginitatem ſuam devoverant, in humilitatis ſpiritu famulari non curarunt, verum magis deteſtabilem, pernicioſam, & ſuarum animarum ſaluti contrariam elegerunt, uſque adeo perſeverantes, in opprobrium Religionis hujuſmodi, & ſcandalum plurimorum. Quare pro parte Ducis & civium prædictorum, aſſerentium, quod præmiſſa, quæ ad gravem Divinæ majeſtatis offenſam, eorumque, & civitatis Januen. infamiam cedere dignoſcuntur, nequeunt amplius æquanimiter tolerare, quinimo circa clauſuram, & gubernationem prædicti Monaſterii curam vigilem in futurum adhibere proponunt, nobis fuit humiliter ſupplicatum &c.

§. III. Nos igitur &c. omnes & ſingulas tam ejuſdem prædeceſſoris, quam alias litteras Apoſtolicas, quæ forſitan contra hujuſmodi noſtras revocationem, ordinationem, & voluntatem hactenus emanaſſent, auctoritate Apoſtolica &c. revocantes, caſſantes &c. Monaſterium ſanctæ Catarinæ, illiuſque Abbatiſſam & Conventum prædicta ad primum ſtatum, in quo ante viſi-

viſitationem, exemptionem & profeſſiones jam dictas fuerant, in omnibus & per omnia eadem auctoritate reducimus, necnon curæ & Juriſdictioni Generalis, ac Provincialis Miniſtrorum provinciæ Januen. ſecundum morem dicti Ordinis, ſicut alias ante exemptionem prædictam conſueverant, perpetuo ſubjicimus, ſubjectaſque eſſe volumus, decernimus & ordinamus: mandantes, harum ſerie, Abbatiſſæ & Conventui prædictis ſub excommunicationis pœna, quam, ſi ſecus fecerint, eas & earum quamlibet incurrere volumus ipſo facto, quod Regularem habitum Ordinis ſanctæ Claræ, quem antea geſtare ſolebant, etiamſi illum de Sedis Apoſtolicæ licentia & voluntate mutaſſent, ſine contradictione aliqua reaſſumant, ac perpetuo geſtent, regularemque dicti Ordinis Obſervantiam pariter & clauſuram obſervent, necnon ipſius, ac Fratrum ipſius Ordinis Minorum hujuſmodi ſe conforment Regularibus inſtitutis, ſub regimine & illius gubernatione viventes, quam ex eis idoneam in earum & dicti Monaſterii elegerint Abbatiſſam. Non obſtant. exemptione & voluntate præmiſſis, ac quibuſcumque aliis privilegiis &c. contrariis quibuſcumque &c. Nulli ergo &c. noſtræ revocationis, caſſationis, mutationis, conſtitutionis &c. infringere &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXLVIII. XIV. Kalend. Januarii, anno II.

XXI.

Miniſteriatus provinciæ Aragoniæ conſtituitur triennalis. Ibidem lib. 4. Bullar. folio 128.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. EXpoſcit plena vigiliis Romani Pontificis aſſidua meditatio, ut circa ſingularum ſuæ vigilantiæ præſertim ſub Religionis habitu Altiſſimo famulantium, commiſſarum perſonarum ſalubrem ſtatum ferventer intendat, & quæ pro ipſarum pace, ſubmotis quibusque ſiniſtris, profutura conſpexerit, proſequatur remediis opportunis. Sane licet ad præſervandam Sacri Ordinis Minorum Religionem, ac delenda ſimultatum fomenta, quæ ſator zizaniæ ſeminabat, præter illa quæ glorioſus Confeſſor Chriſti Franciſcus Evengelica tradiderat inſtituta, quamplura Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum, necnon Sedis Apoſtolicæ legatorum, conſtitutiones, ordinationes & inſtituta canonica abunde fuerint promulgata; tamen quia pridem iis non animadverſis, ut cariſſimus in Chriſto filius noſter Alphonſus Rex Aragonum illuſtris nobis ſignificare curavit, gravia in regno Aragoniæ inter Fratres Ordinis memorati, pro eo quod Miniſtri Provinciales dicti Ordinis, qui ut in Miniſteriatu hujuſmodi perpetui eſſent, concertabant, diſſenſiones & ſcandala ſucceſſerunt.

§. II. Nos hujuſmodi perniciosis exemplis &c. obviare cupientes, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium ſtatuimus & ordinamus, quod ex nunc in antea futuris temporibus, omnium & ſingulorum Provincialium Miniſtrorum dicti Ordinis, in prædicto regno conſiſtentium, officium triennio duntaxat duret & non ultra, ita quod exacto triennio, præſentis ſtatuti & conſtitutionis auctoritate, Miniſter pro tempore exiſtens & alii ſucceſſores privati ſint & eſſe intelligantur penitus & omnino, abſque aliqua actuali privatione, & juxta prædicti Ordinis inſtituta, & laudabiles ordinationes ſeu conſtitutiones hactenus obſervatas, ad ordinationem & electionem aliorum Miniſtrorum ſucceſſive cum omni caritate & manſuetudine debitis procedatur. Caſſantes præterea, irritantes & annullantes quæcumque pri-

privilegia, indulta, ſeu litteras Apoſtolicas tam per fel. rec. Eugenium, quam alios prædeceſſores noſtros contra ſtatuta & conſuetudinem hujuſmodi de perpetuatione Miniſteriatus quibuſcumque conceſſa, ipſis alias in ſuo robore permanſuris. Ac mandantes dilecto filio Generali Miniſtro dicti Ordinis, quod præmiſſa & alia, quæ pro votivo ipſius Ordinis ſtatu, & ſalubri directione & conſervatione congruere proſpexerit, faciat auctoritate noſtra inviolabiliter obſervari; quodque ſi Generalis Miniſter, qui plerumque, ut injunctum ſibi Miniſterii debitum exequatur, in partibus remotis agit, præmiſſa exequi commode non valeret, venerabili noſtro Archiepiſcopo Terraconen. pro tempore exiſtenti, per ſe vel alium ſeu alios ea in omnibus & per omnia una vice tantum, cum plena & omnimoda Juriſdictione, poteſtate & auctoritate neceſſariis & opportunis, tenore præſentium ante feſtum Pentecoſtes proxime ſequentis comittenda & exequenda committimus. Non obſtant. privilegiis &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo &c. noſtræ conſtitutionis, mandati, & commiſſionis infringere &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXLVIII. x. Kal. Januarii, anno II.

XXII.

Confirmatur donatio Eccleſiæ ſanctæ Cæciliæ & vineæ ei contiguæ Obſervantibus domus ſancti Franciſci ad Alto *Anconitan.* Ibidem libro 24. Bullarum folio 88.

Ad perpetuam rei memoriam.

EXpoſcit nobis injunctum deſuper Apoſtolicæ ſervitutis officium, ut ea quæ pro piorum locorum Eccleſiaſticorum quorumlibet, & in illis ſub regulari habitu Altiſſimo famulantium perſonarum commodo & utilitate proceſſiſſe comperimus, ut illibata perſiſtant, & ne ſucceſſu temporis impugnari valeant, cum a nobis petitur, Apoſtolicæ confirmationis munimine roboremus. Dudum ſiquidem per nos accepto, quod dilecti filii Fratres & Conventus domus ſanctæ Mariæ Majoris de Ancona, Ordinis Fratrum Minorum intra civitatem noſtram Anconitanam tenerent quamdam vineam in loco, qui dicitur *Capo de Monte*, contiguam horto dilectorum filiorum Fratrum domus ſancti Franciſci *ad Alto* ejuſdem Ordinis de Obſervantia, quam alias poſſederant Fratres, qui pro tempore fuerant in dicto loco ſancti Franciſci, nunc in prædicta domo ſanctæ Mariæ commorantes, cum omnes ejuſdem Ordinis eſſent & vitæ, & dictus locus ſancti Franciſci ſub regimine dictorum Fratrum ſanctæ Mariæ Majoris gubernaretur, apud quam vineam juxta viam publicam eſt quædam parva Eccleſia ſub vocabulo ſanctæ Cæciliæ fundata, cui parvæ Eccleſiæ pars dictæ vineæ dicitur fuiſſe cum quodam contiguo horticello; ac ſubjuncto quod cum dictus locus ſancti Franciſci fuiſſet pro Fratribus de Obſervantia hujuſmodi receptus, & Fratres ipſi in dicto loco commode ſine prædictæ vineæ poſſeſſione habitare non poſſent; Nos commoditati Fratrum de Obſervantia hujuſmodi conſulere cupientes, dilecto filio noſtro Philippo tituli ſanctæ Suſannæ Presbytero Cardinali, tunc Epiſcopo Bononien. Marchiæ noſtræ Anconitanæ Gubernatori, per quaſdam noſtras certi tenoris litteras inter alia dedimus in mandatis, ut ad dictam civitatem aliquem probum virum & honeſtum mittere curaret, qui vineam ipſam prædictis Fratribus de Obſervantia aſſignari faceret, omni exceptione poſtpoſita: qui quidem Epiſcopus volens mandata noſtra executioni mandare,

re, per ſuas certi tenoris litteras dilecto filio Jacobo Archidiacono Fulginati commiſit & mandavit, ut ad prædictam civitatem ſe conferens, ea in ipſis noſtris litteris contenta effectum ſortiri faceret. Qui Jacobus factæ ſibi commiſſionis hujuſmodi vigore, inter alia prædictam vineam cum Eccleſia prædicta dictis Fratribus de Obſervantia realiter aſſignavit, prout in ſingulis litteris prædictis & proceſſu ipſius Jacobi, quorum quidem litterarum & proceſſus tenores hic haberi volumus pro expreſſis, plenius continetur. Quare pro parte dictorum Fratrum de Obſervantia nobis fuit humiliter ſupplicatum &c. Nos itaque &c. aſſignationem prædictam, ac quæcumque inde ſecuta, rata & grata habentes, illa auctoritate Apoſtolica approbamus & confirmamus &c. Nulli ergo &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXLVIII. pridie Kal. Februarii, anno II.

XXIII.

Ut Eccleſias & Oratoria ab eis recepta per quoslibet Antiſtites faciant conſecrari. Ex lib. I. mixto de diverſis &c. anno 2. fol. 259.

Dilectis filiis Guardianis & Fratribus ſanctæ Catarinæ in portu maris de Blanes & inſulæ Virginis domorum Ordinis Fratrum Minorum, Veneten. & Leonen. Diœceſ.

SAcræ Religionis, ſub qua devotum & ſedulum exhibetis Altiſſimo famulatum, promeretur honeſtas, ut illa vobis favorabiliter concedamus, per quæ cum animarum ſalute Divinus cultus continuum ſuſcipit incrementum. Cum itaque, ſicut exhibita nobis nuper pro parte veſtra petitio continebat, vos qui in humilitatis ſpiritu ſub regulari obſervantia Ordinis Fratrum Minorum Altiſſimo jugiter impenditis famulatum, in portu maris de Blanes inter inſulam ſancti Michaelis, & parochiam de Ryantech conſiſtente, & in inſula *Virgo* nuncupata, inſulas, Veneten. & Leonen. Diœceſ. nonnulla Eccleſias, Oratoria &c. conſtruxiſtis &c. ædificare ſperetis. Nos veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, vobis, ut Eccleſias, Oratoria, altaria, & capellas nunc, & poſtquam conſtructa fuerint, conſtruenda hujuſmodi, ac cœmeteria, per aliquem ſeu aliquos Catholicum ſeu Catholicos Antiſtitem vel Antiſtites, gratiam & communionem Sedis Apoſtolicæ habentem vel habentes, conſecrari facere libere & licite valeatis, Diœceſanorum &c. minime requiſita &c. indulgemus. Nulli ergo &c. noſtræ conceſſionis infringere &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXLVIII. VIII. Idus Februarii, anno II.

XXIV.

Ut vendantur aliqua bona ad Eccleſiam ruralem ſancti Joannis de Caſtilliono pertinentia ad perficiendam domum pro Obſervantibus in loco de Camplo. Ex lib. de diverſis formis, anno 2. folio 199.

Dilecto filio Abbati Monaſterii ſancti Mariani de Nutella, Aprutin. Diœceſ.

§. I. EX Apoſtolicæ ſervitutis officio Nobis ex alto commiſſo, ad ea potiſſimum vigilare nos decet, per quæ Divini cultus augmentum, & Regularis Obſervantiæ propagatio ſubſequantur. Sane, ſicut exhibita nobis

bis nuper pro parte dilectorum filiorum Universitatis &hominum terræ Campli, Aprutinæ Diœceſ. petitio continebat, ipſi fervore devotionis accenſi quamdam domum, pro uſu & habitatione nonnullorum Fratrum Ordinis Minorum, ſub Regulari Obſervantia ibidem vivere debentium, juxta facultatem dilecto filio Joanni de Capiſtrano, dicti Ordinis profeſſori, auctoritate Apoſtolica deſuper traditam, fundare & erigere cupiunt, ſed propter bella &c. ad domum hujuſmodi perficiendam eis non ſuppetunt facultates. Quare pro parte Univerſitatis & hominum prædictorum, aſſerentium, ad eos Jus-patronatus ruralis Eccleſiæ ſancti Joannis de Caſtilliono de Camplo, prædictæ Diœceſis ſpectare, necnon dilecti filii Angeli Rectoris dictæ Eccleſiæ, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut pro hujuſmodi domus perfectione duas petias terrarum vineatas, quarum verus valor ultra ducentos florenos auri de Camera non excedit, ad dictam Eccleſiam legitime pertinentes, vendendi & alienandi, ac ipſarum terrarum pretium in ſtructuras & ædificia dictæ erigendæ domus convertendi, facultatem concedere &c. dignaremur.

§. II. Nos igitur &c. ac dictas petias terrarum, qualitates, quantitates, confines præſentibus haberi volentes pro expreſſis &c. diſcretioni tuæ &c. mandamus, quatenus de premiſſis &c. informes &c. petias prædictas pro condecenti pretio vendendi & alienandi, ac ipſarum pretium in fundationem &c. convertendi, Univerſitati & hominibus, ac Rectori prædictis, ut præfertur, eadem auctoritate licentiam largiaris. Volumus autem, quod pretium ex venditione hujuſmodi redigendum, apud ædem ſacram, ſeu aliquam vel aliquas perſonam vel perſonas fide & facultatibus idoneam, ſeu idoneas deponatur, & in fundationem ac erectionem hujuſmodi, & non in uſus alios convertatur. Non obſtantibus &c. quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXLVIII. VI. Idus Februarii, anno II.

XXV.

Monaſterium ſanctæ Crucis Neapolitan. traditur Obſervantinis. Ex Bulla originaria.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. Paſtoralis officii debitum exigit ut circa Eccleſiarum & Monaſteriorum, ac perſonarum in illis, præſertim ſub Religionis Obſervantia, Divinis laudibus dedicaturum, ſtatum proſperum dirigendum, paternis & ſollicitis ſtudiis intendamus. Sane, ſicut accepimus, licet Monaſterium ſanctæ Crucis extra muros Neapolitan. olim a quondam Sanctia de Aragonia Regina, claræ memoriæ Roberti Regis Siciliæ conſorte, cum Eccleſia, campanili &c. officinis, & aliis neceſſariis, pro uſu & habitatione Fratrum Minorum, & Sororum ſancti Franciſci, ſub Regula ſanctæ Claræ degentium, ſolemniter conſtructum & erectum extitiſſet; tamen claræ memoriæ Joanna II. Regina Siciliæ conſiderans, quod Sorores hujuſmodi, eo quod dotatæ non fuerant, ſed victum oſtiatim ſibi quærere habebant, in dicto Monaſterio, quod extra clauſuram civitatis Neapolitan. & inter tria caſtra conſiſtebat, decenter vivere & ſtare non valebant, partem dicti Monaſterii, quam Sorores prædictæ inhabitabant, Monaſterio ejuſdem ſanctæ Claræ Neapolitan. uniri fecit & procuravit. Poſtmodum vero, guerris & diviſionibus in partibus illis, & maxime circa civitatem eamdem ſævientibus, Monaſterium ipſum etiam a Fratribus antedictis totaliter derelictum,

& ad

& ad uſus prophanos redactum fuerit. Et deinde, ſicut accepimus, dilectus filius Antonius Saſſonus de Neapoli Ordinis Fratrum hujuſmodi profeſſor, officio prædicationis inibi inſiſtens, ac locum ad habitandum in ſolitudine pro animi ſui quiete quærens, necnon Monaſterii hujuſmodi deſolationem & ruinam attente conſiderans, illud de cariſſimæ in Chriſto filiæ noſtræ Eliſabeth Reginæ, tunc Neapoli conſiſtentis, Provincialiſque Miniſtri, & Monialium dicti Ordinis licentia pariter & aſſenſu, una cum certis Fratribus, ſub Regulari Obſervantia ejuſdem Sancti degentibus, inhabitavit: & conſequenter, cariſſimo in Chriſto filio noſtro Alphonſo Rege Aragonum illuſtri civitatem eamdem obtinente, Monaſterium prædictum, ut præfertur, deſolatum, Capellæ ſuæ Regiæ applicans, illud eiſdem Antonio & Fratribus, Miniſtri & Monialium Ordinis hujuſmodi ad id accedente conſenſu, ad habitandum dimiſit, ipſique Antonius & Fratres Monaſterium ipſum reſtaurarunt, repararunt, & reædificarunt.

§. II. Nos igitur de præmiſſis plenius informati, attendentes quod Monaſterium ipſum ſanctæ Crucis, propter loci ſituationem, ad Sororum hujuſmodi uſum & habitationem totaliter alienum & incongruum exiſtit, & ne Antonius & Fratres prædicti ſuper Monaſterio ſanctæ Crucis prædicto, & illius occaſione per Sorores ejuſdem Ordinis, aut quoſcumque alios in poſterum indebite moleſtari &c. valeant, providere volentes, illud a ſanctæ Claræ hujuſmodi, & cujuſvis alterius Monaſterii dependentia ſeparantes & ſegregantes, necnon Ordinem ejuſdem Sanctæ inibi ſupprimentes & extinguentes, inibique Ordinem Minorum ſancti Franciſci de Obſervantia hujuſmodi erigentes, Monaſterium ſanctæ Crucis præfatum Antonio & Fratribus antedictis, ſub Regula ejuſdem Sancti degentibus, qui etiam illius Generali pro tempore exiſtenti Miniſtro, ſeu ejus Vicario Generali de Obſervantia dumtaxat ſubjici debeant, alias juxta ipſorum ritus, ſtatuta, conditiones & privilegia tenendum &c. donamus & appropriamus. Non obſtantibus Bonifacii Papæ VIII. &c. quibuſcumque &c. Nulli ergo &c. noſtræ ſeparationis, ſegregationis, extinctionis, erectionis, donationis, appropriationis & conceſſionis infringere &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXLVIII. V. Idus Februarii, anno II.

XXVI.

Ut Obſervantibus conſtruatur Cœnobium prope capellam ſancti Angeli extra Teramum. Ex lib. 2. de Regularib. anno 2. folio 293.

Ad perpetuam rei memoriam.

Vide Conſtit. 8. hujus Pontif.

§. I. Apoſtolicæ nobis injunctæ deſuper officium ſervitutis &c. Dudum ſiquidem ſel. rec. Eugenius Papa IV. prædeceſſor noſter, dilectorum filiorum Communis & civium terræ Terami, Aprutinæ Diœceſ. ſupplicationibus inclinatus, venerabili fratri noſtro Epiſcopo Pennen. ejus proprio nomine non expreſſo, per ſuas litteras dedit in mandatis, ut quoddam membrum Monaſterii Monialium ſancti Joannis *de Aſtorzono* Ordinis ſancti Benedicti, dictæ Diœceſ. pro earum aliquando manſione, prope muros terræ prædictæ, capellam ſancti Angeli communiter nuncupatum, ab eodem Monaſterio ſegregaret, ipſumque membrum pro conſtructione & fundatione cujuſdam domus Ordinis Fratrum Minorum, *de Obſervantia* nuncupatorum, ſub vocabulo *beatæ Mariæ de gratiis* deputaret, ac in recompenſam membri hujuſmodi infra muros dictæ terræ locum alium habita-

Eugenius IV. capellam S. Angeli Minoritis concedit.

bi-

bilem Abbatiſſæ & Monialibus dicti Monaſterii, ipſis conſentientibus aſſignaret; & deinde poſt obitum dicti prædeceſſoris, venerabilis frater noſter Joannes Epiſcopus Pennen. ad dictarum litterarum executionem procedens, ſegregationem, deputationem & aſſignationem hujuſmodi fecit, prout in inſtrumento deſuper confecto continetur. Quare pro parte Communis & hominum prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum &c.

Joannes Pennenſis Epiſcop. Papalem conceſſionem exequitur.

§. II. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ſegregationem, deputationem & aſſignationem prædictas, ac quæcumque inde ſecuta, rata & grata habentes, illa &c. confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus, ſupplentes illud, quod in præmiſſis ſegregatione, deputatione, & aſſignatione dilectorum filiorum Abbatis & Conventus Monaſterii Caſſinen. dicti Ordinis ſancti Benedicti, nullius Diœceſis, a quo prædictum membrum dependet, conſenſus non acceſſerit, omneſque alios defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem. Non obſtantibus &c. quibuſcumque. Tenor vero inſtrumenti prædicti talis eſt.

Conceſſionis hujuſmodi confirmatio.

§. III *In Dei nomine. Amen. Anno Domini* MCCCCXLVIII. *die vero* XX. *menſis Septembris* XII. *Indictione, regnante Sereniſſimo & Illuſtriſſimo Principe Domino noſtro, Domino Alphonſo Inclyto, Dei gratia Rege Aragonum, Siciliæ citra & ultra Farum, Valentiæ, Hungariæ, Majoricarum, Sardiniæ & Corſicæ, Comite Barchinonen. Duce Athenarum, & Neopatriæ, ac etiam Comite Roſſillion, & Cerritanniæ, hujus regni Siciliæ citra Farum, anno* XIV. *feliciter. Amen. Apud civitatem Terami, in domibus Epiſcopalis palatii dictæ civitatis, videlicet in earum ſala, in qua reverendus in Chriſto Pater Dominus, Dominus Joannes de Paleva, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Adrien. & Pennen. Epiſcopus, ac Judex & Commiſſarius a Sede Apoſtolica ad infraſcripta exequenda ſpecialiter deputatus, ſedebat in quodam banco ligneo ibidem conſtructo, quem locum primo & ante omnia ad hunc actum pro ſuo loco juridico & tribunali elegit. Nos Jacomellus Namus etiam contractus dictæ civitatis, & aliarum terrarum majoris Eccleſiæ Aprutin. Archangelus Notarius Jacobi de Montepagano civis, & habitator civitatis Adrien. publicus, ubique per totum regnum Siciliæ & citra Farum regia auctoritate Notarius, & ſubſcripti teſtes litterati ad hæc vocati, adhibiti ſpecialiter & rogati, videlicet Antonius Berarducci, Blaſius Notarius Nicolai, Jacobus Jacincii, Eda Lelli de Rapino de dicta civitate, Jacobus Dominici, Nardus Berardi, Capronus Ia Philippi Callarii & Silveſtri Scuderii de dicta civitate, ſcripto publico declaramus, notum facimus, & teſtamur, quod comparentes ad locum prædictum nobiles viri Marcus Januus Notarius Cicci de Rocca, & Jacobus Berarducci de Teramo, Syndici & Procuratores Univerſitatis & hominum dictæ civitatis Terami, ut de dicto Syndicatus & procurationis officio conſtare vidimus, publicum inſtrumentum exinde confectum manu Notarii Mathmien. Lelli de Teramo publici Notarii inde rogati, & coram eodem Domino Epiſcopo Commiſſario prædicto cum inſtantia petierunt, ut tamquam Commiſſarius ad infraſcripta exequenda a Sede Apoſtolica deputatus pronunciare & ſententiare deberet in contumacia Dominæ Antonellæ Abbatiſſæ loci, & capellæ ſancti Angeli de dicta civitate membri, & capellæ ſancti Joannis de Aſcurſono, & aliarum Monialium ejuſdem loci legitime citatis, & non comparentibus per legitimum Procuratorem, qui earum legitimis excuſationibus excuſaret, necnon & ſententiam ferret: qui Dominus Epiſcopus Judex, & Commiſſarius prædictus, volens & intendens juſtitiam miniſtrare, pronunciavit, judicavit & ſententiavit in hunc modum, videlicet. In Dei nomine. Amen. Nos Joannes de Paleva Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Adrien. Pennen. Epiſcopus, Judex Commiſſarius, & executor in hac parte a Sede*

Inſtrumenti tenor.

Apoſtolica deputatus, receptis litteris Apoſtolicis ſub bulla plumbea, quarum litterarum tenor talis eſt.

Litteræ Eugenii Pontif.

§. IV. Eugenius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Venerabili fratri Epiſcopo Pennen. ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Quamvis de cunctis Religioſorum Ordinibus &c. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Communitatis & hominum terræ Terami, Aprutinæ Diœceſ. petitio continebat, quod ipſi dudum prædicationibus, & aliis bonis operibus dilecti filii Jacobi de Monte Brandono, ejuſdem Ordinis Profeſſoris inducti, ad honorem & laudem Omnipotentis Dei, & beati Franciſci unam domum ejuſdem Ordinis de novo conſtruere & ædificare ferventer exoptant, ſed ad rem hujuſmodi conficiendam nullum reperiunt locum magis accommodum, quam quoddam Monaſterii Monialium ſancti Joannis de Aſcorzono pro earum aliquando manſione prope muros terræ prædictæ membrum, capellam *ſancti Angeli* communiter nuncupatum; & ſicut eadem petitio ſubjungebat, ſi dictum membrum ab eodem Monaſterio ſegregaretur, & pro conſtructione & fundatione dictæ domus deputaretur, parati eſſent in recompenſam membri hujuſmodi infra muros dictæ terræ locum alium habitabilem Abbatiſſæ & Monialibus dicti Monaſterii ipſis conſentientibus aſſignare, in quo commodius & honeſtius poſſent, ubi opus eſſet, vivere & morari, ac in membro prædicto domum Fratrum hujuſmodi ſub vocabulo *beatæ Mariæ de gratiis*, ſufficientem pro uſu & habitatione Fratrum ipſius Ordinis, qui de *Obſervantia* nuncupentur, conſtruere &c. Quare pro parte dictorum Communis & hominum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut membrum hujuſmodi, facta recompenſa prædicta, ſegregare, & domum hujuſmodi cum Eccleſia, campanili &c. officinis conſtrui & ædificari poſſe concedere &c. dignaremur. Nos igitur &c. fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus de præmiſſis &c. informes, & ſi per informationem hujuſmodi repereris ita eſſe, Communi & hominibus, data recompenſa, ut præfertur, domum cum Eccleſia, & aliis præmiſſis ædificandi & conſtruendi, necnon Vicario & Fratribus dicti Ordinis domum & Eccleſiam hujuſmodi, ſi tamen loca prædicta Fratribus & Monialibus ipſis ſint congrua & honeſta, recipiendi, felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. &c. quibuſcumque nequaquam obſtantibus, jure &c. ſalvo, auctoritate noſtra licentiam largiaris. Et nihilominus, ſi domum & Eccleſiam hujuſmodi fundari & conſtrui ac recepi contigerit, Fratribus ibidem pro tempore moraturis eadem auctoritate concedas, quod omnibus & ſingulis privilegiis &c. potiantur & gaudeant, quibus alii Fratres dicti Ordinis ex conceſſione Apoſtolica gaudent, ſeu etiam quomodolibet potiuntur. Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno &c. MCCCCXLVI. v. Idus Aprilis, anno XVI.

Sequitur inſtrumentum.

§. V. *Viſa itaque Bulla Apoſtolica noſtræ commiſſionis, & exquiſite conſideratis omnibus, quæ continentur in ea, facta prius inquiſitione diligenti, recepta informatione a fide dignis perſonis, & examinatis teſtibus ſuper veritate narratorum & contentorum in litteris Apoſtolicis, viſo inſtrumento permutationis factæ per dictam Antonellam Abbatiſſam & Moniales de loco in recompenſam aſſignato eiſdem, viſo loco ſanctæ Annæ, viſo Monaſterio ſancti Angeli per Communitatem & cives civitatis Terami, & facta recompenſa, quia reperuimus narrata & expoſita in dictis litteris Apoſtolicis fuiſſe & eſſe vera, & veritate fulciri; Idcirco habita plena & matura deliberatione, Chriſti nomine invocato, pro tribunali ſedentes, & ſolum Deum præ oculis habentes, per hanc noſtram ſententiam, quam ferimus in his ſcriptis, dicimus, pronunciamus, ſententiamus & declaramus, ſupradictum locum, mem-*

membrum, & capellam ſancti Angeli a Monaſterio ſancti Joannis de Aſcorzono auctoritate Apoſtolica ſegregandum & ſeparandum fore, & ſegregamus ac ſeparamus, dantes licentiam, libertatem & auctoritatem Communi, Univerſitati & hominibus civitatis Teramì ædificandi, conſtruendi & fabricandi locum, ſive Monaſterium pro Religioſis Fratribus ſancti Franciſci de Obſervantia, cum Eccleſia, ſub vocabulo ſanctæ Mariæ de Gratiis, cœmeterio, campanili, campana, horto, hortaliciis, & aliis neceſſariis in ſupradicto loco ſeu Monaſterio ſancti Angeli: mandantes eadem auctoritate Apoſtolica dictæ Antoncllæ Abbatiſſæ & Monialibus prædictis dicti loci ſancti Angeli, ut de dicto loco recedere debeant, & eiſdem Fratribus relinquere, ac vacuum dimittere, & ad locum & domum ſanctæ Annæ cum eiſdem permutatum, & eis in recompenſam aſſignatum accedere, & ibidem ſtare, perſiſtere & permanere, & vitam religioſam obſervare ſecundum regulam ſancti Benedicti. Et inſuper eadem auctoritate Apoſtolica damus & concedimus auctoritatem & libertatem fratri Ludovico, fratri Paulo, & aliis Vicariis & Fratribus dicti Ordinis ſancti Franciſci de Obſervantia, domum, locum & Eccleſiam hujuſmodi cum omnibus ſuis pertinentiis intrandi, capiendi, retinendi & poſſidendi; concedendo eadem auctorioate Apoſtolica & declarando, quod ipſi Fratres, & locus ipſe omnibus & ſingulis privilegiis &c. potiantur & gaudeant, quibus alii Fratres & alia loca prædicti Ordinis, ex conceſſione Apoſtolica gaudent, ſeu etiam quomodolibet potiuntur: & prædicta dicimus, pronunciamus, ſententiamus & declaramus omni meliori modo, via & forma, quibus melius fieri poteſt &c. Lecta, lata, & recitata extitit præſens ſententia per dictum Dominum Epiſcopum Commiſſarium prædictum modo & forma prædictis, loco, die, anno, milleſimo, & Indictione prædictis, & præſentibus Judice, Notario & teſtibus prædictis: rogaveruntque nihilominus prædicti ſyndici & procurator, ac cum inſtantia requiſiverunt nos prædictum Judicem, Notarium & teſtes, ut de prædictis omnibus & ſingulis ad futuram rei memoriam, & dictæ Univerſitatis & hominum & aliorum, quorum ſingulorum intereſt & intereſſe poterit, fidem, certitudinem, & cautelam, conficere deberemus publicum inſtrumentum cum inſerta forma ſententiæ prædictæ; unde nos advertentes, quod officium noſtrum publicum eſt, & non poſſumus nec debemus alicui denegare, prædictum publicum cum inſerta forma dictæ ſententiæ confecimus inſtrumentum, de rogatu & requiſitione prædictis, unde ad futuram hujus rei memoriam, & dictæ Univerſitatis & hominum & ejus hæredum, ac ſineeram cautelam, certitudinem, atque fidem factum eſt ex inde hoc præſens publicum inſtrumentum per manus mei prædicti Notarii Archangeli, ſubſcriptione, & ſigno meo ſignatum, necnon ſubſcriptionibus & ſignis prædictorum Judicis & teſtium legitime & debite roborandum. Quod ego, qui ſupra, Archangelus Notarius Jacobi de Montepagano de Adria, publicus ubique per totum regnum Siciliæ citra Farum, regia auctoritate Notarius, qui prædictis omnibus & ſingulis pro Notario rogatus interfui, ſcripſi, publicavi, ipſumque meo ſolito ſigno ſignavi. Concluſio Conſtitutionis.

Nulli ergo &c. noſtræ confirmationis, communitionis, & ſuppletionis infringere &c. Si quis &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Dominicæ Incarnationis MCCCCXLVIII. XV. Kalend. Martii, anno II.

XXVII.

Ut generalis Procurator Ordinis turrim juxta Eccleſiam ſancti Salvatoris de Urbe quibuſdam ſecularibus concedat in Emphyteoſim. Ibidem fol. 300.

Venerabili fratri Epiſcopo Vulterran. noſtro in ſpiritualibus in Urbe Vicario.

§. I. AD ea ex Apoſtolicæ Sedis officio libenter intendimus, per quæ cum divini cultus incremento, fidelium quorumlibet ſtatui & indemnitati valeat ſalubriter provideri. Cum itaque, ſicut exhibita nobis pro parte dilecti filii Angeli de Peruſio, Ordinis Fratrum Minorum profeſſoris, ac ejuſdem Ordinis generalis Procuratoris petitio continebat, quædam turris in Urbe juxta Eccleſiam ſancti Salvatoris in Unda, prope pontem, ruptum nuncupatum, conſiſtens, & ad ipſam Eccleſiam, quam Procuratores dicti Ordinis pro tempore exiſtentes ex conceſſione & diſpoſitione Sedis Apoſtolicæ obtinent, legitime pertinet, adeo rupta & diſcoperta exiſtat, quod ex illa, quæ reparatione non modica indiget, Eccleſiæ & Procuratori prædictis nulla provenit utilitas, nec provenire ſperatur tempore procedente, niſi commode reparetur. Et, ſicut eadem petitio ſubjungebat, ſi dicta turris, ad cujus reparationem Eccleſiæ & Procuratoris prædictorum non ſuppetunt facultates, cum pertinentiis ſuis, dilectis filiis Silveſtro de Palonibus civi Romano, & Stephano Pauli de Tybure habitatori Urbis communiter pro ſe, eorumque hæredibus & ſucceſſoribus ſub annuo cenſu ſive canone trium Florenorum parvorum currentium in prædicta Urbe, eidem Procuratori ſuiſque in dicta Eccleſia ſucceſſoribus annuatim perſolvendo, auctoritate Apoſtolica in Emphyteoſim perpetuo concederetur, Silveſter, & Stephanus, ac ſucceſſores prædicti eamdem turrim ſuis ſumptibus repararent & manutenerent, necnon cenſum, ſive canonem antedictum annuatim perſolverent, & ante omnia decem & octo Florenos ſimiles pro ſex annis proxime ſecuturis, in utilitatem vel reparationem ipſius Eccleſiæ expendendos, manualiter traderent, & effectualiter aſſignarent, ex quo Eccleſiæ & turris prædictarum conditio melior redderetur, cederetque in evidentem ipſarum utilitatem. Quare pro parte dicti Angeli, qui etiam in Theologia magiſter exiſtit, nobis fuit humiliter ſupplicatum &c.

§. II. Nos igitur &c. turrim prædictam per ejus qualitates & confines præſentibus pro expreſſis haberi volentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fraternitati tuæ &c. mandamus, quatenus de præmiſſis &c. informes, & ſi per informationem hujuſmodi ita eſſe, dictamque conceſſionem, ſi fiat, in evidentem dictæ Eccleſiæ utilitatem cedere repereris &c. eidem Angelo, vel qui pro tempora erunt, in eadem Eccleſia ſucceſſoribus, turrim prædictam cum omnibus juribus & partinentiis ſuis Silveſtro & Stephano pro ſe, hæredibus ac ſucceſſoribus antedictis in Emphyteoſim perpetuam ſub annuo cenſu, ſive canone trium Florenorum hujuſmodi, per Silveſtrum, Stephanum & hæredes ac ſucceſſores prædictos Procuratori pro tempore exiſtenti annis ſingulis ſub pactis, modis & formis, de quibus inter ſe concordaverint, perſolvendo, concedendi, auctoritate prædicta licentiam largiaris. Et inſuper, ſi conceſſionem, ut præmittitur, vigore præſentium fieri contingat, quod rata, firma & illibata permaneat, nec a quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter valeat revocari, eadem au-

auctoritate noſtra decernas. Non obſtantibus &c. contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXLVIII. III. Kalend. Martii, anno II.

XXVIII.

Eximuntur a Vicariorum Obſervantum poteſtate, & Generali Miniſtro ſubjiciuntur. Ex Archivo ſecreto lib. 24. Bullar. fol. 193.

Dilectis filiis Guardiano, & Fratribus domus de la Rabida, Ordinis Fratrum Minorum, Hiſpalen. diœceſ. præſentibus, & futuris.

§. I. A Poſtolicæ nobis deſuper injunctæ ſervitutis officium &c. Sane pro parte veſtra nobis nuper exhibita petitio continebat, quod licet dudum fel. record. Martinus Papa V. prædeceſſor noſter tunc Vicario & Fratribus veſtræ domus *de la Rabida*, Ordinis Fratrum Minorum, Hiſpalen. diœceſ. quod ipſi dictaque domus omnibus & ſingulis, ac illis prorſus ſimilibus privilegiis &c. quibus dilecti filii Guardianus & Fratres domus ſancti Michaelis de Monte prope Alcozer prædicti Ordinis, Conchen. diœceſ. ipſi domui ſancti Michaelis per eumdem prædeceſſorem, vel Sedem Apoſtolicam, aut alias quovis modo conceſſis utebantur & gaudebant, uti & gaudere poſſent, per ſuas litteras gratioſe duxerit indulgendum; & inter alia in quibuſdam ex privilegiis, conceſſionibus & indultis prædictis eiſdem Guardiano & Fratribus domus ſancti Michaelis fuerit conceſſum, & auctoritate Apoſtolica confirmatum, quod ipſi præſentes & futuri Viſitatorem profeſſorem dicti Ordinis, qui in eos viſitandi poteſtatem Provincialis Miniſtri provinciæ Caſtellæ dicti Ordinis haberet, & ipſo Viſitatore cedente vel decedente Guardianus domus ſancti Michaelis pro tempore illum, Guardiano vero ipſius domus ſancti Michaelis ſimiliter cedente vel decedente, Fratres ejuſdem domus ſancti Michaelis pro tempore exiſtentes Guardianum ipſius domus ſancti Michaelis eligere poſſent; quodque Guardianus & Viſitator ſic electi, a Provinciali Miniſtro dictæ Provinciæ pro tempore exiſtenti confirmationem recipere teneantur, nulluſque Prælatus, ſeu Frater dicti Ordinis inferior Provinciali de ipſius domus ſancti Michaelis Fratribus ſe intromittere poſſet, ac ex tunc vos in pacifica vel quaſi utendi omnibus & ſingulis privilegiis &c. prædictis, illorumque vigore Guardianum ac Viſitatorem hujuſmodi eligendi, poſſeſſione exiſtentes, nullique alteri Prælato, ſeu inferiori dicto Provinciali ſubjecti permanentes, aliquandiu ſub ipſius Ordinis Regulari Obſervantia laudabiliter permanſeritis, prout permanetis: tamen nonnulli Fratres dicti Ordinis, ſe *de Obſervantia* nuncupantes, & ſuis limitibus non contenti, alienaque Jura rapere, & quamplures ſub eorum dominio fingentes, ſub obedientia trahere ſatagentes, prætextu quarumdam litterarum Apoſtolicarum, eis per piæ memoriæ Eugenium IV. etiam prædeceſſorem noſtrum conceſſarum, per quas inter alia dictus prædeceſſor motu proprio &c. decrevit, quod omnia & ſingula domus, Conventus, eremitoria & loca, in quibus aliqui ex profeſſoribus Ordinis & Obſervantiæ prædictorum tempore generalis Capituli in Montepeſſulano, Magalonen diœceſ. tam per prædictos, quam alios prædicti Ordinis Fratres proxime celebrati, vixerant & permanſerant, a quovis illa quacumque auctoritate reformata ſeu conſtructa forent, & ubicumque conſiſterent, citra montes videlicet Citramontani, & ultra montes conſiſtentia Ultramontani generalium Vicariorum Ordinis & Obſervantiæ eorum-

Vide Conſt. 8. hujus Pontificis.

Privilegia eis a Martino V. conceſſa.

Fratres de Obſervantia prætendunt, ut eorum Vicario Generali hic locus ſubjaceat.

rumdem regimini perpetuo ſubſiſterent & ſubjecta eſſent: quodque dicti Vicarii in ſibi commiſſarum Provinciarum domus, Conventus, eremitoria & loca, eorumdem Fratres illa & prorſus eadem dominium, poteſtatem & jurisdictionem haberent, quæ Provinciales Miniſtri in ſingulis Provinciis ſibi commiſſis ex privilegio, de jure vel conſuetudine habent; mandans diſtrictius omnibus Guardianis & Fratribus domorum, Conventuum, eremitoriorum & locorum hujuſmodi, ſub excommunicationis pœna, quam ipſo facto contrafacientes incurrerent, & a qua nonniſi a Romano Pontifice, & nonnullis aliis tunc expreſſis perſonis, præterquam in mortis articulo conſtituti abſolvi poſſent, ut infra quindecim dies, poſtquam dictarum Eugenii prædeceſſoris litterarum notitiam haberent, eiſdem Vicariis humiliter & efficaciter parerent & intenderent. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus &c. ac vos, ut Vicario Ultramontano hujuſmodi pareretis & intenderetis, monere & requirere, ac alias earumdem litterarum prætextu moleſtare, vexare & perturbare multipliciter præſumpſerunt, ac dietim præſumunt &c.

Renuunt huic ſubeſſe regimini, & ad Sedem Apoſtolicam recurrunt.

§. II. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, vos prout de jure vel conſuetudine debetis & conſueviſtis, non Vicario Ultramontano generali hujuſmodi, ſed Generali Miniſtro dicti Ordinis ſubjecti eſſe velitis, & attendentes quod ſi a veſtro vivendi modo, qui per vos, ut plurimum laudabiliter, & abſque alicujus infamiæ nota hactenus obſervatus extitit, & a ſubjectione prædicta recederetis, corda veſtra permaxime turbarentur, ac forſan a ſancto Religionis propoſito retraheremini, eidem Vicario Ultramontano nullatenus ſubeſſe velitis; pro parte veſtra nobis fuit humiliter ſupplicatum &c. Nos igitur &c. vos & quemlibet veſtrum ab excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, quibus forſan, præmiſſorum occaſione quomodolibet innodati eſtis &c. abſolvimus &c. ac ſuper irregularitate &c. diſpenſamus, omnemque a vobis inhabilitatis &c. abolemus &c. vobiſque concedimus, quod vos veſtraque domus ſub prædicti Eugenii prædeceſſoris litteris nullatenus comprehendamini & comprehendatur, ſeu comprehendi, nec ipſarum litterarum vigore per dictos Vicarium & Fratres de Obſervantia, ſeu aliquos alios moleſtari quavis auctoritate poſſitis, nec etiam debeatis: Quodque juxta modum & formam per vos hactenus obſervata vivere, ac privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, gratiis, conceſſionibus & indultis prædictis uti & gaudere libere & licite poſſitis & valeatis, ac dicta veſtra domus poſſit & valeat; nec per Ultramontanos Vicarios pro tempore exiſtentes, aut Fratres de Obſervantia hujuſmodi, dictarum, ſeu aliarum quarumcumque litterarum, ſub quibuſvis verborum formis, & cum quibuſcumque derogatoriarum derogatoriis clauſulis eis inſertis, ſeu in genere per Sedem prædictam, vel alias quomodolibet conceſſarum, ſeu niſi in illis de præſentibus, illarumque Data ſpecialis, ſpecifica & expreſſa mentio fiat, in poſterum concedendarum, obtentu vexari, ſeu etiam perturbari poſſitis & valeatis. Mandantes Venerabilibus fratribus Archiepiſcopo Hiſpalen. ac Corduben. & Vaſaten. Epiſcopis, quatenus ipſi vel duo aut unus eorum &c. per ſe vel alium ſeu alios, vobis & cuilibet veſtrum in præmiſſis efficacis defenſionis auxilio aſſiſtentes, ac præſentes litteras ſolemniter publicantes, non permittant, vos ſeu aliquem veſtrum per Vicarios & Fratres de Obſervantia prædictos, ſeu quoſcumque alios contra tenorem præſentium quomodolibet vexari, moleſtari &c. contradictores & rebelles quoſcumque per cenſuram eccleſiaſticam &c. compeſcendo, invocato &c. ſecularis. Non obſtant. Eugenii &c. contrariis quibuſcumque &c. Nulli ergo

Abſolvuntur a cenſuris.

Et a præfato eximuntur regimine.

go &c. noſtrarum abſolutionis, diſpenſationis, abolitionis &c. infringere &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXLVIII. v. Nonas Martii, anno II.

Anno Christi 1449. Nicolai V. anno 3.

XXIX.

Ut admittant Monaſterium ſanctæ Mariæ de Palazola. Ibidem lib. 25. Bullar. fol. 120.

Dilectis filiis Guardiano domus beatæ Mariæ de Aracœli de Urbe, & univerſis Fratribus in locis devotis Romanæ Provinciæ commorantibus, Ordinis Fratrum Minorum.

SAcra Ordinis veſtri Religio, necnon perſonarum ipſius conſpicua merita promerentur, ut ad ea, quæ ejuſdem Religionis propagationem, etiam cum divini cultus augmento reſpiciunt, favorabiliter intendamus. Sane pro parte veſtra nobis nuper exhibita petitio continebat, quod dilecti filii Prior & Conventus Monaſterii ſanctæ Crucis de dicta Urbe, per Priorem gubernari ſoliti, Ordinis Carthuſien. quoddam Monaſterium beatæ Mariæ de Palazola, dicti Ordinis, Tuſculan. diœceſ. ab ipſo Monaſterio ſanctæ Crucis dependens, cum Eccleſia, clauſtris, domibus, ac nonnullis tunc expreſſis poſſeſſionibus, hortis &c. vobis, pro nonnullorum dicti Ordinis veſtri in locis devotis Romanæ provinciæ pro tempore commorantium Fratrum uſu & habitatione perpetuis, certis deſuper conditionibus & pactis adjectis conceſſerunt & tradiderunt, prout in inſtrumento publico inde confecto plenius continetur. Quare pro parte veſtra nobis fuit humiliter ſupplicatum &c. Nos igitur dicti inſtrumenti tenorem pro expreſſo habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis Monaſterium beatæ Mariæ prædictum, cum Eccleſia, clauſtris, domibus, poſſeſſionibus, bonis, juribus & pertinentiis, obſervatis tamen pactis & conditionibus ſupradictis, recipiendi, ac in eo domum Conventualem dicti Ordinis veſtri &c. erigendi, omniaque & ſingula circa id opportuna gerendi & exercendi, jure &c. ſalvo, plenam &c. licentiam elargimur. Et inſuper Fratribus prædictis in ipſa erigenda domo &c. ſingulis privilegiis &c. conceſſis uti valeant &c. indulgemus. Non obſtant. ſel. record. Bonifacii Papæ VIII. &c. quibuſcumque. Nulli ergo &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXLIX. v. Kalend. Maii, anno III.

XXX.

Ut conſtruatur domus prope Eccleſiam ſanctæ Mariæ Annunciatæ extra muros Tragoni. Ibidem fol. 56.

Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopo Roſſan. in diœceſi Cajacienſi reſidenti, & Epiſcopo Aliſan.

§. I. PIis fidelium votis &c. Sane pro parte dilectorum filiorum Univerſitatis & hominum Caſtri Tragoni, Cajacien. diœceſ. nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipſi ob ſingularem quem ad Ordinem Fratrum Minorum gerunt devotionis affectum, Eccleſiam beatæ Mariæ Annunciatæ extra, una cum Eccleſia ſanctæ Mariæ intra muros Caſtri prædicti ſibi annexa, *Vide Conſt. 11. hujus Pontificis.*

nexa, quæ diu Rectoribus caruerunt, prout carent de præſenti, & quarum Jus-patronatus ad ipſos Univerſitatem & homines etiam a tanto tempore citra, cujus contrarii hominum memoria non exiſtit, ſpectare dignoſcitur, & quæ ſine cura ſunt, in domum Conventualem dicti Ordinis, pro uſu & habitatione perpetuis quorumdam ex dictis Fratribus erigi deſiderant. Quare &c. nobis fuit humiliter ſupplicatum &c.

§. II. Nos igitur &c. Fraternitati veſtræ &c. mandamus, quatenus vos vel alter veſtrum de præmiſſis omnibus &c. informetis &c. eiſdem Fratribus Eccleſiam beatæ Mariæ Annunciatæ, cujus, & dictæ annexæ fructus, reditus & proventus quindecim Florenorum auri de Camera, ſecundum communem æſtimationem, valorem annuum, ut ipſi Univerſitas & homines aſſerunt, non excedunt, cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis in domum Conventualem cum campanili &c. officiniis, pro uſu & habitatione prædictis erigendi, illamque una cum dicta annexa recipiendi, licentiam Apoſtolica auctoritate concedatis, jure &c. ſalvo. Nos enim &c. præfatis Fratribus in ipſa erigenda domo &c. ſingulis privilegiis &c. conceſſis uti & gaudere valeant &c. indulgemus. Volumus autem quod ſi dicta Eccleſia annexa curata fuerit, ipſi Fratres in ea unum Presbyterum ſecularem deputare & tenere, ac Epiſcopo Cajacien. pro tempore exiſtenti ſolitum cenſum ſolvere teneantur. Non obſtantibus ſel. record. Bonifacii Papæ VIII. &c. quibuſcumque.

Datum Spoleti anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXLIX. VIII. Idus Junii, anno III.

XXXI.

Ut perficiat & dotet Monaſterium ſanctæ Claræ loci de Corbeya. Ibidem lib. 6. fol. 145.

Dilecto filio nobili viro Carolo, cariſſimi in Chriſto filii noſtri Caroli Francorum Regis illuſtris ſecundo-genito.

ETſi cunctorum Chriſtifidelium multa petentium votis annuere debeamus, ex injuncto tamen nobis deſuper Apoſtolicæ ſervitutis officio, propenſius nos convenit illorum potiſſime Illuſtrium pia deſideria favore proſequi opportuno, quæ ex ſinceræ devotionis fervore prodeunt, & ſacræ Religionis propagationem reſpicere dignoſcuntur. Cum itaque &c. quoddam Monaſterium, pro uſu & habitatione perpetuis unius Abbatiſſæ, & certarum in numero congruenti Religioſarum ſeu Sororum Ordinis ſanctæ Claræ, ſub illius Regulari obſervantia Altiſſimo jugiter famulaturarum, in loco de Corbeya, Ambianen. diœceſ. cariſſimi in Chriſto filii noſtri Caroli Francorum Regis illuſtris, genitoris tui, ditioni ſubjecto, dudum per nonnullas nobiles, & alias perſonas de novo canonice erigi, conſtrui & ædificari incœptum fuerit, & ad hujuſmodi inchoati operis utique ſumptuoſi continuationem & perfectionem perſonarum earumdem non ſuppetant facultates, tu zelo devotionis accenſus &c. Monaſterium ipſum ulterius conſtrui &c. compleri facere, necnon de bonis tuis, pro earumdem Abbatiſſæ & Sororum ſuſtentatione, ac aliis eidem Monaſterio neceſſariis ſufficienter dotare proponas. Nos &c. tibi Monaſterium ipſum cum Eccleſia, campanili &c. officinis complendi, perficiendi, ſeu compleri & perfici faciendi, dictiſque Abbatiſſæ & Sororibus illud pro eiſdem uſu & habitatione recipiendi & retinendi, diœceſani loci &c. minime requiſita, jure &c. ſalvo, plenam &c. licentiam elargimur. Volentes, ſtatuentes & ordinantes, quod Monaſterium,

rium, Abbatiſſa & Sorores hujuſmodi, eorumque bona, omnibus & ſingulis privilegiis &c. conceſſis & in poſterum concedendis, plene uti valeant pariter & gaudere. Præterea, cum de tua nobilitate, quod oblata per te præmiſſa firmiter & effectualiter adimplebis, plenam in Domino fiduciam habeamus, Jus-patronatus in eodem Monaſterio tibi tamquam vero illius fundatori & dotatori, pro te & hæredibus ac ſucceſſoribus tuis in perpetuum eadem auctoritate reſervamus atque concedimus, teque & illos veros ipſius Monaſterii patronos inſtituimus per præſentes. Non obſtantibus conſtitutionibus &c. contrariis quibuſcumque. Nulli ergo &c. noſtræ approbationis, confirmationis, largitionis, voluntatis, ſtatuti, ordinationis, reſervationis, conceſſionis, & inſtitutionis infringere &c.

Datum Spoleti anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXLIX. pridie Kalend. Julii, anno III.

XXXII.

Ut perficiat inchoatam domum pro Obſervantibus extra muros Ruben. Ex lib. 2. de diverſis formis, anno 3. fol. 58.

Dilecto filio nobili viro Gabrieli de Urſinis de Baucio Duci Venuſii.

§. I. Piis fidelium &c. Sane pro parte tua nobis nuper exhibita petitio continebat, quod quamquam alias retroactis temporibus extra & prope muros Ruben. quædam Eccleſia ſub vocabulo & vocatione *ſancti Angeli*, una cum domo, hortis, hortalitiis, aliiſque neceſſariis officinis, pro uſu & habitatione Fratrum Minorum fundata, conſtructa & ædificata, ac per Fratres hujuſmodi Ordinis inhabitata diutius extitiſſet, nihilominus tamen Eccleſia ac domus hujuſmodi propter antiquitatem, & guerrarum turbines &c. in ſuis ſtructuris & ædificiis collapſæ &c. Tu &c. cupiens &c. per Fratres dicti Ordinis *de Obſervantia* nuncupatos &c. propagari & manuteneri, de bonis tibi a Deo collatis, Chriſtifidelium etiam concurrentibus præſidiis, prædictam Eccleſiam pro Fratribus de Obſervantia hujuſmodi, credens tibi id licere, aliqua alia licentia ſuper hoc minime requiſita ſeu obtenta, conſtruere, reparare & reædificare &c. incœpiſti. *Vide Conſt. 11. hujus Pontificis.*

§. II. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, tu licentia hujuſmodi, ut præfertur, non obtenta, Eccleſiam & domum conſtruere &c. tibi minime licere plurimum pertimeſcas, cupiaſque opus jam incœptum ad laudabilem & Deo gratum perducere effectum, Sedis Apoſtolicæ beneplacito interveniente, pro parte tua nobis fuit humiliter ſupplicatum &c. officinis neceſſariis in loco, ubi Eccleſia & domus prædictæ hactenus, ut præmittitur, conſtructæ & ædificatæ fuere, erigendi, conſtruendi &c. necnon Fratribus prædictis domum hujuſmodi pro uſu &c. acceptandi, licentiam concedere &c. dignaremur. Nos igitur &c. tibi, ut opus tam laudabile & commendandum imperfectum minime maneat, Eccleſiam cum campana, campanili, ac domum eaſdem cum hortis, hortalitiis & aliis ſupradictis, pro uſu & habitatione prædictis, in loco præmiſſo erigendi &c. necnon Fratribus prædictis ad domum hujuſmodi ſe transferendi &c. acceptandi & retinendi &c. licentiam elargimur. Præterea univerſis & ſingulis Fratribus, quos in domo hujuſmodi pro tempore habitare ſeu reſidere contigerit, omnibus & ſingulis exemptionibus &c. conceſſis, & quibus antiqua domus gaudebat, uti &c. indulgemus. Non obſtantibus præmiſſis, ac fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. &c. quibuſcumque, jure &c. ſalvo. Nulli ergo &c.

Datum Fulginei anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXLIX. VIII. Idus Julii, anno III.

XXXIII.

Ut Obſervantibus ponant domicilium. Ex Archivo ſecreto lib. 39. Bullar. fol. 54.

Dilectis filiis incolis & habitatoribus noſtri Caſtri Montis-Brandoni, Eſculen. diœceſis.

Vide ut ſupra.

Piis fidelium votis &c. Sane pro parte veſtra nobis nuper exhibita petitio continebat, quod vos, qui ob ſingularem, quem ad Ordinem Fratrum Minorum de Obſervantia geritis devotionis affectum, de bonis vobis a Deo collatis, in noſtro Caſtro Montis-Brandoni, Præſidentatus Farfen. unam domum cum Eccleſia, campanili &c. officinis, pro uſu & habitatione Fratrum, inibi ſub regulari Obſervantia Altiſſimo famulaturorum, de novo fundare, conſtruere &c. deſideratis, ſuper quo Apoſtolicæ Sedis licentiam humiliter poſtulaſtis. Nos igitur &c. vobis dictam domum cum Eccleſia &c. officinis in eodem Caſtro, in loco ad id convenienti & idoneo, fundandi, conſtruendi &c. necnon Fratribus prædictis eam &c. retinendi &c. licentiam &c. elarginur. Et inſuper univerſis & ſingulis Fratribus ejuſdem Ordinis &c. ut omnibus & ſingnlis privilegiis &c. conceſſis uti &c. valeant, eadem auctoritate indulgemus per præſenres. Non obſtantibus ſel record. Bonifacii Papæ VIII. &c. quibuſcumque. Nulli ergo &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXLIX. VI. Kalend. Septembris, anno III.

XXXIV.

Ut audiant confeſſiones Monialium Monaſterii ſanctæ Mariæ de Cantalupo Mediolan. Ex ipſo autographo.

Dilectis filiis Guardiano & Fratribus ſancti Angeli, Ordinis Minorum de Obſervantia, extra muros Mediolan.

Quoniam juxta Paſtoralem curam &c. Idcirco vobis omnibus per præſentes injungimus, ac ſub virtute ſanctæ obedientiæ diſtricte mandamus, ut dilectis in Chriſto filiabus, quæ olim ſub Regula ſancti Auguſtini, in Monaſterio ſanctæ Mariæ de Cantalupo Mediolanen. nunc vero ſub Regulari obſervantia ſanctæ Claræ in dicto Monaſterio laudabiliter degunt in omnibus & per omnia, juxta veſtri Ordinis conſuetudines & ſtabilimenta, favoribus aſſiſtatis, earumque confeſſiones, omni exceptione remota, audiatis, ac omnia alia ſuffragia a vobis debita & conſueta cum effectu ipſis exhibeatis, ut veſtra exinde poſſit devotio merito apud nos & Sedem Apoſtolicam commendari. Alioquin de oppoſtuno remedio providebimus.

Datum Fabriani, Camerinen. diœceſ. ſub annulo Piſcatoris die VIII. Octobris anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXLIX. Pontificatus noſtri anno III.

XXXV.

Ut Obſervantes admittant domum extra terram Carpi. Ex archivo ſecreto lib. 27. Bullar. folio 17.

Dilecto filio Archipresbytero Eccleſiæ Matinen.

§. I. COgnita devotionis conſtantia, fidei quoque integritas, quas dilecti filii Albertus & Galaſſius de Piis, Domicelli Terræ Carpi, nullius Diœceſis, ad nos & Romanam gerunt Eccleſiam, non indigne meretur, ut eorum petitiones illas præſertim, quæ animarum ſalutem & Religionis augmentum reſpiciunt, quantum cum Deo poſſumus, ad exauditionis gratiam admittamus. Sane pro parte eorumdem Alberti & Galaſſii nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipſi fervore devotionis accenſi &c. in ſuo territorio, ad omnipotentis Dei & beati Franciſci honorem, unam domum, pro uſu & habitatione Fratrum Minorum, *de Obſervantia* nuncupatorum, in eodem territorio, in Eccleſia ſancti Nicolai extra terram Carpi prædictam, quæ licet habitu, non tamen actu curata eſt, & circa quam interdum Capellanus & nonnulli alii moram trahere conſueverunt, & ad menſam Plebis dictæ terræ pertinet, loco ad hoc congruo & honeſto, cum campanili &c. officinis, de conſenſu Archipresbyteri & Canonicorum dictæ Plebis fundare &c. deſiderant &c. Quare Albertus & Galaſſius prædicti nobis humiliter ſupplicarunt; quatenus eis domum hujuſmodi cum Eccleſia, campanili &c. officinis hujuſmodi in eodem territorio, in dicta Eccleſia fundandi &c. Fratribus, poſtquam conſtructa fuerit, illam recipiendi &c. licentiam concedere, ac Eccleſiam prædictam, cum territorio ad uſum & habitationem hujuſmodi, de conſenſu prædicto, a Plebe prædicta ſegregare &c. dignaremur.

§. II. Nos itaque &c. diſcretioni tuæ &c. ſcripta mandamus, quatenus prædictis Alberto & Galaſſio dictam domum cum campanili &c. officinis hujuſmodi in dicta Eccleſia, pro uſu &c. conſtrui faciendi, ac eiſdem Fratribus domum ipſam pro hujuſmodi uſu & habitatione recipiendi &c. ac Eccleſiam prædictam cum territorio, ad uſum & habitationem hujuſmodi opportuno, de prædicto conſenſu, ſegregandi auctoritate Apoſtolica licentiam largiaris; curam nihilominus, ſi qua ſit, Eccleſiæ antedictæ cum omnibus ſuis juribus &c. & quibuſcumque emolumentis & gravaminibus, dictæ Eccleſiæ pertinentibus & ſpectantibus, ultra territorium neceſſarium dictis Fratribus, Eccleſiæ ſanctæ Mariæ de Carpo eadem auctoritate noſtra unias, applices, incorpores & annectas. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. &c. contrariis quibuſcumque. Volumus quod ipſi Fratres, quos in domo fundanda pro tempore morari contigerit, omnibus & ſingulis privilegiis &c. uti &c. valent: jure &c. ſalvo.

Datum Fabriani, Camerinen. Diœceſis anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXLIX. III. Idus Octobris, anno III.

XXXVI.

Ut conſtruat vel recipiat viginti Cœnobia. Ibidem lib. 26. Bullar. folio 138.

Dilecto filio Joanni de Capiſtrano, Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia *nuncupatorum Profeſſori.*

INter Eccleſiaſticos Ordines in domo Domini militantes, id ex benedictione cœleſti Ordini tuo, & illius Fratribus magis adſcribitur, ut effi-

cax teſtatur experientia rerum, quod ubicumque degunt, populos ad ſalutis gratiam evocant, ſibi proficientes per vitæ meritum, & aliis nihilominus per exemplum. Cum itaque, ſicut exibita nobis pro parte tua petitio continebat, ſæpe contingat, nonnullos Chriſtifideles ex devotione, quam ad dictum Ordinem habent, tuiſque ſermonibus allici ad terrena in cœleſtia commutandum &c. loca quædam pro uſu & habitatione tui Ordinis Fratrum fundarent, conſtruerent &c. Nos igitur &c. tibi necnon pro tempore exiſtentibus quarumcumque Provinciarum, juxta morem Fratrum Minorum, *de Obſervantia* nuncupatorum, Vicariis, viginti loca ubicumque conſiſtentia cum Eccleſiis, campanilibus, campanis, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, ſi tibi aut illis alias canonice conſignentur, vel in locis ad id congruentibus & honeſtis, vobis per eoſdem Chriſtifideles forſitan aſſignandis domibus, Eccleſiis cum campanilibus &c. officinis hujuſmodi fundari, conſtrui, & ædificari faciendi, ac recipiendi & perpetuo retinendi, Diœceſanorum &c. minime requiſita &c. concedimus facultatem. Et inſuper univerſis & ſingulis dicti Ordinis Fratribus, quos in locis hujuſmodi pro tempore reſidere contigerit, ut omnibus & ſingulis indulgentiis &c. uti &c. valeant &c. concedimus: jure &c. ſalvo. Felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. &c. quibuſcumque. Nulli ergo &c.

Datum Fabriani, Camerinen. Diœceſ. anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXLIX. pridie Idus Octobris, anno III.

XXXVII.

Ut Monaſterium ſancti Salvati, Ordinis ſancti Benedicti Cremonen. in Monaſterium Ordinis ſanctæ Claræ convertatur. Ex lib. 3. de diverſis formis &c. an. 3. fol. 89.

Dilecto filio Abbati Monaſterii omnium Sanctorum extra muros Cremonen.

§. I. Pia devotorum Deo & Eccleſiæ deſideria, quæ Divini cultus aut Religionis augmentum, necnon ſalutem animarum reſpicere dignoſcuntur, libenter Apoſtolico favore proſequimur, eiſque benignum impertimur aſſenſum. Sane pro parte dilectæ in Chriſto filiæ nobilis mulieris Blancæ Mariæ de Vice-comitibus, dilecti filii nobilis viri Franciſci Sfortiæ, Domini Civitatis Cremonæ conjugis, ac dilectorum filiorum Communitatis ejuſdem Civitatis nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipſi cum maxima devotione affectant, quod in eadem Civitate ſit unum Monaſterium Monialium, quæ ſub Regulari Obſervantia beati Franciſci perpetuo vivere debeant & teneantur; & quia, matura inter eos conſideratione præhabita, nullum locum ad id magis accommodum reperiunt, quam Monaſterium Monialium ſancti Salvati Cremonen., Ordinis ſancti Benedicti, in quo Abbatiſſa & nonnullæ Moniales vitam minus honeſtam ducentes commorantur, cupiunt prædictis Abbatiſſæ & Monialibus Ordinis ſancti Benedicti unum alium locum, pro earum uſu & habitatione, in quo honeſte vivere poterunt, aſſignare, dummodo in ipſo Monaſterio Ordo ſancti Benedicti penitus & omnino extinguatur, ac illud cum omnibus domibus, hortis, hortalitiis, & aliis juribus, ac pertinentiis ſuis, dumtaxat pro uſu & habitatione mulierum, ſub Regulari Obſervantia beati Franciſci vivere cupientium, quæ ſub cura Fratrum domus ſancti Angeli Ordinis Minorum de Obſervantia extra muros Cremonen. & illius Guardiani exiſtant, perpetuo deputetur & eis aſſignetur. Quare pro parte dictorum Blancæ Mariæ & Communitatis

tatis asserentium, quod ipsi ex hoc, si fiat, magnam & optatam consolationem suscipient, & ad plurimorum salutem cedere, ac variis inconvenientiis & scandalis obviari poterit, nobis fuit humiliter supplicatum &c.

§. II. Nos itaque &c. discretioni tuæ &c. mandamus, quatenus vocatis Abbatissa & Monialibus Monasterii hujusmodi, & aliis &c. evocandi, de præmissis te diligenter informes, & si per informationem hujusmodi ita esse repereris, ipsas Abbatissam & Moniales, postquam Communitas hujusmodi sibi alium locum in dicta civitate, in quo honeste commorari possint, eis, ut præmittitur, assignaverint, cum omnibus suis bonis ad locum prædictum auctoritate nostra transferas, ac Ordine sancti Benedicti in dicto Monasterio per te suppresso penitus & extincto, illud cum omnibus domibus, juribus, pertinentiis &c. dumtaxat pro usu & habitatione mulierum, quæ in eo sub Regulari Observantia beati Francisci vivere, & sub cura & visitatione Fratrum Minorum de Observantia hujusmodi esse debeant & teneantur, perpetuo deputes & eis assignes: statuens & ordinans, quod ipsæ Abbatissa & Moniales, quoad vixerint & honestam vitam duxerint, fructus, reditus & proventus ipsius Monasterii percipere & habere debeant; eis vero defunctis, seu vitam minus honestam ducentibus, ad Monasterium ipsum & in eo degentes, & observantiam hujusmodi facientes, Abbatissam & Sorores revertantur: Contradictores &c. compescendo. Non obstantibus &c. quibuscumque &c. Nos enim si translationem &c. contingat, Abbatissæ seu Ministræ, ac Sororibus in dicto Monasterio pro tempore degentibus, ut omnibus & singulis privilegiis &c. concessis, uti valeant &c. concedimus per præsentes.

Datum Romæ apud sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXLIX. III. Idus Decembris, anno III.

XXXVIII.

Ut Observantes admittant domum construendam in civitate Rossen. vel alibi.

Ex archivo secreto lib. 27. Bullar. folio 25.

Venerabili fratri Episcopo Corcagen. ac dilectis filiis Decano Corcagen. ac David Ogylla-gymayn Canonico Rossen. Ecclesiarum.

§. I. COgnita devotionis constantia, fidei quoque integritas, quas dilectus filius nobilis vir Fyrim Ohedriscoyl Domicellus, Rossen. Diœcesis ad nos & Romanam gerit Ecclesiam, non indigne meretur, ut ejus petitiones illas præsertim, quæ animarum salutem, & Religionis augmentum respiciunt, quantum cum Deo possumus, ad exauditionis gratiam admittamus. Sane pro parte ejusdem Fyrim nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipse fervore devotionis accensus &c. in suo territorio, ad omnipotentis Dei, & beati Joannis Baptistæ, ac sancti Francisci honorem, unam domum, pro usu & habitatione Fratrum Minorum, *de Observantia* nuncupatorum, in eodem territorio in loco ad hoc congruo & honesto, ubi Fratres ipsi eumdem duxerint eligendum, cum Ecclesia, campanili, campanis, hortis, hortalitiis & aliis necessariis officinis fundare &c. Quare pro parte ipsius Fyrim nobis fuit humiliter supplicatum &c.

§. II. Nos igitur &c. inclinati, vobis & vestrum cuilibet &c. mandamus, quatenus prædicto Fyrim prædictam domum, quam prædicti Fratres, ut præfertur, duxerint eligendam, cum Ecclesia, campanili &c. officinis hujusmodi, sive infra civitatem seu oppidum, sive extra in dicto territorio, pro usu & habitatione prædictis, fundandi & fundari faciendi, ac eisdem

Fra-

Fratribus, per hujuſmodi Vicarium ultramontanum regendis, domum ipſam pro hujuſmodi uſu & habitatione recipiendi &c. licentiam largiamini, Superioris cujuſcumque licentia minime requiſita. Non obſtantibus &c. quibuſcumque. Volumus autem quod ipſi Fratres, quos in dicta fundanda domo pro tempore morari contigerit, omnibus & ſingulis privilegiis &c. uti &c. valeant: jure &c. ſalvo.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXLIX. XVI. Kalendas Januarii, anno III.

XXXIX.

Ut Obſervantes conſtruant ſeu recipiant unum domicilium in Provincia Burgundiæ. Ibidem folio 182.

Venerabilibus fratribus Claramonten. & Nivernen. Epiſcopis.

PIa Deo & Eccleſiæ deſideria, ex quibus Divini cultus augmentum, Religionis propagatio, & animarum ſalus procuratur, libenter Apoſtolico favore proſequimur, eiſque gratum præbemus aſſenſum. Sane pro parte dilectorum filiorum Guardiani & Fratrum domus Montis-Lucii, Ordinis Minorum, *de Obſervantia* nuncupatorum, Bituricen. Diœceſ. petitio continebat, quod ipſi in Provincia Burgundiæ, in locis ad hoc aptis & idoneis, unam domum cum Eccleſia, campana, clauſtro &c. officinis, necnon unum oratorium, cum Chriſtifidelium ſuffragiis ſeu obſequiis, & præſertim dilecti filii nobilis viri Philippi de Vienna, Æduenſis Diœceſ. &c. de novo fundare, conſtruere &c. proponunt &c. Quare pro parte dictorum Guardiani & Fratrum nobis fuit humiliter ſupplicatum &c. Nos igitur &c. fraternitati veſtræ &c. mandamus, quatenus vos aut alter veſtrum prædictis Guardiano & Fratribus unam domum cum Eccleſia, campanili &c. aliis neceſſariis officinis, in variis locis ad id aptis & accommodis in eadem Provincia, ſive in oppido vel extra, pro uſu & habitatione dictorum Fratrum Minorum *de Obſervantia*, qui ſub Vicarii Generalis ejuſdem Ordinis Miniſtri regimine perpetuo vivere teneantur, de novo fundandi, conſtruendi &c. licentiam auctoritate noſtra concedatis, Diœceſanorum &c. minime requiſitis; nos enim, dum hujuſmodi conceſſionem per vos aut alterum veſtrum fieri contigerit, Fratribus ipſis quos in domo, oratorio & loco prædictis pro tempore morari contigerit, omnibus & ſingulis privilegiis &c. uti valeant &c. concedimus per præſentes. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. &c. quibuſcumque: jure &c. ſalvo.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXLIX. XV. Kalendas Januarii, anno III.

XL.

Ut recipiat Monaſterium ſancti Martini, Ordinis ſancti Benedicti, prope muros Verulan. Ex lib. 3. de diverſis formis &c. an. 3. fol. 266.

Dilectis filiis Joanni de Capiſtrano Vicario & Fratribus Ordinis Minorum, de Obſervantia *nuncupatis*.

Vide Conſt. 23. hujus Pontif.

§. I. SAcræ Religionis &c. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Populi & Univerſitatis civitatis noſtræ Verulan. petitio continebat, quod cum in eadem Civitate nulla domus nullius Ordinis, nec Conventus Ordinis Fratrum Minorum exiſtat, ſitque extra & prope mu-

muros civitatis ejuſdem Monaſterium Monialium ſancti Martini, Ordinis ſancti Benedicti, quod alias ſufficienter dotatum, deductum eſt ut duæ dumtaxat antiquæ Moniales, & tertia, quæ plures habet ex prædictarum duarum nepote aliiſque viris filios, remanſerint in eodem, unde vivant ſine aliorum ſuffragio & piis eleemoſynis non habentes, & ex eodem fructibus ejuſdem Monaſterii vivere nequeuntes, eoquod bona ipſius fere omnia alienarunt & damnabiliter diſſiparunt. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, Populus & Univerſitas prædicti parati ſint eiſdem Monialibus de loco & habitatione in civitate prædicta congrue providere, ſi Monaſterium cum horto illi contiguo vobis, vel deputandis per vos inibi Fratribus de Obſervantia perpetuo aſſignetur, ac pro eorum uſu &c. concedatur, reliquis ipſius Monaſterii bonis iiſdem Monialibus, pro earum vita ſuſtentanda, quoad vixerint, remanentibus, ita tamen quod Monialibus ipſis defunctis bona ipſa vendantur, & in reparationem Eccleſiæ, domus & habitationis veſtræ hujuſmodi integre convertantur. Quare nobis humiliter ſupplicarunt &c.

§. II. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis, vel per vos, ut præmittitur, deputandis, data Monialibus prædictis habitatione congrua, ut præfertur, Monaſterium cum horto hujuſmodi, & poſtquam Moniales ipſæ fuerint vita functæ, reliqua bona prædicta recipiendi, ac in domo hortoque prædictis Eccleſiam ſeu oratorium cum campanili &c. officinis conſtruendi ac ædificandi, ac in eis perpetuo commorandi, necnon Procuratori veſtro deputato vel deputando reliqua bona prædicta vendendi, & illorum pretium in reparationem Eccleſiæ, domus & habitationis prædictarum integre convertendi, jure &c. ſalvo &c. licentiam elargimur: volentes quod Guardianus & Fratres, qui in eiſdem Eccleſia & domibus conſtruendis pro tempore morabuntur, ac Eccleſia & domus hujuſmodi omnibus & ſingulis privilegiis &c. conceſſis, uti valeant &c. non obſtantibus quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXLIX. III. Kalendas Februarii, anno III.

XLI.

Domus Obſervantum Antuerp. tranſfertur. Ex Arch. ſecr. lib. 27. Bullar. fol. 149.

Dilectis filiis Abbati Monaſterii ſancti Michaelis Antuerpien. & Decano Eccleſiæ ſancti Petri Lovanien. Cameracen. & Leodien. Diœceſ.

§. I. EX ſupernæ providentia majeſtatis, Romanus Pontifex conſtitutus in Specula ſupremæ dignitatis, & ita omnium perſonarum & locorum Religioſorum profectum libenter proſpicit & intendit, ac prout illorum requirit neceſſitas, etiam perſonarum loca commutat, prout cauſæ rationales quandoque perſuadent, & id in Domino conſpicit expedire. Nuper ſiquidem pro parte dilectorum filiorum Univerſitatis oppidi Antuerp. Cameracen. Diœc. ac Guardiani & Fratrum Novæ domus *de Obſervantia* beati Franciſci ejuſdem oppidi nobis fuit expoſitum, quod jam pluribus elapſis annis domus ipſa in prædicto oppido ad hoc ſituata fuit, ut Fratres in ea commorantes, cum honeſtate commorari, & Altiſſimo famulari poſſent. Verum, quia domus ipſa lenonum ſive meretricum ſit habitationibus circumdata, & quod Fratres ipſi etiam quando divinis nituntur obſequiis, propter ipſorum lenonum & meretricum clamores, aut alias ſæpenumero perturbantur,

tur, quinimo ipſi lenones & alii, ipſis Fratribus malevoli, in eadem domo ſemel incendium impoſuerunt, propter quod oppidani prædicti oppidi præmiſſa mature conſiderantes, & clare videntes, aliter ſuper iis remedium adhibere non poſſe, quemdam alium locum ad id aptum & honeſtum &c. aſſignare propoſuerunt &c. Quare pro parte Univerſitatis, Guardiani & Fratrum prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum &c.

§. II. Nos itaque &c. diſcretioni veſtræ &c. mandamus, quatenus vos, aut alter veſtrum de præmiſſis omnibus &c. informetis &c. Guardianum & Fratres prædictos cum libris & omnibus ornamentis & paramentis, ac aliis rebus ad cultum divinum deputatis, ad prædictam domum ſeu primum locum pertinentibus, pro alia domo, ſeu novo & ſecundo loco cum ipſa ſecunda domo, pro ipſorum Guardiani & Fratrum uſu & habitatione, qui ſub obedientia Vicarii Miniſtri Provincialis illius provinciæ ſeu patriæ eſſe debeant, dicta auctoritate noſtra deputetis & aſſignetis, cujuſvis ſuper hoc licentia minime requiſita. Nos enim &c. Guardiano & Fratribus in ipſo loco eiſdem aſſignando præſentibus & futuris, ut omnibus & ſingulis privilegiis &c. uti & gaudere valeant, concedimus per præſentes. Non obſt. &c. quibuſcumque: jure &c. ſalvo.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXLIX. VI. Non. Martii, anno III.

Anno Christi 1450. Nicolai V. anno 4.

XLII.

Ut Obſervantes retineant duo Eremitoria in de ſanctæ Mariæ, *&* de la Madera *inſulis*. Ex lib. 1. de Regularibus, & Exhibitis, anno 4. fol. 189.

Dilecto filio Decano Eccleſiæ Ulixbonen.

§. I. INjunctum nobis deſuper Apoſtolicæ ſervitutis officium mentem noſtram continuo excitat atque compellit, ut circa ea, quæ ad Eccleſiarum & Monaſteriorum quorumlibet indemnitatem atque ſalubrem ſtatum, necnon etiam fidelium animarum ſalutem cedere dignoſcuntur, opem & operam, cum a nobis petitur, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter impendamus. Cum itaque, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte nonnullorum Fratrum Ordinis Minorum, provinciæ Portugalliæ, juxta morem dicti Ordinis, ſub illius Regulari obſervantia degentium, petitio continebat, dudum nonnulli Chriſtifideles pro eorum animarum ſalute & Religionis augmento, unum in *de la Madera*, & aliud Eremitoria in *de ſancta Maria* inſulis, Ulyxbon. Diœc. Sedis Apoſtolicæ licentia deſuper non obtenta, pro uſu & habitatione aliquorum Fratrum Ordinis & Obſervantiæ hujuſmodi conſtruxerint &c. ac ipſi Fratres illa etiam abſque licentia hujuſmodi receperint &c. & propterea dicti Fratres dubitent excommunicationis ſententiam propterea incurriſſe: pro parte eorumdem Fratrum nobis fuit humiliter ſupplicatum &c. Nos igitur &c. diſcretioni &c. mandamus; quatenus eoſdem Fratres, ſi id humiliter petierint, ab excommunicationis ſententia &c. auctoritate noſtra hac vice dumtaxat abſolvas in forma Eccleſiæ conſueta &c. omnemque ab eis inhabilitatis & infamiæ maculam ſive notam, dicta occaſione contractam aboleas.

§. II. Et nihilominus dilecto filio Vicario dilecti filii Miniſtri Provincialis dictæ provinciæ, quod Eremitoria ipſa in parte conſtructa, cum Eccleſiis, campanis, dormitoriis, aliiſque pro uſu & habitatione dictorum Fratrum neceſſariis officinis, conſtruere ſeu conſtrui facere, necnon ipſorum

rum Eremitorium Guardianis, quod illorum Eccleſias & cœmeteria per quemcumque Catholicum Antiſtitem &c. conſecrari facere poſſint, ac ipſis & aliis Fratribus in eiſdem Eremitoriis ſive locis pro tempore degentibus, ut omnibus & ſingulis privilegiis &c. conceſſis, uti &c. valeant, eadem auctoritate concedas: jure &c. ſalvo. Non obſtant. ſel. rec. Bonifacii Papæ VIII. &c. quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCL. IV. Kal. Maii, anno IV.

XLIII.

Ut in Monaſterio ſancti Lupi, Ordinis ſancti Benedicti, inſtituat Ordinem Fratrum Regularis Obſervantiæ. Ex libro 1. de diverſis formis, anno 4. folio 252.

Venerabili fratri Epiſcopo Turtribulen.

INter cetera cordis noſtri deſiderabilia illud intenſis deſideramus affectibus quod ubique locorum Majeſtas Altiſſimi in gratiarum benedictionibus collaudetur, ſuique cultus glorioſi nominis amplietur, & ad horum promotionem, præſertim in Eccleſiis & Monaſteriis in Divinorum exibitione defectum patientibus, opem & operam, quantum cum Deo poſſumus, efficaces impendimus. Hodie ex certis pro parte dilectorum filiorum Capituli Beneventani nobis expoſitis rationabilibus cauſis, per alias noſtras litteras, ſub certa forma tunc expreſſa, tibi dedimus in mandatis, ut in Monaſterio ſancti Lupi Benevent. Ordinis ſancti Benedicti Abbatialem dignitatem, ac dictum Ordinem ſupprimere, necnon poſſeſſiones & bona immobilia omnia ejuſdem Monaſterii ab illo ſegregare & ſeparare, illaque menſæ Capitulari Eccleſiæ Benevent. ad quotidianas inibi diſtributiones perpetuo applicare, unire & incorporare curares &c. Nos ne propter mandatum hujuſmodi, ſi illud exequaris, Eccleſia & aliæ ſtructuræ & ædificia dicti Monaſterii ad profanos uſus deducantur, ſed ut illa debitæ reformationis beneficio gaudeant, ac ſpiritualium incrementa ſuſcipiant, providere volentes, prædictorum Capituli in hac parte ſupplicationibus inclinati, fraternitati tuæ &c. mandamus, quatenus ſi & in quantum ſuppreſſionem & extinctionem, necnon ſeparationem, unionem, applicationem & incorporationem prædictas per te, vigore præſentium fieri contingat, Monaſterium prædictum cum illius Eccleſia, domibus, ſtructuris & ædificiis dumtaxat, in domum conventualem Ordinis Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ, pro uſu &c. qui in ea conventualiter ſub dicta Obſervantia permanere teneantur, erigere & transferre, ac dictæ tunc erectæ domui certam terræ petiam, eidem Monaſterio contiguam, pro horto ipſius domus aſſignare, necnon etiam Vicario generali pro tempore exiſtenti Fratrum de Obſervantia & Ordinis Minorum hujuſmodi, ut ipſe nomine eorumdem Fratrum, præſentium & futurorum, per ſe vel alium ſeu alios dictam tunc erectam domum recipere, ipſique præſentes & futuri Fratres in ea, ſub dicta tamen Obſervantia, perpetuo permanere libere & licite poſſint, licentiam & facultatem concedere, necnon quod domus erigenda præfata, ac in ea pro tempore degentes Guardiani & Fratres omnibus & ſingulis privilegiis &c. gaudere poſſint &c. procures. Non obſt. ſel. rec. Bonifacii Papæ VIII. &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCL. III. Kal. Maii, anno IV.

XLIV.

Ut, ſicut Monaſterium Corporis Chriſti Mantuan. ex eleemoſynis & in paupertate vivant. Ex libro 2. de Regularibus, anno &c. 4. folio 68.

Dilectis in Chriſto filiabus Abbatiſſæ & Conventui Monaſterii in contrata Brey, in civitate Paduan. de novo conſtructi, Ordinis ſanctæ Claræ.

Vide Conſt. 23. hujus Pontif.

§. I. SAcræ &c. Dudum ſiquidem fel. rec. Eugenio Papæ IV. prædeceſſori noſtro pro parte dilectæ in Chriſto filiæ Dorotheæ ex Comitibus de Panico, Monialis veſtri Monaſterii, in contrata Brey, in civitate Paduan. de novo conſtructi, Ordinis ſanctæ Claræ, tunc Domicellæ Bononienſis, & in dicta civitate commorantis, expoſito, quod ipſa de propria ſalute cogitans &c. unum Monaſterium dicti Ordinis cum Eccleſia ſive oratorio, campanili &c. officinis in civitate prædicta fundare & conſtrui facere, ac de congruis reditibus annuis, pro una Abbatiſſa & certis aliis Monialibus in eodem Monaſterio inſtituendis, ſervitricibuſque & aliis neceſſariis, adinſtar Monaſterii ſanctæ Claræ Corporis Chriſti Mantuan. nuncupati, ſufficienter dotare proponebat: Idem prædeceſſor dictæ Dorotheæ fundandi, conſtruendi & dotandi &c. prædictum Monaſterium, ut præfertur, Dioceſani &c. minime requiſita, prius tamen per eamdem Dorotheam ſufficienti dote aſſignata, ac jure &c. ſalvo, licentiam, ac quod prædicta Dorothea quæ, ut aſſerebat, in prædicto Monaſterio una cum illius Abbatiſſa & Conventu, ſub regula & juxta regularia dicti Monaſterii Corporis Chriſti inſtituta, Altiſſimo famulari deſiderabat, poſtquam illud erectum & dotatum foret, regularem habitum cum eiſdem mulieribus recipere, ac profeſſionem in eodem per Moniales inibi in ſimilibus Monaſteriis, & manibus juxta inſtituta dicti Ordinis poteſtatem habentis, emitti ſolitam, emittere poſſet, per quaſdam ſuas litteras licentiam elargitus fuit &c.

Dorothæa de Panico Monaſter. pro Clariſſis petit conſtruere.

Eidem conceditur Monaſterium fundandi, & in eodem profeſſionem emittendi.

§. II. Cum autem &c. licet earumdem litterarum vigore dictum Monaſterium cum Eccleſia &c. officinis, juxta earumdem litterarum continentiam atque formam, pro majori ſeu aliqua parte in civitate & contrata prædictis, & aliqua bona pro parte dotis unius Capellani, qui inibi in Divinis deſerviat, aſſignata extiterint, voſque in illo, habitu per vos recepto, & profeſſione regularibus emiſſa, ſub regula & juxta regularia ipſius Monaſterii Corporis Chriſti inſtituta vixeritis & vivatis; tamen pro eo quod dicto Monaſterio Corporis Chriſti nulla dos aſſignata fuit, ac dilectæ in Chriſto filiæ Abbatiſſa & Moniales dicti Monaſterii Corporis Chriſti etiam in communi proprium non habent, ſed tantum ex eleemoſynis vivunt, dubitatis, quod ſi veſtro Monaſterio prædicto dos aliqua aſſignaretur, adinſtar dicti Monaſterii Corporis Chriſti, juxta veſtrum deſiderium non viveretis, ſeu forſan vivere poſſetis: pro parte veſtra, quæ ut aſſeritis, in omnibus & per omnia juxta mores & inſtituta Monaſterii Corporis Chriſti hujuſmodi perpetuo vivere deſideratis, nobis fuit humiliter ſupplicatum &c.

Eidem Monaſterio nulla dos aſſignata.

§. III. Nos igitur &c. decernimus, quod ad aſſignationem dotis in litteris contentæ hujuſmodi, & ad illam habendam minime teneamini; quinimo, ſi velletis vel in futurum volueritis, dotem ipſam, excepta ſufficienti dote pro uno Capellano, recipere & habere nullatenus valeatis, ſed in paupertate, juxta mores & inſtituta Monaſterii Corporis Chriſti hujuſmodi, perpetuo vivere teneamini & ſitis adſtrictæ; ac vos, necnon Abbatiſſa & Moniales dicti veſtri Monaſterii ac illius ſervitrices, quæ erunt pro tempore, ipſumque veſtrum Monaſterium omnibus & ſingulis exemptionibus &c. gaudere

Monialibus conceditur altiſſimam paupertatem profiteri.

dere poſſitis & poſſint libere & licite: ac vobis & ſervitricibus prædictis, vobis & illis præſentibus dumtaxat dicta auctoritate concedimus pariter & indulgemus, ut Confeſſor idoneus ſecularis vel Regularis, quem veſtrum præſentium & ipſarum quælibet duxerit eligendum &c. & delictis, etiam in reſervatis Sedi prædictæ caſibus ſemel tantum debitam abſolutionem impendere, & injungere pœnitentiam ſalutarem, necnon omnium veſtrorum & illarum peccatorum, de quibus vos & ipſæ corde contritæ & ore confeſſæ fueritis ac illæ fuerint, ſemel tantum in mortis articulo, plenam remiſſionem &c. Nulli ergo &c. noſtræ voluntatis, ſtatuti, conſtitutionis & conceſſionis infringere &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCL. Idibus Maii, anno IV.

XLV.

Ut admittant domum in Diœceſ. Pictavien. Ex Archivo ſecreto, libro 28. Bullarum, folio 37.

Dilectis filiis Vicario Provinciali & Fratribus Ordinis Minorum, de Obſervantia *nuncupati*, *Provinciæ Turoniæ*.

§. I. PRomptum & benevolum libenter illis favorem impendimus, in quorum habetur deſideriis, ut ſub Religionis habitu & humilitatis ſpiritu, devote Domino famulantes mereantur gloriam perpetuæ claritatis. Sane pro parte veſtra nobis nuper exhibita petitio continebat, quod dilectus filius nobilis vir Joachim Veluyræ, & dilecta in Chriſto filia nobilis mulier Margarita ejus uxor, ad vos veſtrumque ſtatum, & ad veſtram Religionem &c. ſingulare gerentes affectionis adminiculum, & per hujuſmodi Religionis propagationem per veſtras manus ſuos in cœleſtibus theſauros recondi ſatagentes unum locum in altero ſuorum oppidorum dicto ... de & ſuper vel juxta illud Pictavien. Diœceſ. pro conſtructione, ac uſu & habitatione veſtris, ſeu aliquorum ex Fratribus Ordinis veſtri pia largitione dare & aſſignare proponunt: voſque in eodem loco, Chriſtifidelium ad hoc concurrentibus ſuffragiis & obventionibus, domum cum Eccleſia, cœmeterio, campanili &c. officinis, pro hujuſmodi uſu & habitatione conſtruere &c. deſideratis &c. Quare pro parte veſtra nobis fuit humiliter ſupplicatum &c.

§. II. Nos igitur &c. vobis locum prædictum ab eiſdem nobilibus, illum dare & aſſignare volentibus, recipiendi &c. cum Eccleſia &c. officinis hujuſmodi conſtruendi &c. licentiam elargimur; Diœceſani &c. minime requiſita. Et inſuper Fratribus Ordinis veſtri hujuſmodi &c. ut omnibus & ſingulis privilegiis &c. uti valeant &c. Nulli ergo &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCL. Kalendis Junii, anno IV.

XLVI.

Ut Fratres Tertii Ordinis retineant domum ſanctæ Mariæ de Pizighitono, & in ejuſdem domus Eccleſia quoddam beneficium ſupprimatur, & eis applicetur. Ex lib. 1. de Exhibitis, & Regularibus, anno 4. fol. 277.

Venerabili fratri Epiſcopo Lauden. & dilecto filio præpoſito Eccleſiæ ſancti Geminiani Lauden.

§. I. IMmenſa &c. Exhibita ſiquidem nobis pro parte dilectorum filiorum Jacobi de Cartiraga Miniſtri, ac aliorum Fratrum domus beatæ Ma-

Eccleſiæ a FF. reparatæ uſus a Nobilibus de Buſnate eiſdem conceditur.

Mariæ de Poyano, alias de Pizighitono, Tertii Ordinis ſancti Franciſci &c. Lauden. Diœc. petitio continebat, quod olim prædictus Jacobus & nonnulli alii Fratres dicti Ordinis Eccleſiam Chriſtifidelium ſuffragiis repararunt & ampliarunt, ac apud illam domum cum neceſſariis officinis, pro eorum & aliorum dicti Ordinis Fratrum uſu &c. erexerunt, ac nunc per viginti annos & ultra in uſum & habitationem hujuſmodi tenuerunt & poſſederunt &c. deinde nonnulli nobiles, *de Buſnate* nuncupati, aſſerentes ſe veros patronos ejuſdem Eccleſiæ, ac ſentientes ipſorum Fratrum laudabilem vitam, & bonæ famæ odorem, eamdem Eccleſiam cum omnibus ejus bonis, terris, dominiis, juribus & pertinentiis, ac juribus, & exactionibus, eiſdem nobilibus in dicta Eccleſia quomodolibet pertinentibus, dictis Fratribus perpetuo dederunt &c.

Eidem Eccleſiæ quoddam beneficium applicatur.

§. II. Cum autem &c. Jacobus Miniſter & Fratres prædicti domum prædictam cum Eccleſia & officinis prædictis, pro uſu & habitatione hujuſmodi perpetuo retinere, ac, ut eo quietius & devotius Altiſſimo famulari queant, quoddam perpetuum beneficium, *Caritatum* nuncupatum, in eadem Eccleſia fundatum & inſtitutum, perpetuo ſupprimi & extingui, illiuſque poſſeſſiones & bona prædictæ Eccleſiæ, pro ipſorum Fratrum commodiori ſuſtentatione, & Eccleſiæ ac domus earumdem reparatione & conſervatione applicari & aſſignari deſiderent; pro parte Jacobi Miniſtri & Fratrum eorumdem, aſſerentium, quod beneficii ſex, Eccleſiæ vero hujuſmodi etiam ſex Florenorum auri de Camera fructus, reditus & proventus, ſecundum communem æſtimationem, valorem annuum non excedunt, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eorum deſiderio hujuſmodi annuentes, ipſos ab excommunicationis ſententia &c. abſolvi mandare, necnon receptioni, conſtructioni, erectioni, dationi, conceſſioni & translationi prædictis, ac omnibus & ſingulis inde ſecutis, & in dicto inſtrumento contentis, pro eorum ſubſiſtentia firmiori, robur &c. adjicere &c. dignaremur. Nos igitur &c. diſcretioni veſtræ &c. mandamus, quatenus vos vel alter veſtrum, Jacobum Miniſtrum ac omnes & ſingulos Fratres eoſdem, qui excommunicationis hujuſmodi ſententia ligati fuerint, ut præfertur, ſi hoc humiliter petierint, ab eadem ſententia &c. abſolvatis in forma Eccleſiæ conſueta, injunctis &c. ipſis tamen ad tempus, de quo vobis videbitur, a ſuorum Ordinum executione ſuſpenſis, dicta auctoritate diſpenſetis, omnemque aboleatis infamiæ maculam &c.

Liberum fit FF. beneficium ipſis conferre.

§. III. Et nihilominus, ſi & poſtquam abſolutionem, diſpenſationem &c. feceritis, ut præmittitur, ac vobis de expoſitis &c. conſtiterit, receptionem, conſtructionem &c. prædictas ac inde ſecuta, & prout illas concernunt, in inſtrumento contenta hujuſmodi, eadem auctoritate approbetis & confirmetis &c. ipſique Jacobo Miniſtro & prædictis, ac univerſis aliis in prædicta domo pro tempore moraturis Fratribus, ut domum ipſam cum Eccleſia & officinis, ac omnibus juribus & pertinentiis ſupradictis, pro uſu & habitatione hujuſmodi perpetuo retinere, necnon omnibus & ſingulis privilegiis &c. gaudere libere & licite valeant, auctoritate prædicta concedatis: jure &c. ſalvo. Et inſuper beneficium prædictum, ſi vacat, vel quamprimum illud per ceſſum vel deceſſum illud obtinentis, vel alias quovis modo vacare contigerit, penitus & omnino dicta auctoritate ſupprimatis & extinguatis, eoque per vos ſuppreſſo & extincto, illius poſſeſſiones & bona prædicta cum eorum fructibus, reditibus & proventibus, ac aliis juribus & pertinentiis ſuis omnibus, prædictæ Eccleſiæ perpetuo applicetis, approprietis & aſſignetis; ita quod ex tunc liceat Miniſtro dictæ domus & Fratribus in illa degentibus pro tempore, per ſe vel alium ſeu alios, bonorum prædicto-

ctorum corporalem poſſeſſionem auctoritate propria libere apprehendere, & perpetuo retinere, hujuſmodique illorum fructus, reditus & proventus in eorum & dictarum domus & Eccleſiæ uſus & utilitatem convertere, Diœceſani &c. minime requiſita. Non obſt. ſel. rec. Bonif. Papæ VIII. &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCL. IV. Nonas Junii, anno IV.

XLVII.

Ut Obſervantini recipiant domum in oppido Minei. Ibidem, folio 255.

Venerabili fratri Epiſcopo Syracuſan.

§. I. Piis &c. Sane pro parte dilectorum filiorum Univerſitatis & hominum terræ Minei, Syracuſ. Diœceſ. nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim ipſi provide conſiderantes laudabiles mores Religioſorum virorum Fratrum Ordinis Minorum, & quod propter eorum exemplarem vitam, aſſiduas prædicationes & ſalubria monita, aliaque ſpiritualia &c. adminicula, pene univerſo Chriſtiano populo utilitas & commoda ſpiritualia provenirent, quodque pro ipſorum Univerſitatis & hominum eruditione & informatione ejuſdem Ordinis Fratres in dicta terra commorari cupientes, quamdam domum cum oratorio ſive capella, ſub vocabulo *beatæ Mariæ de Jeſu*, de licentia tua, Fratribus & Ordini prædictis &c. domus dicti Ordinis cum Eccleſia &c. officinis &c. erigeretur, dederunt pariter & conceſſerunt; & deinde quondam Bartholomæus de Mineo, olim Canonicus Syracuſan. ob reverentiam & devotionem, quas ad beatum Laurentium Protomartyrem gerebat, utque in eodem oratorio ſive capella Eccleſia ſub ipſius Protomartyris vocabulo fundaretur, & ad optatum perduceretur effectum &c. bona multa legavit. *Vide Conſt. 11. hujus Pontif.*

§. II. Cum autem &c. ipſi, qui ob Fratrum prædictorum carentiam, etiam hujuſmodi ſpiritualium præſidiorum penuriam patiuntur, ac propterea unam dicti Ordinis domum inibi habere deſiderent; pro parte eorumdem Univerſitatis & hominum, necnon dilectorum filiorum Franciſci de Egubio Procuratoris, ac Gerardi Provinciæ Siciliæ, ſecundum morem dicti Ordinis, Provincialis Miniſtri, nobis fuit humiliter ſupplicatum &c. Nos igitur &c. fraternitati tuæ &c. mandamus, quatenus ſuper præmiſſis &c. informes, & ſi &c. oratorium ſeu capellam, et domum prædicta pro Guardiano et aliquibus Fratribus &c. in domum dicti Ordinis &c. erigas. Et nihilominus dictis Miniſtro et Fratribus, ut ibidem Eccleſiam ſub ejuſdem Protomartyris vocabulo, cum campanili &c. officinis pro eorum uſu &c. ædificare poſſint &c. concedas. Nos enim, ſi conceſſionem &c. fieri contigerit, Fratribus in dicta erigenda domo &c. ſingulis privilegiis &c. gaudere &c. valeant &c. indulgemus &c.

Datum Romæ apud ſanctam Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ MCCCCL. IV. Idus Novembris, anno IV.

XLVIII.

Ut domus ſancti Franciſci oppidi ſancti Elpidii transferatur ad Eccleſiam beatæ Mariæ de Platea. Ex lib. 2. de Regularib. &c. anno 4. fol. 164.

Dilecto filio Antonello de Severillo Canonico Firman.

§. I. Ex Apoſtolicæ ſervitutis officio &c. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Guardiani & Fratrum domus ſan- *Vide Conſt. 24. hujus Pontificis.*

ſancti Franciſci de noſtra terra ſancti Elpidii, Firman. diœceſ. Ordinis Fratrum Minorum, petitio continebat, quod dudum, videlicet poſtquam terra prædicta ab illius incolis, ut fortior eſſet, in ejus ambitu reſtricta taliter extiterat, quod Eccleſia & ædificia dictæ domus extra muros prædictæ terræ ramanſerant, bonæ memoriæ Antonius Epiſcopus Firman. Fratribus dictæ domus, ut in eadem domo habitare, & in ejus Eccleſia Divina officia celebrare poſſent, Eccleſiam beatæ Mariæ de Platea, ſitam infra ambitum prædictæ terræ, cum ejus domo & horto (illius tamen fructibus, reditibus ac proventibus, & medietate oblationum ejuſdem Rectori ipſius Eccleſiæ beatæ Mariæ pro tempore exiſtenti reſervatis) cum ſolutione certi annui cenſus, Eccleſiæ Firman. ſingulis annis perſolvendi, Ordinaria auctoritate conceſſit &c.

§. II. Cum autem &c. ſtructuræ & ædificia dictæ domus guerris &c. deſtructa & demolita fuerint, ipſique Fratres eamdem Eccleſiam beatæ Mariæ, quæ de Jure-patronatus Laicorum exiſtit, ſi eis, quamprimum per ceſſum vel deceſſum illius Rectoris vacare contigerit, cenſu hujuſmodi prædicto Epiſcopo reſervato, concedatur, in domum prædicti Ordinis conſtruere, ſeu conſtrui facere procurarent; pro parte prædictorum Guardiani & Fratrum nobis fuit humiliter ſupplicatum &c. Nos igitur &c. diſcretioni &c. mandamus, quatenus, ſi & poſtquam vocatis Epiſcopo Firman. & perſonis prædictis, necnon aliis &c. de præmiſſis &c. conſtiterit, Eccleſiam beatæ Mariæ prædictam, cujus fructus, reditus & proventus decem Florenorum auri de Camera, ſecundum communem æſtimationem, valorem annuum non excedunt, cum omnibus juribus &c. ſuis, de conſenſu tamen dictorum Patronorum, fructibus & medietate oblationum Rectori, ac cenſu hujuſmodi Epiſcopo prædictis, ut præfertur, reſervatis, eiſdem Guardiano & Fratribus &c. concedas; ita quod cedente vel decedente ipſius Eccleſiæ beatæ Mariæ Rectore, ſeu illam alias quomodolibet dimittente, liceat dictis Fratribus corporalem dictæ Eccleſiæ beatæ Mariæ poſſeſſionem auctoritate propria libere apprehendere & retinere, Diœceſani &c. minime requiſita. Nos enim, ſi conceſſionem &c. fieri contingat, prædictis Guardiano & Fratribus, in loco ubi Eccleſia ipſa ſeu ejus habitationes conſiſtunt, unam domum, pro uſu & habitatione perpetuis Guardiani & Fratrum Ordinis hujuſmodi, conſtruendi &c. licentiam concedimus; necnon eis ac pro tempore in eadem domo conſtruenda commoraturis Guardiano & Fratribus, quod omnibus & ſingulis privilegiis &c. uti valeant &c. indulgemus. Non obſtantibus ſel. record. Bonifacii Papæ VIII. &c. quibuſcumque. Proviſo ne dicta Eccleſia beatæ Mariæ ad profanos uſus redigatur, ſed illius conſueta onera congrue ſupportentur. Et inſuper, ne fructus, reditus & proventus prædicti in alios, quam dictæ erigendæ domus, uſus & utilitatem convertantur, volumus, ut Epiſcopus prædictus & Guardianus conſtruendæ domus hujuſmodi pro tempore exiſtentes, adminiſtratorem ordinare & deputare valeant, qui ſingulis annis Epiſcopo & Guardiano prædictis rationem & computum reddere teneatur; ac ſi in quantum aliquo tempore Fratres prædicti eamdem Eccleſiam beatæ Mariæ liberam dimiſerint, tunc illius collationem, diſpoſitionem & inſtitutionem ad Epiſcopum, præſentationem vero ad patronos hujuſmodi pertinere &c.

Datum Laterani anno Incarnationis Dominicæ MCCCCL. IV. Idus Novembris, anno IV.

XLIX.

Ut Obſervantibus conſtruant Cœnoblum. Ex lib. 3. de diverſis formis, anno 4. fol. 99.

Dilectis filiis Rectoribus, Prætoribus, & Gubernatoribus oppidi civitatis Regalis, Toletan. diœceſis.

Piis fidelium votis &c. Cum itaque &c. vos devotionis fervore ſuccenſi quamdam domum, ſive quoddam eremitorium in oppido civitatis Regalis, Toletan. diœceſ. ſive extra muros illius, pro uſu & habitatione Fratrum Ordinis Minorum de Obſervantia &c. conſtruere &c. deſideretis; pro parte veſtra nobis fuit humiliter ſupplicatum &c. Nos igitur &c. vobis dictam domum cum campanili &c. officinis, pro uſu et habitatione Fratrum hujuſmodi neceſſariis, conſtruendi &c. necnon Fratribus ipſis domum ſeu eremitorium hujuſmodi cum Eccleſia &c. officinis, pro uſu et habitatione prædictis, recipiendi et retinendi, jure tamen &c. ſalvo &c. licentiam elargimur. Et inſuper univerſis et ſingulis ejuſdem Obſervantiæ Fratribus, quos in domo ſive eremitorio hujuſmodi pro tempore degere contigerit, ut omnibus et ſingulis privilegiis &c. gaudere libere et licite valeant &c. indulgemus. Non obſtantibus ſel. record. Bonifacii Papæ VIII. &c. quibuſcumque. Nulli ergo &c. noſtræ elargitionis et conceſſionis infringere &c.

Vide Conſt. 11. hujus Pontificis.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCL. XI. Kalend. Decembris, anno IV.

L.

Confirmantur omnes erectiones domorum Obſervantum in provincia Caſtellæ. Ex lib. 2. de Regularibus &c. fol. 97.

Dilecto filio Abbati Monaſterii ſancti Zoili de Carrione, Palentin. diœceſ.

§. I. Inter ceteros &c. Sane pro parte dilecti filii Ludovici de Saja Cuſtodis Fratrum, ſub Regulari obſervantia viventium, dicti Ordinis, Cuſtodiæ citra portus provinciæ Caſtellæ, juxta morem ejuſdem Ordinis, nobis nuper exhibita petitio contibebat, quod infra diſtrictum hujuſmodi Provinciæ in diverſis locis diverſarum Civitatum et diœceſum, diverſa eremitoria et alia loca, pro uſu et habitatione Fratrum dicti Ordinis, ſub obſervantia prædicta viventium, ſub debita tamen ab aliis quibuſvis Fratrum Mendicantium domibus diſtantia, auctoritate vel ſaltem conſenſu diœceſani locorum hujuſmodi interveniente, noviter conſtructa et erecta, ac ipſorum Fratrum uſibus applicata, et per Fratres ipſos recepta, et ex tunc inhabitata fuerint. Quare pro parte dicti Cuſtodis nobis fuit humiliter ſupplicatum &c.

Vide Conſt. 36. hujus Pontificis.

§. II. Nos itaque &c. diſcretioni &c. mandamus, quatenus vocatis &c. informes, et ſi &c. fundationes, conſtructiones et erectiones eremitoriorum &c. et confirmes &c. Et nihilominus eiſdem Fratribus, quod eremitoria et erecta loca hujuſmodi perpetuo retinere libere et licite valeant, quodque Fratres in illis pro tempore degentes omnibus et ſingulis privilegiis &c. conceſſis, uti et gaudere poſſint &c. concedas: jure &c. ſalvo. Non obſtantibus ſel. record. Bonifacii Papæ VIII. &c. quibuſcumque. Nos enim tibi, ut ad ſingulas civitates vel diœceſes, in quibus ſingula eremitoria et loca erecta prædicta conſtituta ſunt, ut præfertur, accedens, in eiſdem

dem civitatibus vel diœceſibus præſentes noſtras litteras exequi valeas, perinde ac ſi in illis executor vel Judex deputatus fores, nec aliæ tibi, quoad hoc, obſiſterent conſtitutiones et ordinationes prædeceſſoris prædicti &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCL. III. Nonas Decembris, anno IV.

LI.

Ut conſtruatur domus Sororum Tertii Ordinis in oppido de Caſtillione. Ex lib. 3. de diverſis formis, anno 3. fol. 276.

Venerabili fratri Epiſcopo Cortonen.

§. I. PIa vota fidelium potiſſime quæ Divini cultus augmentum, et ſacræ Religionis propagationem ac ſalutem reſpiciunt animarum, ut ſalubrem ſortiantur effectum, benigno favore proſequimur, et perſonas quaſlibet præſertim fœminei ſexus, quas fragilitas potiori ſuadet auxilio communiri, ut eo devotius Divino cultui et ſalutis inſiſtere poſſint operibus, quo fuerit earum ſtatus quietior, favoribus proſequimur opportunis. Sane pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Magdalenæ, Claræ; Domitillæ, et aliarum Sororum domus ſancti Hieronymi, Tertii Ordinis ſancti Franciſci &c. quæ Sorores de ſancto Georgio Florentin. appellantur, necnon Checchæ, Pieræ, et Claræ de Caſtiglione Aretino, dicti Ordinis, Aretin. diœceſ. nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipſæ zelo &c. accenſæ, in terra de Caſtiglione prædicto, ſeu ejus confinibus, quamdam dicti Ordinis domum, cum Eccleſia &c. officinis, ad uſum et habitationem ipſarum perpetuos, fundare &c. proponunt &c. Quare pro parte Magdalenæ, Claræ, Domitillæ, Checchæ, Pieræ, et Claræ, et aliarum Sororum prædictarum nobis fuit humiliter ſupplicatum &c.

§. II. Nos igitur &c. fraternitati &c. mandamus, quatenus de præmiſſis &c. informes, et ſi &c. eis domum, cum Eccleſia &c. officinis prædictis, pro earum uſu &c. ædificari faciendi, necnon eiſdem Sororibus domum prædictam intrandi &c. et admittendi, diœceſani &c. minime requiſita, plenam &c. licentiam largiaris, jure &c. ſalvo; Nos enim ejuſdem domus erigendæ Miniſtræ pro tempore exiſtenti, ut Confeſſor idoneus, quem duxerit eligendum, ipſius et cujuslibet aliarum Sororum confeſſionibus, quoties opportunum fuerit, diligenter auditis, pro commiſſis per eas, niſi talia fuerint, propter quæ Sedes Apoſtolica ſit merito conſulenda, debitam abſolutionem impendere &c. Euchariſtiæ et alia Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrare valeat &c. indulgemus. Volumus autem, quod Miniſtra erigendæ hujuſmodi domus per aliam ejuſdem ſancti Hieronymi de Florentia domorum Miniſtram eligi debeat, ac etiam ordinari.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCL. Nonis Decembris, anno IV.

LII.

Ut conſtruant domum in inſula de la Madera, *quæ comprehenſa cenſeatur in Vicaria Canariæ.* Ex lib. 2. de Regularibus &c. anno 4. fol. 112.

Dilectis filiis Vicario, & Fratribus inſularum diſperſarum Canariæ, Ordinis Fratrum Minorum.

§. I. DUm ad præclara &c. Cum itaque &c. inſula *de la Madera*, inſulis Canariæ propinqua, et in frumento et aliis ad humanam vitam

tam ſuſtentandam abundans fore dignoſcitur, vobis et aliis Fratribus dicti Ordinis, in prædictis inſulis Canariæ degentibus permaxime neceſſaria exiſtat, & propterea dictam inſulam *de la Madera* ſub veſtra Vicaria inſularum Canariæ hujuſmodi, juxta morem dicti Ordinis, eſſe, et in illa unam domum ſeu unum eremitorium, cum Eccleſia, campanili &c. ſub nomine et vocabulo, de quo vobis videbitur, fundare &c. deſideratis; pro parte veſtra Nobis fuit humiliter ſupplicatum &c.

§. II. Nos igitur &c. vobis quod dicta inſula *de la Madera* in prædicta Vicaria ſit et eſſe cenſeatur, voſque in illa &c. unam domum ſeu unum Eremitorium, cum Eccleſia &c. prædictis fundare &c. ac illam vel illud inhabitare, cujuſvis ſuper hoc licentia minime requiſita &c. valeatis; quodque domus ſeu Eremitorium fundanda ſeu fundandum hujuſmodi, ac Fratres in ea ſeu in eo pro tempore degentes, omnibus et ſingulis privilegiis &c. utuntur et gaudent, uti et gaudere &c. jure &c. ſalvo; ac vos et alii Fratres dicti Ordinis, quoties ad prædictas inſulas navigare volueritis, Confeſſorem, qui in ingreſſu navigii in omnibus, etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis, ſemel tantum, et in defectum Fratrum dicti Ordinis, qui ad audiendum confeſſiones idonei ſint, quemcumque alium Sacerdotem, qui in omnibus, per Sedem prædictam reſervatis, ac etiam, quos Vicarius dictæ Vicariæ pro tempore exiſtens, vel alii ſui inferiores reſervare voluerint, dumtaxat exceptis, necnon tu, fili Vicarie, eligere poſſitis Confeſſorem, qui, quoties fuerit opportunum, in omnibus etiam in illis caſibus, quibus tu, fili Vicarie, ſubditos tuos abſolvere potes, confeſſionibus veſtris diligenter auditis, pro commiſſis per vos exceſſibus, criminibus atque delictis debitam abſolutionem impendere et injungere pœnitentiam ſalutarem, ac tecum, fili Vicarie, etiam in illis, in quibus cum ſubditis tuis diſpenſare potes, diſpenſare valeat &c. indulgemus. Non obſtantibus &c. quibuſcumque. Nulli ergo &c. noſtræ voluntatis, conceſſionis et indulti infringere &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCL. IV. Idus Decembris, anno IV.

LIII.

Confirmatur erectio domus Sororum de Andujar in Monaſterium Ordinis ſanctæ Claræ. Ex lib. 1. de Regularibus &c. anno 4. fol. 62.

Venerabili fratri Epiſcopo Corduben.

§. I. INter univerſa opera Divinæ placita voluntati, ædificare Cœnobium, in quo prudentes Virgines, cupientes accenſis lampadibus obviam ire ſponſo, gratum et devotum exhibeant Domino famulatum, non minimum reputatur, cum in eo divinis laudibus glorificetur Altiſſimus, et per innocentis vitæ merita, gloria æternæ beatitudinis acquiratur. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Marinæ Lupi Abbatiſſæ, et nonnullarum aliarum Sororum Monaſterii ſanctæ Agnetis de Andujar, Ordinis ſanctæ Claræ, Giennen. diœceſ. petitio continebat, quod cum olim Marina et Sorores prædictæ in dicto Monaſterio, tunc domo Tertii Ordinis ſancti Franciſci, de Pœnitentia nuncupati, degentes, ob frugem melioris et arctioris vitæ, domum ipſam in Monaſterium dicti Ordinis ſanctæ Claræ erigi et inſtitui propoſuit, et de facto ſub ipſius Ordinis ſanctæ Claræ regula, cum Eccleſia, campanili &c. officinis auctoritate Ordinaria erexit, ac de perſona ejuſdem Marinæ, tunc dictum Ordinem ſanctæ Claræ expreſſe profeſsæ, eidem ſic erecto Monaſterio Epiſcopus providit,

ipſamque illi in Abbatiſſam præfecit, et ex tunc dicta Marina cum eiſdem Sororibus in prædicto Monaſterio ſub obſervantia hujuſmodi laudabiliter vixit, prout vivit de præſenti. Quare pro parte earumdem Marinæ et Sororum nobis fuit humiliter ſupplicatum &c.

§. II. Nos igitur &c. fraternitati &c. mandamus, quatenus ſi et poſtquam &c. conſtiterit, erectionem et inſtitutionem prædictas, auctoritate noſtra approbes et confirmes &c. eiſdem Abbatiſſæ et Sororibus quod dictum Monaſterium omnibus et ſingulis privilegiis &c. conceſſis &c. gaudere poſſint &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCL. Idibus Februarii, anno IV.

LIV.

Declarat Minoritas eſſe exemptos ab Ordinariorum juriſdictione, jubetque ne ab Eccleſiarum Prælatis moleſtentur. Reg. Vatic. lib. 29. Bullarum Nicolai, fol. 229.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

§. I. Etſi cunctorum fidelium, quorum, licet immeriti, ex ſupremi Pontificatus officio curam gerimus, ſtatui ſalubriter dirigendo noſtræ ſollicitudinis partes libenter adhibeamus, ad Ordinem tamen Fratrum Minorum eo ſpecialius noſtræ mentis oculos flectimus, quo ex illo fructus uberes in agro dominico continuo provenire conſpicimus, & ut omnium adverſantium ab eis ademptis anfractibus, cum pacis dulcedine, & quietis amœnitate ſub regulari habitu in mandatis Domini valeant libentius gloriari.

Petitionis tenor.

§. II. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilecti filii Angeli de Perufio Miniſtri Generalis, & Fratrum dicti Ordinis petitio continebat, quod licet Fratres, ipſorumque domus & loca per ſpeciale Sedis Apoſtolicæ privilegium, ab omni juriſdictione & ſuperioritate quorumcumque Ordinariorum ſint exempti pariter & immunes, & dumtaxat Romano Pontifici, ac Sedi Apoſtolicæ immediate ſubjecti exiſtant: nihilominus nonnulli Archiepiſcopi, Epiſcopi, eorumque Vicarii, ſive alii locorum Ordinarii in diverſis mundi partibus, & præſertim in Hiſpaniæ & Legionis regnis conſiſtentes, eoſdem Fratres moleſtare, perturbare, inquietare, capere, carcerare, ac de eorum domibus invitos expellere & detinere præſumunt, in grave ipſorum Archiepiſcoporum & Epiſcoporum, & aliorum Ordinariorum hujuſmodi animarum periculum, dictæ Sedis contemptum, ac Fratrum & Ordinis prædictorum damnum & præjudicium, ac ſcandalum plurimorum. Quare pro parte Miniſtri & Fratrum prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſuper hoc eis providere de opportuno remedio dignaremur.

Fratres a quibuſdam Prælatis vexantur.

Pontificia proviſio.

§. III. Nos igitur illo volentes eiſdem Miniſtro & Fratribus præſidio ſubvenire, per quod hujuſmodi perſonarum præſumptio retundatur, & eiſdem Archiepiſcopis, Epiſcopis, Officialibus, & aliis Ordinariis antedictis præcludatur aditus ſimilia committendi; hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica, præſenti irrefragabili conſtitutione ſtatuimus & mandamus, quod nulla perſona, cujuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus vel conditionis exiſtat, de cetero eoſdem Fratres moleſtare, pertur-

turbare, capere, carcerare, vel de eorum domibus antedictis invitos expellere quoquomodo præsumat.

Pœnæ contra inobedientes

§. IV. Quod si forsan quisque contra hanc nostram constitutionem temere venire præsumpserit, & ab ipsis Fratribus monitus a præmissis resipiscere quoquomodo contempserit, excommunicationis pœnam ipso facto incurrat.

Dem... Generali M... stro ... tiam correctio.

§. V. Et nihilominus ne eisdem Fratribus delinquendi tacite concedi videatur impunitas, aut occasio malignandi, Ministro Generali dicti Ordinis pro tempore existenti concedimus, quod omnes & singulos Fratres sive in Monasteriis Monialium, sive in aliis domibus, Conventibus, Eremitoriis & locis dicti Ordinis commorantes, etiam ab obedientia, visitatione, correctione dicti Ministri, per specialia Sedis Apostolicæ indulta se exemptos esse, præter regulæ & statutorum dicti Ordinis formam, prætendentes, non obstantibus quibuscumque privilegiis, exemptionibus, indultis & litteris Apostolicis prædictis, & Eremitoriis, eis eorumque Monasteriis sive domibus, Conventibus, locis prædictis, & Eremitoriis per nos, vel Sedem Apostolicam in genere vel in specie concessis, de quibus in nostris litteris habenda esset mentio specialis, juxta constitutiones & regularia Instituta antiqua dicti Ordinis, corrigere, visitare, punire & emendare, ac in gravioribus criminibus, si res ipsa exegerit, cum moderamine tamen, torturæ subjicere possit & valeat, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, licentiam concedimus ac pariter facultatem. Constitutionibus Apostolicis, & dicti Ordinis juramento, confirmatione Apostolica, vel quacumque firmitate alia roboratis, ceterisque contrariis quibuscumque non obstantibus &c. Nulli ergo &c. Si quis &c.

Datum Romæ apud sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCL. XVII. Kalendas Februarii, Pontificatus nostri anno IV.

LV.

Confirmat eis Eremitorium sancti Mametis. Ibid. lib. 2. de Regularib. & præbendis vacantibus fol. 116.

Dilectis filiis Ludovico de Saja Cæstodi, & Fortunio de Abundo Vicario Ordinis Fratrum Minorum, de Observantia nuncupatorum, in Provincia Castellæ secundum morem dicti Ordinis, ac aliis Fratribus professoribus ejusdem Ordinis in Eremitorio, sub vocabulo sancti Mametis etiam de Abundo prope Turrim Calaguritan. diœcesis commorantibus, salutem &c.

§. I. DUdum siquidem pro parte vestra fel. record. Eugenio Papæ IV. prædecessori nostro exposito, quod olim dilecti filii Didacus Lupi de Amicibay & Joannes Sancy, & nonnulli alii laici, Calaguritan. diœcesis, veri patroni cujusdam Eremitorii, sub vocabulo sancti Mametis de Abundo, prope Turrim de Basurto, dictæ diœcesis consistentis, tibi Ludovico pro te, & aliorum Fratrum de Observantia Ordinis Fratrum Minorum, tunc præsentium & futurorum usu & habitatione, cum certo fundo, & aliis suis juribus & pertinentiis, ad eosdem patronos spectante, devotionis & pietatis intuitu concorditer & unanimiter concesserant pariter & donaverant, quarum concessionis & donationis vigore dicti Fratres de Observantia Eremitorium prædictum, de tui Ludovici mandato ex tunc inhabitaverant, prout nunc inhabitant, ibique sedulum & devotum exhibent Altissimo famulatum: ac etiam pro parte tui Ludovici & Fratrum prædictorum eidem prædecessori supplicato, ut concessionem & donationem hujus-

Eremitorium S. Mametis donatum Fratribus.

Confirmatio petitur ab Apostolica Sede.

modi approbare & confirmare, tibique Ludovico & eiſdem Fratribus tunc præſentibus & futuris, ut hujuſmodi Eremitorium perpetuo tenere & inhabitare, illudque neceſſariis & opportunis & aliis conſuetis officinis reficere & ampliare, quodque vobis, ut omnibus & ſingulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus & libertatibus, quibus alii Ordinis & Obſervantiæ prædictorum Fratres utuntur & gaudent, uti & gaudere valeatis, de benignitate Apoſtolica concedere dignaretur; idem prædeceſſor de præmiſſis certam notitiam non habens, hujuſmodi ſupplicationibus inclinatus, dilecto filio Priori Prioratus ſanctæ Catarinæ de Cormaris, Burgen. diœceſis, ejus proprio nomine non expreſſo, ſuis litteris inter alia dedit in mandatis, ut ſi, & poſtquam de donatione & conceſſione hujuſmodi ſibi legitime conſtaret, illas, dummodo in alicujus injuriam vel detrimentum non cederent, ſuper quo conſcientiam ſuam oneravit, approbaret & confirmaret, & tibi Ludovico ipſiſque Fratribus Eremitorium prædictum, ad eorum & aliorum Fratrum prædictorum uſum pro tempore recipiendi, & illud inhabitandi, necnon Altiſſimo perpetuo famulandi, illudque in officinis hujuſmodi reficiendi & ampliandi plenam & liberam, eadem auctoritate concederet licentiam, prout in eiſdem litteris plenius continetur.

Commiſſio Priori S. Catarinæ demandatur ab Eugenio Pontifice.

§. II. Poſtmodum vero, ſicut exhibita nobis nuper pro parte veſtra petitio continebat, dilectus filius Joannes de Cerezeda, Prior dicti Prioratus ad executionem dictarum litterarum procedens, illarum prætextu, quia prædicta veritate fulciri, illaque in alicujus injuriam ſeu præjudicium minime redundare legitime conſtitit, conceſſionem & donationem prædictas approbavit pariter & confirmavit, vobis Ludovico & Fratribus antedictis, prædictum Eremitorium, ut ſuperius expreſſum eſt, recipiendi, & illud inhabitandi, illudque reficiendi, & officinis hujuſmodi ampliandi; ita etiam quod privilegiis, gratiis, indultis, immunitatibus hujuſmodi gaudere deberetis, plenam & liberam, dicta auctoritate licentiam conceſſit.

Qui gratiam largitur.

§. III. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, vos pro eo quod dictus Joannes Prior ulterius, poſtquam prædictus prædeceſſor rebus fuerat humanis exemptus, ad ipſarum litterarum exequutionem hujuſmodi proceſſit, dubitetis, approbationem, confirmationem & conceſſionem prædictas viribus non ſubſiſtere; Nos qui perſonarum religioſarum quarumlibet, illarum præſertim, quæ mundanis abjectis illecebris, ſub regulari Obſervantia ſedulum impendunt Altiſſimo famulatum, ſtatum tranquillum & quietum, ſtudiis quærimus indefeſſis, ne propterea ſuper præmiſſis vos contingat in poſterum moleſtari, veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, volumus, & Apoſtolica vobis auctoritate concedimus, quod confirmatio, approbatio, conceſſio prædictæ, & quæcumque inde ſecuta a data præſentium valeant, plenamque roboris firmitatem obtineant in omnibus & per omnia, perinde, ac ſi prædictæ litteræ prædicto prædeceſſore adhuc in eiſdem humanis agente, prout ſuperius enarrantur, exequutioni demandatæ extitiſſent. Non obſtantibus præmiſſis, & conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo &c.

Et Nicolaus confirmat.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCL. XIV. Kalendas Februarii, Pontificatus noſtri anno IV.

LVI.

Ut concedat facultatem conſtruendi Cœnobium prope oppidum de Cornago. Ibid. lib. 1. de exhibitis, & dignitatib. vacantib. fol. 41.

Dilecto filio Priori Monaſterii beatæ Mariæ de Majera per Priorem ſoliti gubernari, Calagurritan. diœceſis.

§. I. ETſi deſideriis cunctorum Chriſtifidelium juſta petentium annuere debeamus, ex injuncto tamen nobis deſuper officio nos convenit illorum pia vota favore proſequi opportuno, quæ ex ſinceræ devotionis fervore prodeunt, ac propagationem ſacræ Religionis, ſub qua dilecti filii Fratres Ordinis Fratrum Minorum profeſſores in domo Domini militantes, ubi degunt, fideles populos ad ſalutis gratiam provocant, ſibi ipſis proficientes per vitæ meritum, & aliis per exemplum, reſpicere dignoſcuntur. Hodie ſiquidem pro parte dilecti filii Joannis de Luna, Domini oppidi ſeu Villæ de Cornago, Calaguritan. diœceſis nobis expoſito, quod olim dilecti filii Abbas & Conventus Monaſterii de Fatero, Ciſtercien. Ordinis, Tiraſonen. diœceſis, conſiderantes, quod calamitatibus & turbinibus guerrarum, quæ proh dolor! a multis annis citra inter cariſſimos in Chriſto filios noſtros Caſtellæ & Legionis ac Navarræ Reges illuſtres viguerant, & adhuc non ceſſabant, cauſantibus, quædam Eremita ſeu Eccleſia ſanctæ Mariæ de Gratia, olim ejuſdem Sanctæ *de Campo lapuente* nuncupata, extra & prope muros dicti oppidi ſeu Villæ conſiſtens, ac nonnullæ poſſeſſiones eidem Eremitæ ſeu Eccleſiæ propinquæ, & ad dictum Monaſterium pertinentes ipſi Monaſterio inutiles & infructuoſæ erant, dictam Eremitam ſeu Eccleſiam cum poſſeſſionibus præfatis eidem Eccleſiæ, pro certa tunc expreſſa pecuniarum ſumma vendiderant, & ſummam hujuſmodi in utilitatem & neceſſitates dicti Monaſterii converterant: quodque ipſe Joannes ob ſingularem & præcipuam, quam ad ſanctum Franciſcum gerebat devotionem, Eremitam ſeu Eccleſiam, ac poſſeſſiones hujuſmodi, animo & intentione inibi unam domum Fratrum Minorum de Obſervantia fundandi & erigendi emerat, venditionem & emptionem prædictas pro eorum ſubſiſtentia firmiori, Apoſtolico munimine roborari deſiderabat. Nos tibi aliis noſtris litteris dedimus in mandatis, quatenus ſi, & poſtquam vocatis Abbate & Conventu prædictis, necnon aliis qui forent evocandi, tibi de præmiſſis legitime conſtaret, venditionem & emptionem prædictas, ac prout illas contingebant, & rationabiliter proceſſerant, & quæcumque inde ſecuta approbares & confirmares, ſuppleresque omnes defectus, ſi qui forſan interveniſſent in eiſdem, prout in dictis litteris plenius continetur.

Quoddam Eremitorium a Ciſtercienſibus alienatum donatur Fratribus.

§. II. Cum autem, ſicut exhibita nobis nuper pro parte dicti Joannis petitio continebat, ipſe Joannes ex devotione prædicta Eremitam ſeu Eccleſiam hujuſmodi, in qua ad præſens decem Fratres ejuſdem Ordinis regularis Obſervantiæ Altiſſimo famulantes reſident, in domum Fratrum Ordinis & Obſervantiæ prædictorum cum clauſtro, campana, ac aliis pro uſu & habitatione dictorum Fratrum, juxta eorum regularem Obſervantiam & conſuetudinem, de bonis ſibi a Deo collatis fundare & conſtruere, ſeu fundari & conſtrui facere intendat, ſi ei per nos deſuper licentia concedatur: Pro parte ejuſdem Joannis aſſerentis, quod ad hoc Ordinarius loci ſuum præſtitit aſſenſum, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ei ſuper præmiſſis licentiam impertiri, & alias deſuper opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Quod in Cœnobium convertitur.

§. III.

§. III. Nos igitur dicti Joannis laudabile in præmiſſis propoſitum multipliciter in Domino commendantes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſi, & poſtquam dictarum litterarum vigore approbationem, confirmationem & ſuppletionem prædictas feceris, & vocatis dicto Ordinario, nec non aliis qui fuerint evocandi, de aſſenſu & aliis præmiſſis tibi legitime conſtiterit, eoſdem Fratres, ſi id a te humiliter petierint, ab excommunicationis ſententia, quam præmiſſorum occaſione incurrerint, hac vice dumtaxat in forma Eccleſiæ conſueta, injunctis inde ſibi pro modo culpæ pœnitentia ſalutari, & aliis quæ de jure fuerint injungenda, abſolvendi, ac prædicto Joanni domum ipſam cum clauſtro, campana, & aliis officinis prædictis conſtrui & ædificari faciendi, dictiſque Fratribus domum ipſam recipiendi & inhabitandi, parochialis Eccleſiæ, & quolibet alieno jure in omnibus ſemper ſalvo, ſel. record. Bonifacii prædeceſſoris noſtri &c. & quibuſvis aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis contrariis nequaquam obſtantibus, plenam & liberam auctoritate noſtra licentiam largiaris &c.

Cum Apoſtolicæ Sedis indulto.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCL. VIII. Kalendas Februarii, Pontificatus noſtri anno IV.

LVII.

Confirmat Obſervantibus provinciæ Caſtellæ omnia quæ acquiſierant domicilia. Ibid. lib. 2. de Regularib. & præbend. vacant. fol. 4.

Ad futuram rei memoriam.

§. I. Urget nos ſuſcepti cura regiminis, quo univerſis orbis Eccleſiis & Ordinibus, diſponente Domino præſidemus, ut pro ſtatu perſonarum quarumlibet, ſub ſacræ religionis jugo ſtudio piæ vitæ vacantium, paternæ conſiderationis acie ſolicite cogitantes, illarum, quibus hujuſmodi Obſervantiæ cultus turbari poſſet, occurramus diſpendiis, ſicque ipſarum occurramus profectibus, ut ab eis quarumvis adverſitatum ademptis anfractibus, nullum internæ pacis patiantur excidium, nullumque ſuæ Religionis perferant detrimentum, ſed eo devotius hujuſmodi inſiſtant cultui, vacentque contemplationi cœleſtium, quo quietior liberiorque fuerit ſtatus earumdem.

Præfatio.

§. II. Sane cum, ſicut accepimus, domus & loca religioſa plurima Ordinis Fratrum Minorum in provincia Caſtellæ, ſecundum morem dicti Ordinis, conſiſtentia, ad debitam juxta primæva ipſius Ordinis Inſtituta, regularem Obſervantiam reformata ſint atque reducta, quædam etiam ſub hujuſmodi Obſervantia ſint noviter fundata & erecta, ac in illis integer ejuſdem Obſervantiæ cultus adeo efflореat, ut exinde fructus exuberent omnis ſanctimoniæ & honeſtatis, ac converſationis Deo placitæ & vitæ exemplaris: Et ſicut devotorum quorumdam, qui Fratrum in domibus & locis prædictis degentium vitam piam ſinceris amplectuntur caritatis affectibus, nobis oblata petitionis ſeries continebat, ipſi veriſimiliter timeant ne Fratribus in domibus noviter fundatis & erectis hujuſmodi degentibus, occaſione fundationis & erectionis eorumdem, turbationis moveatur materia, ac tam in illis, quam in aliis ad hujuſmodi Obſervantiam reductis domibus & locis Fratres pro tempore commorantes, per ſuorum, quos in ſuis domibus & locis pro tempore elegerint, præſidentium ſive ſuperiorum deſtitutiones, ac Fratrum eorumdem ad alia loca translationes, vel domorum & locorum hujuſmodi ad laxiorem Obſervantiam mutationes, per dicti Ordinis Provinciales Miniſtros, aut alios ſuperiores faciendas, ab hujuſmodi

Devotorum quorumdam petitio.

Ob-

Obſervantia retrahi, ac in eiſdem domibus & locis ipſa Obſervantia ſupprimi & conculcari poſſit tempore ſuccedente. Pro parte devotorum eorumdem nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut providere ſuper his opportune de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III. Nos igitur, qui integritati Obſervantiæ hujuſmodi, dictorumque Fratrum ſtatui, & tranquillitatis et quietis dulcedini conſervandis, prout incumbentis nobis ſollicitudinis cura depoſcit, libenter intendimus, hujuſmodi in hac parte ſupplicationibus inclinati, fundationes & erectiones prædictas, quæ ex diœceſanorum locorum permiſſione congruis in locis, et ab aliis domibus & locis Mendicantium ſub debita diſtantia ſitæ ſunt, Pontifex annuit. necnon omnia circa domorum et locorum aliorum prædictorum ad prædictam Obſervantiam reductorum reformationem provide geſta, rata & grata, eorumdemque tam noviter erectorum, quam aliarum domorum et locorum nomina et deſignationes præſentibus pro expreſſis habentes, fundationes et erectiones et geſta hujuſmodi ac omnia inde ſecuta, pro illorum ſubſiſtentia firmiori auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium confirmamus et etiam approbamus, ſupplentes omnes defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem.

§. IV. Et nihilominus volumus, et auctoritate prædicta earumdem præſentium ſerie ſtatuimus et decernimus, quod perpetuis futuris temporibus Guardiani, et alii dictis domibus et locis noviter erectis, et aliis ad hujuſmodi Obſervantiam reductis præſidentes, per Fratres in eiſdem domibus et locis degentes pro tempore electi, abſque ipſorum, qui eos elegerunt ſeu Fratrum domorum et locorum eorumdem conſenſu, a ſuis officiis per quemquam ex provincialibus dictæ provinciæ Miniſtris, ſeu aliis dicti Ordinis Superioribus amoveri: Quodque etiam Fratres in eiſdem domibus & locis ſub hujuſmodi Obſervantia degentes, ad alia loca per eoſdem Miniſtros ſeu alios Superiores inviti transferri, hujuſmodi quoque Obſervantiæ vigor in eiſdem domibus & locis laxari, ſeu ipſa domus et loca aliis dicti Ordinis Fratribus, non ſub hujuſmodi Obſervantia viventibus, aſſignari, aut ipſi in illis poni ſeu locari, ſeu ipſis ſub hujuſmodi Obſervantia viventibus adjungi, per quemquam ex Miniſtris et Superioribus antedictis, quibus etiam, ne quicquam eorum attentare præſumant, diſtrictius inhibemus, quavis auctoritate minime debeant ſive poſſint, ſub excommunicationis pœna, quam ſecus facientes incurrant eo ipſo, & a qua præterquam in mortis articulo conſtituti, ab alio, quam Romano Pontifice, abſolutionis beneficium nequeant obtinere. Non obſtantibus conſtitutionibus et ordinationibus Apoſtolicis &c. quibuſcumque. Nulli ergo &c. noſtrorum confirmationis, approbationis, ſuppletionis, voluntatis, decreti et ſtatuti infringere; ſi quis &c. Regulæ quædam præſcribuntur.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCL. Idibus Februarii, Pontificatus noſtri anno IV.

Anno Christi 1451. Nicolai V. anno 5.

LVIII.

Ut det facultatem conſtruendi cœnobium prope oppidum Coræ. Ibid. fol. 35. bullarum ſecretarum fol. 24.

Dilecto filio Archipresbytero Eccleſiæ beatæ Mariæ de Plebe, Terræ Coræ, Oſtienſis diœceſis.

§. I. Pia Deo & Eccleſiæ deſideria, ex quibus ſacra religio propagatur, ac cum animarum ſalute divinus cultus ſuſcipit augmentum, libenter Apoſtolico favore proſequimur, et, ut ad optatum perducantur effectum, partes noſtræ ſollicitudinis interponimus. §. II.

§. II. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum univerſitatis et hominum Terræ Coræ, Oſtienſis diœceſis, petitio continebat, quod juxta Terram prædictam eſt quædam campeſtris Eccleſia ſub vocabulo ſanctæ Margaritæ fundata, in qua nonnullæ Moniales Ordinis ſancti Auguſtini commorari conſueverunt, et quæ ruinæ ſubjacet, ac in ea nulla Monialis commoratur, nec divina celebrantur officia, ubi unam domum pro uſu et habitatione Fratrum Minorum de Obſervantia erigere et fundare ferventer exoptant.

§. III. Sed quia a nonnullis aſſeritur, de ipſa Eccleſia dilecto filio Petrucio Ludovici, qui ſe gerit pro clerico Velletrenſi, auctoritate Apoſtolica fuiſſe proviſum, ipſi Univerſitas et homines eorum deſiderium adimplere non poſſunt, niſi eis ſuper hoc Apoſtolicæ Sedis patrocinium ſuffragetur. Quare pro parte dictorum univerſitatis et hominum aſſerentium, quod fructus, reditus et proventus ipſius Eccleſiæ octo ducatos auri de Camera, ſecundum communem æſtimationem, valorem annuum non excedunt, et quod ſi proviſio eidem Petrucio, ut præfertur, facta, effectum ſortiretur, prædicta Eccleſia magna quotidie detrimenta ſuſtineret, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis in loco, ubi dicta Eccleſia conſiſtit, unam domum, pro uſu et habitatione Fratrum Minorum de Obſervantia hujuſmodi erigendi, conſtruendi et ædificandi, ſeu erigi et ædificari faciendi, necnon poſſeſſiones et bona dictæ Eccleſiæ recipiendi, locandi & fructificandi, licentiam concedere, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. IV. Nos igitur, qui divinum cultum ubique vigere et augeri noſtris potiſſime temporibus deſideramus, de præmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus poſtquam vocatis Petrucio prædicto & aliis qui fuerint evocandi, tibi de præmiſſis omnibus et ſingulis legitime conſtiterit, Univerſitati et hominibus prædictis in eadem Eccleſia unam domum, pro uſu et habitatione Fratrum Minorum hujuſmodi, cum omnibus neceſſariis officinis erigendi, conſtruendi et ædificandi, ſeu erigi, conſtrui et edificari faciendi, necnon poſſeſſiones et loca prædicta capiendi, locandi, illorumque fructus, reditus et proventus in fabricam et utilitatem dictæ erigendæ domus, et Fratrum in ea pro tempore commorantium, convertendi, aliaque in præmiſſis neceſſaria et opportuna faciendi et diſponendi plenam et liberam licentiam auctoritate noſtra concedas. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. &c. et aliis Apoſtolicis conſtitutionibus contrariis quibuſcumque: jure tamen parochialis Eccleſiæ, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLI. XII. Kalend. Maii, Pontificatus noſtri anno V.

LIX.

Ut concedat licentiam Sororibus Tertii Ordinis domum ædificandi in civitate Parmenſi. Ibid. lib. 1. de regularib. & præbend. vacantibus fol. 115.

Dilecto filio Abbati Monaſterii ſancti Baſilii de Cavana, Parmen. diœceſis ſalutem &c.

Vide Conſt. 16. hujus Pontificis.

§. I. Humilibus &c. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Sororum, in nonnullis domibus in civitate Parmen. in contrata ſancti Proſperi, ſub regula Tertii Ordinis ſancti Franciſci degentium, petitio continebat, quod quondam Gaſpar de Caſtagne-

gneto civis Parmen. condens de bonis a Deo ſibi collatis in ejus ultima voluntate teſtamentum, Sororibus Tertii Ordinis ſancti Franciſci quaſdam domos juxta ſuos confines, ſub hujuſmodi regula viventibus, ad hoc ut Monaſterium ſive Oratorium pro earum uſu & habitatione conſtituerent, & inibi perpetuo habitarent, pie reliquit, ac voluit domos prædictas alienari, permutari, aut quavis ratione vel occaſione in alium uſum transferri non poſſe, ſed perpetuis futuris temporibus pro uſu et habitatione dictarum Sororum eſſe, et caſu quo voluntati hujuſmodi contrafactum eſſet, in hujuſmodi eventu domos ipſas Præceptoriæ domus ſancti Antonii Parmen. Ordinis ſancti Auguſtini legavit, prout in quodam inſtrumento publico deſuper confecto dicitur plenius contineri.

§. II. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, prædictæ Sorores in eiſdem domibus degentes, domos prædictas vigore dicti inſtrumenti acceptaverint, et in eis ſub regula hujuſmodi ac paupertate, obedientia, ac caſtitate in congregatione vixerint, ac benedicente Dominio in eo adeo multiplicaverint, quod in eiſdem domibus quæ horto, clauſtro & aliis neceſſariis officinis carent, commode commorari aut vivere non poſſint, cupiantque in alio loco ad hoc congruo et idoneo, unam domum ſub vocabulo beatæ Mariæ de Gratia pro earum uſu et habitatione conſtruere ſeu conſtrui et ædificari facere, dummodo eis prædictas domos vendendi licentia concedatur; et nonnullæ aliæ domus in dicta civitate conſiſtentes, per quondam Chriſtophorum Valerio civem Parmenſem, pro habitatione decem pauperum Chriſti pie relictæ, ſibi per Sedem Apoſtolicam concedantur. Quare pro parte dictarum Sororum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis relictas, in quibus quædam perpetua Eccleſia ſive capella benedicta, non tamen conſecrata exiſtit, & in qua octo ex dictis Sororibus ſepultæ ſunt, vendendi & alienandi, & pro uſu pauperum dimiſſas domos hujuſmodi ſibi concedere et aſſignare, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III. Nos itaque de præmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſi, & poſtquam vocatis qui fuerint evocandi, tibi de præmiſſis poſt diligentem examinationem factam, ita eſſe conſtiterit, prædictis Sororibus pauperibus domos prædictas cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis pro earum uſu & habitatione, loco pauperum prædictorum, de conſenſu tamen hæredum dicti Chriſtophori, ac alias eis relictas domos vendendi & alienandi, ac ſuper aliis domibus prædictis unam domum cum Oratorio & aliis neceſſariis officinis fundandi, conſtruendi & ædificandi, ſeu conſtrui & ædificari faciendi, necnon ad illam cum omnibus ſuis bonis mobilibus, & eis tam per dictum Gaſparem, quam alias pie erogatis, transferendi plenam & liberam licentiam auctoritate noſtra concedas. Proviſo quod ipſa capella ad profanos uſus minime reducatur.

§. IV. Nos enim ſi conceſſionem hujuſmodi per te, vigore præſentium fieri contigerit, ut præfertur, prædictis Sororibus in ipſa domo de novo erigenda pro tempore commoraturis, ut omnibus et ſingulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, favoribus, gratiis et indultis, quibus aliæ domus ejuſdem Tertii Ordinis et Sorores in eis degentes in genere gaudent et utuntur, uti valeant et gaudere, auctoritate noſtra prædicta indulgemus. Non obſtantibus conſtitutionibus et ordinationibus Apoſtolicis &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLI. VI. Idus Junii, Pontificatus noſtri anno V.

L X.

Ut regulariter poſſint cohabitare conceditur. Ibid. lib. 32. bullarum. fol. 266.

Dilectis in Chriſto filiabus Palotiæ de Perleonibus, & aliis Sororibus præſentibus & futuris domus Tranſtyberim de Urbe, Ordinis ſancti Franciſci.

§. I. Paſtoris æterni, cujus vices licet immeriti gerimus in terris, doctrinis inſtruimur, ejuſque ſalutaribus monitis edocemur, ut univerſis vigilantiæ noſtræ creditis, præſertim religioſis, & fragilis ſexus fœminei perſonis talia favorabiliter concedamus, per quæ in præſenti vita divinis intentæ obſequiis puris mentibus Altiſſimo valeant impendere famulatum, & ad æternæ beatitudinis præmia pervenire.

§. II. Sane pro parte veſtra nobis exhibita petitio continebat, quod olim nonnullæ religioſæ mulieres, tertium Ordinem ſancti Franciſci, de Pœnitentia nuncupatum, expreſſe profeſſæ, ut quietius impendere poſſent Chriſto Jeſu, filio Virginis gratum & ſedulum famulatum, in regione Tranſtyberim de Urbe quamdam domum reædificarunt, in qua ſimul in communi viventes caſtitatem & obedientiam ſervaverunt. Poſtmodum vero ſel. record. Eugenius Papa IV. prædeceſſor noſter, & ſucceſſive nos, qui eodem prædeceſſore, ſicut Domino placuit, rebus humanis exempto, fuimus, divina favente clementia, ad apicem ſummi Apoſtolatus aſſumpti, provide attendentes earumdem ac veſtram in hujuſmodi communione perſeverantiam, quodque benedicente Domino, & numero & virtutibus multiplicaveritis in dies, vobis ut inſimul in communi vivere abſque remorſu conſcientiæ poſſetis, vivæ vocis oraculo ſucceſſive conceſſimus.

§. III. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, veſtra hujuſmodi communis habitatio ad animarum veſtrarum ſalutem & animi quietem cedere dignoſcatur: pro parte veſtra nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut vobis atque ſtatui & quieti veſtris ſuper iis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque volentes vos in hujuſmodi propoſito confovere, vobis omnibus & ſingulis Ordinem ipſum expreſſe profeſſis, & in eadem domo commorantibus, ut unam ex ipſa congregatione vitæ laudabilis & honeſtæ, quæ vobis præſit, eligere, & loco illius cum vobis opportunum videbitur, aliam ejus loco ſubſtituere, cui parere & intendere debeatis, & in illius, quæ pro tempore erit, manibus caſtitatem & obedientiam, necnon in communi vivere, & pro indiviſo profiteri debeatis: quodque alias quaſcumque dictum Ordinem profiteri, & vobiſcum una cohabitare volentes recipere, & admittere ad ſupradictam profeſſionem libere valeatis; necnon, quoties vobis fuerit opportunum, Fratribus Minoribus ſub regulari Obſervantia viventibus vos & quæ pro temqore erunt dictæ domus Sorores, peccata veſtra confiteri, & ab eis ſingulis quindenis Sacramentum Euchariſtiæ recipere, necnon divina officia & omnia Eccleſiaſtica Sacramenta, quoties fuerit opportunum, ſimiliter recipere ab eiſdem omni tempore valeatis, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus. Et nihilominus vobis præſentibus & futuris ut omnibus & ſingulis immunitatibus, privilegiis, gratiis & favoribus, dilectis in Chriſto filiabus Florentinæ, Peruſinæ & Viterbien. domorum Sororibus dicti Ordinis in congregatione viventibus, per nos & Sedem Apoſtolicam conceſſis, in omnibus & per omnia uti & gaudere valeatis, eadem auctoritate Apoſto-

ſtolica concedimus per præſentes. Non obſtantibus Extravaganti ſel. record. Joannis Papæ XXII. etiam prædeceſſoris noſtri, qua cavetur, ne Sorores dicti Ordinis in congregatione maneant; ac aliis conſtitutionibus & ordinationibus, necnon ſtatutis & conſuetudinibus dicti Ordinis, juramento vel quavis firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo &c. ſi quis &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLI. VI. Idus Junii, Pontificatus noſtri anno V.

LXI.

Ut det licentiam ædificandi domum pro Obſervantibus in terra Angloni.
Ibid. lib. 2. de diverſis formis fol. 69.

Dilecto filio Abbati Monaſterii ſanctæ Mariæ de Anglono, Treventin. diœceſis &c.

§. I. Sinceræ devotionis affectus, quem dilecti filii Univerſitas & homines Terræ Angloni, Treventin. diœceſis, ad nos & Romanam Eccleſiam gerere dignoſcuntur, non indigne meretur, ut eorum votis, illis præſertim, quæ divini cultus augmentum & Religionis propagationem reſpiciunt, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus.

§. II. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte Univerſitatis & hominum prædictorum petitio continebat, quod ipſi ob ſingularem devotionis affectum, quem ad Ordinem Fratrum Minorum de Obſervantia habere noſcuntur, pro Religionis eorumdem Fratrum augmento unam domum cum Eccleſia & aliis neceſſariis officinis, pro prædictorum Fratrum uſu & habitatione perpetuis, de ſuis propriis bonis ædificari facere proponunt, ſi ad id eis Apoſtolicæ Sedis ſuffragetur auctoritas. Quare pro parte univerſitatis & hominum prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſibi in quocumque loco dictæ terræ ad hoc apto, quem duxerint eligendum, domum unam cum Eccleſia ſub vocabulo ſancti Bernardini Confeſſoris conſtruere ſeu ædificari facere, ac Fratribus dicti Ordinis ſub regulari Obſervantia viventibus, & divinis officiis inſiſtere volentibus, illam concedendi & aſſignandi, necnon illam & cœmeterium, poſtquam conſtructa fuerint, per quemcumque Catholicum, quem maluerint Antiſtitem, conſecrari & benedici facere libere & licite valeant; ipſique Antiſtiti Eccleſiam & cœmeterium hujuſmodi conſecrandi & benedicendi, Ordinarii loci, & cujuſcumque alterius ſuper hoc licentia minime requiſita, licentiam concedere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III. Nos itaque, qui divini cultus augmentum noſtris potiſſime temporibus, & Religionis propagationem tota mente appetimus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſi eſt ita, eiſdem univerſitati & hominibus, dummodo locus ipſe congruus & honeſtus exiſtat, domum cum Eccleſia, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis in eadem terra, pro Fratrum prædictorum uſu & habitatione perpetuis, de novo conſtrui & ædificari faciendi, illamque, poſtquam conſtructa fuerit, eiſdem Fratribus concedendi & aſſignandi, ipſiſque Fratribus illam recipiendi, ac in ea perpetuo remanendi, diœceſani loci, & cujuſcumque alterius ſuper hoc licentia minime requiſita, auctoritate noſtra licentiam largiaris: non obſtante ſel. record. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri prohibente, ne Fratres Ordinum Mendicantium in aliqua Civitate, Caſtro vel villa

ſeu loco alio ad inhabitandum domos vel loca quæcumque de novo recipere præſumant, abſque Sedis Apoſtolicæ ſpeciali licentia, faciente plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de inhibitione hujuſmodi mentionem, & aliis conſtitutionibus Apoſtolicis contrariis non obſtantibus quibuſcumque. Et inſuper præfati Ordinis Fratribus in eadem domo pro tempore commorantibus, quod Eccleſiam & cœmeterium hujuſmodi a quocumque Catholico Antiſtite abſque contradictione aliqua conſecrari facere valeant, eadem auctoritate noſtra concedas: jure tamen parochialis Eccleſiæ & cujuslibet alterius alias in omnibus ſemper ſalvo.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLI. V. Nonas Julii, Pontificatus noſtri anno V.

LXII.

Ut permittat ædificari domum Sororum Tertii Ordinis in urbe Licienſi. Ibid. lib. 1. de diverſis, de benef. vacantib. de præbend. & dignitatib. & de Regularib. fol. 18.

Venerabili fratri Epiſcopo Licienſi &c.

§. I. Pia vota fidelium, illa præſertim, quæ ipſorum animarum ſalutem ac perſonarum ſtudio piæ vitæ deditarum, cum divini cultus augmento commodum & utilitatem reſpicere dignoſcuntur, Apoſtolico favore proſequimur, & eis gratioſum & benevolum impertimur aſſenſum.

§. II. Cum itaque, ſicut exhibita nobis nuper pro parte dilectæ in Chriſto filiæ Andiſæ de Pactis, viduæ Licienſis, petitio continebat, ipſa vidua zelo devotionis accenſa, ac cupiens terrena in cœleſtia, & tranſitoria in æterna felici commercio commutare, pro ſua & ſuorum progenitorum animarum ſalute, de bonis ſibi a Deo collatis, ad Dei laudem & gloriam, ac dicti cultus augmentum, quamdam domum ſitam in civitate Licienſi ad eam legitime pertinentem, in domum Sororum Tertii Ordinis ſancti Franciſci de Pœnitentia nuncupati, cum capella ſeu Oratorio & altari, pro Miſſis, & aliis divinis officiis inibi celebrandis, ſub vocabulo dicti Sancti, pro aliquarum Sororum ejuſdem Ordinis ſub illius Obſervantia degentium uſu & habitatione perpetuis erigere, inſtituere, fundare ſeu conſtruere deſideret. Pro parte ejuſdem Andiſæ nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſibi faciendi præmiſſa licentiam concedere, & alias ſuper his opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III. Nos igitur hujuſmodi ſuum pium & laudabile propoſitum in Domino plurimum commendantes, fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſi eſt ita, præfatæ Andiſæ domum prædictam in domum Sororum prædicti Ordinis cum capella, oratorio ſeu altari, ut præmittitur, erigendi, inſtituendi, fundandi & conſtruendi, ac ſibi ac aliis Sororibus prædicti Ordinis illam perpetuo inhabitandi, cujuſcumque deſuper licentia minime requiſita, ac jure parochialis Eccleſiæ & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo, auctoritate noſtra licentiam largiaris; quodque domus ipſa, ſi illam, ut præfertur, erigi, inſtitui, fundari, conſtrui contigerit, ac Sorores in ea pro tempore degentes, omnibus & ſingulis privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, gratiis & indultis, aliis domibus & Sororibus dicti Tertii Ordinis per nos vel Sedem Apoſtolicam in genere quomodolibet conceſſis, uti poſſint pariter & gaudere, dicta auctoritate concedas. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon juramento, confirmatione Apoſtolica vel qua-

quavis firmitate alia roboratis dicti Ordinis ſtatutis & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLI. III. Idus Julii, Pontificatus noſtri anno V.

LXIII.

Ut concedat licentiam conſtruendi Cœnobium pro Obſervantibus prope Villam de Navarrete. Ibid. fol. 79.

Dilecto filio Priori Monaſterii beatæ Mariæ de Najera per Priorem ſoliti gubernari, Calaguritan. diœceſis.

§. I. Piis fidelium votis gratum præſtamus aſſenſum, & ut ea, quæ religionis propagationem, divinique cultus augmentum reſpiciunt, optatum ſortiantur effectum, libenter interponimus ſollicitudinis noſtræ partes.

§. II. Sane pro parte dilecti filii nobilis viri Didaci Manrique, Regni Legionis Præfecti, & Comitis de Trivinio, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipſe dudum attente conſiderans, quod in diœceſi Calagurîtana nulla domus Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia exiſtebat, ſingulari, quem ad beatum Franciſcum gerebat & gerit, devotionis zelo accenſus, ut terrenis pro cœleſtibus felici commercio commutatis, in cœleſti demum patria pro tranſitoriis recipiat eterna, quoddam Eremitorium *ſanctæ Mariæ de Jeſu, de Monte-Oliveti* nuncupatum, in quodam loco ad hoc congruo & honeſto a Villa de Navarrete, dictæ diœceſis murata & inſigni, ac habitatorum copioſo numero populata, & per medium milliare vel quaſi diſtante, ac ad ipſum Didacum legitime pertinente, cum domo decenti conſtrui & ædificari fecit, cupiens inibi quamdam domum cum Eccleſia, campana, campanili, dormitorio, ceteriſque neceſſariis locis & officinis, pro uſu & habitatione decem Fratrum dicti Ordinis ſub regulari Obſervantia ibidem perpetuo famulaturorum, quorum virtutibus & laudabili vita, ac fructuoſis operibus, ejuſdem oppidi ac circumvicinorum habitatores non modicas animarum ſuarum conſolationes & gaudia ſentire ſperat, ædificare & perficere, ac in ea decem Fratres prælibatos recipere & collocare, ſi ad id ſibi & eiſdem Fratribus Sedis Apoſtolicæ ſuffragetur auctoritas. Quare pro parte ipſius Didaci nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſuper his opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III. Nos igitur qui religionem ipſam ubique propagari & cultum divinum noſtris potiſſime temporibus ſupremis affectibus deſideramus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſi eſt ita, vocatis Ordinario loci & aliis qui fuerint evocandi, eidem Didaco domum prædictam, cum Eccleſia, campana, campanili, dormitorio, ceteriſque locis & officinis neceſſariis, pro uſu & habitatione perpetuis decem ipſius Ordinis Fratrum ædificandi & perficiendi, ac in ea decem Fratres prædictos ad id benevolos recipiendi & collocandi, ſeu recipi & collocari faciendi, necnon Fratribus prædictis domum ipſam recipiendi, & in ea ſub regulari Obſervantia permanendi, plenam & liberam licentiam auctoritate noſtra largiaris. Nos enim ſi ædificationem, perfectionem, receptionem & collocationem hujuſmodi fieri contingat, ut præfertur, eiſdem Fratribus in dicta domo pro tempore degentibus, & in obedientia Ordinis & Obſervantia regulari exiſtentibus, quod ipſi omnibus & ſingulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, indultis & gratiis,

tiis, aliis ejuſdem Ordinis, aut eorum Prioribus & Fratribus per Sedem prædictam, vel alias in genere vel in ſpecie quomodolibet conceſſis, uti valeant pariter & gaudere, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium concedimus & etiam indulgemus. Non obſtantibus ſel. record. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, illa præſertim, qua prohibetur, ne Fratres de quibuſvis Mendicantium Ordinibus, in aliqua Civitate, Villa, Terra ſeu alio quocumque loco domum de novo recipere ſeu hactenus receptam mutare poſſint, abſque dictæ Sedis licentia ſpeciali, faciente plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de prohibitione hujuſmodi mentionem, & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus contrariis quibuſcumque: jure tamen parochialis Eccleſiæ & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLI. IV. Nonas Septembris, Pontificatus noſtri anno V.

LXIV.

Ut concedat facultatem ædificandi Monaſterium ſanctæ Claræ in urbe Florentia. Ibid. lib. 1. de Regular. & præbend. vacantib. fol. 95.

Dilecto filio Antonio de Empulo Canonico Florentino &c.

§. I. PIa Deo & Eccleſiæ deſideria, ex quibus divini cultus augmentum, religionis propagatio, & animarum ſalus procuratur, libenter Apoſtolico favore proſequimur, eiſque gratum præbemus aſſenſum:

§. II. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectæ in Chriſto filiæ Mariæ de Albizis & nonnullarum aliarum mulierum *Pinzocherarum* nuncupatarum, in civitate Florentina ſub perpetua caſtitate viventium, petitio continebat, quod ipſæ devotionis fervore accenſæ de bonis ſibi a Deo collatis, ac etiam cum ſuffragio Chriſtifidelium in dicta civitate ſeu extra muros ejuſdem, aut alio loco ad id apto & idoneo, per eas juſto titulo acquirendo ſeu eis erogando, unum Monaſterium Monialium ſub vocabulo ſanctæ Claræ, Ordinis ejuſdem Sanctæ, cum Eccleſia, campana, clauſtro, dormitorio, hortis, hortalitiis & aliis neceſſariis officinis de novo fundare, erigere & ædificare, ſeu fundari, erigi & ædificari facere, ac inibi ſub habitu & ordine ſanctæ Claræ perpetuo ſuum reddere Altiſſimo famulatum ferventer exoptant. Quare pro parte Mariæ & mulierum prædictarum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut licentiam hujuſmodi ſibi concedere, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III. Nos igitur dictarum Mariæ & mulierum pium & laudabile propoſitum in Domino commendantes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſi poſt diligentem examinationem per te recipiendam, tibi conſtiterit quod prædictæ mulieres ſint vitæ laudabilis & de honeſtate comprobatæ, eis unum Monaſterium, ſub vocabulo ſanctæ Claræ Ordinis hujuſmodi, in eadem civitate ſeu extra illam, aut alio loco ad id apto & idoneo, per eas juſto titulo acquirendo ſeu eis pie erigendo, fundandi, conſtruendi & ædificandi, ſeu fundari, conſtrui & ædificari faciendi, ac inibi ſub habitu & Ordine hujuſmodi Altiſſimo famulandi plenam & liberam licentiam auctoritate noſtra concedas. Nos enim, ſi licentiam hujuſmodi conceſſeris, Abbatiſſæ, Prioriſſæ & Sororibus in eodem Monaſterio pro tempore commoraturis, quod omnibus & ſingulis privilegiis, gratiis, immunitatibus, indulgentiis, aliis Monaſteriis ejuſdem Ordinis conceſſis & in poſterum concedendis, uti va-

valeant pariter & gaudere, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque: jure tamen parochialis Eccleſiæ & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLI. IV. Kalendas Octobris, Pontificatus noſtri anno V.

LXV.

Ut poſſit ſeptem ædificare Cœnobia. Ibid.lib.34.bullarum ſecretarum fol.234.

Dilecto filio Laurentio de Panormo de Sicilia, Ordinis Fratrum Minorum profeſſori.

§. I. SAcræ Religionis zelus, ſub qua mundanis calcatis illecebris, cum adjectione voluntariæ paupertatis, virtutum Domino in humilitatis ſpiritu impendis devotum & ſedulum famulatum, etiam in favorem fidei Catholicæ prædicationibus verbi Dei jugiter inſiſtendo, merita promerentur, ut te benignis confoveamus favoribus, & ſpiritualibus gratiis proſequamur; in illis præſertim, per quæ cum Divini cultus & religionis augmento tibi ipſi per vitæ meritum, & aliis per exemplum proficere valeas ad ſalutem.

§. II. Cum itaque, ſicut exhibita nobis nuper pro parte tua petitio continebat, plerumque contingat, quod Communitates ſeu Univerſitates, vel alii Chriſtifideles Civitatum, Terrarum, Caſtrorum, Villarum ſeu locorum, in quibus tui ſuperioris licentia prædicationibus verbi Dei inſiſtis, provide attendentes uberrimos fructus, quos Fratres tui Ordinis Minorum ſub illius regulari Obſervantia degentes, in Dei Eccleſia afferunt inceſſanter, pro earum animarum ſalute, aliquas domos pro uſu & habitatione Fratrum dicti Ordinis et Obſervantiæ in eorum Terris, Caſtris ſive locis fundari et conſtrui ſummopere deſiderent. Nos, qui divini cultus augmentum et religionis propagationem vigere et augeri, intentis deſideriis affectamus, volentes te qui (ſicut accepimus) per tuam laudabilem et religioſam vitam, et fructuoſas prædicationes, multiplicatos et ſaluberrimos dietim animarum fructus afferre non ceſſas, ut eo ampliores fructus afferas, quo nos etiam te ſpiritualibus favoribus & gratiis proſequi conſpexeris: tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, ſeptem domos ſive loca, in diverſis Civitatibus, Terris, Caſtris, villis ſeu locis, ſi id tibi pia largitione fidelium ſeu alias canonice concedatur, pro aliquorum Fratrum dictorum Ordinis et Obſervantiæ uſu et habitatione perpetuis recipiendi, et in eis Eccleſiam cum campanilibus, campanis, cœmeteriis, dormitoriis, clauſtris, refectoriis, hortis, hortalitiis et aliis pro uſu et habitatione dictorum Fratrum neceſſariis officinis, fundandi et conſtruendi, ſeu fundari et conſtrui faciendi, cujuslibet alterius licentia deſuper nullatenus requiſita, ac jure parochialis Eccleſiæ et cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo, plenam et liberam tibi auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium licentiam elargimur; eiſdem per te recipiendis, ſeu fundandis domibus nihilominus concedentes, quod ipſæ domus fundandæ et recipiendæ, necnon Fratres in eis pro tempore degentes, omnibus et ſingulis privilegiis, exemptionibus &c. domibus et Fratribus Ordinis et Obſervantiæ conceſſis, uti et gaudere libere et licite poſſint et valeant. Non obſtantibus fel. record. Bonifacii Papæ VIII. &c. Nulli ergo &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLI. pridie Kalendas Octobris, Pontificatus noſtri anno V.

LXVI.

LXVI.

Ut poſſit ædificare duos Conventus Obſervantum, unum Marſiliæ, alterum in villa Olyoles. Ibid. l. 2. de Regular. & præben. vacantibus fol. 112.

Dilecto filio Laurentio de Monte, Vicario Provinciali Provinciæ Provinciæ, juxta morem Fratrum Minorum regularis Obſervantiæ.

UT ſacer Ordo Fratrum Minorum, in agro Dominico divina diſpoſitione plantatus, in orbe terrarum latius diſtendatur, tanto propenſius volumus, quanto uberiores ex illo fructus proveniunt, et ipſi ſedulius inſiſtunt pro fructibus animarum. Nos igitur, qui Religionem ipſam ubique propagari et cultum divinum noſtris potiſſime temporibus, ſupremis affectibus deſideramus, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, ac devotionem dilectorum filiorum Communitatis Civitatis Marſilien. et communis Villæ Olyoles, Tolonen. diœceſis, quæ octo leucis a prædicta Civitate diſtare dignoſcitur, plurimum in Domino commendantes, petitionique eorum favorabiliter annuentes, duo loca in eiſdem ſive in eorum diſtrictibus, ad hæc tamen congrua et honeſta, quæ tibi largitione fidelium concedi aut elargiri canonice contigerit, recipiendi, et in eorum quolibet unam domum cum Eccleſia, campanili, campana, cœmeterio, clauſtro, hortis, hortaliiis et aliis neceſſariis officinis, pro uſu et habitatione Fratrum ejuſdem Ordinis ſub illius regulari Obſervantia inibi pro tempore degentium, conſtruendi et erigendi, ſeu conſtrui et erigi faciendi, illaſque inhabitandi ſeu inhabitari faciendi, fel. record. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri prohibitione ne Fratres Ordinum Mendicantium in aliqua civitate, Caſtro, vel Villa ſeu loco aliquo ad inhabitandum domos vel loca quæcumque de novo recipere præſumant, abſque Sedis Apoſtolicæ ſpeciali licentia, faciente plenam et expreſſam, ac de verbo ad verbum de inhibitione hujuſmodi mentionem, et aliis conſtitutionibus Apoſtolicis ceteriſque contrariis non obſtantibus, diœceſanorum locorum et cujuſvis alterius licentia ſuper hoc minime requiſita, jure tamen parochialis Eccleſiæ, et cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo, plenam et liberam auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium licentiam elargimur: volentes et eadem auctoritate decernentes quod conſtruendæ domus, et quos in eis pro tempore degere contigerit, Fratres hujuſmodi omnibus et ſingulis privilegiis, exemptionibus, libertatibus, gratiis et indultis, aliis domibus vel Fratribus ejuſdem Ordinis in genere conceſſis, uti valeant pariter et gaudere. Nulli ergo &c. ſi quis &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLI. VII. Kalendas Novembris, Pontificatus noſtri anno V.

LXVII.

Ut ſe poſſint transferre ad inſulam Portus albi. Ibid. ex libro 35. bullarum ſecretarum fol. 150.

Dilectis filiis Guardiano & Fratribus domus Inſulæ Talernæ in confinibus Britanniæ conſiſtentis, Ordinis Fratrum Minorum &c.

§. I. SAcræ Religionis zelus, ſub qua mundanis abjectis illecebris, cum additione voluntariæ paupertatis devotum & ſedulum exhibetis Altiſſimo famulatum, non indigne meretur, ut ea vobis favorabiliter conce-

cedamus, per quæ ab imminentibus periculis liberati, quietius in contemplationis ſuavitate eidem Altiſſimo vota veſtra reddere valeatis.

§. II. Sane pro parte veſtra nobis nuper exhibita petitio continebat, quod licet dudum in inſula Tabernæ, quæ in confinibus Britanniæ conſiſtens, et mari undique circumdata exiſtit, nonnulli Fratres veſtri Ordinis Fratrum Minorum et regularis Obſervantiæ, ſolitariam vitam agere cupientes, quamdam domum cum Eccleſia, campanili, campana, dormitorio & aliis neceſſariis officinis, ex piis Chriſtifidelium eleemoſynis conſtruxerint & ædificaverint, quia tamen maris innundatione, & ventorum ac turbinum procella cauſantibus, quidam ex religioſis dicti Ordinis ad prædictam inſulam Tabernæ transfretantes, in mari ſubmerſi fuerunt, & etiam ab eadem domo recedere, & ad ipſam pro eorum neceſſariis redire abſque corporum ſuorum periculo nequiverint: Nos conſiderantes pericula hujuſmodi, et quod commode in prædicta inſula, obſtantibus dictis periculis, permanere non poteſtis, pro animarum veſtrarum quiete ad inſulam Portus Albi, in qua una Eccleſia ſine cura ſub vocabulo ſancti Geldatii antiquitus conſtructa, et quæ ruinam minatur, conſiſtit, vos transferre, et in illa ſeu juxta eam domum cum dormitorio, refectorio, clauſtro, cœmeterio, hortis, hortalitiis & aliis neceſſariis officinis, juxta regularia ipſius Ordinis inſtituta in hujuſmodi inſula Portus Albi erigere, conſtruere et ædificare; necnon domum deſtruendi, illiuſque lapides, cæmenta, ligna, trabes, & alia quæcumque ad dictam Eccleſiam ſancti Geldatii hujuſmodi transferre & tranſportare, ac dictam Eccleſiam ſancti Geldatii demoliri, et inibi domum cum alia Eccleſia, dormitorio, refectorio, & aliis ſupradictis conſtruere ſummopere deſideretis, ſed id facere non poſſitis, dictæ Sedis licentia deſuper non obtenta.

§. III. Ac ſicut eadem petitio ſubjungebat, vos a dilectis filiis Rectore Parochialis Eccleſiæ, infra cujus limites ſeu confines dicta inſula Portus Albi conſiſtit, necnon a nobili viro Arturo Comite de Richemont, Regum Franciæ Comeſtabulario, dictæ inſulæ Portus Albi Domino temporali, in prædicta inſula Portus Albi ſtandi, commorandi et ædificandi licentiam pariter, & facultatem obtinueritis, ac etiam domum ſeu Eccleſiam conſtrui vel ædificari facere cœperitis.

§. IV. Nos, qui ad Ordinem veſtrum prædictum, illiuſque perſonas ſingularem gerimus dilectionis affectum, perſonarum earumdem proſperum ſtatum intentis deſideriis affectamus, ac illarum periculis, quantum cum Deo poſſumus, obviamus, veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, vobis ad dictam inſulam Portus Albi transferendi, & in illius Eccleſia ſancti Geldatii prædicta ſeu juxta illam, domum cum dormitorio, refectorio, clauſtro, cœmeterio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis prædictis in dicta inſula Portus Albi erigendi, conſtruendi & ædificandi, necnon domum Tabernæ prædictam deſtruendi, illiuſque lapides, cæmenta, trabes, ligna & alia quæcumque ad dictam Eccleſiam ſancti Geldatii transferendi & tranſportandi, ipſamque Eccleſiam Portus Albi demoliendi, et inibi domum cum alia Eccleſia, dormitorio, refectorio et ceteris ſupradictis conſtruendi, & in ea perpetuo commorandi, ac dictam Eccleſiam, poſtquam conſtructa fuerit, per aliquem Catholicum Antiſtitem, gratiam et communionem dictæ Sedis habentem, Eccleſiam hujuſmodi, poſtquam conſtructa fuerit, & quæ inibi erigentur altaria conſecrari, et cœmeterium benedici faciendi, alterius licentia deſuper nullatenus requiſita, ac jure parochialis Eccleſiæ & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo, felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. &c. & aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis ceteriſque contrariis quibuſcumque nequaquam obſtantibus, plenam & libe-

ram, tenore præſentium licentiam elargimur: ſtatuentes auctoritate Apoſtolica et decernentes, quod vos et Fratres in prædicta domo conſtruendæ pro tempore commorantes, omnibus et ſingulis privilegiis, gratiis, immunitatibus, favoribus, & indulgentiis dicto Ordini, ac illius Fratribus in genere conceſſis & in poſterum concedendis, uti poſſitis pariter et gaudere. Nulli ergo &c. ſi quis &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLI. III. Nonas Novembris, Pontificatus noſtri anno V.

LXVIII.

Ut permittat transferri Cœnobium Minorum intra mœnia Civitatis. Ibidem lib. 2. de Regular. & præbend. vacantib. fol. 132.

Venerabili fratri Epiſcopo Tridentin. &c.

Vide Conſtit. 11. hujus Pont.

Proemium.

§. I. Piis fidelium votis &c. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Guardiani et Fratrum domus Ordinis Fratrum Minorum extra muros, Communis, Concilii & Decurionum Tridentin. petitio continebat, quod licet dicta domus a primæva ejus fundatione, & per multa tempora poſt, in maxima veneratione & devotione populi Tridentini extiterit, & dilecti filii nonnulli cives Tridentini hactenus ut plurimum apud illius Eccleſiam ſepulturam eligere conſueverunt, cauſantibus tamen poſtmodum guerrarum turbinibus & aliis ſiniſtris eventibus, quibus partes illæ, & præſertim Civitas Tridentina diutius afflictæ fuere, etiam pro eo quod domus ipſa muris dictæ civitatis vicina hoſtibus receptaculum, necnon campanile, quod muros prædictos ſupereminet, propugnaculum ſit; cives prædictæ civitatis proinde attendentes ſe multa propterea damna atque incommoda, perſonarumque atque bonorum pericula pertuliſſe, & majora eis poſſe veriſimiliter accidere in futurum; ne dicta domus cauſa deſolationis ipſius Civitatis in futurum exiſteret, Cives prædicti portam Civitatis prædictæ per quam ad ipſam domum patebat acceſſus, muro clauſerunt, propter quod domus ipſa quaſi derelicta habetur, Fratreſque dictæ domus eleemoſynis, & pene omni præſidio deſtituti remanſere, ac propter difficilem indirectumque ad eam ac lutoſum acceſſum & iter, ad eaſdem domum & Eccleſiam raro aliquis civium hujuſmodi apud illam eligit ſepulturam, inibique ad divina audiendum accedit; Guardianuſque & Fratres hujuſmodi nullum ſuffragium a prædictis civibus conſequuntur, & quod deterius eſt, anno proxime tranſacto magna pars ipſius domus incendio caſu fortuito concremata, magna reparatione indigere dignoſcitur.

Veteris Cœnobii recenſentur incommoda.

Cives aliud novum ædificare ſtatuerunt.

§. II. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, cives prædicti aliam domum, cum Eccleſia, campanili, campana, cœmeterio, hortis, hortaliiis, & aliis neceſſariis officinis, loco illius intra muros ejuſdem Civitatis conſtrui & ædificari facere, necnon ad conſtructionem & ædificationem hujuſmodi partem contribuere proponant. Quare pro parte Guardiani, Fratrum, Communis, Concilii & Decurionum prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Epiſcopo cauſa committitur.

§. III. Nos igitur, qui cultum divinum ubique vigere & augeri noſtris potiſſime temporibus cupimus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vocatis evocandis, de præmiſſis te diligenter informes, & ſi poſt diligentem informationem ita eſſe repereris, ſuper quo conſcientiam tuam oneramus, loco domus &

Ec-

Eccleſiæ prædictarum, intra dictam civitatem, in loco ad hoc apto & condecenti, aliam domum & Eccleſiam dicti Ordinis cum campanili, campana, cœmeterio, clauſtro, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis hujuſmodi fundandi & conſtruendi, necnon quæcumque bona domui Fratrum Minorum extra relicta, & quæ loco intra civitatem conſtruendo ac Fratribus hujuſmodi a Chriſtifidelibus in eleemoſynam aſſignata fuere, pro hujuſmodi ædificatione & conſtructione facienda remittendi ſeu permutandi, aut vendendi ſeu alienandi, ac pretium ex eis proveniens in ædificationem & utilitatem erigendæ domus & Eccleſiæ hujuſmodi Guardiano, Fratribus, Concilio, & Decurionibus prædictis exponendi, plenam & liberam auctoritate Apoſtolica licentiam largiaris: proviſo, quod Eccleſia hujuſmodi extra muros prædictos propterea ad prophanos uſus minime redigatur, nec debitis fraudetur obſequiis, ſed laudabiliter inibi deſerviatur in divinis. Et concedendæ facultas.

§. IV. Non obſtantibus ſel. record. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, illa præſertim, qua prohibetur, ne Fratres de quibuſvis Mendicantium Ordinibus in aliqua civitate, ſeu alio quocumque loco domum de novo recipere ſeu hactenus receptam permutare poſſint, abſque dictæ Sedis licentia ſpeciali, faciente plenam et expreſſam ac de verbo ad verbum de prohibitione hujuſmodi mentionem, & quibuſcumque aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis in Conciliis generalibus & ſynodalibus editis contrariis quibuſcumque; jure tamen parochialis Eccleſiæ, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Et nihilominus, ſi licentiam dictæ erigendæ domus per te, tenore præſentium concedi contigerit, ut præfertur, eiſdem Guardiano & Fratribus dictæ erigendæ domus pro tempore exiſtentibus, ut omnibus & ſingulis privilegiis, favoribus, gratiis, indulgentiis, immunitatibus, quibus aliæ domus & Fratres ejuſdem Ordinis utuntur & gaudent, uti & gaudere poſſint & valeant, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLI. pridie Nonas Decembris, Pontificatus noſtri anno V.

LXIX.

Approbat unionem Monaſterii ſancti Donati ejuſdem Ordinis ſanctæ Claræ cum illis factam. Ibid. lib. 37. bullarum. fol. 196.

Dilectis in Chriſto filiabus Abbatiſſæ & Monialibus Monaſterii ſanctæ Mariæ de Palladio extra muros Eugubin. Ordinis ſanctæ Claræ &c.

§. I. Ad ea, quæ felicem & proſperum ſtatum Eccleſiarum & Monaſteriorum, potiſſime Monialium, quæ habitu Sacræ Religionis aſſumpto, uni Viro Chriſto in voto ſe celebi deſponſarunt, reſpiciunt, libenter intendimus, &, ut perpetuo illibata perſiſtant, eis, cum a Nobis petitur, mandamus adjici Apoſtolici muniminis firmitatem.

§. II. Sane pro parte veſtra nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim Abbatiſſa & Moniales Monaſterii ſancti Donati prope & extra muros Eugubinos, Ordinis ſanctæ Claræ, capitulariter congregatæ in præſentia dilecti filii Lucæ de Fulgineo, Ordinis Fratrum Minorum & ſacræ Theologiæ profeſſoris, ac provinciæ Ducatus Spoletani, ſecundum morem dicti Ordinis, Provincialis Miniſtri, ipſiuſque expreſſo interveniente conſenſu, ex certis honeſtis & rationabilibus cauſis, ſe vobis ſubmiſerunt, univerunt & incorporaverunt, vobis ſimiliter conſentientibus, ac eas intra clauſuram Monaſterii veſtri recipientibus & admittentibus, prout in quo-

dam publico inſtrumento deſuper confecto dicitur plenius contineri.

§. III. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, licet ſubmiſſio, unio & incorporatio ſupradictæ fuerint auctoritate ordinaria confirmatæ, nihilominus pro illarum ſubſiſtentia firmiori cupiatis illas etiam Apoſtolico munimine roborari: Pro parte veſtra nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſubmiſſioni, unioni, incorporationi, receptioni & admiſſioni prædictis robur Apoſtolicæ confirmationis adjicere, ac alias eis ſuper iis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ſubmiſſionem, unionem & incorporationem, receptionem & admiſſionem prædictas ratas habentes & gratas, illas auctoritate Apoſtolica confirmamus, ſupplentes omnes defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem: Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLI. III. Kalendas Januarii, Pontificatus noſtri anno V.

LXX.

Concedit ut admittere poſſint quatuor Cœnobia. Ibid. lib. 2. de Regular. & præbend. vacantib. fol. 19.

Dilectis filiis univerſis Fratribus domus de Dola, Ordinis Fratrum Minorum provinciæ Burgundiæ juxta morem dicti Ordinis &c.

Ut in Conſtit. 23. hujus Pont.

SAcræ religionis &c. Cum itaque, ſicut accepimus, diverſarum Civitatum & locorum Communitates ac Univerſitates propter divini verbi prædicationem & doctrinam, necnon exemplarem vitam Fratrum veſtri Ordinis ſub illius regulari Obſervantia viventium, de novo domos & loca dicti Ordinis, ad omnipotentis Dei laudem, Religionis ac divini cultus propagationem, nec non animarum ſalutem fundare & conſtruere ſummopere affectent; nos pium & laudabile propoſitum plurimum in Domino commendantes, veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, quatuor loca, unum in parochia ſancti Laurentii extra muros Cabilonen. & alium in Thons, ac alium Muciaci caſtris ſeu villis, Biſuntinæ & Eduen. diœceſis, ac alium in eadem provincia Burgundiæ, juxta morem dicti Ordinis, ubicumque vobis commodius videbitur, in locis tamen ad hoc congruis & honeſtis, ſi illa vobis largitione fidelium concedi aut elargiri canonice contigerit, recipiendi, & in eorum quolibet unam domum, cum Eccleſia, campanili, campana, cœmeterio, clauſtro, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro uſu Fratrum ejuſdem Ordinis, ſub illius regulari Obſervantia inibi pro tempore degentium, conſtruendi & erigendi, ſeu conſtrui & erigi faciendi, illaſque inhabitandi & inhabitari faciendi, felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri &c. ac aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis ceteriſque contrariis quibuſcumque nequaquam obſtantibus, diœceſanorum locorum, & cujuſvis alterius licentia ſuper hoc minime requiſita, jure tamen Parochialium Eccleſiarum, & cujuſvis alterius in omnibus ſemper ſalvo, plenam & liberam, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium licentiam elargimur: volentes & eadem auctoritate decernentes, quod conſtruendæ domus, & quos inibi pro tempore degere contigerit, Fratres hujuſmodi, omnibus & ſingulis privilegiis, libertatibus, immunitatibus, favoribus & indultis, aliis domibus & Fratribus ejuſdem Or-

Ordinis in genere conceſſis, uti valeant pariter & gaudere &c. Nulli ergo &c. ſi quis &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLI. XI. Kalendas Februarii, Pontificatus noſtri anno V.

LXXI.

Ut concedat facultatem Sororibus Tertiariis domus ſanctæ Urſulæ ad Ordinem ſanctæ Claræ tranſeundi. Ibid. fol. 19.

Venerabili fratri Archiepiſcopo Florentin. &c.

§. I. UT inter æternæ beatitudinis amatrices, quæ habitu ſacræ Religionis aſſumpto, Domino Jeſu Chriſto ſe voto celebri deſponſarunt, quies mentis proficere, ac inter eas obſervantia regularis ſtabiliri valeat, tanto propenſius æquum eſt illas attollere gratiis, & earum pia confovere propoſita, quanto ſexus fœminei fragilitas ad ferendum ſacræ Religionis propoſitum auxilio potiori noſcitur indigere.

§. II. Sane pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Sororum, ſub regula Tertii Ordinis beati Franciſci, in domo ſanctæ Urſulæ Florentina commorantium, nobis exhibita petitio continebat, quod ipſæ ob melioris vitæ frugem, ſub regula ſanctæ Claræ, per fel. record. Urbanum Papam IV. prædeceſſorem noſtrum declaratam & confirmatam, vivere cum magna devotione ferventer exoptant. Quare pro parte ipſarum Sororum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut domum ipſam in Monaſterium Monialium dicti Ordinis ſanctæ Claræ erigi, & Abbatiſſalem dignitatem, ac Conventum inibi inſtitui mandare, aliaſque eis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III. Nos igitur dictarum Sororum pium & laudabile propoſitum plurimum in Domino commendantes, earumque votis favorabiliter annuentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinatè, fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſi eſt ita, domum prædictam, dummodo in loco ad id apto & honeſto conſiſtat, in Monaſterium Monialium Ordinis ſanctæ Claræ auctoritate noſtra erigas, ac dignitatem Abbatiſſalem, & Conventum inibi inſtituas, nec non ſtatuas, ordines & decernas, quod Abbatiſſa & Moniales in ipſo Monaſterio pro tempore degentes, ſub Obſervantia regulæ & vitæ ſanctæ Claræ, per prædeceſſorem eumdem, ut præfertur, declaratæ & confirmatæ, perpetuo vivere debeant & teneantur. Nos enim, ſi erectionem, inſtitutionem, ſtatutum per te fieri contingat, ut præfertur, Abbatiſſæ & Monialibus pro tempore degentibus in ipſo Monaſterio, quod omnibus & ſingulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus & indultis, quibus alia Monaſteria dicti Ordinis ſanctæ Claræ in genere utuntur & gaudent &c. ſeu uti & gaudere poſſint & debeant, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, de ſpecialis dono gratiæ indulgemus; ac volumus & decernimus, quod etiam hac vice una Monialis, ipſum Ordinem expreſſe profeſſa, in Abbatiſſam dicti Monaſterii inſtituatur ſecundum ordinationem dilecti filii noſtri Dominici tituli ſanctæ Crucis in Hieruſalem Presbyteri Cardinalis, qui Ordinis Fratrum Minorum Protector exiſtit: quæ quidem Abbatiſſa poſt clauſuram Monaſterii elapſo termino ſex menſium, recipere valeat ad profeſſionem dictas Sorores ſub regula Tertii Ordinis ſancti Franciſci. Non obſtantibus &c. conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis ceteriſque contrariis quibuſcumque:

ju-

jure tamen parochialis Eccleſiæ & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLI. III. Nonas Februarii, Pontificatus noſtri anno V.

Anno Christi 1452. Nicolai V. anno 6.

LXXII.

Erigitur Vicaria Britanniæ. Ibid. lib. 1. de exhibitis & de Regularibus. fol. 207.

Dilectis filiis Rolando Bordais Cuſtodi ac univerſis Fratribus domorum inſularum marinarum prope Britanniæ, Normaniæ & Angliæ partes conſiſtentium, Ordinis Fratrum Minorum &c.

Ut in Conſtit. 23. hujus Pont.

§. I. SAcræ Religionis, ſub qua mundanis abdicatis illecebris &c. Sane pro parte veſtra nobis exhibita petitio continebat, quod olim poſtquam quondam Petrus Fabri, primus Fundator & Cuſtos domorum inſularum marinarum prope Britanniam, Normaniam & Angliam conſtitutarum, veſtri Ordinis Fratrum Minorum, in ſenio conſtitutus, officium cuſtodiæ domorum hujuſmodi, per eum tunc celebrato Capitulo, cui tunc Vicarius Generalis Ultramontanus Fratrum dicti Ordinis ſub regulari Obſervantia degentium præerat, in manibus dicti Vicarii, ſub cujus obedientia Fratres domorum, qui pro tempore fuerunt, ſemper permanſerunt, prout permanent, ſponte & libere reſignaverat, dilecti filii Fratres in dicto Capitulo congregati, ad futuri Cuſtodis electionem, ut eſt moris, procedentes, te ſibi, Rolande, in eorum & dictarum domorum Cuſtodem elegerunt, tuque electioni hujuſmodi conſentiens, officium Cuſtodis hujuſmodi ex tunc exercuiſti, prout exerces de præſenti.

§. II. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, præfatæ domus, quæ uſque ad numerum novem excreverunt, pro eo quod loca dictarum inſularum in dictis provinciis conſtituta ſunt, non poſſint commode per diverſos diverſarum provinciarum Vicarios gubernari; Nos veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, quod cum tu Rolande, & quilibet ſucceſſorum tuorum dictarum domorum cuſtos, qui erit pro tempore, eligetur & confirmabitur, prout Vicarii provinciales eligi & confirmari conſueverunt, Vicarius inſularum marinarum hujuſmodi perpetuo nomineris & nominetur, ac ſuper Fratres domorum hujuſmodi illam & eamdem auctoritatem habeas & habeant, quam Vicarii Miniſtrorum provincialium ſuper Fratres domorum provinciarum ſuarum hujuſmodi habere dignoſcuntur. Conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon ſtatutis & conſuetudinibus dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacumque firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis nequaquam obſtantibus, vobis auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, de ſpecialis dono gratiæ concedimus pariter & indulgemus. Nulli ergo &c. ſi quis &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLII. III. Kalendas Aprilis, Pontificatus noſtri anno VI.

LXXIII.

Approbat erectionem Conventus Regini. Ibid. lib. 36. bullarum. fol. 77.

Ad futuram rei memoriam.

§. I. DUm ad uberes fructus, quos ſacer Ordo Fratrum Minorum in agro militantis Eccleſiæ in propagationem fidei Catholicæ produxit hactenus & producit, aſſidue & diligenter attendimus, dignum cenſemus & congruum, ut circa ea, quæ ipſius Ordinis & Profeſſorum ejus majorem pacem, ſtatumque tranquillum, ac animarum eorumdem Fratrum ſalutem reſpiciunt, paternis ſtudiis intendamus, eoſdemque Fratres favoribus proſequamur opportunis. Præfatio.

§. II. Dudum ſiquidem fel. record. Eugenius Papa IV. prædeceſſor noſter dilectis filiis civibus Civitatis Reginæ fundandi & conſtruendi unam domum cum Eccleſia, campanili, campana, & ceteris neceſſariis, pro uſu & habitatione aliquorum Fratrum dicti Ordinis, licentiam concedi per quaſdam ſuas litteras mandavit. Eugen. IV. Cœnobii conſtruendi olim facultatem impertiit.

§. III. Et deinde pro parte dictorum civium eidem prædeceſſori expoſito, quod ipſi cives locum ad fundationem domus hujuſmodi ſollicite requirentes, quoddam ruinoſum Monaſterium Ordinis ſancti Marci de Mantua, ſub vocabulo ſancti Spiritus, & cujus Eccleſia erat pro parte diruta, extra civitatem prædictam, per Priorem gubernari ſolitum, cui cura non imminebat animarum tunc, nec per longa tempora retroacta ſaltem continuam reſidentiam fecerat neque faciebat, cujuſque fructus, reditus & proventus quadraginta florenos auri de Camora, ſecundum communem æſtimationem, ut aſſerebatur, valorem annuum non excedebant, ad hoc idoneum repererant, ipſumque totis viribus, & propriis ſumptibus & expenſis reædificare & reformare affectabant; attamen dubitabant, illius Priorem ad præmiſſa nolle conſentire, dictus prædeceſſor Archidiacono Eccleſiæ Reginæ, cui dictas litteras direxerat, aliis ſuis litteris commiſit & mandavit, quatenus ſi ita eſſet, nomen, dignitatem & Ordinem in dicto Monaſterio ſupprimens, dictis civibus ac Fratribus Monaſterium ipſum in domum Fratrum hujuſmodi, & illius Prioris, ut præfertur, ad id non accedente conſenſu, fructibus tamen ipſius Prioratus eidem Priori, quoad viveret, reſervatis, erigeret, & nonnulla alia tunc expreſſa faceret. Cives in alio loco aliud ædificare cupiunt. Archidiac. cauſa commiſſa.

§. IV. Poſtmodum vero licet dictus Archidiaconus ad ipſarum litterarum executionem procedens, nomen, dignitatem Monaſterii, ac Ordinem ſancti Marci hujuſmodi in dicto Monaſterio Sancti Spiritus ſupprimens, ipſum Monaſterium in domum Fratrum ejuſdem Ordinis Minorum regularis Obſervantiæ erexerat, ac Fratribus, quos tunc in domo hujuſmodi pro tempore morari contingeret, quod omnibus & ſingulis privilegiis, exemptionibus, libertatibus, gratiis, indultis & immunitatibus, quibus profeſſores aliarum domorum ſeu locorum prædicti Ordinis Minorum regularis Obſervantiæ utuntur & gaudent, uti & gaudere poſſent, conceſſit, etiam ad id dicti Prioris non accedente conſenſu, & fructus ipſius Monaſterii eidem Priori quoad viveret, conceſſerit, necnon ſibi poſt illius obitum, ipſos fructus & bona ejuſdem Monaſterii in aliquem alium uſum convertendi facultatem reſervaverit, ac ſubſequenter ad devotorum Fratrum in ipſa domo degentium etiam facultatem, ut ipſi Fratres hortos, hortalitia, & officinas ſibi neceſſaria facere valerent, tollereturque ſuper illorum confinibus omnis materia querelæ & controverſiæ, declaraverit ac voluerit, & man- Qui Eccleſiam S. Marci Fratribus concedit.

& mandaverit, confinia Monaſterii, hortorum, hortalitiorum & officinarum, ſub certis tunc expreſſis modis extendi, protendi & eſſe debere, & nonnulla alia tunc expreſſa conceſſerit, ipſique Fratres, conceſſionis hujuſmodi vigore dictum Monaſterium aſſecuti, in illo domum cum Eccleſia, campanili, campana, aliiſque pro uſu & habitatione Fratrum neceſſariis officinis, conſtrui & ædificari fecerint; tamen pro eo, quod quondam Griſantus de Bintis Notarius, qui de prædicta conceſſione rogatus extitit, inſtrumento nondum ſuper illa confecto, mortuus fuerit, & hujuſmodi conceſſio, & alia præmiſſa in ejuſdem Notarii prothocollis reperiuntur, tamen quod in illis aliqui teſtes præſentes fuerint, non appareat, ſic propterea de illorum viribus hæſitetur, & Prior Eccleſiæ ſeu Prioratus ſancti Marci Regini, ſeu alius, cui dicti fructus aſſignati extiterunt, confinia & territorium Fratribus ipſis conſignata, uſurpare contendat, ac Monaſterium ſeu domus Fratrum hujuſmodi adeo numero Fratrum continuo inibi Altiſſimo famulantium adauctum ſeu adaucta ſit, quod territorium illis aſſignatum pro commoditate & ſolitudine Fratrum commode non ſufficiat; & quamvis dictus Archidiaconus executor ſibi reſervaverit poteſtatem addendi, dilatandi & augendi hortos prædictæ domus & eorum confines; quia tamen de reſervatione hujuſmodi alias, quam ut præfertur, conſtare non poteſt, dictus executor dubitet ſe illam facere non poſſe: pro parte dilectorum filiorum Guardiani & Fratrum dictæ domus, nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus, ne alias dicti Fratres tempore procedente ſuper præmiſſis in poſterum moleſtari poſſint, de remedio opportuno providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Pontifex donationem confirmat.

§. V. Nos igitur cupientes, ut ipſi Fratres tuta & ſecura mente Deo ſervire valeant, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, omnia præmiſſa & inde ſecuta, auctoritate Apoſtolica approbamus & confirmamus, ac præſentis ſcripti patrocinio communimus, ſupplentes omnes defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem; necnon eadem auctoritate ſtatuimus & decernimus, quod præſentes ad probandum plene ſuppreſſionem, erectionem & conceſſionem, ac alia præmiſſa in judicio & extra ubique ſufficiant, nec ad id alterius probationis adminiculum requiratur: mandantes prædicto Archidiacono, ut ultra territorium ipſis Fratribus aſſignatum, aliud tantumdem circa Monaſterium ſeu domum hujuſmodi pro eorum commoditate, quod eis congrue & honeſte ſufficiat, auctoritate noſtra concedat & aſſignet. Contradictores &c. non obſtantibus conſtitutionibus &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo &c. ſi quis &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLII. III. Kalendas Aprilis, Pontificatus noſtri anno VI.

LXXIV.

Dat facultatem convertendi Monaſterium Sororum Ordinis Ciſtercienſis in Conventum Obſervantum in caſtro Arquati. Ibidem lib. 36. bullarum. fol. 189.

Venerabili fratri Epiſcopo Placentin. in Romana Curia Reſidenti, ac dilecto filio ejus in ſpiritualibus Vicario Generali &c.

§. I. PAſtoralis officii cura, licet inſufficientibus meritis nobis ex alto commiſſa, continue pulſat & excitat mentem noſtram, ut opem & operam, quantum poſſumus, ubilibet impendamus, quod ſtatus Eccleſiarum & Monaſteriorum, aliorumque piorum locorum, & in illis præſertim .....

§. II.

§. II. Ad noſtrum ſiquidem, dilectis filiis nobili viro Franſciſco Sfortia Duce Mediolanen. ac univerſitate & hominibus Caſtri Arquati, Placentin. diœceſis, referentibus, non ſine mentis amaritudine pervenit auditum, quod dilectæ in Chriſto filiæ Abbatiſſa & Moniales Monaſterii ſancti Domnini de dicto Caſtro, Ciſtercien. Ordinis, a Monaſterio beatæ Mariæ de Columba, alias Claræ vallis de Florenzola, Ordinis & diœceſis prædictorum dependentes, ſuarum animarum ſalutis immemores, earumque famæ & honoris prodigæ, necnon pudicitiæ laxatis habenis, carnis illecebris & libidinis inſiſtentes, vitam adeo notorie duxerunt & ducunt inhoneſtam, quod Monaſterium ſancti Domnini hujuſmodi laqueus hominum ad mortem verius, quam Monaſterium dici poteſt, ac exinde infinita ſcandala, oblocutiones & deriſus Religionis, malevolentiæ quoque in populo, necnon multarum animarum perditio ſubſequuntur evidenter. Scandala recenſentur in Monaſterio exorta.

§. III. Et ſicut eadem petitio ſubjungebat, ſi dictum Monaſterium ſancti Domnini, cum domo, Eccleſia, horto & clauſtro illis adjacentibus, dilectis filiis Fratribus Ordinis Minorum regularis Obſervantiæ, pro aliquorum ex eis uſu & habitatione perpetuo concederetur & aſſignaretur, dictæque Abbatiſſa & Moniales ad alia ejuſdem Ordinis Ciſtercien. Monaſteria transferrentur & diſtribuerentur: necnon in quodam loco ad dictum Monaſterium ſancti Domnini pertinente, & in prædicto Caſtro conſiſtente, ad id apto & idoneo, unum Oratorium conſtrueretur, & illud poſtquam conſtructum foret, in Prioratum ſine cura erigeretur, ipſique ſic erecto Prioratui pro illius dote proprietates & bona dicti Monaſterii ſancti Domnini aſſignarentur, ſcandala præmiſſa, & quamplura alia mala ceſſarent, conſervareturque jus Ordinis Ciſtercien. hujuſmodi, nec alicui injuria fieret, & exinde divini cultus augmentum, ac Deo obſequium ſequeretur, necnon aliis quampluribus Monialibus inhoneſte in prædicta Civitate degentibus exemplum bene vivendi, & timor male agendi præſtarentur. Quare pro parte eorumdem Ducis & Communitatis nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſuper iis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Remedium innuitur & poſtulatur.

§. IV. Nos igitur, quorum intereſt ſuper iis ſalubriter providere, de præmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos vel alter veſtrum, vocatis Abbatiſſa & Monialibus prædictis, ac aliis qui fuerint evocandi, ſuper præmiſſis omnibus & ſingulis, ac eorum circumſtantiis univerſis auctoritate noſtra vos diligenter informetis, & ſi per informationem hujuſmodi ea fore vera repereritis, Ordinem Ciſtercien. ac dignitatem Abbatiſſalem in dicto Monaſterio ſancti Domnini penitus & omnino ſupprimere ac extinguere, necnon Abbatiſſam & Moniales prædictas ad alia Ciſtercien. Ordinis Monaſteria transferre, Eccleſiam quoque Monaſterii ſancti Domnini cum domo, horto & clauſtro adjacentibus hujuſmodi, prædictis Fratribus concedere & aſſignare; necnon Oratorium ac Prioratum hujuſmodi ſine cura dicti Ciſtercien. Ordinis, cujus Prioratus collatio, quoties vacabit, ad Abbatem dicti Monaſterii beatæ Mariæ pro tempore exiſtentem ſpectet & pertineat, cum campanili, campana, & aliis officinis neceſſariis & opportunis erigere, ipſique ſic erecto Prioratui proprietates & bona Monaſterii ſancti Domnini hujuſmodi in dotem aſſignare: Præterea Abbatiſſæ & Monialibus prædictis, ut benevolas receptrices facilius inveniant, quoad vixerint, ſuper fructibus, reditibus & proventibus ejuſdem Monaſterii ſancti Domnini penſionem annuam, de qua vobis videbitur, & quæ pro rata deficientium Abbatiſſæ & Monialium prædictarum ceſſet, ſibi annis ſingulis Epiſcopus & Vicarius in cauſa Commiſſarii inſtituuntur.

quoad vixerint, reſervare, conſtituere & aſſignare, etiam auctoritate noſtra curetis. Contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam &c. juribus, privilegiis, prærogativis, cenſibus & emolumentis parochialis & collegiatæ Eccleſiæ beatæ Mariæ de dicto Caſtro, quibus per præmiſſa non derogari nec derogatum fuiſſe quoquo modo intelligi poſſe decernimus, in præmiſſis omnibus & ſingulis ſemper ſalvis. Nos enim tibi frater Epiſcope citandi dictam Abbatiſſam & Moniales, & quoſcumque alios, plenam & liberam, tenore præſentium concedimus facultatem. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. &c. ac aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLII. pridie Kalend. Aprilis, Pontificatus noſtri anno VI.

LXXV.

Deputatur Monaſterium ſancti Salvatoris Clariſſis in urbe Ferrarienſi. Ibid. lib. 36. bullar. fol. 229.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium. §. I. EX debito paſtoralis officii, quo Eccleſiarum & Monaſteriorum omnium regimini præſidemus, illis, per quæ Eccleſiarum & Monaſteriorum eorumdem, ac in ipſis ſub regulari Obſervantia piæ vitæ vacantium, Altiſſimo famulantium, præſertim fœminei ſexus ſtatui & indemnitatibus conſulitur, libenter intendimus, & ea, quæ propterea facta comperimus, ut illibata perſiſtant, libenter, cum a nobis petitur, Apoſtolico munimine roboramus.

Petitionis tenor. §. II. Cum itaque, ſicut exhibita nobis nuper pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Abbatiſſæ Monaſterii Corporis Chriſti, ac Viſitationis beatæ Mariæ Ferrarien. Ordinis ſanctæ Claræ, ac Luciæ Joannis Maſcaroni mulieris in Civitate noſtra Ferrarien. commorantis petitio continebat, quod olim poſtquam quondam Bernardina Gregorii Sedazarii mulier Ferrarien. quæ de licentia tunc Ordinarii dictum Monaſterium in contrata ſancti Salvatoris ejuſdem Civitatis, ſub vocabulo Corporis Chriſti & Viſitationis beatæ Mariæ Virginis, quando viſitavit Eliſabeth, conſtrui & ædificari fecerat, de bonis ſibi a Deo collatis condens in ejus ultima voluntate teſtamentum, inter alia prædictam Luciam tunc cum ea in dicto Monaſterio & loco habitantem, non tamen profeſſam, ac ipſius Luciæ hæredes ac ſucceſſores, ſuos hæredes univerſales inſtituerat, dictaque Bernardina non tamen aliquem Ordinem profeſſa, prætendens ſe illius Monaſterii ſeu loci patronam, eidem Luciæ in virtute ſanctæ obedientiæ mandaverat, ut dictum locum & illius jura augeret, defenderet & manuteneret, ac ipſa Lucia illud facere medio juramento promiſerat, dictaque Bernardina vita functa, ac introductis primo in eodem loco nonnullis mulieribus nullius Ordinis Ferrariæ commorantibus, Ordinem ſancti Auguſtini profiteri intendentibus, ac inter eas præſertim quamdam Ailiſiam, & dictam Luciam quibuſdam diſcordiis exortis, & prædicta Lucia a dicto Monaſterio ſeu loco expulſa, ac tandem per ſententiam nonnullorum Judicum ſecularium reſtituta, deindeque poſt reſtitutionem hujuſmodi, poſtquam dicta Ailiſia cum dictis mulieribus ſecum ingreſſis de dicto Monaſterio ſeu loco receſſerat, introductiſque nonnullis aliis Sororibus Ordinis ſanctæ Claræ, ex civitate Mantuana venientibus, ſæpe dictaque Lucia ab ipſo Monaſterio ſeu loco ſimiliter receſſerat, prædictæ Sorores, quæ adeo numero augmentatæ erant,

ut

ut inibi nonaginta novem vel circa ſub regulari Obſervantia laudabiliter Deo famulantes exiſterent, dictum Monaſterium legitimo titulo & canonice poſſidere, ipſaque Lucia a juramento & onere prædictis liberari ſummopere deſiderarent; Venerabilis frater noſter Franciſcus Epiſcopus Ferrarien. ex certis tunc expreſſis cauſis prædictam Luciam a juramento & onere prædictis abſolvit, ac dictum Monaſterium ſeu locum, in quantum ſub regula ſancti Auguſtini ordinatum & deputatum foret, ex tunc illud ſeu illum ad regulam ſanctæ Claræ ordinaverit & deputaverit: in quantum autem numquam ſub regula ſancti Auguſtini hujuſmodi canonice inſtitutum fuiſſet, ex tunc dictam regulam ſanctæ Claræ de Obſervantia in ipſo Monaſterio deputaverit, ordinaverit & inſtituerit, ac quædam alia tunc expreſſa fecerit & ordinaverit, nonnullis inde conditionibus & promiſſionibus ſubſecutis, ut in inſtrumento publico ſuperinde confecto dicitur plenius contineri.

§. III. At cum, ſicut eadem petitio ſubjungebat, Abbatiſſa ſeu Prioriſſa & Sorores, ac Lucia prædictæ abſolutionem, liberationem, conceſſionem, translationem, ordinationem, deputationem & inſtitutionem prædictas, necnon omnia & ſingula in dicto inſtrumento contenta, ac quæcumque inde ſecuta, pro eorum ſubſiſtentia firmiori & ſuarum conſcientiarum majori ſerenitate, Apoſtolico munimine roborari ſummopere deſiderent: Pro parte earumdem Abbatiſſæ ſeu Prioriſſæ & Sororum, ac Luciæ nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut earum deſiderio hujuſmodi favorabiliter annuere, & alias ſuper iis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Inſtrumentū approbatur & confirmatur.

§. IV. Nos prædicti & quorumcumque aliorum deſuper habitorum inſtrumentorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, liberationem, abſolutionem, translationem, inſtitutionem, deputationem, ordinationem, & prout illas contingunt, ac rationabiliter proceſſerunt contenta & inde ſecuta prædicta, rata habentes & grata, ac omnia & ſingula auctoritate Apoſtolica, & ex certa ſcientia, tenore præſentium approbamus ac confirmamus, ac præſentis ſcripti patrocinio communimus, ſupplentes omnes & ſingulos defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem.

Monaſterium ad Clariſſas declaratur pertinere.

§. V. Et nihilominus pro potiori cautelæ ſuffragio, dictum locum ſancti Salvatoris, dictum Ordinem ſancti Auguſtini in illo penitus ſupprimentes, in Monaſterium Sororum Ordinis ſanctæ Claræ hujuſmodi prædicta auctoritate erigimus, inſtituimus & deputamus; necnon ſtatuimus & decernimus, quod illud per Prioriſſam ſeu Abbatiſſam, per Conventum hujuſmodi eligendam, prout Monaſterium ſanctæ Claræ de Mantua, Ordinis dictæ Sanctæ regitur & gubernatur, regi & gubernari debeat; quodque ipſum Monaſterium ac illius perſonæ pro tempore exiſtentes, omnibus & ſingulis privilegiis, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, gratiis & indultis, dicto Monaſterio de Mantua, & aliis ejuſdem Ordinis Sororibus per nos vel Sedem Apoſtolicam conceſſis & in poſterum concedendis, in omnibus & per omnia, abſque ulla differentia uti poſſint pariter & gaudere: jure tamen parochialis Eccleſiæ & cujuſvis alterius in omnibus ſemper ſalvo. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo &c. Si quis &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLII. XVII. Kalend. Maii, Pontificatus noſtri anno VI.

LXXVI.

Confirmatur erectio Conventus ſancti Martini de Trevejo. Ex originali.

Dilectis filiis Joanni de Medina Canonico Salmanticenſi & Officiali &c.

§. I. UT ea, quæ pro divini cultus augmento, Religionis propagatione, & animarum ſalute provide facta ſunt, firma perpetuo & illibata perſiſtant, libenter, cum a Nobis petitur, favorem Apoſtolicum impertimur, & ut ad optatum perducantur effectum, partes noſtræ ſollicitudinis interponimus.

§. II. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Vicarii & Fratrum domus ſive eremitorii ſancti Michaelis de ſancto Martino de Trevejo, Ordinis Minorum Fratrum beati Franciſci, de Obſervantia nuncupatorum, petitio continebat, quod ipſi, qui ſub obedientia Miniſtri Provincialis in provincia Compoſtellana & Cuſtodia Salmantina conſtituti ſunt, auctoritate & licentia Ordinarii loci ad id accedentibus &c. præfatam domum ſeu eremitorium ipſum ad gloriam & honorem Altiſſimi, ad pacem, quietem & conſolationem Chriſtifidelium de novo fundarunt & ædificarunt, ac inibi deſerviunt laudabiliter in divinis: verum quia in fundatione & ædificatione hujuſmodi Sedis Apoſtolicæ auctoritas non intervenit, ipſi Vicarius & Fratres dubitant, ſuper domo ſeu eremitorio hujuſmodi moleſtari & inquietari poſſe tempore procedente. Quare pro parte dictorum Vicarii & Fratrum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut fundationi & ædificationi præmiſſis, pro illarum ſubſiſtentia firmiori, robur Apoſtolicæ confirmationis adjicere, ac eis, quod ſub obedientia Generalis & Provincialis Miniſtri dicti Ordinis perpetuo vivere debeant, concedere, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III. Nos igitur, qui Religionum propagationem, ac divini cultus augmentum ſupremis affectibus deſideramus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſi, & poſtquam vobis vel alteri veſtrum de fundatione & ædificatione prædictis legitime conſtiterit, illas cum omnibus & ſingulis ſuis terminis, ſylvis, hortis & terris eis datis & conceſſis, auctoritate noſtra approbetis & confirmetis: & nihilominus, ſi approbationem & confirmationem hujuſmodi per vos vel alterum veſtrum, vigore præſentium fieri contigerit, Vicario & Fratribus præſentibus, & pro tempore in domo ſive eremitorio hujuſmodi degentibus, quod ſub obedientia Generalis & Provincialis Miniſtri dicti Ordinis perpetuo vivere & manere, necnon emolumenta & reditus ex agris, terris ac prædiis eis datis atque conceſſis provenientia, in reparationem & manutentionem domus ſive eremitorii, ac alias neceſſitates ejuſdem convertere libere & licite valeant, eadem auctoritate concedatis: diſtrictius inhibentes omnibus aliis Prælatis dicti Ordinis, cujuſcumque dignitatis, gradus, præeminentiæ fuerint, ne ipſos Vicarium & Fratres domus ſeu eremitorii hujuſmodi præſentes & futuros moleſtare, perturbare, aut impedire quoquo modo præſumant. Nos enim eiſdem Vicario & Fratribus in ipſo eremitorio ſeu eadem domo nunc & pro tempore commorantibus, quod omnibus & ſingulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, gratiis & indulgentiis, quibus aliæ domus ejuſdem Ordinis ac Fratres in eis commorantes in genere utuntur & gaudent, uti valeant pariter & gaudere, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri &c. & aliis Apoſtolicis

licis conſtitutionibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque: jure tamen parochialis Eccleſiæ, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum annno Incarnationis Dominicæ MCCCCLII. III. Nonas Junii, Pontificatus noſtri anno VI.

LXXVII.

Ut poſſint ſibi ædificare domum prope urbem Tridentinam. Ibid. ex lib. 37. bullarum. fol. 177.

Dilectis filiis Vicario, ac univerſis Fratribus Ordinis Minorum de Obſervantia, provinciæ ſancti Antonii &c.

§. I. SAcræ Religionis Obſervantia, ſub qua, mundanis abjectis illecebris, devotum & ſedulum impenditis Altiſſimo famulatum, promeretur, ut votis veſtris, illis præſertim, quæ divini cultus augmentum, & Religionis propagationem reſpiciunt, favorabiliter annuamus; necnon ea, quæ propterea pie facta comperimus, ut illibata perſiſtant, Apoſtolico munimine ſolidemus.

§. II. Sane pro parte veſtra nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim dilecti filii Miniſter ac confratres *domus Dei, Fraternitatis diſciplinæ & conſortii Batutorum* nuncupatorum laici Tridentin. ob ſingularem, quem ad Ordinem veſtrum & illius Fratres profeſſores ſub ejus regulari Obſervantia degentes, propter divini verbi prædicationem & doctrinam, ac exemplarem vitam eorumdem, gerunt devotionis affectum, quamdam petiam terræ prativam & vineatam duorum prædiorum vel circa, extra portam ſanctæ Crucis Civitatis Tridentinæ conſiſtentem, & ad dictum Miniſtrum & confratres tunc legitime pertinentem, pro fundatione & conſtructione unius domus cum Eccleſia, & neceſſariis officinis, ad laudem Omnipotentis Dei, ac in honorem & ſub vocabulo glorioſiſſimi Confeſſoris ſancti Bernardini, pro uſu & habitatione perpetuis aliquorum Fratrum dicti Ordinis, vobis perpetuo donarunt, tradiderunt & conceſſerunt, prout in quodam inſtrumento deſuper confecto plenius continetur. Quare pro parte veſtra nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut donationi, traditioni & conceſſioni prædictis, ac omnibus & ſingulis in dicto inſtrumento contentis & inde ſecutis, pro eorum ſubſiſtentia firmiori, robur Apoſtolicæ confirmationis adjicere, & alias ſuper iis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III. Nos igitur, qui cultum divinum, & Religionem eamdem noſtris potiſſime temporibus vigere & augeri, intentis deſideriis affectamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, donationem, traditionem & conceſſionem prædictas, ac in inſtrumento contenta & inde ſecuta hujuſmodi auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium confirmantes & approbantes, ſupplenteſque omnes defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, vobis, ut in dicta petia terræ ſeu apud illam, domum cum Eccleſia, campanili, campana, cœmeterio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro uſu & habitatione perpetuis aliquorum Fratrum hujuſmodi inibi ſub dicta Obſervantia viventium, erigendi, conſtruendi & ædificandi, vobiſque ac eiſdem Fratribus ipſam domum recipiendi, ac perpetuo retinendi & inhabitandi, diœceſani loci & cujuslibet alterius licentia ſuper hoc minime requiſita, jure tamen parochialium Eccleſiarum, & cujuſvis alterius in omnibus ſemper ſalvo, plenam & liberam auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium licentiam elargimur. Et nihilominus univerſis & ſingulis dicti Ordi-

di-

dinis Fratribus in eadem domo ſub Obſervantia hujuſmodi pro tempore degentibus, ut omnibus & ſingulis privilegiis, gratiis & indultis, aliis Fratribus ejuſdem Ordinis conceſſis, uti & gaudere poſſint, eadem auctoritate indulgemus. Non obſtantibus &c. Nulli ergo &c. ſi quis &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLII. XV. Kalend. Julii, Pontificatus noſtri anno VI.

LXXVIII.

Ut concedat Marchioni Mantuæ facultatem ædificandi domum Obſervantum in Caſtro Roverii. Ibid. lib. 2. de diverſis formis. fol. 205.

Dilecto filio Archidiacono Eccleſiæ Mantuan. &c.

Ut in Conſit. ſequenti.

§. I. PIa Deo & Eccleſiæ deſideria &c. Sane pro parte dilecti filii nobilis viri Ludovici Marchionis Mantuæ nobis nuper oblata petitio continebat, quod ipſe zelo devotionis accenſus, in ſuo Caſtro Roverii, Mantuanæ diœceſis vel prope illud, in loco ad id congruo ac honeſto, unam domum ſub vocabulo ſancti Ludovici olim Regis Franciæ, cum Eccleſia, campana, clauſtro, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis & aliis neceſſariis officinis pro uſu & habitatione Fratrum Minorum de Obſervantia, de novo fundari, conſtrui & ædificari facere intendit. Quare pro parte prædicti Marchionis, aſſerentis locum parochiali Eccleſiæ ejuſdem Caſtri fore valde propinquum & vicinum, illumque & ipſam parochialem Eccleſiam extra muros prædicti Caſtri, quod admodum populoſum exiſtit, multa ſub ſe villagia habens, ſubſiſtere, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſibi hujuſmodi licentiam concedere, aliaſque opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui Religionis propagationem & Divini cultus augmentum noſtris potiſſime temporibus deſideramus, prædicti Marchionis pium & laudabile propoſitum plurimum in Domino commendantes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſi eſt ita, prædicto Marchioni extra dictum Caſtrum, prope eamdem parochialem Eccleſiam, in loco alias ad id congruo & honeſto unam domum ſub vocabulo dicti ſancti Ludovici, cum Eccleſia, campana, clauſtro, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis & aliis neceſſariis officinis, pro uſu & habitatione Fratrum Minorum de Obſervantia, de novo fundandi, erigendi, conſtruendi & ædificandi, ſeu fundari, erigi, conſtrui & ædificari faciendi, ipſiſque Fratribus illam pro eorum uſu & habitatione hujuſmodi recipiendi, plenam & liberam licentiam auctoritate noſtra concedas. Nos enim ſi conceſſionem hujuſmodi per te, vigore præſentium fieri contigerit, ut præfertur, univerſis & ſingulis Fratribus dicti Ordinis in ipſa erigenda domo pro tempore commoraturis, quod omnibus & ſingulis privilegiis, immunitatibus, libertatibus, favoribus, gratiis & indultis, quibus alii Fratres prædicti Ordinis utuntur & gaudent, uti valeant pariter & gaudere, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus. Non obſtantibus fel. record. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri &c. & aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis ceteriſque contrariis quibuſcumque: jure tamen parochialis Eccleſiæ & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLII. IV. Nonas Julii, Pontificatus noſtri anno VI.

LXXIX.

LXXIX.

Ut concedat Renato Regi & Duci Lotharingiæ facultatem condendi tria Cœnobia Fratrum & totidem Monaſteria Clariſſarum. Ex Regeſt. Vatic. lib. 37. bullarum. fol. 249.

Dilecto filio Archidiacono Eccleſiæ Tullen. &c.

§. I. PIa Deo & Eccleſiæ deſideria, ex quibus ſacræ Religionis propagatio, animarum ſalus, & Divini cultus augmentum procuratur, libenter Apoſtolico favore proſequimur, & ut illa ad optatum perducantur effectum, cum a nobis petitur, partes noſtræ ſollicitudinis interponimus.

§. II. Sane pro parte cariſſimi in Chriſto filii noſtri Renati, Hieruſalem & Siciliæ Regis illuſtris, nobis nuper oblata petitio continebat, quod ipſe Rex zelo devotionis accenſus, in Bari & Lotharingiæ Ducatibus, temporali dominio ſibi ſubjectis, tres Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia domos & totidem domos ſanctæ Claræ Monialium ſive Sororum Monaſteria in locis ad id aptis & idoneis de novo fundare, conſtruere & ædificare, ſeu fundari, conſtrui & ædificari facere, ferventer exoptat, dummodo ſibi ſuper hoc Apoſtolicæ Sedis ſuffragetur auctoritas. Quare pro parte dicti Regis nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſibi licentiam hujuſmodi concedere, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III. Nos igitur, qui noſtris potiſſime temporibus Religionis propagationem, ac Divinum cultum ubique vigere & augeri, ſupremis affectibus deſideramus, prædicti Regis pium & laudabile propoſitum in hac parte plurimum in Domino commendantes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſi eſt ita, prædicto Regi in Bari & Lotharingiæ Ducatibus, in locis ad id aptis & idoneis tres domos, pro uſu & habitatione Fratrum Minorum de Obſervantia, & totidem Monaſteria Monialium Ordinis ſanctæ Claræ cum Eccleſiis, campanis, clauſtris, dormitoriis, cœmeteriis, refectoriis, hortis, hortalitiis & aliis neceſſariis officinis, Ordinariorum locorum & quorumcumque aliorum ſuper hoc licentia vel aſſenſu minime requiſitis, de novo fundandi, conſtruendi & ædificandi, ſeu fundari, conſtrui & ædificari faciendi plenam & liberam licentiam auctoritate noſtra concedas.

§. IV. Nos enim, ſi domos & Monaſteria hujuſmodi vigore licentiæ prædictæ, prædicto Regi vigore præſentium concedendæ, fundari, conſtrui & ædificari contigerit, ut præfertur, Fratribus in domibus, & Abbatiſſæ & Sororibus in Monaſteriis hujuſmodi pro tempore commorantibus, ut omnibus & ſingulis privilegiis, exemptionibus, libertatibus, favoribus, gratiis & indultis, quibus cetera Ordinum prædictorum loca, domus & Monaſteria de regulari Obſervantia quomodolibet utuntur & gaudent, ſeu uti & gaudere poſſunt, pari modo uti & gaudere poſſint: quodque domus & Monaſteria, Fratres, Sorores & aliæ perſonæ in eis pro tempore degentes, non ſub Fratribus *de Bulla* nuncupatis, vel eorum Generali ſeu Vicario, aut quocumque alio dicti Ordinis Prælato ſeu Miniſtro, ſed dumtaxat ſub obedientia Generalis Miniſtri, Provinciarumque Miniſtrorum ſub dicta Obſervantia, quemadmodum Fratres Dolæ & Burgundiæ ejuſdem Ordinis, ceteraque loca ab eis dependentia, tam reformata quam conſtructa per quondam Coletam, perpetuis futuris temporibus ſint & debeant, ac per Generalem & Provinciales Miniſtros Ordinis hujuſmodi viſitari debeant & teneantur, au-

auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, de ſpeciali gratia indulgemus, ſtatuimus & ordinamus. Non obſtantibus tam felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri prohibente, ne Fratres Ordinum Mendicantium in aliqua Civitate, Caſtro vel Villa ſeu loco alio ad inhabitandum domos vel loca quæcumque de novo recipere præſumant, abſque Sedis Apoſtolicæ ſpeciali licentia, faciente plenam & expreſſam ac de verbo ad verbum de prohibitione hujuſmodi mentionem, quam Eugenii Papæ IV. &c. ac in Conſtantien. ac in provincialibus & Synodalibus Conciliis editis generalibus vel ſpecialibus conſtitutionibus, necnon ſtatutis & conſuetudinibus Ordinum prædictorum, juramento, confirmatione, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque & litteris Apoſtolicis, prædictis Fratribus *de Bulla* in genere conceſſis & in poſterum concedendis, ceteriſque contrariis quibuſcumque: jure tamen parochialium Eccleſiarum, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLII. Idibus Julii, Pontificatus noſtri anno VI.

LXXX.

Ut Monaſterium Sororum Ordinis ſancti Benedicti in Conventum Minorum convertat. Ibid. lib. 1. de dignitatib. & præbend. vacantib. & de Regularib. fol. 302.

Venerabili Fratri Epiſcopo Soran. &c.

Vide Conſt. 31. hujus Pontif.

§. 1. ETſi cunctorum &c. Sane pro parte dilecti filii nobilis viri Juliani de Celano Baronis, Domini Caſtri Inſulæ filiorum Petri, tuæ diœceſis, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod cum olim Monaſterium Monialium ſancti Joannis Baptiſtæ prædicti Caſtri, Ordinis ſancti Benedicti, Abbatiſſa & Monialibus, quæ computata dicta Abbatiſſa, tres dumtaxat eſſe conſueverunt & omnes ſucceſſive deceſſerunt, per hujuſmodi earum deceſſus foret penitus deſtitutum, & tam propter maximam tenuitatem & exilitatem illius fructuum, redituum & proventuum, qui ad congruam Abbatiſſæ & Monialium, ſi quæ ibidem inantea degerent, ſuſtentationem minime ſuppetebant, quam etiam propter collapſum ſtructurarum & ædificiorum ejuſdem Monaſterii, nulla reperiretur, quæ illud, ut in eo dictum Ordinem profiteretur, ingredi & in ejus Monialem recipi, aut etiam in Abbatiſſam præfici vellet; quondam Paulus de Celano, Pater dicti Juliani, ejuſdem Caſtri ſimiliter Dominus, tunc in humanis agens, ne propter præmiſſa locus ille Divini cultus deſtitutionum & deſolationum opprobrio ulterius ſubjaceret, volens, quantum in eo erat, providere, ac ſingulari & magna, quam ad beatum Franciſcum ejuſque Ordinem Fratrum Minorum gerebat, devotione ductus, quoſdam religioſos numero tres, ejuſdem Ordinis Minorum profeſſores, ad eumdem locum in Divinis & prædicationis officio inibi ſervituros, ab illorum Superioribus, abſque tamen Apoſtolicæ Sedis, vel alia canonica licentia tranſmittere, eoſque vel ſucceſſive alios pro eis, juxta morem ipſius Ordinis, illuc translatos, ex tunc quoad vixerit, perpetuo remanere, ac in ſubſidium ſuſtentationis vitæ ipſorum omnes fructus, reditus & proventus prædictos aſſignari procuravit & fecit: & deinde poſt illius obitum prædictus Julianus prædictos & ſucceſſive alios pro eis, juxta morem ipſum, in eodem numero ſimiliter translatos Ordinis Minorum hujuſmodi profeſſores, prædicationi & Divinis eiſdem inſiſtentes, eodem in loco, & cum ſimiliter fructuum, redituum & proventuum aſſignatione ſive

Exordium.

Monaſterium deſtitutum ob Sororum deceſſum.

Minores in eo abſque Sedis Apoſtolicæ facultate admiſſi.

ſu-

ſuſtentatione quorumcumque, continuo ſuſtinuit & toleravit, prout ſuſtinet & tolerat etiam de præſenti.

§. II. Cum autem tranſmiſſio, translatio, reſidentia, aſſignatio & alia præmiſſa, utpote facta ſive attentata poſt & contra conſtitutionem felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri &c. de facto proceſſerint, dictique Fratres, qui abſque licentia Sedis hujuſmodi, ut præmittitur, Monaſterium prædictum recipiendo, in eo olim degerant, nuncque degunt, ſententiam excommunicationis in eadem conſtitutione prædicta latam incurrerint; & ſicut eadem petitio ſubjungebat, prædictus Julianus adinſtar dicti Patris ſui, magno ad Ordinem Fratrum Minorum hujuſmodi devotionis zelo ſuccenſus, Monaſterium prædictum, ut continuata hactenus Divini cultus reſtauratio, & obſervata prædicatio hujuſmodi inibi perpetuentur, in domum Conventualem dicti Ordinis Minorum erigi, ipſique Ordini in perpetuum applicari, concedi & aſſignari deſideret: pro parte ipſius Juliani, aſſerentis fructus, reditus & proventus antedictos decem florenos aureos de Camera, ſecundum communem æſtimationem, valorem annuum non excedere, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Fratres prædictos a ſententia hujuſmodi abſolvere, & Monaſterium prædictum in domum Conventualem dicti Ordinis Minorum erigere, aliaſque ſuper his opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Qui propterea excommunicationem declaratur incurriſſe.

§. III. Nos igitur, qui cultum Divinum ubique vigere & augeri noſtris potiſſime temporibus affectamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſi eſt ita, omnes & ſingulos Fratres prædictos, qui abſque licentia Sedis hujuſmodi Monaſterium prædictum recipientes, in eo olim degerunt nuncque degunt, ut præfertur, quorumque nomina & cognomina præſentibus haberi volumus pro expreſſis, ſi hoc humiliter petierint, ab excommunicationis ſententia auctoritate noſtra abſolvas in forma ſolita & conſueta, injunctis tamen eis pro modo culpæ pœnitentia ſalutari & aliis quæ de jure fuerint injungenda; & nihilominus ipſorum Fratrum ſingulis ſuper irregularitate, ſi quam præmiſſorum occaſione ſic ligati contraxerunt, hac vice dumtaxat diſpenſes, & omnem inhabilitatis & infamiæ notam aboleas: & inſuper Monaſterium prædictum, etiamſi ab aliquo dependeat, Abbatiſſali dignitate & Ordine ſancti Benedicti, ac dependentibus hujuſmodi in eo ſuppreſſis penitus & extinctis, in domum Conventualem Ordinis Fratrum Minorum hujuſmodi erigas, illudque cum ejus Eccleſia & ſub eodem vocabulo ſancti Joannis Baptiſtæ, necnon cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis ipſi Minorum Ordini in perpetuo applices, concedas pariter & aſſignes. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nos enim ſi erectionem, vigore præſentium, ut præfertur, feceris, ut eadem domus & Fratres in eo pro tempore commorantes, omnibus & ſingulis privilegiis, exemptionibus, libertatibus, gratiis & indultis, quibus aliæ domus ſeu Fratres ejuſdem Ordinis utuntur & gaudent, uti pariter & gaudere valeant, tenore præſentium concedimus & indulgemus &c.

Datur Epiſcopo facultas eos abſolvendi.

Et Monaſterium in Franciſcanum convertendi Cœnobium.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLII. Nonis Septembris, Pontificatus noſtri anno VI.

LXXXI.

Ut concedat facultatem conſtruendi Monaſterium Clariſſarum in oppido Sulmonæ. Ibid. fol. 304.

Venerabili Fratri Epiſcopo Valven. &c.

Ut ſup. Conſtit. 39. hujus Pont.

§. I. PIa Deo & Eccleſiæ deſideria &c. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Catarinæ de Morelinis nobilis & nonnullarum aliarum mulierum de Terra Sulmonæ tuæ diœceſis, petitio continebat, quod ipſæ zelo devotionis accenſæ, de bonis ſibi a Deo collatis, in aliquo loco honeſto & commodo in dicta terra conſiſtenti, unum Monaſterium Monialium Ordinis ſanctæ Claræ ſub regulari Obſervantia viventium, ſub vocabulo ſanctorum Coſmæ & Damiani, de novo conſtruere & ædificare, ſeu conſtrui & ædificari facere ferventer exoptant, dummodo eis ſuper hoc per Sedem Apoſtolicam licentia concedatur. Quare pro parte ipſarum Catarinæ & mulierum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis licentiam hujuſmodi concedere, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Religionis propagationem & Divini cultus augmentum, noſtris potiſſime temporibus ubique vigere & augeri ſupremis affectibus deſideramus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi eſt ita, prædictis Catarinæ & mulieribus de prædictis earum bonis in eadem terra, in aliquo loco ad id convenienti & honeſto, unum Monaſterium Monialium Ordinis ſanctæ Claræ ſub regulari Obſervantia viventium, ad honorem omnipotentis Dei & ſub vocabulo dictorum ſanctorum Coſmæ & Damiani, cum Eccleſia, campanili humili, campana, clauſtro, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, alicujus alterius ſuper hoc licentia minime requiſita, de novo fundandi, conſtruendi & ædificandi, ſeu conſtrui, fundari & ædificari faciendi plenam & liberam licentiam auctoritate noſtra concedas.

§. II. Nos enim Sororibus in dicto erigendo Monaſterio pro tempore commorantibus, ac ſub regulari Obſervantia ejuſdem Ordinis viventibus, quod omnibus & ſingulis privilegiis & indultis, aliis Monaſteriis ejuſdem Ordinis de Obſervantia, ac Sororibus in eis degentibus, per Sedem Apoſtolicam vel alias in genere conceſſis, uti & gaudere, necnon Virgines & mulieres ad profeſſionem recipere, earumque Superiorem juxta conſuetudinem prædicti Ordinis eligere libere & licite valeant, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus: volentes quod ipſæ Moniales ſub cura & protectione Vicarii Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia Provinciæ Aprutinæ, qui earum confeſſiones audiat & gubernet, prout alia Monaſteria ejuſdem Ordinis ſanctæ Claræ de Obſervantia, ſint & eſſe cenſeantur. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis &c. contrariis quibuſcumque: jure tamen parochialis Eccleſiæ & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLII. VII. Idus Decembris, Pontificatus noſtri anno VI.

LXXXII.

Ne Fratres aut Sorores provinciæ Burgundiæ compellantur ſubeſſe Vicariis Obſervantum. Ibid. fol. 266.

Ad futuram rei memoriam.

§. I. EX paternæ caritatis affectu, Religionum omnium, quarum fragrantia laudabili ſacroſancta militans Eccleſia referta conſpicitur, ſtatum reddi cupientes pacificum, digne quæ ad pacem & quietem ſunt quorumlibet ſub regulari ſuorum Ordinum Obſervantia, ſtudio piæ vitæ vacantium, paterna ſollicitudine proſequimur, & eos a quorumvis perturbationis & moleſtiæ diſpendiis, Apoſtolicis libenter præſervamus præſidiis, ut quo quietior fuerit eorum ſtatus, eo libentius fructuoſiuſque valeant Altiſſimo reddere vota ſua.

§. II. Sane pro parte dilectorum filiorum univerſorum Fratrum Conventus Dolæ, Biſuntinæ diœceſis, & aliarum domorum Ordinis Fratrum Minorum, ſub regulari Obſervantia & obedientia Generalis & Provincialium Miniſtrorum, ac aliorum ſuorum ſuperiorum ordinariorum viventium, provinciæ Burgundiæ ſecundum morem dicti Ordinis, necnon dilectarum in Chriſto filiarum Abbatiſſarum & Conventuum Monaſteriorum Ordinis ſanctæ Claræ, per quondam Coletam Sororem dicti Ordinis ſanctæ Claræ fundatorum, ſub eadem obedientia degentium, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipſi, qui a longo tempore Obſervantiam hujuſmodi amplexi fuerunt, etiam cum pleriſque aliarum dicti Ordinis domorum, per eamdem Coletam etiam fundatarum, Fratribus, eis in Obſervantia & obedientia hujuſmodi conjunctis, ſub obedientia prædicta vivere conſueverint, & dudum cum ſe obedientiæ Generalis Vicarii Ultramontani Fratrum de Obſervantia dicti Ordinis quorumdam perſuaſione ſubmiſiſſent, obedientiam Vicarii hujuſmodi deſerentes, ad priorem obedientiam revocati fuerunt, ſub eadem priori obedientia degere & remanere deſiderant; dubitantque, ne obtentu quarumdam litterarum noſtrarum adverſus diverſas alias per nos ſuper hoc, quod in priori obedientia hujuſmodi manere, nec ad illius mutationem compelli poſſint, eis & aliis, ipſis conjunctis Fratribus, ac Abbatiſſis & Conventibus inſciis, ad ſuggeſtionem dilecti filii Nicolai Pichon fratris Ordinis Minorum, & olim dictæ domus Dolæ Guardiani, ut aſſeritur, impetratarum, ipſi & alii Fratres eis in Obſervantia prædicta uniti ut præfertur, quo minus ſub priori obedientia hujuſmodi vivere & remanere valeant, per Ultramontanum Vicarium prædictum & ſibi adhærentes Fratres indebite moleſtari & perturbari poſſint. Quare prædicti Fratres ſub priori Obſervantia viventes, ac Abbatiſſæ & Conventus prædicti aſſerentes, quod occaſione poſtremo impetratarum litterarum prædictarum, quas prædictus Nicolaus ſuper hoc, quod iidem Fratres ſub priori Obſervantia hujuſmodi viventes, ac Abbatiſſæ & Conventus ad prædicti Vicarii obedientiam ſe reducere debeant, a nobis emanaſſe aſſerunt, gravia diſſidia & ſcandala inter ipſos & dictum Nicolaum, ac alios ſibi aſſentientes Fratres, propter quæ ipſe Nicolaus cum eiſdem ſibi aſſentientibus Fratribus a prædicta domo Dolæ ſeceſſit, ſuborta fuerunt, nobis humiliter ſupplicarunt, ut ne ad hujuſmodi ſuæ mutationem obedientiæ arctentur inviti, ſed tam ipſi, quam prædicti eis adjuncti Fratres, ſub dicta priori Obſervantia vivere & remanere libere & licite poſſint & debeant, opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III. Nos igitur hujuſmodi in hac parte ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica, præſentium ſerie decernimus, quod ſingulæ priores litteræ noſtræ prædictæ, prædictis Fratribus, ſub obedientia Generalis & aliorum Miniſtrorum & ſuperiorum Ordinariorum ſuorum obedientia viventibus, necnon Abbatiſſis & Conventibus prædictis ſuper hoc, quod ſub eadem obedientia remanere poſſint, conceſſæ, dictis poſtremo impetratis litteris, & quibuſvis in illis contentis clauſulis, quæ eiſdem prioribus litteris contrariari videntur, nequaquam obſtantibus, plene ſubſiſtere debeant quoad omnes domos, & perſonas in illis complexas, priſtini roboris firmitate; quodque prædicti Fratres ſub dicta priori obedientia viventes, ac Abbatiſſæ & Conventus, necnon aliarum domorum per prædictam Coletam fundatarum Fratres in eadem Obſervantia ipſis invitis, ut præfertur, ſub ipſa priori obedientia libere & licite remanere poſſint & debeant, nec ad illius mutationem per quemquam, poſtremo impetratarum litterarum, ac per eas forſitan habitorum proceſſuum prætextu, poſſint quomodolibet coarctari; quinimo quoad hoc per eaſdem poſtremo impetratas litteras, & proceſſus per eas pro tempore habitos, quaſvis etiam in ſe cenſuras & pœnas continentes, neminem arctare volumus, ſed pro caſſis & infectis haberi, nulliuſque cenſeri roboris vel momenti. Nulli ergo &c. ſi quis &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLII. VII. Idus Decembris, Pontificatus noſtri anno VI.

LXXXIII.

Ut det facultatem ædificandi Conventum Obſervantum in oppido Savigliani.
Ibid. lib. 1. de dignitatib. vacant. & Regular. fol. 249.

Venerabili fratri Epiſcopo Montis Regalis &c.

§. I. AD ea per quæ fœcundi fructus, quos in agro militantis Eccleſiæ ſacra Fratrum Minorum Religio, in propagationem Divini cultus & fidei orthodoxæ producit aſſidue, ut uberius pullulent & ſuccreſcant, libenter intendimus, ac illa, quæ propterea rite proceſſiſſe comperimus, ut illibata perſiſtant, libenter cum a nobis petitur, Apoſtolico mandamus munimine roborari.

§. II. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Hieronymi de Janua Vicarii Provincialis provinciæ Januen. juxta morem Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia, ac Univerſitatis & hominum loci de Savigliano, Taurinen. diœceſis, petitio continebat, quod olim dilectus filius Daniel Abbas Monaſterii ſancti Petri de dicto loco, Romanæ Eccleſiæ immediate ſubjecti, Ordinis S. Benedicti, provide conſiderans domum Fratrum Minorum regularis Obſervantiæ, quam ipſi Univerſitas & homines in eodem loco habere deſiderabant, nedum ad ipſorum, ſed etiam ad incolarum locorum circumvicinorum animarum ſalutem & conſolationem plurimum profuturam; pro illius fundatione & conſtructione parochialem Eccleſiam beatæ Mariæ Plebis extra muros dicti loci, quæ membrum dicti Monaſterii exiſtit, una cum illius campanili, campanis, domo, ædificiis, area & horto, ac aliis tunc expreſſis, præfatis Univerſitati tradidit & donavit, prout in inſtrumento publico deſuper confecto dicitur plenius contineri. Quare pro parte Hieronymi ac Univerſitatis prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut traditionem & donationem prædictas, ac omnia & ſingula in dicto inſtrumento contenta approbare & confirmare, nec-

necnon alias ſuper his opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III. Nos igitur, qui Divini cultus augmentum, & Religionis propagationem vigere & augeri intentis deſideriis affectamus, de præmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſi, & poſtquam vocatis dicto Abbate & aliis qui fuerint evocandi, tibi de præmiſſis legitime conſtiterit, traditionem & donationem, ac prout illas contingunt & rationabiliter proceſſerunt in inſtrumento contenta, prædicta auctoritate noſtra approbes & confirmes: &, ſi approbationem & confirmationem hujuſmodi feceris, eiſdem Hieronymo & Univerſitati Eccleſiam prædictam, & illius domos in domum, pro aliquorum Fratrum Ordinis & Obſervantiæ prædictorum uſu & habitatione, cum campanili, campana, clauſtro, dormitorio, cœmeterio, horto, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis erigendi, ſeu de novo fundandi & conſtruendi, ac omnia & ſingula in præmiſſis & circa ea neceſſaria ſeu etiam opportuna faciendi & exequendi, proviſo quod animarum cura dictæ Eccleſiæ nullatenus negligatur, ſed prout antea diligenter exerceatur, ac jure parochialis Eccleſiæ antedictæ & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo, plenam & liberam eadem auctoritate licentiam concedas.

§. IV. Nos enim Fratribus in prædicta domo pro tempore commorantibus, quod ipſi & domus prædicta, omnibus & ſingulis privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, indulgentiis, gratiis & indultis, aliis domibus & Fratribus Ordinis & Obſervantiæ prædictorum in genere per nos vel Sedem Apoſtolicam, ſeu alias quomodolibet conceſſis, uti & gaudere libere & licite poſſint & valeant, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium concedimus pariter & indulgemus. Non obſtantibus ſel. record. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri &c. & quibuslibet aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Monaſterii ſancti Benedicti & Ordinis prædictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLII. pridie Nonas Januarii, Pontificatus noſtri anno VI.

LXXXIV.

Ut poſſit conſtruere Conventum Obſervantum in caſtro Pedenatli. Ibidem.

Dilecto filio Laurentio de Monte Vicario Provinciali Provinciæ Provinciæ, juxta morem Ordinis Fratrum Minorum regularis Obſervantiæ &c.

UT ſacer Ordo Fratrum Minorum &c. Cum itaque, ſicut exhibita nobis nuper pro parte tua petitio continebat, tu attente conſiderans eximium devotionis fervorem, quem dilecti filii Univerſitas & homines Caſtri Pedenatii, Agathen. diœceſis, quod famoſum & bonis ſeu facultatibus abundans exiſtit, ad dictum Ordinem gerunt, in præfato Caſtro, in quo nulla domus ſeu nullus Conventus Ordinum Mendicantium habetur, unam domum dicti Ordinis Minorum fundare & conſtruere, ſeu fundari & conſtrui facere ſummopere deſideres. Nos, qui ad dictum Ordinem ſpecialis gerimus devotionis affectum, & ad ea libenter intendimus, per quæ Ordo ipſe ulterius novis palmitibus valeat propagari, tuis in hac parte ſupplicationibus

Ut ſup. Conſt. 66. hujus Pontificis.

bus inclinati, unum locum in præfato Caſtro, ſeu extra illud in ejus diſtrictu conſiſtentem, qui tibi largitione fidelium concedi ſeu elargiri canonice contigerit, recipiendi, & in illo unam domum, cum Eccleſia, campanili, campana, cœmeterio, clauſtro, hortis, hortalitiis & aliis neceſſariis officinis, pro uſu & habitatione Fratrum dicti Ordinis ſub illius regulari Obſervantia inibi pro tempore degentium, conſtruendi & erigendi, ſeu conſtrui & erigi faciendi, ſel. record. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri &c. & aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis nequaquam obſtantibus, Diœceſani loci & cujuſcumque alterius licentia deſuper nullatenus requiſita, plenam & liberam auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium licentiam elargimur; ac volumus & eadem auctoritate decernimus, quod domus conſtituenda prædicta, & in ea pro tempore degentes Fratres, omnibus & ſingulis privilegiis, exemptionibus, libertatibus, gratiis & indultis, aliis domibus & Fratribus Ordinis & Obſervantiæ prædictorum conceſsis & in poſterum concedendis, uti poſſint pariter & gaudere &c. Nulli ergo &c. Si quis &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLII. v. Idus Januarii, Pontificatus noſtri anno VI.

LXXXV.

Ut concedat fratri Franciſco de Carreto licentiam fundandi Conventum Minorum in oppido Spigni. Ibid. fol. 284.

Dilecto filio Præpoſito Eccleſiæ Saonen. &c.

Ut ſup. Conſt. 39. hujus Pontificis.

§. I. PIa Deo & Eccleſiæ deſideria &c. Sane pro parte dilecti filii Franciſci de Carreto, Ordinis Fratrum Minorum, Magiſtri in Theologia, petitio continebat, quod dilectus filius nobilis vir Franciſcus de Carreto, ex Marchionibus Saonæ, Dominus loci Spigni, Saonen. diœceſis, fervore devotionis accenſus, ac cupiens terrena in cœleſtia & tranſitoria in æterna felici commercio commutare, ad honorem & Omnipotentis Dei laudem, ac beatæ Mariæ Virginis, necnon ſanctorum Franciſci ac Bernardini totiuſque cœleſtis Curiæ, ac pro ſuæ parentumque & amicorum ſuorum animarum ſalute, ac Divini cultus augmento, pro fundatione & conſtructione unius domus ſeu Oratorii pro uſu & habitatione Fratrum Minorum, de bonis ſibi a Deo collatis certum fundum, ac domos in dicto loco conſiſtentes, necnon alia bona dare & aſſignare paratus exiſtit; dictuſque frater Franciſcus ſuper hujuſmodi fundo ex eiſdem bonis & aliis, Chriſtifidelium elargitione unam domum ſeu oratorium cum Eccleſia, campanili, campanis, cœmeterio, clauſtro, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, ſub vocabulo dicti ſancti Bernardini de novo fundare, conſtruere, ædificare, erigere ſeu fundari, conſtrui, ædificari & erigi facere, Domino concedente proponit, ſi ei ſuper hoc Apoſtolicæ Sedis ſuffragetur auctoritas. Quare pro parte dicti fratris Franciſci, qui etiam ex dictis Marchionibus traxit originem, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ei fundandi, conſtruendi, ædificandi & erigendi domum ſeu Oratorium hujuſmodi licentiam concedere, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui cultum & Religionem hujuſmodi ubique vigere & augeri, noſtris potiſſime temporibus affectamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus & committimus, quatenus ſi eſt ita, prædicto fratri Franciſco unam domum ſeu Oratorium cum Eccleſia, campanili, campanis, cœmeterio, clauſtro, hortis, hor-

hortalitiis ac aliis neceſſariis officinis in dicto fundo, dummodo ad hoc conveniens fuerit, pro uſu & habitatione dictorum Fratrum Minorum, qui ſub Vicarii generalis ejuſdem Ordinis Miniſtri regimine perpetuo vivere debeant, ſub vocabulo ſancti Bernardini, de novo fundandi, conſtruendi & erigendi, ſeu fundari, conſtrui & erigi faciendi, plenam & liberam auctoritate noſtra licentiam concedas, diœceſani loci & cujuſvis alterius ſuper hoc licentia & aſſenſu minime requiſitis. Non obſtantibus ſel. record. Bonifacii Papæ VIII. &c. & quibuſcumque aliis conſtitutionibus Apoſtolicis &c. Volumus autem quod ipſi Fratres, quos in dicta fundanda domo pro tempore morari contigerit, omnibus & ſingulis privilegiis, gratiis, exemptionibus & aliis indultis, quibus ceteri Fratres & domus ejuſdem Ordinis in genere gaudent & utuntur, etiam uti valeant pariter & gaudere: jure tamen parochialis Eccleſiæ & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLII. X. Kalendas Februarii, Pontificatus noſtri anno VI.

LXXXVI.

Ut ſe ſubjicere poſſint Vicario Ultramontano Obſervantum. Ibid. lib. 37. bullarum. fol. 201.

Dilectis filiis Guardiano & Fratribus de Dola & de Chariaco domorum, Ordinis Fratrum Minorum, Biſuntinæ diœceſis &c.

§. I. SAcræ Religionis, ſub qua mundanis abdicatis illecebris &c. Sane pro parte veſtra nobis nuper exhibita petitio continebat, quod licet alias poſtquam ſel. rec. Eugenius Papa IV. prædeceſſor noſter, quod univerſi profeſſores Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia ſub uno eodemque regimine, ac caritatis ejuſdem Obſervantiæ unione Altiſſimo famularentur, motu proprio & ex certa ſcientia omnia domus, Conventus & eremitoria & alia loca, quocumque nomine cenſerentur, in quibus aliqui ex profeſſoribus prædictis certo tunc expreſſo tempore vixiſſent, quæcumque & qualiacumque eſſent, Citramontani videlicet Citramontano, Ultramontani vero Ultramontano Vicariis Ordinis & Obſervantiæ prædictorum perpetuo ſubeſſent, mandans diſtrictius omnibus ſub excommunicationis pœna, quam ſecus facientes ipſo facto incurrerent, quatenus Citramontani Citramontano, Ultramontani vero profeſſores Ultramontano parerent & intenderent, per ſuas litteras ſtatuerit & ordinaverit, ac nonnulla tunc expreſſa fecerit, prout in dictis litteris plenius continetur: tamen nonnulli ex vobis, ac dilectis filiis de Salleriis, ac de Biffrato domorum veſtri Ordinis, Biſuntin. & Eduen. diœceſis, qui alias quaſdam, per quas ex certis tunc nobis pro parte veſtra expoſitis cauſis, nonnullis tunc expreſſis Judicibus dederimus in mandatis, ut ſe de tunc nobis expoſitis hujuſmodi diligenter informarent, & ſi per informationem ea fore vera repererint, prædictas domos a Vicario Ultramontano & ab eo ſubſtituto, ac quibuſcumque aliis ſuperioribus Fratrum de Obſervantia hujuſmodi eximerent, & nonnulla alia tunc expreſſa facerent, a nobis impetravere; & tam harum, quam etiam aliarum ſub data X. Kal. Novembris, Pontificatus noſtri anno II. ad ſupplicationem dilectorum filiorum nobilis viri Bernardi Comitis Armaniachi, ac univerſorum Fratrum Ordinis Minorum, in domibus, eremitoriis & locis in Burgundiæ, Aquitaniæ, ac diverſis aliis partibus conſiſtentibus ſub Obſervantia & aliis ipſius Ordinis inſtitutis regularibus, juxta reformationem & operationem quondam Coletæ Bocheti, ſororis Ordinis ſanctæ Claræ, pro illius Monaſteriorum, per eamdem Coletam fundatorum, illarumque Sororum conſer-

Ut in Conſtit. 23. hujus Pont.

Supplicationis tenor.

ſervatione factam, pro tempore degentium ſupplicatione conceſſarum, per quas inter cetera decrevimus, ſtatuimus & ordinavimus, quod dicti Fratres ac prædicta eorum, necnon alia, ſi quæ ejuſdem Ordinis de Obſervantia per Generalem Miniſtrum & alios Superiores ipſius Ordinis in poſterum ubilibet fundarentur & reformarentur domus & Eremitoria & loca, necnon de ipſa Obſervantia & Obedientia Fratres, qui in eis pro tempore degerent, ſub litteris Eugenii prædeceſſoris prædictis nullatenus comprehenderentur, ſed Generali Miniſtro & aliis Superioribus Ordinis prædicti ſubeſſent & illis obedire tenerentur, vigore prædicto Vicario Ultramontano vos ſubjicere & illi obedire juxta dictarum Eugenii prædeceſſoris litterarum continentiam atque formam deſideratis, ſed obſtantibus prædictis & aliis noſtris litteris, per quas ſub data v. Nonas Julii, Pontificatus noſtri anno 1. inter alia ex certa noſtra ſcientia ſtatuimus, decrevimus & ordinavimus, quod prædictæ & omnes aliæ domus per eamdem Coletam reformatæ, ut præfertur, cum omnibus & ſingulis dictarum domorum ſtatutis, conſuetudinibus, uſibus & ſtylis in ſupradictorum Prælatorum obedientia conſueta libere remanere tenerentur; aliis ſub prædicti Vicarii obedientia vivere volentibus ab eiſdem domibus recedendi licentia non negata, diſtrictius inhibentes eiſdem Vicariis ſub ejus obedientia vivere volentibus Fratribus in virtute ſanctæ Obedientiæ, ac ſub excommunicationis pœna, quam quilibet ex contra facientibus incurreret eo ipſo, ne Fratres domorum hujuſmodi aut ipſorum aliquem, ſeu domos prædictas ſub eorum obedientia vendicare aut transferre præſumerent, ac decernentes ex tunc irritum & inane, ſi ſecus ſuper iis a quoquam, quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter attentatum forſan erat, vel in poſterum contingeret attentari; id abſque ſpeciali noſtra licentia, & Miniſtri opere efficere poſſe dubitatis.

Aliæ Pontificiæ litteræ ad hoc negotium expeditæ.

§. II. Nos igitur veſtro pio & laudabili deſiderio hujuſmodi favorabiliter annuentes, omnium & ſingularum prædictarum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, tenore præſentium indulgemus vobis ac omnibus aliis quarumcumque aliarum domorum ejuſdem provinciæ Guardianis & Fratribus vobis adhærere volentibus, ac veſtrum & ipſorum cuilibet, quod vos & ipſos, ac veſtras & illorum domus, Conventus ſeu loca, Vicario Ultramontano prædicto perpetuo ſe ſubjicere & illi obedire poſſitis & poſſint libere & licite: ita tamen quod ſemper ſalva Obſervantia regulari, Generali Miniſtro pro tempore exiſtenti & aliis Superioribus dicti Ordinis in omnibus & per omnia, prout alii Fratres de Obſervantia hujuſmodi tenentur, obedire teneamini & teneantur. Mandantes ſub excommunicationis pœna, quam eo ipſo contrafacientes incurrant, & a qua quis, præterquam in mortis articulo conſtitutus, non niſi a nobis vel Sede prædicta aut Vicario Ultramontano, ſeu ad id per eum deputato, quibus deſuper harum ſerie plenam concedimus facultatem, abſolutionis beneficium valeat obtinere, vobis & cuilibet veſtrum, ac omnibus aliis dictæ provinciæ ſub obedientia hujuſmodi vivere volentibus, ut poſtquam vos & ipſi, vos & eos hujuſmodi ſubjeceritis & ſubjecerint, ab ipſa obedientia nullatenus recedant, ſed eidem Vicario perpetuis futuris temporibus debitam obedientiam præſtantes, ejus ſalubria monita & mandata humiliter & efficaciter adimplere curetis & curent. Non obſtantibus præmiſſis ac conſtitutionibus & ordinationibus, necnon prædictis & quibuſvis aliis per nos conceſſis litteris, quibus omnibus & ſingulis quoad præmiſſa expreſſe deroganus, atque pro inſectis habemus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo &c. Si quis &c.

Fratribus Ultramontanis obedientia conceſſum.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLII. III. Kalendas Martii, Pontificatus noſtri anno VI.

LXXXVII.

LXXXVII.

Ut omnia legata bonorum mobilium vel immobilium facta Eccleſiæ Minorum Antibaren. applicarentur fabricæ & reparationi ejuſdem. Ibid. lib. de Regular. & de diverſis formis. fol. 124.

Venerabili fratri Archiepiſcopo Antibaren. ſalutem &c.

§. I. SEdis Apoſtolicæ &c. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Guardiani & Fratrum domus S. Nicolai extra muros Antibaren. Ordinis Fratrum Minorum, petitio continebat, quod licet dudum tunc Rector capellæ & Eccleſiæ ſine cura S. Nicolai extra dictos muros, prædictam Eccleſiam ſeu capellam nonnullis Fratribus prædicti Ordinis pro fundanda ſeu conſtruenda inibi una domo ejuſdem Ordinis dederit & conceſſerit, & poſtmodum capella ſive Eccleſia hujuſmodi in domum ipſius Ordinis canonice erecta ſeu inſtituta fuerit, & ex tunc Fratres in dicta domo commorantes, in dicta Eccleſia ſeu capella, quæ pro Eccleſia ejuſdem domus deputata extitit, Miſſas & alia divina officia continuo celebraverint, credaturque, quod omnia & ſingula, præſertim de immobilibus bonis eidem Eccleſiæ pro tempore facta legata ad dictam Eccleſiam pertineant & pertinere debeant; tamen nonnulli presbyteri ſeculares, qui non inſtitutionis vel collationis vel alterius proviſionis ſibi de dicta capella ſeu Eccleſia factis, at cujuſdam ſubſtitutionis vel ſucceſſionis vigore, hoc modo videlicet, quia unus alteri ex presbyteris prædictis eam in morte dimiſit, fructus, reditus & proventus, jura, obventiones emolumentaque ac omnia legata dictæ capellæ ſeu Eccleſiæ facta, de immobilibus in totum, de mobilibus vero bonis pro medietate ſibi uſurpaverunt, prout adhuc quidam ſacerdos uſurpat. *Vide Conſt. 19. hujus Pontificis.*

§. II. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, prædicta domus, quæ ab uno anno vel circa ad regularem ipſius Ordinis Obſervantiam reducta extitit, in ſuis ſtructuris & ædificiis reparatione non parva indigere noſcatur: Pro parte eorumdem Guardiani & Fratrum, aſſerentium quod medietas legatorum de immobilibus bonis eidem Eccleſiæ factorum, quæ dictis Fratribus cedere conſuevit, ad reparationem hujuſmodi nullatenus ſufficit, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſuper his opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III. Nos igitur de præmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſi & poſtquam vocatis, qui fuerint evocandi, tibi de præmiſſis legitime conſtiterit, omnia & ſingula legata, quæ de mobilibus & immobilibus bonis in antea eidem Eccleſiæ ſive capellæ fieri contigerit, ad reparationem hujuſmodi & illius, necnon prædictæ domus fabricæ commodum & utilitatem auctoritate noſtra perpetuo deputare, concedere & aſſignare procures. Contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam &c. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque: Aut ſi prædicto presbytero vel quibuſvis aliis a prædicta Sede ſit indultum quod interdici, excommunicari &c. non poſſint per litteras Apoſtolicas &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLII. XIII. Kalendas Aprilis, Pontificatus noſtri anno VII.

LXXXVIII.

Dat ei facultatem recipiendi Conventus in variis Provinciis. Ex bulla originali.

Dilecto filio Joanni de Capiſtrano, Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia nuncupatorum profeſſori.

§. I. Circumſpecta caritas Apoſtolicæ Sedis, Catholicæ fidei & ſacræ Religionis propagationi ac ſaluti animarum intenta, continue illa libenter concedit, cum neceſſitas imminet aut utilitas perſuadet, per quæ propagatio & ſalus hujuſmodi valeant facilius provenire.

§. II. Cum itaque, ſicut exhibita nobis nuper pro parte tua petitio continebat, divina favente miſericordia, tu in Boemiæ, Auſtriæ, & Maroviæ provinciis more Minorum Ordinis perſonaliter conſtitutus, quamplurimos litteratiſſimos viros diverſis temporibus, & ultimo circa diem ſancti Stephani proxime decurſum, quamplures Magiſtros & Baccalaureos in Theologia, ac clericos numero ſexaginta quinque vel circiter, terrena totaliter abnegantes, & Jeſum Chriſtum Salvatorem noſtrum in mendicitate imitari volentes, ad habitum Ordinis ſeu Religionis ſancti Franciſci receperis, pluresque alii devotione inducti a te recipi ſimiliter ferventer exoptent, quos ob locorum regularium defectum acceptare non poſſis, in quibus eoſdem valeas regulariter collocare ac inſtituere; pro parte tua nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut tibi in Provincia ſeu Provinciis Boemiæ, Moraviæ & Auſtriæ, ſeu cujuslibet earum confinibus, juxta morem Ordinis Minorum præfati, aliquas domos, pro uſu & habitatione Fratrum Ordinis Minorum de Obſervantia hujuſmodi fundandi, conſtruendi & ædificandi, ſeu fundari, conſtrui & ædificari faciendi, inſuper & Conventus dicti Ordinis Fratrum inhabitatos, vel quaſi, maxime per hæreticorum perſecutiones, accipiendi reaccipiendique licentiam concedere, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III. Nos igitur, qui dictæ Religionis propagationem, Divini cultus augmentum & animarum ſalutem ſupremis affectibus deſideramus, tuum pium & laudabile propoſitum in hac parte plurimum in Domino commendantes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, tibi in Provincia ſeu Provinciis ſeu confinibus hujuſmodi, in locis ad id convenientibus & idoneis, pia tibi fidelium largitione, ſeu alias quomodolibet concedendis, per te ſeu dictos Fratres, vel alios ordinatione tua juſtis modis acquirendis, unam vel plures & quotquot neceſſarias & opportunas eſſe cognoveris, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, domos & loca, etiam Conventus Ordinis præfati inhabitatos, vel quaſi, hujuſmodi pro uſu & habitatione dictorum Novitiorum, & aliorum dicti Ordinis de Obſervantia Fratrum præſentium & futurorum, cum Eccleſiis, campanis, clauſtris, cœmeteriis, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, accipiendi, acceptandi & aſſumendi, ac de novo fundandi, conſtruendi & ædificandi, ſeu capi, recipi, fundari, conſtrui & ædificari faciendi, ipſiſque Fratribus & Novitiis illas & illa pro hujuſmodi uſu & habitatione recipiendi & inhabitandi & inibi Altiſſimo famulandi, plenam & liberam licentiam auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium elargimur: ſtatuentes & ordinantes, quod ipſi Fratres & Novitii in eiſdem domibus, Conventibus & locis conſtructis vel conſtruendis pro tempore commoraturi ſub cura & regimine Generalis Vicarii Citramontani præfati Ordinis & familiæ de Obſervantia nuncupatæ, prout alii Fratres dicti

dicti Ordinis & Obſervantiæ Citramontanarum partium, ſint & eſſe debeant, ac omnibus & ſingulis privilegiis, indultis, gratiis, libertatibus & immunitatibus, aliis Fratribus & domibus dicti Ordinis per Sedem Apoſtolicam, vel alias in genere conceſſis, uti valeant pariter & gaudere. Non obſtantibus ſel. record. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri prohibente ne Fratres Ordinum Mendicantium in quovis Caſtro, loco vel villa ad inhabitandum domos de novo recipere, ſeu hactenus receptas mutare præſumant, & ... Conventus a Fratribus dicti Ordinis Conventualibus habitari, vel non a prædictis de Obſervantia nuncupatis aſſumi, vel alias recipi & habitari non debeant abſque prædictæ Sedis licentia ſpeciali faciente plenam & expreſſam de prohibitione hujuſmodi mentionem, & aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo omnino hujuſmodi &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLIII. IV. Nonas Maii, Pontificatus noſtri anno VII.

LXXXIX.

Ut det facultatem reædificandi Conventum Minorum Caſtri Plombini, & legata Eccleſiæ relicta in hoc convertendi, Ibid. lib. 1. de beneſ. vacant. & de diverſis. fol. 145.

Dilecto filio Vicario venerabilis Fratris noſtri Epiſcopi Maſſan. in ſpiritualibus generali &c.

§. I. EX injuncto Nobis officii Paſtoralis debito, perſonas notæ Religionis Divinis obſequiis perpetuo dedicatas, quantum cum Deo poſſumus, præſervamus a noxiis, & piis earum petitionibus remediis opportunis occurrimus, ut eædem perſonæ debitum præſtare valeant, prout tenentur, quietius Altiſſimo famulatum.

§. II. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Guardiani & Operariorum domus ſancti Franciſci extra muros Terræ Plombini, Ordinis Fratrum Minorum, Maſſanæ diœceſis, petitio continebat, quod cum alias cariſſimus in Chriſto filius noſter Alphonſus Rex Aragonum illuſtris, dictam terram obſediſſet, & ut facilius illam offenderet, machinas ſuas ad eam expugnandam juxta domum prædictam poni & erigi feciſſet, domus ipſa pene totaliter deſtructa, & quod in ea ſupererat, quondam Rainaldus de Urſinis, tunc ipſius Terræ Dominus, veritus prædicti Regis reditum atque obſeſſionem, ne exinde prout antea ei damna evenire poſſent, aut dicta Terra expugnari commode vel offendi, demoliri fecit, ita quod cauſantibus præmiſſis, Eccleſia dictæ domus abſque aliqua manſione ſeu officinis, in quibus Fratres dicti Ordinis ſe recipere poſſent, ſola remanſerit, & propter guerras continuas, quæ in illis partibus diutius viguerunt, prout adhuc vigent, & patriæ incommoda, tum etiam nullus ad ipſius domus reparationem intendit, domus prædicta adhuc ruinæ deformi ſubjaceat, & in ea Divinus cultus per Fratres dicti Ordinis ob defectum manſionum prædictarum nequeat commode exerceri. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, incolæ ac habitatores dictæ Terræ, quorum aliqui inibi ſepulturas habere noſcuntur, eamdem Eccleſiam, quæ ſatis inſignis, & paramentis & ornamentis ad Divinum cultum neceſſariis fulcita exiſtit, & ad quam ſingularem gerunt devotionem, ac pro Miſſis diviniſque officiis ſæpe concurrunt, reſtaurari affectent, & nuper ad ipſorum Guardiani & Operariorum notitiam pervenit, quod retroactis temporibus nonnulli ex habitatoribus dictæ Ter-

ræ in eorum ultimis voluntatibus certa mobilia & immobilia bona, ac pecuniarum ſummas pro fabrica & ædificatione quarumdam capellarum in eadem Eccleſia, earumque paramentis & ornamentis, necnon tectorum ejuſdem Eccleſiæ reparatione legarunt; quodque voluntates hujuſmodi numquam executioni debitæ demandatæ, neque ad pias cauſas facta legata hujuſmodi exacta fuerunt, quæ ſi exigerentur & ipſa bona venderentur, ac illorum pretium in reparationem domus prædictæ converterentur, domus ipſa poſſet commode refici. Pro parte Guardiani & Operariorum predictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ipſarum Eccleſiæ & domus neceſſitati & reparationi hujuſmodi providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III. Nos &c. hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſuper præmiſſis te diligenter informes, & ſi ita eſſe repereris, ſuper quo conſcientiam tuam oneramus, ultimas voluntates ſeu teſtamenta hujuſmodi, in his quæ pias cauſas concernunt, executioni debitæ demandari facias. Contradictores &c. Et nihilominus eiſdem Operariis bona legata hujuſmodi vendendi & alienandi, & pretium inde proveniens in fabricam & reparationem dictæ domus convertendi licentiam largiaris. Non obſtantibus conſtitutionibus Apoſtolicis contrariis quibuſcumque &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLIII. IV. Idus Maii, Pontificatus noſtri anno VII.

XC.

Ut concedat Obſervantibus domum Conventualium urbis Caneæ, inſulæ Cretenſis. Ibid. fol. 204.

Venerabili Fratri Epiſcopo Caneæ &c.

§. I. VOtis fidelium, illis præſertim, quæ Religionis propagationem reſpiciunt, libenter annuimus, & ad ea promovenda favorabiles volumus inveniri. Exhibita ſiquidem nuper pro parte dilectorum in Chriſto filiorum, univerſorum civium Civitatis Caneæ petitio continebat, quod in dicta Civitate, in inſula Creten. dominio Venetorum ſubjecta, conſiſtens eſt quædam domus Ordinis Fratrum Minorum, in qua unicus vel duo Fratres Conventuales ad præſens reſident: quæ quidem domus, ſi cum ejus Eccleſia, habitationibus & aliis ibidem exiſtentibus officinis, ac omnibus juribus & pertinentiis ſuis, pro uſu & habitatione Fratrum Minorum de Obſervantia nuncupatorum, in quadam alia domo dicti Ordinis ſub vocabulo ſancti Salvatoris, extra muros ejuſdem civitatis ad medium milliare vel circa conſiſtente, Altiſſimo famulantium, perpetuo deputaretur & aſſignaretur, plures perſonæ tam Græcæ, quam Latinæ linguæ, Catholicam fidem ſinniter non tenentes, exhortationibus & prædicationibus dictorum Fratrum de Obſervantia, qui honeſtiſſima vita & bonis exemplis, nobilibus & aliis civibus ibidem exiſtentibus, grati & accepti ſunt, ad unitatem & obedientiam S. R. E. facilius reducerentur. Quare pro parte tam dominii, quam civium prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut domum ſancti Franciſci prædictam, cum ejuſdem Eccleſiæ habitationibus & officinis, Fratribus dictæ domus ſancti Salvatoris de Obſervantia, pro eorum uſu & habitatione aſſignari, ipſoſque Fratres Conventuales, ſi ſub Obſervantia vivere noluerint, ad alias domos Fratrum Conventualium prædictorum transferri mandare, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II.

§. II. Nos igitur qui fidelium omnium ſalutem & Catholicæ fidei propagationem & augmentum ſupremis affectibus deſideramus, de præmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſi & poſtquam vocatis qui fuerint evocandi, tibi de præmiſſis legitime conſtiterit, domum beati Franciſci prædictam, cum illius Eccleſia, habitationibus, officinis, ac omnibus juribus & pertinentiis ſuis, eiſdem Fratribus de Obſervantia pro eorum uſu & habitatione perpetuo deputare & aſſignare, ipſoſque Fratres Conventuales, ſi inibi ſub Obſervantia vivere recuſaverint, ad alia loca Conventualia dicti Ordinis eadem auctoritate transferre, auctoritate noſtra procures. Et nihilominus ſi deputationem & aſſignationem hujuſmodi per te fieri contigerit, ut præfertur, eiſdem Fratribus de Obſervantia, ut domum ſancti Franciſciſci, Eccleſiam, habitationes & officinas hujuſmodi pro eorum uſu & habitatione recipere & retinere poſſint, eadem auctoritate concedas. Contradictores &c. Non obſtantibus ſel. record. Bonifacii Papæ VIII. &c. ac aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque &c. jure tamen parochialis Eccleſiæ & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLIII. VII. Kalendas Junii, Pontificatus noſtri anno VII.

XCI.

Ut dent facultatem conſtruendi domum Obſervantum in oppido Levantis.
Ibid. lib. 42. bullarum. fol. 65.

Dilectis filiis ſancti Theodori & ſancti Nicolai de Boſcheto extra muros Januen. Prioratuum Prioribus &c.

§. I. PIa fidelium quorumlibet deſideria, ex quibus cum ſalute animarum ſacra Religio propagatur, benigno favore proſequimur, & ut illa ad optatum perducantur effectum, libenter, cum a nobis petitur, partes noſtræ ſollicitudinis adhibemus.

§. II. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Univerſitatis Terræ Levantis, Lunen. dioec., petitio continebat, quod ipſi ob ſingularem devotionis affectum, quam ad Ordinem Fratrum Minorum regularis Obſervantiæ gerunt, de bonis ſibi a Deo collatis, unam domum pro uſu & habitatione Fratrum eorumdem infra limites territorii ipſius terræ, in loco ad id idoneo, ſi eis ſuper hoc Apoſtolicæ Sedis licentia concedatur, de novo conſtrui & ædificari facere ferventer exoptant. Quare pro parte ipſius Univerſitatis fuit nobis humiliter ſupplicatum, ut eis licentiam hujuſmodi concedere, ac alias ſuper iis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III. Nos igitur, qui ſacræ Religionis & Divini cultus diligimus ubilibet incrementum, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos vel alter veſtrum, ſi eſt ita, Univerſitati prædictæ in eodem territorio, delecto ad id aliquo loco congruente & honeſto, unam domum cum Eccleſia, cœmeterio, campanili, campana, hortis, hortalitiis, ſylva & aliis neceſſariis officinis, dioeceſani loci vel cujuſvis alterius licentia & aſſenſu ſuper hoc minime requiſitis, pro uſu & habitatione Fratrum dicti Ordinis, ſub regulari Obſervantia viventium, fundandi, conſtruendi & ædificandi, ſeu fundari, conſtrui & ædificari faciendi, eiſdemque Fratribus domum cum Eccleſia & aliis præmiſ-

miſſis recipiendi, inhabitandi, ac perpetuo retinendi, plenam & liberam auctoritate noſtra licentiam concedatis. Non obſtantibus fel. record. Bonifacii Papæ VIII. &c. ac aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nos enim eiſdem Fratribus, qui in dicta domo pro tempore reſidebunt, ut omnibus & ſingulis privilegiis, indulgentiis, exemptionibus, immunitatibus, ceteris Fratribus aliarum domorum per Sedem Apoſtolicam in genere conceſſis, uti & gaudere valeant, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus: jure tamen parochialis Eccleſiæ & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLIII. Nonis Junii, Pontificatus noſtri anno VII.

XCII.

Confirmat erectionem Conventus oppidi de Domlens. Ibid. lib. 39. bullar. folio 82.

Ad futuram rei memoriam.

§. I. IIs quæ ad ſacræ Religionis propagationem & Divini cultus incrementum ſalubriter & provide proceſſiſſe comperimus, ut firmiora perſiſtant illibataque permaneant, Apoſtolici libenter adjicimus muniminis firmitatem. Hinc eſt, quod nos erectionem & fundationem domus ſeu Conventus Fratrum Minorum ſub regulari Obſervantia ac obedientia generalis Miniſtri & aliorum Superiorum Ordinis Fratrum Minorum, ac juxta reformationes olim Coletæ Bochet degentium in oppido de Domlens, Ambianen. diœceſis, ad ſubventionis auxilium Monialium plurium Monaſteriorum ſanctæ Claræ, olim per eamdem Coletam in partibus illis fundatorum, noviſſime per dilectum filium nobilem virum Philippum, Dominum loci de Savenzes, Ambianen. diœceſis, militem, de mandato dilecti filii nobilis viri Bernardi de Armaniacho, Marchiæ, Peretriaci ac Caſtren. Comitatum Comitis, cui tales domos Fratrum conſtruendi & fundandi licentiam per alias noſtras conceſſeramus & facultatem, in ipſius militis ſolo ſeu domo ac in loco congruo & decenti, cum Eccleſia, clauſtro, dormitorio, refectorio humili, campanis, hortiſque & hortalitiis ac aliis neceſſariis officinis, cum licentia & auctoritate Ordinarii, ac Prioris, Rectoris & Vicarii parochialis Eccleſiæ loci factas, ac receptionem & introductionem Fratrum in eadem domo de mandato Superiorum ejuſdem Ordinis receptorum, necnon conventiones, recompenſationes & pacta cum Ordinario loci, Priore & Vicario prædictis habita, ordinationes quoque laudabiles & ſtatuta in eadem domo edita, necnon donationem librorum, paramentorum & ornamentorum, ad divinum cultum & uſum Fratrum eorum per ipſum militem factam, ac omnia & ſingula, ad uſum, reſidentiam, commoditatem & utilitatem Fratrum in eadem domo nunc & pro tempore reſidentium, edita, donata, ordinata atque facta, ac omnia inde ſecuta, harum ſerie, auctoritate Apoſtolica & ex certa ſcientia approbamus & confirmamus, ſupplentes omnes & ſingulos defectus, ſi qui forſan intervenerint.

§. II. Et nihilominus prædicto militi domum ipſam pro uſu & habitatione Fratrum eorumdem, prout ſibi ſecundum Deum videbitur, ampliandi, perficiendi & componendi, ipſiſque Fratribus illam inhabitandi, tenendi, & poſſidendi, ordinarii loci & cujuslibet alterius ſuper hoc licentia minime requiſita, licentiam auctoritatemque tenore præſentium elargimur: ſtatuentes & ordinantes, quod Fratres ipſi pro tempore inibi degentes, Obſervantiam, ac

alios

alios vivendi modos & reformationes ipſius Coletæ omnino imitari & ſervare perpetuo teneantur, quodque ipſi ac domus prædicta omnibus & ſingulis privilegiis, exemptionibus, gratiis & indultis, quibus ceteræ domus ejuſdem Ordinis utuntur & gaudent, uti valeant pariter & gaudere. Non obſtantibus fel. recor. Bonifacii Papæ VIII. &c. ac aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis ceteriſque contrariis quibuſcumque: jure tamen parochialis Eccleſiæ & cuiuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Nulli ergo &c. ſi quis &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLIII. XVIII. Kalendas Julii, Pontificatus noſtri anno VII.

XCIII.

Ut poſſit ædificare domum Obſervantum prope Caſartum. Ibid. lib. 1. de benef. vacant. & de diverſis. fol. 327.

Dilecto filio nobili viro Martino de Frankapanibus Segniæ, Modruſſiæ Vegliæque Comiti &c.

§. I. EXigit devotionis tuæ probata ſinceritas, ut piis votis tuis, illis præſertim, per quæ cum Divini cultus augmento & Chriſti fidelium animarum ſalute, Religionis ſacræ propagatio procuratur, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus. Cum itaque, ſicut exhibita nobis nuper pro parte tua petitio continebat, tu ſingulari devotione motus, & ut etiam votum per quondam Nicolaum Patrem tuum, dum vixit, factum adimpleatur, prope Eccleſiam ſanctæ Mariæ ſuper Caſart, Corbanien. diœceſis, ad quam Chriſtifideles illarum partium propter diverſa miracula, quæ Omnipotens Deus interceſſione prælibatæ Virginis Mariæ retroactis temporibus demonſtravit, ſingularem gerunt devotionis affectum, unam domum cum clauſtro, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis pro uſu & habitatione Fratrum Minorum de Obſervantia, de novo fundari, conſtrui & ædificari facere ferventer exoptes, dummodo tibi ſuper hoc per Sedem Apoſtolicam licentia concedatur. Pro parte tua nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut tibi prædictam licentiam concedere, aliaſque ſuper hoc opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur tuum pium & laudabile propoſitum hujuſmodi in Domino plurimum commendantes, tuis, necnon Venerabilis Fratris noſtri Epiſcopi Corbanien. ac Chriſtifidelium prædictorum in hac parte ſupplicationibus inclinati, tibi unam domum cum clauſtro, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis prope dictam Eccleſiam, cujuſvis alterius ſuper hoc licentia minime requiſita, de novo fundandi, conſtruendi & ædificandi, ſeu fundari, conſtrui & ædificari faciendi, necnon Fratribus dicti Ordinis Minorum de Obſervantia domum ipſam pro eorum uſu & habitatione recipiendi, tenendi & inhabitandi, plenam & liberam licentiam, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium elargimur. Et inſuper univerſis Fratribus Ordinis Minorum de Obſervantia in dicta domo pro tempore commoraturis, quod omnibus & ſingulis privilegiis, libertatibus, exemptionibus, immunitatibus & gratiis, quibus aliæ domus dicti Ordinis ac Fratres in eis degentes, in genere gaudent & utuntur, uti valeant pariter & gaudere, eadem auctoritate concedimus per præſentes. Non obſtantibus fel. record. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri &c. & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque: jure tamen parochialis

lis Eccleſiæ & cujuslibet alterius alias in omnibus ſemper ſalvo &c. Nulli ergo &c. ſi quis &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLIII. IV. Idus Julii, Pontificatus noſtri anno VII.

XCIV.

Ut uniat Vicariæ Boſnæ domos Raguſii & inſulæ Daxæ. Ibid. lib. 42. bullarum. fol. 180.

Venerabili fratri Thomæ Epiſcopo Faren. in Regno Boſnæ & Croatiæ, provinciaque Raguſina, Sedis Apoſtolicæ Legato &c.

§. I. Apoſtolicæ nobis licet immeritis deſuper injunctæ ſervitutis officium mentem noſtram excitat & inducit, ut ea, quæ Religioſarum, præſertim cum additione voluntariæ paupertatis ſub Regulari Obſervantia ſtudio piæ vitæ vacantium perſonarum, in quarum utique proſperitate reſpicimus, illarumque Monaſteriorum & aliorum locorum ſtatui ſaluberiter dirigendo profutura conſpicimus, & per quæ ab eis omnis diſpendii materia auferatur, operoſis ſtudiis jugiter intendamus. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum dominii Raguſini petitio continebat, quod cum alias, auctoritate Apoſtolica domus ſeu Conventus Ordinis Minorum regularis Obſervantiæ Raguſii & in inſula Daxæ, diœceſis Raguſinæ exiſtentes, una cum certis aliis domibus & Conventibus Vicariæ Boſnæ eorumdem Ordinis & Obſervantiæ uniri & incorporari conceſſæ fuerint; nihilominus ex aliquorum relatione, uniones & incorporationes hujuſmodi quacumque auctoritate factas, & quaſcumque litteras Apoſtolicas, ſub quibuſcumque verborum formis & clauſulis etiam derogatoriis, ex motu proprio & ex certa ſcientia, motu ſimili & ex certa ſcientia caſſavimus & annullavimus, nulliuſque roboris & momenti eſſe decrevimus, inhibendo Vicario & Fratribus dictæ Vicariæ Boſnæ pro tempore exiſtentibus, ne quarumvis litterarum eis ſeu quibuſvis aliis Apoſtolica ſeu alia quacumque auctoritate, ſub quibuſvis verborum formis conceſſarum vel in poſterum forſan concedendarum, niſi in illis de præſenti inhibitione ſpecialis & expreſſa mentio fieret, quas quoad hoc caſſas & nullas, nulliuſque roboris & momenti eſſe decrevimus, obtentu ſeu vigore, aliqua domus ſeu Conventus & loca dicti Ordinis in partibus Dalmatiæ recipere aut conſtruere ſeu fundare præſumerent. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, ex hujuſmodi unionum & incorporationum caſſatione & annullatione grave ſcandalum & periculum oriri poſſet, cum ii qui Boſnæ ſunt, & hæreticis & Manichæis fidem veram prædicant, vitæ neceſſariis indigeant, maxime ab iis domibus & Conventibus Raguſii & Daxæ exiſtentibus, qui inter fideles ſunt & eleemoſynis abundant, debitum ſubſidium non recipiant. Quare pro parte dilectorum filiorum dominii Raguſini, cum eorum nonnulli in partibus Boſnæ converſentur, & a Fratribus dicti Ordinis, qui ibidem degunt, ſubſidia alia & Eccleſiaſtica Sacramenta percipiant, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſuper iis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur de præmiſſis certam notitiam non habentes, ac ſcandalo & periculo hujuſmodi obviare volentes, necnon uniones & incorporationes prædictas, earumque caſſationes & annullationes ac inhibitionem prædictas, earumque litteras, cum quibuſcumque clauſulis etiam derogatoriis & motu proprio & ex certa ſcientia, quavis auctoritate factas & conceſſas hic pro expreſſis habentes, ac ſi de earum tenoribus de verbo ad verbum ſpecialis

lis & expreſſa mentio facta foret, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus per te ipſum ſuper præmiſſis omnibus & ſingulis ac earum circumſtantiis univerſis, auctoritate noſtra te diligenter informes, & ſi per informationem hujuſmodi ea vera fore repereris, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, tibi, ut prædicta domus, Conventus & loca Raguſii & Daxæ exiſtentia, Vicariæ prædictæ perpetuo uniendi, incorporandi, ejuſque juriſdictioni ſecundum conventiones & ordinationes alias in Capitulo generali, mediante fratre Jacobo de Primaditiis de Bononia, tunc Vicario generali in partibus Citramontanis eorumdem Ordinis & Obſervantiæ auctoritate Apoſtolica facto, initas & decretas, quarum tenores hic haberi volumus pro expreſſis, ſubjiciendi, ipſaque domus, Conventus & loca, prout tibi viſum fuerit, alias reformandi, & conſtitutiones alias adjiciendi, necnon loca prædicta Raguſii & Daxæ exiſtentia, poſtquam prædictæ Vicariæ unita & incorporata atque ſubjecta fuerint, indultis & privilegiis, quibus Vicaria ipſa gaudet, eiſdem gaudere & potiri, pronunciandi plenam & liberam auctoritate Apoſtolica facultatem & licentiam impertimur. Contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam &c. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLIII. XIV. Kalendas Auguſti, Pontificatus noſtri anno VII.

XCV.

Ut admittere poſſit cœnobium in Caſtro Apicii. Ibid. lib. 1. de Regular. & de diverſis formis. fol. 104.

Dilecto filio Galaſſio de Neapoli, Ordinis Fratrum Minorum, ſacræ Theologiæ profeſſori, ac provinciæ Terræ laboris juxta morem dicti Ordinis, provinciali Miniſtro &c.

§. I. SAcer Ordo Fratrum Minorum, in agro dominico Divina diſpoſitione plantatus, in eo ſidereo more coruſcans, Dominicum gregem illuminat, & currentibus in ſtadio, quo pervenitur facilius ad ſalutis bravium, inſinuat rectum iter; quapropter affectamus in intimis cordis noſtri, ut Ordo ipſe conſpicuus per orbem terrarum eo amplius propagetur, quo ipſius ſacra Religio virtutum fœcunditate referta, ex ſuæ inſtitutionis exordio, per inſignium gratiam meritorum, & exemplaris vitæ doctrinam, uberes hactenus in univerſali Eccleſia honeſtatis fructus attulit & ſalutis. Cum itaque, ſicut exhibita nobis nuper pro parte tua petitio continebat, tu pio & laudabili deſiderio dilectorum filiorum Univerſitatis & incolarum caſtri ſeu terræ de Apicio, Beneventan. diœceſis, ex ſingulari devotione, quam ad dictum Ordinem gerunt, unam domum ſeu Conventum in prædicto loco habere ſummopere affectantium, annuere, in quantum in te fuerit, paratus exiſtas, dummodo ſuper eo per Sedem Apoſtolicam tibi licentia concedatur.

§. II. Nos, qui ad dictum Ordinem ſpecialem gerentes devotionis affectum, ad ea libenter intendimus, per quæ Ordo ipſe ulterius novis palmitibus valeat propagari, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, tibi ſeu pro tempore exiſtenti Provinciali dictæ provinciæ, in prædicto caſtro vel illius territorio, in loco ad id congruo & honeſto, vel etiam apud quamcumque Eccleſiam ſeu pium & religioſum locum, ſi illa vel ille vobis alias concedatur, unam domum cum Eccleſia, campanili, campana, clauſtro,

cœmeterio, horto, hortalitis, & aliis pro uſu & habitatione Fratrum dicti Ordinis neceſſariis officinis, fundandi & conſtruendi, ſeu fundari & conſtrui & per aliquos Fratres dicti Ordinis perpetuo inhabitari faciendi, diœceſani loci & cujuſcumque alterius licentia deſuper nullatenus requiſita, plenam & liberam auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium licentiam elargimur: volentes & eadem auctoritate decernentes, quod domus conſtruenda prædicta, & in ea pro tempore degentes Fratres, omnibus & ſingulis privilegiis, exemptionibus, libertatibus, favoribus, gratiis & indultis, aliis domibus ſeu Fratribus ejuſdem Ordinis conceſſis & in poſterum concedendis, in perpetuum uti poſſint pariter & gaudere: jure tamen parochialis Eccleſiæ & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Non obſtantibus fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri &c. & aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque &c. Nulli ergo &c. ſi quis &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLIII. VII. Kalendas Auguſti, Pontificatus noſtri anno VII.

XCVI.

Ut det facultatem transferendi domum Obſervantum ad oppidum Leodii. Ibid. fol. 37.

Dilecto filio Præpoſito Eccleſiæ ſancti Petri Trajectin. &c.

Vide Conſt. 11. hujus Pontificis.

§. I. Piis fidelium votis &c. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Univerſitatis & oppidanorum oppidi Leodien. Trajecten. diœceſis, petitio continebat, quod ipſi provide conſiderantes, quod domus Fratrum Minorum regularis Obſervantiæ, quæ de novo extra dictum oppidum auctoritate litterarum fel. record. Eugenii Papæ IV. prædeceſſoris noſtri fundata & erecta extitit, in loco minus ſecuro, ad quem nocturno præſertim tempore, propter bannitos a dicto oppido, & alios ipſorum oppidanorum inimicos, de facili accedere poſſint & plerumque accedunt, ſita eſt; quodque illius Fratres in ea tute morari, & ipſi oppidani pro divinis audiendis officiis, ad illius Eccleſiam nequeant ſe conferre, ac eis propterea & oppido memorato per inimicos plura damna & detrimenta poſſent veroſimiliter evenire; eam domum ipſam demoliri, & aliam cum officinis neceſſariis pro Fratribus Ordinis & Obſervantiæ prædictorum in dicto oppido, in loco ad id idoneo fundare & ædificare ſummopere affectant. Pro parte Univerſitatis prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut attentis præmiſſis, eamdem domum, illius tamen Fratrum ad hoc accedente conſenſu, demoliendi ſeu demoliri faciendi, & loco ipſius unam aliam domum, in eodem oppido & loco, ut præfertur, convenienti, cum Eccleſia, campanili, campana, cœmeterio, clauſtro & aliis officinis, pro uſu Fratrum dicti Ordinis ſub regulari Obſervantia viventium, & habitatione perpetuis, fundandi & conſtruendi, ligna quoque & lapides demoliendæ domus prædictæ, pro alia conſtruenda domo deferendi, licentiam concedere, & alias ſuper hoc opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur de præmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus de præmiſſis omnibus & ſingulis, ac eorum circumſtantiis univerſis auctoritate noſtra te diligenter informes, & ſi per informationem hujuſmodi, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, ea vera eſſe repereris, & ad id Fratrum prædictorum conſenſus accedat, domum præfatam demolien-

liendi aut demoliri faciendi, & aliam pro ea in dicto oppido, loco utique decenti, cum Ecclesia, campanili, campana, cœmeterio, claustro, & aliis necessariis officinis pro eisdem Fratribus de Observantia nuncupatis, fundandi & construendi, necnon ligna, lapides & alia demoliendæ domus ad novam domum fundandam hujusmodi pro illius constructione deferendi, ipsis quoque Fratribus eamdem novam domum recipiendi, inhabitandi & retinendi, fel. record. Bonifacii Papæ VIII. &c. quibuslibet aliis constitutionibus Apostolicis, & dicti Ordinis nequaquam obstantibus, Ordinarii loci & cujuslibet alterius super hoc licentia minime requisita, auctoritate præfata, tenore præsentium licentiam largiaris: jure tamen parochialis Ecclesiæ & cujuslibet alterius alias in omnibus semper salvo. Et insuper eisdem Fratribus &c. omnia & singula privilegia, exemptiones &c. aliis Fratribus aliarum domorum dicti Ordinis concessa, concedas &c.

Datum Romæ apud sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLIII. pridie Kalendas Augusti, Pontificatus nostri anno VII.

XCVII.

Ut duos recipiant Conventus, unum in Severii, alterum in Vici castris. Ibid. fol. 146.

Dilectis filiis Vicario & universis Fratribus Ordinis Fratrum Minorum de Observantia, provinciæ sancti Angeli, juxta morem dicti Ordinis &c.

§. I. Sacræ Religionis, sub qua mundanis abdicatis illecebris &c. Cum itaque, sicut exhibita nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, incolæ & habitatores castri Severii, Civitaten. diœcesis, sub districtu Monasterii sancti Petri Turris majoris consistentes, ad honorem Omnipotentis Dei, sub sancti Bernardini vocabulo unam, ac Universitas castri Vici, Sipontinæ diœcesis in provincia sancti Angeli, juxta tenorem præfati Ordinis, dilecti filii fervore devotionis accensi, aliam sub sancti Antonii de Padua, vestri Ordinis Minorum domos, cum cœmeteriis, hortis, hortalitiis & aliis necessariis officinis, ad hoc ut in illis regularis Observantia ejusdem Ordinis perpetuo vigeat, de novo construi & ædificari fecerunt seu inchoaverunt: Pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, ut vobis domos prædictas, pro usu & habitatione vestris recipiendi, ac in eis sub hujusmodi regulari Observantia commorandi licentiam concedere, aliasque vobis super his opportune providere, de benignitate Apostolica dignaremur. *Ut in Const. 22. hujus Pontif.*

§. II. Nos igitur, qui Divinum cultum ubique vigere & augeri supremis affectibus desideramus, hujusmodi supplicationibus inclinati, vobis domus prædictas de ipsorum incolarum & habitatorum ac Universitatis consensu, pro usu & habitatione vestris recipiendi ac inhabitandi, necnon inibi sub regulari Observantia dicti Ordinis perpetuo remanendi, plenam & liberam licentiam tenore præsentium elargimur: & insuper domibus & Fratribus in eisdem pro tempore commoraturis, quod omnibus & singulis privilegiis, gratiis, libertatibus, exemptionibus, immunitatibus, concessionibus & indultis, domibus dicti Ordinis de Observantia, ac Fratribus in eis degentibus per Sedem prædictam, vel alias in genere concessis, uti & gaudere libere & licite valeant, eadem auctoritate indulgemus. Non obstantibus fel. record. Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris nostri &c. & aliis constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis qui-

buſcumque: jure tamen parochialium Eccleſiarum & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo &c. Nulli ergo &c. ſi quis &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLIII. VI. Kalend. Octobris, Pontificatus noſtri anno VII.

XCVIII.

Ut concedat facultatem Duci Brunſuicenſi domum Obſervantum ædificandi intra oppidum de Novetzellis. Ibid. lib. 43. bullar. fol. 109.

Dilecto filio Præpoſito Eccleſiæ Hildeſemen. &c.

§. I. SInceræ devotionis affectus, quem dilectus filius nobilis vir Fridericus Brunſeduvicen. & Luneburgen. Dux ad nos & Romanam gerit Eccleſiam, promeretur, ut ejus piis votis, illis præſertim per quæ Religionis propagatio ac Divinus cultus continuum ſuſcipiunt incrementum, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus.

§. II. Dudum ſiquidem pro parte dilecti filii nobilis viri Friderici Brunſeduvicen. & Luneburgen. Ducis, nobis expoſito, quod ipſe quamdam domum, pro uſu & habitatione Fratrum Ordinis Minorum, cum horto, hortalitiis & aliis neceſſariis officinis, juxta capellam beatæ Martæ extra muros oppidi Novetzellis, Minden. diœceſis conſtrui & ædificari facere ferventer exoptabat. Nos prædicti Ducis in ea parte ſupplicationibus inclinati, ſibi juxta eamdem capellam, quam ipſe Dux de ſuis propriis bonis fundaverat & dotaverat, domum prædictam, pro uſu & habitatione Fratrum Ordinis hujuſmodi de novo fundandi, conſtruendi & ædificandi, per alias noſtras litteras plenam & liberam licentiam conceſſimus, ac viſitantibus dictam capellam in certis tunc expreſſis feſtivitatibus ſeptem annos & totidem quadragenas, necnon ſingulis Dominicis quadrageſimalibus quadraginta dies de injunctis eis pœnitentiis, ut idem Dux aſſerit, perpetuo relaxavimus, prout in eiſdem noſtris litteris plenius continetur.

§. III. Cum autem, ſicut exhibita nobis nuper pro parte dicti Ducis petitio continebat, propter guerras, & alios ſiniſtros eventus qui quotidie in partibus illis (proh dolor!) vigent, locus prope dictam capellam pro eadem conſtruenda domo & Fratribus in ea pro tempore commoraturis tutus non ſit, ipſiſque Fratribus pericula & incommoda veriſimiliter evenire poſſent, & propterea idem Dux, habito conſilio cum pluribus expertis & prudentibus Fratribus dicti Ordinis, ad obviandum præmiſſis periculis & incommodis, pro majori ipſorum Fratrum ſecuritate, cupiat, prout jam incœpit, domum ipſam infra prædictum oppidum conſtruere & ædificare, & jam inibi locum ad hoc aptum & accommodum deputaverit, in eoque aliqui Fratres dicti Ordinis moram facere inchoaverint: Pro parte dicti Ducis nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſibi domum ipſam cum horto, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis non extra ut præfertur, ſed intra muros dicti oppidi, quod Hildeſemen. diœceſis, ac ipſius Ducis temporali dominio ſubjectum exiſtit, in eodem deputato loco de novo erigendi, conſtruendi & ædificandi, ſeu erigi, conſtrui & ædificari faciendi, aut incœptum opus perficiendi licentiam concedere, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. IV. Nos igitur, qui ſcandalis & periculis, quantum cum Deo poſſumus, obviamus, prædicti Ducis pium & laudabile propoſitum in hac parte plurimum in Domino commendantes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſi eſt ita, eidem

Duci

Duci infra dictum oppidum, in eo loco, ſi ille ad id aptus & accommodatus exiſtat, unam domum, cum horto, hortalitis, & aliis neceſſariis officinis de novo erigendi, conſtruendi & ædificandi, ſeu erigi, conſtrui & ædificari faciendi, ſeu incœptum opus perficiendi, dictiſque Fratribus Ordinis Minorum illam pro eorum uſu & habitatione hujuſmodi recipiendi & inhabitandi, plenam & liberam licentiam auctoritate noſtra largiaris. Nos enim univerſis Fratribus dicti Ordinis in domo incœpta ſeu ædificanda in oppido hujuſmodi pro tempore commorantibus, quod omnibus & ſingulis privilegiis, exemptionibus, libertatibus, gratiis, favoribus & indultis, aliis domibus dicti Ordinis & Fratribus in genere conceſſis, uti valeant pariter & gaudere, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus. Non obſtantibus fel. record. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri &c. & aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque: jure tamen parochialis Eccleſiæ & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo.

§. V. Volumus autem, quod ſi dicto Duci licentiam hujuſmodi vigore præſentium conceſſeris, ex tunc priores litteræ & conceſſio prædictæ, quoad erectionem hujuſmodi dumtaxat, ſint caſſa & irrita, nulliuſque roboris vel momenti &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLIII. V. Kalendas Octobris, Pontificatus noſtri anno VII.

XCIX.

Ut concedat Provinciali Hiberniæ facultatem domum Elphinenſem, aliaſque tres vel quatuor recipiendi. Ibid. lib. 1. de Regular. & diverſis formis. fol. 15.

Venerabili fratri Epiſcopo Clonforten. &c.

§. I. SAcræ Religionis &c. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilecti filii fratris Willelmi Iragillich Provincialis dictæ provinciæ ejuſdem Ordinis, & ſacræ Theologiæ profeſſoris petitio continebat, quod nuper Venerabilis frater noſter Cornelius Epiſcopus Elphinen. cupiens Religionem ipſius Ordinis in Civitate ac diœceſi Elphinen. propagari & augmentari, parochialem Eccleſiam, Templum ſancti Patricii nuncupatam, Elphinen. diœceſ. ſive locum, illius curam in eadem, ad id dilectorum filiorum Capituli Elphinen. & Vicarii perpetui ipſius Eccleſiæ, ac civium Elphinen. qui ipſam Eccleſiam certis terris, per eos nomine & vice dicti Epiſcopi poſſeſſis, plene & libere dotaverunt, etiam Thomoltei Mickermoda aliorumque Parochianorum ejuſdem, omnibus libertatibus & immunitatibus ipſius Ordinis illi propterea reſervatis, ipſam Eccleſiam ab omni cura, & eaſdem terras a quibuſvis cenſu annuo & exactione tam in ſpiritualibus quam in temporalibus eximendo, liberamque & immunem fieri cenſendo, ac ipſarum terrarum & rerum omnium conceſſarum uſum & fructum eidem Ordini reſervando, expreſſo accedente conſenſu, ſupprimendo, pro uſu & habitatione Fratrum Minorum dicti Ordinis auctoritate ordinaria, cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis, in puram eleemoſynam donavit atque conceſſit, prout in quibuſdam authenticis ipſius Cornelii Epiſcopi exinde confectis litteris, ejus ſigillo munitis dicitur plenius contineri.

Vide Conſt. 23. hujus Pontificis.

§. II. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, præfatus Willelmus Provincialis in ipſius Eccleſiæ, ac tribus vel quatuor aliis locis in dicta Provincia conſtitutis, ad hoc aptis & congruis, domos, cum Eccleſiis, cœme-

meteriis, campanilibus, campanis, necnon hortis, hortalitiis aliiſque neceſſariis officinis, pro uſu & habitatione Fratrum dicti Ordinis conſtruere & ædificare, ſeu conſtrui & ædificari facere deſideret & peroptet, dummodo ei ſuper hoc Sedis Apoſtolicæ ſuffragetur licentia pariter & auctoritas: Pro parte dicti Willelmi Provincialis nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſibi domos cum Eccleſiis, cœmeteriis, campanilibus, campanis, hortis, hortalitiis, & aliis officinis hujuſmodi, pro uſu & habitatione eorumdem Fratrum conſtruendi & ædificandi, aut conſtrui & ædificari faciendi, necnon dictis Fratribus loca hujuſmodi recipiendi & retinendi & perpetuo remanendi licentiam concedere, ac alias ſuper iis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III. Nos igitur, qui Religionis ejuſdem, præcipue noſtris temporibus exoptamus incrementum, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſi eſt ita, præfato Willelmo Provinciali, pro uſu & habitatione Fratrum prædictorum, in dicta Eccleſia, & tribus aut quatuor, de quibus ſibi congruentius videbitur, locis prædictis domos cum Eccleſiis, cœmeteriis, campanilibus, campanis, hortis, hortalitiis, necnon aliis officinis hujuſmodi, conſtruendi & ædificandi, ſeu conſtrui & ædificari faciendi, necnon ſibi & præfatis Fratribus loca prædicta recipiendi, ac perpetuo retinendi & inhabitandi, auctoritate noſtra licentiam largiaris. Non obſtantibus ſel. record. Boniſacii Papæ VIII. &c. & aliis conſtitutionibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacumque firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus contrariis quibuſcumque: jure tamen parochialis Eccleſiæ & cujuſvis alterius in omnibus ſemper ſalvo. Nos enim, ſi te vigore præſentium eidem Provinciali & Fratribus hujuſmodi licentiam loca conſtruendi & ædificandi concedere contingat, univerſis Fratribus in eiſdem domibus pro tempore commorantibus, ut omnibus & ſingulis privilegiis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus & gratiis, Ordini præfato & aliis illius domibus per Sedem prædictam, aut alias quomodolibet generaliter conceſſis, uti & gaudere libere & licite valeant concedimus per præſentes &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLIII. XVII. Kalendas Novembris, Pontificatus noſtri anno VII.

C.

Ut det facultatem ædificandi Monaſterium Clariſſarum adinſtar Ferrarienſis, Corporis Chriſti. Ibid. lib. 1. de diverſis dignitatib. & benef. vacantibus, & litteris DD. Cardinalium. fol. 54.

Venerabili Fratri Epiſcopo Regin. &c.

§. I. INter cetera opera Divinæ placita voluntati non minimum exiſtimantes cultum ſacræ Religionis, ſub qua beatitudinis amatrices ſponſi ſui cœleſtis, cui ſe devoverunt, beneplacitum mente, actu & habitu, ſpretis mundi oblectationibus, jugiter inhærere ſatagunt, ubilibet propagari, piis devotorum votis, quibus hujuſmodi propagatio proſequitur, libenter benignum præbemus aſſenſum, & ut ſalubri exequantur effectu, favores impendimus opportunos. Sane pro parte dilectorum filiorum nobilis viri Borſii Mutinæ ac Regii Ducis, ac Communitatis Civitatis Reginæ nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipſi in dicta Civitate pro ſacræ Religionis augmento & animarum ſalute & profectu, Monaſterium inſtitui deſide-

ſiderant Ordinis ſanctæ Claræ, in quo Ordinis ejuſdem Sorores ſub regula ſancti Franciſci, adinſtar Sororum, quæ in Monaſterio Corporis Chriſti Ferrarien. dicti Ordinis degunt, ſtudio continue vacent piæ vitæ, quodque in eadem Civitate locus ad hoc non ſit magis accommodus, quam Monaſterium Monialium ſancti Petri martyris Ordinis ſancti Auguſtini, ſi dilectæ in Chriſto filiæ Prioriſſa & Moniales in illo impræſentiarum degentes, quæ olim in Monaſterio ſancti Laurentii etiam Regino dicti Ordinis ſancti Auguſtini degere conſueverant, ad ipſum Monaſterium ſancti Laurentii revertantur, ac Prioriſſa & Moniales de ipſo Monaſterio ſancti Petri ad dictum Monaſterium ſancti Laurentii translatæ, ad Monaſterium, quod prædicti Communitas, licentia Sedis Apoſtolicæ eis ad hoc ſuffragante, de capella ſanctorum Coſmæ & Damiani, ſita in dicta civitate, cum neceſſariis officinis erigi aut inſtaurari facere deſiderant, transferantur.

§. II. Quare Dux & Communitas prædicti, aſſerentes quod ipſi Communitas pro hujuſmodi erigendo Monaſterio, ac reparatione dicti Monaſterii ſancti Laurentii certam ad hoc neceſſariam & ſufficientem pecuniarum ſummam, ad hoc ut eorum exequatur deſiderium, deputarunt, quodque dilectus filius Archipresbyter Eccleſiæ ſancti Vitalis de Carpineto Regin. ſub cujus Eccleſiæ limitibus dicta capella conſiſtit, necnon in ſancti Petri, quod ad ſancti Laurentii revertantur, & in ſancti Laurentii Monaſteriis hujuſmodi impræſentiarum agentes Prioriſſæ & Moniales prædictæ, quod ad dictum Monaſterium erigendum transferantur, ſuum conſenſum exhibuerunt, nobis humiliter ſupplicari fecerunt, quatenus eis præfatam capellam in Monaſterium Ordinis ſancti Auguſtini, pro uſu & habitatione dictarum ad illud transferendarum Prioriſſæ & Monialium, cum Eccleſia, campanili, campana, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis erigi faciendi, necnon in ſancti Petri, ad ſancti Laurentii redeundi, & in ſancti Laurentii Monaſteriis eiſdem degentibus Prioriſſis & Monialibus prædictis, ſe ad ipſum Monaſterium erigendum, remanentibus eidem Monaſterio ſancti Laurentii certis parvis domunculis, quæ olim ad ipſum Monaſterium ſancti Petri ſpectabant, cum omnibus libris, paramentis, jocalibus, ornamentis, ac aliis bonis, rebus & juribus ſuis, ad eas & dicta earum Monaſteria ſpectantibus transferendi, & Sororibus in prædicto Monaſterio ſancti Petri recipiendis Monaſterium ipſum ſancti Petri, Ordine ſancti Auguſtini hujuſmodi in dictum Ordinem ſanctæ Claræ inibi mutato, recipiendi & inhabitandi, ac perpetuo retinendi licentiam concedere, de benignitate Apoſtolica dignaremur: Nos igitur, qui ſacræ Religionis cultum ubilibet propagari ſinceris exoptamus affectibus, hujuſmodi in hac parte ſupplicationibus inclinati, fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vocatis Archipresbytero & Prioriſſis & Monialibus prædictis & aliis qui fuerint evocandi, ſuper præmiſſis & eorum circumſtantiis univerſis auctoritate noſtra te diligenter informes, & ſi per informationem hujuſmodi ea repereris ita eſſe, ad quod tibi expediens fore videbitur, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, dictis Communitati præfatam capellam in Monaſterium pro uſu & habitatione Prioriſſæ & Monialium dicti Ordinis ſancti Auguſtini, cum Eccleſia, campanili, campana, hortis, hortalitiis & aliis neceſſariis officinis hujuſmodi erigi, ac conſtrui & ædificari faciendi, & poſtquam illud erectum fuerit, in ſancti Laurentii ad ipſum erigendum ſe transferendi, & in ſancti Petri prædictis Monaſteriis, degentibus Prioriſſæ & Monialibus ad idem Monaſterium ſancti Laurentii, remanentibus eis domunculis prædictis, cum omnibus aliis bonis & rebus quibuſcumque, redeundi, necnon in eodem Monaſterio ſancti Petri, Ordine ſancti Auguſtini in Ordinem ſanctæ

ctæ Claræ hujuſmodi mutato, Sororibus prædictis illud recipiendi & in eo perpetuo remanendi licentiam auctoritate noſtra largiaris: ipſaſque in ſancti Laurentii ad dictum erigendum Monaſterium, poſtquam erectum fuerit, transferas, & in ſancti Petri Monaſterio prædictis degentes Prioriſſas & Moniales, ad idem Monaſterium ſancti Laurentii reverti facias & procures. Non obſtantibus ſel. record. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri &c. & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus, necnon ſtatutis & conſuetudinibus Monaſteriorum & Ordinum prædictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel alia quavis firmitate roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

§. III. Nos enim ſi præfatum Monaſterium ſancti Petri præſentium vigore Ordini ſanctæ Claræ, pro uſu Sororum prædictarum applicari, dictaſque Prioriſſam & Moniales in dicto Monaſterio ſancti Laurentii degentes, ad hujuſmodi erigendum Monaſterium transferri contigerit, Prioriſſæ & Monialibus, necnon Magiſtræ & Sororibus eiſdem in dictis Monaſteriis ex tunc pro tempore degentibus, ut omnibus & ſingulis privilegiis, libertatibus, immunitatibus, indulgentiis & exemptionibus, dictis eorum Ordinibus, ac eorumdem Ordinum locis in genere conceſſis, uti & gaudere libere & licite poſſint, auctoritate prædicta, tenore præſentium indulgemus &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLIII. IV. Idus Januarii, Pontificatus noſtri anno VII.

CI.

Ut det licentiam ædificandi domum Ordinis Minorum Obſervantum prope oppidum de Monderoux. Ibid. lib. 1. de benef. vacantib. & de Regularib. fol. 219.

Dilecto filio Abbati Monaſterii ſancti Joannis Angeliacen. Xanctonen. diœceſis &c.

Vide Conſt. II. hujus Pontif.

§. I. Piis fidelium votis &c. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilecti filii nobilis viri Antonii de Claromonte militis, de Forgeriis & de Manderoux, Xanctonen. diœceſis locorum, temporalis domini petitio continebat, quod ipſe olim cupiens terrena in cœleſtia & tranſitoria in æterna felici commercio commutare, ac pro ſuæ ac progenitorum ſuorum animarum ſalute, & ob ſingularem, quam ad Ordinem Fratrum Minorum de Obſervantia gerit devotionem, capellam beatæ Mariæ juxta ipſum locum de Manderoux, & infra limites parochialis Eccleſiæ ſancti Laurentii de Forgeriis dictæ diœceſis ſitam, per ſuos prædeceſſores & de eorum bonis conſtructam & ædificatam, ac de jure patronatus dicti militis exiſtentem, cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis, una cum tribus quarteriis terræ tunc expreſſis, ac locum ipſius capellæ, pro una domo & habitatione nonnullorum Fratrum dicti Ordinis, de licentia Sedis Apoſtolicæ inibi erigenda, conſtruenda & ædificanda, ac uſu aliquorum nemorum eidem militi ſpectantium & ipſis Fratribus neceſſariorum, ac de quo uſu idem miles per ſuas litteras eiſdem Fratribus, qui propterea ſervire Deo & pro ipſius militis, ac ſuorum prædeceſſorum & ſucceſſorum tamquam fundatorum animarum ſalute deprecari tenerentur, etiam dilecto filio Nicolao Orientis Presbytero Fratre dicti Ordinis ibidem tunc præſente, & pro eodem Ordine ſtipulante & acceptante, in perpetuam eleemoſynam conceſſit & donavit: quas quidem donationem & conceſſionem poſtmodum dilectus filius

Ja-

Jacobus de Mozanica Vicarius Generalis dicti Ordinis, quantum in eo fuit, acceptavit, laudavit & approbavit, etiam diœceſani loci, ac dictæ parochialis Eccleſiæ Rectoris ſuper hoc interveniente conſenſu, prout in eiſdem litteris dicitur plenius contineri. Quare pro parte militis & Jacobi Vicarii, ac Nicolai prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſibi in loco capellæ hujuſmodi unam domum dicti Ordinis, pro uſu & habitatione aliquorum Fratrum eorumdem, cum Eccleſia, choro, altaribus, campanili, campana, refectorio, dormitorio, clauſtro, hortis, hortalitiis, & aliis officinis neceſſariis erigendi & conſtruendi, ſeu erigi & conſtrui faciendi, ac ipſis Fratribus eamdem domum inhabitandi licentiam concedere, & alias in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui Religionis propagationem proſequimur, & hujuſmodi cultum noſtris potiſſime temporibus affectamus, de præmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſi eſt ita, militi, Vicario & Nicolao prædictis in loco capellæ domum ipſam, pro uſu & habitatione aliquorum dicti Ordinis Fratrum, cum Eccleſia, choro, altaribus, campanili, campana, refectorio, dormitorio, clauſtro, hortis, hortalitiis, & aliis officinis neceſſariis prædictis, erigere, conſtruere & ædificare, ſeu erigi, conſtrui & ædificari facere, quodque ipſi Fratres ad ipſam domum ſe transferre & illam recipere, inhabitare ac perpetuo retinere, libere & licite valeant, auctorirate noſtra licentiam largiaris pariter & facultatem: jure tamen parochialis Eccleſiæ & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Non obſtantibus fel. record. Bonifacii Papæ VIII. &c. ac aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nos enim omnibus & ſingulis Fratribus dicti Ordinis, qui in dicta domo conſtruenda pro tempore morabuntur, ut omnibus & ſingulis privilegiis, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, prærogativis, gratiis & indultis, uti & gaudere poſſint & debeant, quibus alii Fratres in aliis domibus ejuſdem Ordinis commorantes gaudere ſolent, & utuntur & gaudent, concedimus per præſentes &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLIII. pridie Idus Januarii, Pontificatus noſtri anno VII.

CII.

Ut concedat Fratribus Obſervantibus Vercellenſibus Eccleſiam ſibi propinquam. Ibid. de benef. vacant. & de diverſis. fol. 240.

Dilectis filiis ſancti Stephani in Citadella Vercellen. & ſanctæ Mariæ de Lucedio, ac ſancti Benedicti de Malegio, Vercellen. diœceſis Monaſteriorum &c.

§. I. Sedis Apoſtolicæ &c. Dudum ſiquidem pro parte dilectorum filiorum Communitatis & hominum Civitatis Vercellen. nobis expoſito, quod prope domum Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia nuncupatorum extra muros Vercellen. eſſet quædam parva Eccleſia, per venerabilem fratrem noſtrum Guillerminum Epiſcopum Bethlehemitan. teneri conſueta, quæ ſine cura exiſtebat & tunc vacabat ac tanto tempore vacaverat, quod de ejus vero vacationis modo certa notitia non habebatur, & propterea ejus collatio juxta Lateranen. ſtatuta Concilii erat ad Sedem prædictam legitime devoluta: quam quidem Eccleſiam, una cum quadam petia terræ

Vide Conſt. 19. hujus Pontificis.

terræ perticarum trium ad ipſam Eccleſiam pertinente, dicti Communitas & homines plurimum affectabant Fratribus dicti Conventus, quibus valde accommoda, imo quodammodo neceſſaria exiſtebat, pro eorum uſu & utilitate, ſuppreſſo in ea Ordine ſancti Auguſtini Canonicorum Regularium, cujus eſſe cenſebatur, per dictam Sedem concedi & aſſignari, necnon a ſolutione cenſus unius floreni, quam tam prædictus Guillerminus, quam anteceſſores ſui, qui fuerant pro tempore Epiſcopi Bethlehemitani percipere conſueverant, perpetuo liberari: ac pro parte tam Guillermini Epiſcopi, quam Communitatis & hominum prædictorum nobis ſupplicato, ut dictam Eccleſiam, Ordine ſancti Auguſtini in ea penitus ſuppreſſo & extincto, cum petia terræ hujuſmodi Fratribus prædictis pro eorum uſu & utilitate concedere & aſſignare, ipſamque Eccleſiam a ſolutione prædicti cenſus perpetuo liberare, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur,

§. II. Nos dilecto filio Vicario venerabilis fratris noſtri Epiſcopi Vercellen. in ſpiritualibus generali, ejus proprio nomine non expreſſo, aliis noſtris litteris dedimus in mandatis, quatenus ſi & poſtquam vocatis evocandis, ſibi de eiſdem expoſitis legitime conſtaret, Eccleſiam prædictam, dummodo tempore datæ præſentium non fuerit alicui jus quæſitum, Ordine ſancti Auguſtini hujuſmodi in ea prius ſuppreſſo penitus & extincto, cum petia terræ hujuſmodi Fratribus prædictis pro eorum uſu & utilitate, auctoritate noſtra concederet pariter & aſſignaret. Et nihilominus ſi conceſſionem & aſſignationem prædictas per ſe vigore præſentium fieri contingeret, Eccleſiam necnon Fratres prædictos a ſolutione cenſus hujuſmodi, de conſenſu tamen dicti Epiſcopi, auctoritate prædicta liberaret penitus & abſolveret ... pacifica Eccleſiæ & petiæ terræ hujuſmodi poſſeſſione gaudere, prout in litteris plenius continetur.

§. III. Cum autem, ſicut exhibita nobis nuper pro parte Fratrum, ac Communitatis & hominum prædictorum petitio continebat, in dictis litteris per inadvertentiam non fuerit expreſſum, quod dictus Guillerminus Epiſcopus per quamdam cedulam ſeu ſuppoſitionem ejus ſigillo munitam, in qua idem Guillerminus Epiſcopus prædictam Eccleſiam, cum quadam petia terræ, ac aliis ſuis juribus & pertinentiis univerſis, prædictis Fratribus auctoritate Apoſtolica conferri & aſſignari ſupplicabat, in præmiſſis ſuum jam præſtiterit aſſenſum, & nunc ex certis cauſis difficile foret novum a prædicto Guillermino Epiſcopo conſenſum obtinere, dictique Communitas & homines ex certis cauſis dubitent, ne prædictus Vicarius in executione dictarum litterarum earumdem negligens ſit ſeu remiſſus; ab aliquibus quoque aſſeratur, dictam Eccleſiam ſanctæ Mariæ ad menſam Epiſcopalem Bethlehemitan. pleno jure ſpectare, ſicque illam, cum non beneficium, ſed membrum dumtaxat ſit, non vacaviſſe neque vacare: Pro parte eorumdem Communitatis & hominum & Fratrum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſuper his opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. IV. Nos igitur de præmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus veſtrum, vocatis qui fuerint evocandi, vobis tam de primo, quam de ultimo expoſitis prædictis, & per teſtes fide dignos, aut dictam ſupplicationem Guillermini Epiſcopi ſigillo munitam, eumdem Guillerminum Epiſcopum ſuum circa præmiſſa facienda alias liberum præſtitiſſe conſenſum, legitime conſtiterit, abſque eo quod de novo ipſius Guillermini Epiſcopi ad hoc requiratur conſenſus, dictam Eccleſiam

cum

cum petia terræ, ac omnibus juribus aliis & pertinentiis ſuis, quorum omnium fructus, reditus & proventus unius floreni aurei de Camera, ſecundum communem æſtimationem, valorem annuum non excedunt, eiſdem Fratribus, pro ipſorum uſu & utilitate concedere & aſſignare, necnon alias ad ipſarum litterarum executionem procedere in omnibus & per omnia, perinde ac ſi dictæ litteræ vobis directæ fuiſſent & dirigerentur, auctoritate noſtra curetis. Contradictores &c. Non obſtantibus præmiſſis, ac ſel. recor. Bonifacii Papæ VIII. &c. ac aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque: Aut ſi Guillermino Epiſcopo prædicto vel quibuſvis aliis &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLIII. XVIII. Kalendas Februarii, Pontificatus noſtri anno VII.

CIII.

Conceditur ei Eremitorium de la Barquera cum aliis duobus Fratribus inhabitandum. Ibid. lib. 18. bullarum ſecretarum. fol. 273.

Dilecto filio Joanni de la Strecha Ordinis Fratrum Minorum profeſſori &c.

§. I. Religionis zelus, litterarum ſcientia, vitæ ac morum honeſtas, aliaque laudabilia probitatis & virtutum merita, ſuper quibus apud nos fide digno commendaris teſtimonio, nos inducunt, ut te ſpecialibus favoribus & gratiis proſequamur.

§. II. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte tua petitio continebat, quod tu zelo devotionis accenſus, quem ad vitam ſolitariam ſeu eremiticam geris, cupis de Ordine Fratrum Minorum, quem, ut aſſeris, expreſſe profeſſus exiſtis, ad aliquem locum ſolitarium & a converſatione hominum remotum, pro ſalute animæ tuæ acquirenda te transferre, ac ibidem permanendo Altiſſimo perpetuo famulari; quodque ſi quædam Eccleſia, eremitorium nuncupatum, ſub vocabulo beatæ Mariæ Virginis de la Barquera prope Caſtrum ſeu oppidum ſancti Vincentii de la Barquera, Burgen. diœceſis, dudum conſtructa, ad quam Chriſtifideles de dicto oppido & aliis locis circumvicinis cauſa devotionis interdum confluere contingit, & in ſuis ſtructuris ac ædificiis dietim diminuitur, & in futurum veriſimiliter plus diminui formidatur, tibi cum duobus Fratribus tui Ordinis, cauſa illud inhabitandi, & per te quoad viveres tenendi, regendi ac etiam gubernandi, tui Superioris per te petita licentia, licet non obtenta, concederetur, ex hoc ſperares non modicum fructum conſequi. Quare pro parte tua nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus eremitorium hujuſmodi cum domibus, hortis, hortalitiis, ac omnibus juribus & pertinentiis ſuis per te, quoad viveres, cum duobus Fratribus tui Ordinis, quos ad hoc duxeris eligendos, tenendum, regendum ac etiam gubernandum tibi donare, concedere & aſſignare, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III. Nos igitur hujuſmodi tuum propoſitum in Domino commendantes, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, devotioni tuæ, ſuperioris tui ſuper hoc prius per te petita licentia, licet non obtenta, pro tuo hujuſmodi propoſito adimplendo, de dicto Ordine ad eremitorium prædictum, cum dictis duobus Fratribus per te eligendis, te transferendi, ibidemque vitam eremiticam ducendi, plenam & liberam auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium licentiam elargimur; necnon dictum eremitorium cum domibus, hortis, hortalitiis, ac omnibus juribus & pertinentiis ſuis prædictis per te

quoad vixeris, una cum dictis duobus Fratribus dicti Ordinis tenendum, regendum ac etiam gubernandum & inhabitandum, eiſdem auctoritate & tenore concedimus, donamus & etiam aſſignamus: mandantes inſuper venerabili fratri noſtro Epiſcopo Oveten. & dilectis filiis Decano Burgen. ac Didaco Sanctii de Frias Canonico Seguntin. Eccleſiarum per Apoſtolica ſcripta, quatenus ipſi vel duo aut unus eorum per ſe vel alium ſeu alios, ſi & poſtquam præſentes litteræ eis præſentatæ fuerint, te in corporalem poſſeſſionem eremitorii, juriumque & pertinentiarum prædictorum inducant auctoritate noſtra, & defendant inductum, amoto exinde quolibet illicito detentore, facientes &c. Contradictores &c.

§. IV. Et nihilominus tibi & Fratribus hujuſmodi, ut poſtquam dictum eremitorium inhabitaveritis, omnibus & ſingulis prærogativis, exemptionibus, privilegiis & indultis, quibus alii Fratres & aliæ domus dicti Ordinis Fratrum Minorum eiſdem in genere conceſſis utuntur & gaudent, vel per Sedem Apoſtolicam Fratribus hujuſmodi in omnibus & per omnia in poſterum concedendis, pariter uti & gaudere valeas & valeant, ac ſi in dicto Ordine continuo permanſiſſes, dicta auctoritate indulgemus etiam per præſentes. Nulli ergo &c. ſi quis &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLIII. XVI. Kalend. Februarii, Pontificatus noſtri anno VII.

CIV.

Ut concedat facultatem Gerardo de Clivis, Comiti de Marca licentiam ædificandi domum Obſervantum in ſuo oppido Hannuæ. Ex MSS. provinciæ Coloniæ.

Dilecto filio Decano Eccleſiæ ſancti Patrocli Suſatenſis, Colon. diœceſis &c.

Vide Conſtit. 10. hujus Pontif.

§. I. Piis fidelium votis &c. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilecti filii nobilis viri Gerardi de Clivis, Comitis de Marca, Colon. diœceſis petitio continebat, quod ipſe zelo devotionis accenſus, quem ad Ordinem Fratrum Minorum de Obſervantia ſemper geſſit & gerit, cupiens terrena in cœleſtia, & tranſitoria in æterna ſelici commercio commutare, de bonis ſibi a Deo collatis ſuam domum dicti Ordinis, in quodam ſuo oppido Hannuæ nuncupato, magno & populoſo, in dictis comitatu & diœceſi conſiſtente, in loco ad hoc congruo & honeſto unam domum, pro uſu & habitatione Guardiani & Fratrum dicti Ordinis, inibi pro tempore Altiſſimo, pro ſuæ & progenitorum ac hæredum & conſanguineorum ſuorum animarum ſalute famulaturorum, cum Eccleſia, hortis, hortalitiis, campanili, campanis, ac aliis neceſſariis officinis fundare, conſtruere, erigere & ædificare, ſeu fundari, conſtrui, erigi & ædificari facere ſerventer exoptat, dummodo ſibi ſuper hoc Sedis Apoſtolicæ ſuffragetur auctoritas. Quare pro parte dicti Comitis nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſibi in oppido & loco prædictis domum pro uſu & habitatione Guardiani & dictorum Fratrum de Obſervantia, cum Eccleſia, campanili, campanis, hortis, hortalitiis & aliis neceſſariis officinis, erigendi, fundandi, conſtruendi & ædificandi, ſeu fundari, erigi, conſtrui & ædificari faciendi licentiam concedere, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui Divinum cultum ubique vigere & augeri ſupre-

nuis

mis affectibus desideramus, hujusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi Comiti in oppido præfato, in loco ad id convenienti unam domum pro usu & habitatione Guardiani & Fratrum de Observantia hujusmodi, cum Ecclesia, campanili, campanis, hortis, hortalitiis, & aliis necessariis officinis, erigendi, fundandi, construendi & ædificandi, seu erigi, fundari, construi ac ædificari faciendi, ac Guardiano & Fratribus dicti Ordinis domum præfatam pro eorum usu & habitatione recipiendi & perpetuo retinendi, diœcesani loci & cujuscumque licentia super hoc minime requisita, plenam & liberam licentiam auctoritate nostra largiaris. Nos enim universis & singulis dicti Ordinis Fratribus, quos in domo præfata pro tempore residere contigerit, ut omnibus & singulis privilegiis, libertatibus, exemptionibus & indultis, Ordini præfato, & ipsius domibus, locis & personis per Sedem prædictam, seu alias generaliter concessis, uti & gaudere libere & licite valeant, eadem auctoritate nostra indulgemus. Non obstantibus felicis record. Bonifacii Papæ VIII. &c. etiam aliis constitutionibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque: jure tamen parochialis Ecclesiæ & cujuslibet alterius in omnibus semper salvo.

Datum Romæ apud sanctum Petrum annno Incarnationis Dominicæ MCCCCLIII. XI. Kalend. Februarii, Pontificatus nostri anno VII.

CV.

Ut domus sancti Francisci Jaderen. concedatur Observantibus. Ex Regest. Vatic. arch. superioris. lib. 44. bullar. fol. 232.

Ad futuram rei memoriam.

§. I. INter desiderabilia cordis nostri desideria, illud intensis desideriis affectamus, ut expurgatis vitiis & quibusvis notæ dispendiis, ubique majestas Altissimi laudetur in benedictionibus gratiarum, ejusque cultus gratiosi Nominis, ac sacra Religio amplientur, & in iis quæ ad promotionem hujusmodi spectare videntur, fidelium votis libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis.

§. II. Cum itaque, sicut exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Communitatis & civium Civitatis Jaderen. petitio continebat, ipsi Communitas & cives considerantes &c. vitam Fratrum domus sancti Francisci Jaderen. Ordinis Fratrum Minorum &c. & nisi Fratres ipsi ab eadem domo amoveantur, exinde quamplurima scandala verisimiliter subsequentur; quodque etiam dicti Communitas & cives ob timorem impugnationum & insultuum, quæ illis per ipsorum hostes, & præsertim perfidos Teucros Christiani nominis inimicos, ex domo sanctæ Crucis extra muros Jaderen. Fratrum dicti Ordinis regularis Observantiæ, verisimiliter fieri possent, domum sanctæ Crucis hujusmodi demoliri facere intendant: attendentes insuper quamplures animarum fructus, quos ipsi cives ex prædicationibus & religiosa vita dictorum Fratrum de Observantia consequuntur & consequi possint, Conventuales a prædicta domo sancti Francisci amoveri, & ad ipsam Fratres de Observantia hujusmodi transferri summopere desiderent. Pro parte dilectorum filiorum nobilium virorum dominii Venetorum, sub quorum temporali dominio prædicta Civitas existit, ac dictorum Communitatis & civium nobis fuit humiliter supplicatum, ut ad obviandum scandalis & aliis præmissis, ac pro ipsorum civium animarum salu-

lute, necnon Divini cultus & Religionis augmento, in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III. Nos igitur, qui diſſentionibus & ſcandalis quibuſcumque, quantum cum Deo poſſumus, obviamus, & cultum divinum necnon Religionis augmentum hujuſmodi noſtris præſertim temporibus vigere & augeri intenſis deſideriis affectamus, de præmiſſis omnibus & ſingulis, tam per litteras dictorum nobilium virorum dominii Venetorum quam alias pleniſſime informati, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica & ex certa ſcientia, tenore præſentium prædictam domum ſancti Franciſci ad regularem Obſervantiam dicti Ordinis, ſub qua Fratres ejuſdem domus ſanctæ Crucis degunt, reducimus & reformamus, & pro reductione & reformatione hujuſmodi ſtatuimus, decernimus & in virtute ſanctæ Obedientiæ eis diſtricte præcipiendo mandamus, quod ex nunc inantea perpetuis futuris temporibus regularis in prædicta domo S. Franciſci ſervetur Obſervantia, ac ſub illa Fratres in eo nunc & in poſterum degentes vivant, ipſaque domus ſancti Franciſci ac illius Fratres & perſonæ Vicariis & aliis Superioribus Ordinis & Obſervantiæ prædictorum, ſub quibus prædicta domus ſanctæ Crucis & ejus perſonæ ſubjectæ exiſtunt, in perpetuum, in omnibus & per omnia ſubſiſtant, ac juxta ritus, mores, ſtatuta & privilegia Fratribus Ordinis & Obſervantiæ prædictorum per Sedem Apoſtolicam conceſſa regatur & gubernetur. Et nihilominus, ut reductio & reformatio hujuſmodi ſuum celerius ſortiantur effectum, dilectos filios Guardianum & Fratres domus ſanctæ Crucis ad prædictam domum ſancti Franciſci, ut inibi commorentur et Altiſſimo deſerviant, transferimus: Quodque nunc exiſtens Guardianus ſanctæ Crucis ejuſdem ſancti Franciſci domorum Guardianus ſit et cenſeatur, decernimus; modernum Guardianum domus ſancti Franciſci a Guardianatu, et illos ex ejuſdem domus ſancti Franciſci Conventualibus Fratribus, qui ſub dicta Obſervantia vivere noluerint, a prædicta domo ſancti Franciſci realiter et omnino amoventes.

§. III. Præterea volumus & eadem auctoritate ſtatuimus & decernimus, quod omnia poſſeſſiones & bona immobilia prædictæ domus ſancti Franciſci quandocumque, quæcumque & quotcumque & qualiacumque et quanticumque valoris ſint, per dictos Communitatem & cives ſeu deputatos ab eis perpetuo regantur & gubernentur, ſeu, ſi id eis magis expedire videbitur, per ipſos Communitatem & cives ſeu deputatos ab eis publica ſubhaſtatione prima ſimul vel ſucceſſive vendantur, illorumque pretium ſeu pretia in emptionem impræſtitorum de Venetiis, quorum ſeu poſſeſſionum & bonorum prædictorum fructus & emolumenta annis ſingulis in reparationem & conſervationem fabricæ ejuſdem domus ſancti Franciſci, quæ, ſicut accepimus, in ruinam labitur & magna reparatione noſcitur indigere, exponantur penitus & omnino convertantur. Ipſis inſuper Communitati & civibus prædictam domum ſanctæ Crucis extra muros prædictos conſiſtentem, illius tamen Eccleſia alias illæſa permanente, demoliendi licentiam: ac prædictæ domui ſancti Franciſci & Fratribus de Obſervantia in ea pro tempore degentibus, quod omnibus & ſingulis privilegiis, exemptionibus, aliis domibus & Fratribus Ordinis & Obſervantiæ prædictorum, ipſique demoliendæ domui per Sedem Apoſtolicam conceſſis & in poſterum concedendis, perpetuo uti & gaudere libere & licite poſſint & valeant, eadem auctoritate concedimus per præſentes. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque: Cupientes autem, ut præſentes noſtræ litteræ votivum ſortiantur effectum, venerabili fratri noſtro Epiſcopo Scavenen. & dilecto filio Archidiacono Eccleſiæ Noven. per Apoſtolica ſcripta mandamus

mus &c. quoties & quando pro parte dictorum Communitatis & civium rogati fuerint, præsentes nostras litteras solemniter publicantes &c. Contradictores per censuram Ecclesiasticam &c. Non obstantibus fel. record. Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris nostri &c. ceterisque contrariis quibuscumque: Aut si Guardiano & Fratribus Conventualibus prædictis communiter vel divisim a Sede prædicta sit indultum, quod interdici, excommunicari &c. non possint: per litteras nostras &c. Nulli ergo &c. si quis &c.

Datum Romæ apud sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLIII. XIII. Kal. Aprilis, Pontificatus nostri anno VII.

Anno Christi 1454. Nicolai V. anno 8.

CVI.

Approbatur depositum factum pro Observantibus urbis Candiæ in insula Cretensi. Ibid. lib. 45. bullarum. fol. 98.

Dilectis filiis Communitati civitatis Candiæ, insulæ Cretensis &c.

§. I. SInceræ devotionis affectus &c. Sane pro parte vestra nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim postquam domus sancti Francisci civitatis Candiæ dilectis filiis professoribus Ordinis Fratrum Minorum sub regulari Observantia viventibus, auctoritate Apostolica concessa extitit ac etiam assignata, vos pro certorum fructuum, redituum & proventuum, quos dudum antea Fratres dicti Ordinis in ipsa domo commorantes percipere & administrare consueverant, quosque iidem Fratres de Observantia a se penitus abdicaverant, ac nonnullorum aliorum bonorum ad ipsam domum spectantium conservatione, quamdam cameram Jesu Christi nuncupatam ordinastis, in qua fructus, reditus & proventus hujusmodi sub fida & bona custodia servarentur, ac nonnullos ex nobilibus concivibus vestris, qui fructus, reditus & proventus perciperent ac bona hujusmodi conservarent, ipsosque fructus in reparationem & fabricam dictæ domus, necnon pro libris, paramentis, & aliis ornamentis ad cultum divinum & usum Fratrum de Observantia prædictorum necessariis emendis, procuratores & unum depositarium constituistis ac deputastis, quorum quidem nobilium procuratorum & depositarii diligentia atque industria, fructus, reditus & proventus prædicti & aliæ piæ eleemosynæ & oblationes fidelium ad usus prædictos in eadem camera ex tunc repositi & fideliter conservati fuerunt, prout etiam sub bona fidaque custodia reponuntur & conservantur ad præsens. *Vide Constit. 98. hujus Pontificis.*

§. II. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, vos qui constructionem, ordinationem & deputationem prædictas, utpote in partibus illis, in quibus plures Græci, qui eisdem Fratribus Observantibus necessaria vitæ subsidia impendere aut eleemosynas erogare non curant, quam Latini commorantur, opportunas & necessarias, in posterum perpetuis futuris temporibus inviolabiliter perdurare cupiatis. Pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, ut ordinationi, constitutioni & deputationi ac aliis præmissis, pro illarum subsistentia firmiori robur Apostolicæ confirmationis adjicere, ac alias opportune providere, de benignitate Apostolica dignaremur.

§. III. Nos igitur, qui Ecclesiarum & Monasteriorum ac religiosorum locorum quorumlibet, necnon personarum sub regulari habitu piæ vitæ studio Altissimo jugiter famulantium, statum prosperum & felicem intentis desideriis affectamus, quique pro piis & laudabilibus desideriis hujusmodi confovendis opem & operam efficaces opportunaque præsidia adhibemus, hujusmodi

modi ſupplicationibus inclinati, ordinationem dictæ cameræ & procuratorum & depoſitarii prædictorum deputationes auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium ratificamus, approbamus & confirmamus, ſupplentes omnes & ſingulos defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem.

§. IV. Et nihilominus quod fructus, reditus & proventus, eleemoſynæ, oblationes & bona hujuſmodi per procuratores ac depoſitarium pro tempore exiſtentes hujuſmodi in eadem camera conſervari, ac per eos pro neceſſitatibus Eccleſiæ, domus & Fratrum prædictorum, necnon aliis uſibus antedictis, prout eis opportunum eſſe videbitur, fideliter exponi poſſint & debeant, eadem auctoritate, harum ſerie concedimus pariter & indulgemus: ſel. rec. Clementis Papæ V. &c. & aliis conſtitutionibus, necnon privilegiis dicti Ordinis, juramento vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, ceteriſque contrariis non obſtantibus quibuſcumque &c. Nulli ergo &c. ſi quis &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLIV. pridie Nonas Aprilis, Pontificatus noſtri anno VIII.

CVII.

Ut admittere poſſint domos duas a Ludovico Duce Sabaudiæ conſtruendas. Ibid. fol. 100.

Dilecto filio Vicario Miniſtri Provinciæ Burgundiæ, Ordinis Minorum ſuper Fratres de Obſervantia vulgariter nuncupatos &c.

Vide Conſt. 39. hujus Pontificis.

§. I. PIa Deo & Eccleſiæ deſideria &c. Sane pro parte dilecti in Chriſto filii nobilis viri Ludovici Ducis Sabaudiæ fuit nobis nuper expoſitum, quod ipſe zelo devotionis, quam ad Ordinem Fratrum Minorum de Obſervantia gerit, in Eccleſia beatæ Mariæ de ſancto Bono prope villam Thonon. Gebennen. diœceſis, unam, & in quodam alio loco, quem ipſe duxerit eligendum, aliam domos, cum Eccleſia, campanili, campana, clauſtro, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis & aliis neceſſariis officinis pro uſu & habitatione Fratrum dicti Ordinis de novo fundare, conſtruere & ædificare, ſeu fundari, conſtrui & ædificari facere ferventer exoptat, dummodo ei ſuper hoc per Sedem Apoſtolicam licentia concedatur. Quare pro parte ejuſdem Ducis fuit nobis humiliter ſupplicatum, ut ſibi dictam licentiam concedere, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur ipſius Ducis pium & laudabile propoſitum in hac parte plurimum in Domino commendantes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi & poſtquam dictus Dux Rectori prædictæ Eccleſiæ congruam dederit recompenſam, prædictique Rectoris ad id expreſſus aſſenſus acceſſerit, eidem Duci in ipſa Eccleſia unam, & in alio loco, quem maluerit, per eum eligendo, aliam domos pro uſu & habitatione tua & tuorum Fratrum de Obſervantia, cum Eccleſia, campanili, campana, clauſtro, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis et aliis neceſſariis officinis, diœceſani loci & cujuslibet alterius ſuper hoc licentia minime requiſita, de novo fundandi, conſtruendi & ædificandi, ſeu fundari, conſtrui & ædificari faciendi, plenam & liberam licentiam auctoritate noſtra concedas. Nos tibi & dictis Fratribus tuis, ut Eccleſiam cum illius habitationibus, vinea, horto, & aliis juribus & pertinentiis ſuis, necnon erigendas domos hujuſmodi recipere, tenere & inhabitare poſſis, necnon omnibus Fratribus eas recipiendi & inhabitandi plenam & liberam licentiam, quodque omnibus & ſingulis privilegiis, libertatibus, immunitatibus,

tibus, indulgentiis, exemptionibus & gratiis uti valeatis, pariter & gaudere, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus. Non obſtantibus fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. &c. & aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque: jure tamen parochialis Eccleſiæ & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLIV. VIII. Idus Aprilis, Pontificatus noſtri anno VIII.

CVIII.

Ut concedat facultatem ædificandi domum Obſervantum prope Cæſarauguſtam.
Ibid. fol. 152.

Venerabili Fratri Epiſcopo Tiraſonen. &c.

§. I. IIs, quæ Divini cultus augmentum & ſacræ Religionis reſpiciunt, libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis. Dudum ſiquidem dilectis filiis Fratribus Ordinis Minorum de Obſervantia nuncupatis, provinciæ Aragoniæ, in certo loco prope & extra muros Cæſarauguſtan. degentibus, per alias noſtras litteras conceſſimus, ut pro eorum uſu & habitatione perpetuis unam domum inibi vota ſua Altiſſimo reddituri erigere poſſent, dummodo ad id dilectorum filiorum civium, videlicet Rectorum, Juratorum nuncupatorum civitatis Cæſarauguſtan. interveniret aſſenſus.

§. II. Cum itaque nuper ad notitiam noſtram pervenerit, quod prædicti Rectores devotionis zelo permoti, libentiſſime & affectuoſe domum erigi per Fratres ipſos cupiunt & expetunt, quinimo ea grata habent plurimum & accepta; Nos, qui ubilibet cultum Divinum augeri & ſacram Religionem propagari, intenſis deſideriis affectamus, & cariſſimi quoque in Chriſto filii noſtri Alphonſi Aragonum Regis illuſtris, qui nobis ſuper hoc ſupplicavit, & ipſorum Rectorum votis in hac parte favorabiliter annuentes, Fraternitati tuæ, cui etiam certum Breve noſtrum hæc & alia tangens pridem direximus, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus eiſdem Fratribus juxta ſupradictorum Rectorum devotionem, domum hujuſmodi cum Eccleſia, campanili, campana, clauſtro, cœmeterio, horto, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro uſu & habitatione prædictis, in loco prædicto fundandi & ædificandi, ſeu conſtrui & ædificari faciendi, ipſam domum recipiendi & perpetuo retinendi, diœceſani loci & alterius cujuslibet ſuper hoc licentia minime requiſita, fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. &c. & aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis nequaquam obſtantibus, plenam & liberam auctoritate noſtra licentiam etiam de novo largiaris, contenta pariter in prædictis litteris plene & libere exequaris: jure tamen parochialis Eccleſiæ & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Nos enim Fratribus & domui prædictis, ut omnibus & ſingulis privilegiis, immunitatibus, libertatibus, exemptionibus, gratiis & indultis, aliis Fratribus & domibus ejuſdem Ordinis per Sedem Apoſtolicam conceſſis, gaudere & uti valeant, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLIV. III. Idus Aprilis, Pontificatus noſtri anno VIII.

CIX.

Ut concedat licentiam ædificandi domum Obſervantum prope caſtrum Abagerræ. Ibid. lib. 1. de diverſis formis. fol. 38.

Dilecto filio Abbati Monaſterii ſancti Andreæ Mantuan.

Vide Conſtit. 51. hujus Pontificis.

§. I. PIa fidelium vota &c. Sane pro parte dilectorum filiorum hominum Univerſitatis Caſtri ſancti Martini Abagerræ, Cremonen. diœceſis nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipſi provide conſiderantes, in eodem Caſtro ipſiuſque territorio nullum Monaſterium neque domum conventualem religioſorum alicujus Ordinis, quorum prædicationibus & doctrinis refici & ad fidei ædificationem inſtrui poſſent, citra decem milliaria exiſtere, devotionis zelo accenſi, pro ſalute animarum ſuarum, necnon ad honorem beati Bernardini Confeſſoris, unam domum conventualem Ordinis Fratrum Minorum, pro aliquibus ex ipſius Ordinis Fratribus regularis Obſervantiæ cum Eccleſia, campanili, campana, cœmeterio, hortis, hortalitiis & aliis neceſſariis officinis in eodem territorio fundare & ædificare affectant. Quare pro parte Univerſitatis & hominum prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſuper his opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui piis & ſalutiferis operibus hujuſmodi, ut optatum ſortiantur effectum, favoribus aſſiſtimus opportunis, eorum in hac parte ſupplicationibus annuentes, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſi eſt ita, Univerſitati hominibuſque prædictis domum eamdem cum Eccleſia, campanili, campana & cœmeterio ad uſum dictorum Fratrum, hortis, hortalitiis & officinis hujuſmodi, in loco convenienti pro aliquibus Fratribus antedictis, in ea ſub regulari Obſervantia moraturis, & per dilectum filium Generalem Miniſtrum dicti Ordinis deputandis, fundandi, conſtruendi & ædificandi, jure tamen parochialis Eccleſiæ, infra cujus limites dicta domus fundabitur, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo, auctoritate noſtra licentiam largiaris. Non obſtantibus fel. record. Bonifacii Papæ VIII. &c. & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus contrariis quibuſcumque.

§. III. Nos enim ſi erectionem & conceſſionem prædictas per te fieri contigerit, Fratribus in dicta erigenda domo pro tempore reſidentibus, ut omnibus & ſingulis privilegiis, indultis, libertatibus & exemptionibus, præfato Ordini ac illius domibus & perſonis per Sedem Apoſtolicam & alias quomodolibet generaliter conceſſis, uti & gaudere, ac dilecto filio Bernardino de dicto Caſtro ipſius Ordinis & Obſervantiæ profeſſori, ut pro fundatione celeriori dictæ domus cum nonnullis ex dictis Fratribus, quos duxerit eligendos, de licentia tamen Generalis prædicti, ad inhabitandum domum ipſam ſe conferre, & in ea manere libere & licite poſſint & valeant, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLIV. Idibus Aprilis, Pontificatus noſtri anno VIII.

CX.

CX.

Ut concedat facultatem Miniſtro Siciliæ recipiendi domum unam Torturetì, alteram Aſinellæ. Ibid. l. 1. de benef. vac. & Regularibus. fol. 263.

Venerabili Fratri Archiepiſcopo Panormitan. &c.

§. I. UT quælibet ſacra Religio dilatetur, ac florido decentique candore refulgeat, libenter, cum a nobis petitur, favorem Apoſtolicum impertimur. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Miniſtri & Fratrum provinciæ Siciliæ, Ordinis Fratrum Minorum, petitio continebat, quod dudum venerabiles Fratres noſtri Jacobus Archiepiſcopus Meſſanen. ſanctæ Mariæ extra muros terræ Tortureti, Meſſanen. diœceſis, & Lucas Epiſcopus Cefaluden. Sanctæ Mariæ Magdalenæ loci de Aſinella, Cefaluden. diœc. Eccleſias ad eorum menſas legitime pertinentes, pro augmento divini cultus & Religionis propagatione, Blaſio de Ommibono & Fratribus Ordinis Minorum, ad finem & effectum ut in ſingulis Eccleſiis prædictis ſingulæ conventuales dicti Ordinis domus erigerentur, auctoritate ordinaria conceſſerunt, prout in Archiepiſcopi & Epiſcopi prædictorum litteris deſuper confectis dicitur plenius contineri. Quare pro parte Miniſtri & Fratrum prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis Eccleſias ipſas recipiendi, & illas in domos conventuales dicti Ordinis, cum clauſtro, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis & aliis neceſſariis officinis erigendi & perpetuo inhabitandi licentiam concedere, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui Divinum cultum ac dictæ Religionis propagationem ubique vigere & augeri ſupremis affectibus deſideramus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi & poſtquam tibi de conceſſionibus & litteris prædictis legitime conſtiterit, Miniſtro & Fratribus prædictis Eccleſias ipſas in domos conventuales dicti Otdinis cum clauſtro, dormitorio, refectorio, hortis, hortaliliis, et aliis neceſſariis officinis, pro aliquibus ex Fratribus dicti Ordinis inibi conventualiter perpetuo commoraturis erigendi, ac eiſdem Fratribus eas pro illorum uſu & habitatione retinendi et inhabitandi, plenam et liberam licentiam auctoritate noſtra concedas: Nos enim Guardiano et Fratribus in dictis domibus pro tempore commoraturis, ut omnibus et ſingulis privilegiis, exemptionibus, libertatibus, indultis & gratiis, aliis dicti Ordinis domibus & Fratribus in genere conceſſis, uti valeant pariter et gaudere, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus. Non obſtantibus fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri &c. & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus, necnon ſtatutis et conſuetudinibus dicti Ordinis, juramento, confirmitatione Apoſtolica vel quavis alia firmitate roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcumque: jure tamen parochialium Eccleſiarum et cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLIV. XVII. Kalendas Junii, Pontificatus noſtri anno VIII.

CXI.

Ut poſſint ædificare domum Obſervantum. Ibid. lib. 1. de diverſis formis, fol. 175.

Dilectis filiis Univerſitati & hominibus Terræ noſtræ Montis-Franchonis, Spoletan. diœceſis &c.

Vide Conſtit. 11. hujus Pont.

§. I. Piis fidelium votis &c. Cum itaque, ſicut exhibita nobis nuper pro parte veſtra petitio continebat, vos zelo devotionis accenſi, et cupientes terrena in cœleſtia et tranſitoria in æterna felici commercio commutare, tam de bonis a Deo vobis collatis, quam aliis Chriſtifidelium piis ad hoc porrectis et porrigendis ſuffragiis, unam domum in honorem et ſub vocabulo glorioſiſſimi Confeſſoris ſancti Bernardini nuncupandam, cum Eccleſia, campanili, campana, cœmeterio, dormitorio, domibus, hortis, hortalitiis & aliis neceſſariis officinis, pro uſu & habitatione Fratrum Ordinis Minorum de Obſervantia, qui inibi debeant Altiſſimo perpetuo deſervire, in territorio dictæ terræ Montis-Franchonis, Spoletan. diœceſis, in loco utique ad id congruo & honeſto fundare, conſtruere & ædificare, ſeu fundari, conſtrui & ædificari facere inchoaveritis, & ad finem perducere proponatis. Pro parte veſtra nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut vobis præmiſſa faciendi, et Vicario pro tempore exiſtenti ac Fratribus dicti Ordinis et Obſervantiæ prædictæ provinciæ ſancti Franciſci domum ipſam cum omnibus juribus et pertinentiis ſuis pro uſu et habitatione prædictis recipiendi et perpetuo retinendi, et inibi morandi licentiam concedere, et alias ſuper his opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui Religionem ipſam propagari & Divinum cultum augeri noſtris potiſſime temporibus intenſis deſideriis affectamus, hujuſmodi veſtrum pium propoſitum in Domino plurimum commendantes, devotioni veſtræ de bonis & ſuffragiis hujuſmodi, domum cum Eccleſia, campanili, campana, cœmeterio, dormitorio, domibus, hortis, hortalitiis & aliis officinis neceſſariis, in loco præfato fundandi, conſtruendi & ædificandi, ſeu fundari, conſtrui & ædificari faciendi, aut jam pro parte fundatam, conſtructam & ædificatam ad finem perducendi, ipſique Vicario & Fratribus domum cum Eccleſia hujuſmodi, ac omnibus juribus & pertinentis ſuprabictis, pro eiſdem uſu & habitatione recipiendi & perpetuo retinendi & inidi morandi, ut præfertur, diœceſani loci & aliorum quorumcumque licentia minime requiſita, plenam & liberam auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium licentiam elargimur. Et nihilominus dictæ domui per ipſos Fratres recipiendæ, ac univerſis & ſingulis dicti Ordinis Fratribus de Obſervantia nuncupatis, quos in præfata domo pro tempore reſidere contigerit, ut omnibus & ſingulis indultis, privilegiis, libertatibus, exemptionibus, immunitatibus & gratiis, Ordini præfato, necnon ipſius aliis domibus, locis & perſonis per Sedem Apoſtolicam generaliter conceſſis & concedendis, uti & gaudere libere & licite valeant, auctoritate præfata concedimus per præſentes. Non obſtantibus fel. record. Bonifacii Papæ VIII. &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque: jure tamen parochialis Eccleſiæ, ſub qua dicta domus conſiſtet & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Nulli ergo &c. ſi quis &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLIV. VII. Kalendas Julii, Pontificatus noſtri anno VIII.

CXII.

CXII.

Confirmat ſeparationem earum a Monialibus Ordinis ſancti Auguſtini. Ibid. lib. 18. bullarum ſecretarum. fol. 203.

Dilectis in Chriſto filiabus Abbatiſſæ & Conventui Monaſterii novi, alias de Vedano Mediolanen. Ordinis ſanctæ Claræ &c.

§. I. DIgna reddimur attentione ſolliciti, ut in admittendis earum votis benevolum impertiamur aſſenſum, quæ illecebris mundanis, ac mortalis viri thoro propulſis, in illius, qui ſpecioſus eſt præ filiis hominum, beneplacitis ſub regulari Obſervantia laudabiliter converſantur.

§. II. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte veſtra petitio continebat, quod dudum bonæ memoriæ Henricus tituli ſancti Clementis presbyter Cardinalis, tunc Archiepiſcopus Mediolanen. vigore quarumdam litterarum ſel. record. Eugenii Papæ IV. prædeceſſoris noſtri in forma Brevis eidem Henrico tunc Archiepiſcopo directarum, auctoritate Apoſtolica, nonnullis ſub ſanctæ Claræ, & quibuſdam ex Monialibus ſeu Religioſis tunc in Monaſterio novo alias de Vedano Mediolanen. exiſtentibus ſub ſancti Auguſtini, cujus idem Monaſterium tunc erat, Ordinum regulis vivere volentibus, Monaſterium ipſum per medium dividens, unam cum illius Eccleſia remanentibus ſub ſancti Auguſtini dimiſit, reliquam vero medietatem dicti Monaſterii cupientibus ſub ſanctæ Claræ regulis hujuſmodi vivere aſſignavit, eiſque poteſtatem in ipſa aſſignata parte Oratorium conſtruendi, ac omnia alia & ſingula, quæ Moniales dicti Ordinis ſanctæ Claræ ſub regulari Obſervantia viventes, ad bene vivendum facere conſueverunt, faciendi, & prædictam regulam ſanctæ Claræ recipiendi & profitendi licentiam conceſſit, ipſaſque ſub regula ſanctæ Claræ vivere volentes, ſub regimine & cura dilectorum filiorum Vicarii Provincialis, Guardiani & Fratrum in domo ſeu loco ſancti Angeli extra & apud Mediolanum Ordinis Fratrum Minorum reſidentium dimiſit, ac dictis Vicario, Guardiano & Fratribus confeſſiones earum audiendi, & ipſis & earum cuilibet pro omnibus earum peccatis, etiam in caſibus, in quibus dictus Archiepiſcopus poſſet, debitam abſolutionem impendendi, & injungendi pœnitentiam ſalutarem, necnon Euchariſtiæ & Extremæ-unctionis eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrandi, quoties opus foret, ac omnia alia, quæ ad bonum regimen ipſarum Monialium cognoſcerentur expedire, faciendi facultatem dicta auctoritate indulſit, prout in litteris ejuſdem Cardinalis tunc Archiepiſcopi inde confectis dicitur plenius contineri.

§. III. Poſtmodum vero prædictæ Moniales diviſionis, aſſignationis, licentiæ, conceſſionis, facultatum & aliorum præmiſſorum vigore, dictam medietatem ſibi conceſſam aſſecutæ fuerunt, & in regula Ordinis ſanctæ Claræ hujuſmodi, ſub qua profeſſionem fecerunt, ex tunc perſeverarunt, prout & vos, quæ illis ſucceſſiſtis, perſeveratis de præſenti, ſub regimine & cura Vicarii, Guardiani & Fratrum prædictorum, qui earum & veſtrarum confeſſiones audierunt, eiſque & vobis Sacramenta eccleſiaſtica miniſtrarunt, perſeverando. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, vos diviſionem, aſſignationem, conceſſionem, & omnia & ſingula alia præmiſſa & quæcumque inde ſecuta, pro eorum ſubſiſtentia firmiori, Apoſtolico munimine roborari deſideretis: Pro parte veſtra nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut veſtro deſiderio hujuſmodi favorabiliter annuere, & alias ſuper iis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. IV.

§. IV. Nos igitur Religionem veſtram noſtris præſertim temporibus vigere & augeri ſinceris exoptantes affectibus, illamque ſpecialibus etiam, quibus vos & quælibet veſtrum, tam præſentes quam poſteræ pro potiori animarum ſalute impendia conſequi poſſitis, favoribus proſequi cupientes, veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, diviſionem ac omnia alia & ſingula præmiſſa rata & firma habentes ac grata, eadem auctoritate Apoſtolica, & ex certa ſcientia, tenore præſentium approbamus & confirmamus, necnon præſentis ſcripti patrocinio communimus, ſupplentes omnes defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem.

§. V. Et nihilominus vobis, quod vos præſentes & futuræ, ac dictum veſtrum Monaſterium omnibus & ſingulis privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, favoribus, gratiis & indultis, aliis Monaſteriis dicti Ordinis, illarumque Monialibus per Sedem Apoſtolicam ſeu alias in genere vel in ſpecie conceſſis, & in poſterum forſan concedendis, in omnibus & per omnia perpetuo frui, uti & gaudere poſſitis: necnon vobis præſentibus & futuris, quamdiu ſub hujuſmodi regulari Obſervantia dicti Ordinis ſanctæ Claræ vixeritis, ac omnibus & ſingulis ad veſtra & dicti veſtri Monaſterii obſequia in totum dedicatis mulieribus ſimiliter præſentibus & futuris, ut confeſſor, quem veſtrum & illarum quælibet duxerit eligendum, omnium veſtrorum & illarum peccatorum &c. ſemel tantum in mortis articulo, plenam remiſſionem vobis & illis, in ſinceritate fidei, unitate ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, ac obediantia & devotione noſtra vel ſucceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum canonice intrantium perſiſtentibus, dicta auctoritate Apoſtolica concedere valeat, indulgemus per preſentes; ſic tamen &c. & ne, quod abſit, propter hujuſmodi gratiam &c. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque &c. Nulli ergo &c. ſi quis &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLIV. VII. Kalend. Julii, Pontificatus noſtri anno VIII.

CXIII.

Ut confirmet Minoribus quaſdam domos bona fide acceptas & retentas in Sicilia. Ibid. ex lib. 1. de benef. vacant. & de Regularibus. fol. 182.

Venerabili fratri Archiepiſcopo Panormitan. &c.

§. I. Solet Sedis Apoſtolicæ clementia recurrentium ad eam poſt exceſſum cum humilitate, perſonarum præſertim Religioni adſcriptarum ſtatui libenter conſulere, & per quæ Religionis augmentum, ac ſalus proſpere ſperatur animarum, vota favorabiliter exaudire.

§. II. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Miniſtri Provincialis & Fratrum Minorum provinciæ Siciliæ, ſecundum morem dicti Ordinis, & præſertim domus Bizini ſancti Mauri, Ciminnæ, Caſtri novi, atque Bivonæ, Siracuſan. Meſſanen. Panormitan. & Agrigentin. diœceſ. .... per nonnullas terrarum & locorum Univerſitates, ac alias particulares perſonas eidem Ordini devotas pariter & affectas, pro Divini cultus augmento & Religionis propagatione .... ædificatæ, & per Fratres dicti Ordinis receptæ, retentæ & inhabitatæ fuerint, prout etiam bona ſide retinentur & inhabitantur ad præſens; tamen, quod domus prædictæ & nonnullæ aliæ in dicto Regno conſiſtentes, de licentia Sedis Apoſtolicæ fundatæ, & per Fratres prædictos receptæ fuerunt, certitudo aliqua non habetur, niſi de earum aliquibus quædam veriſimilis conjectura, ac etiam tanti temporis pacifica diuturnaque poſſeſſio.

§. III.

§. III. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, bonarum mentium ſit culpam agnoſcere, etiam ubi culpa non eſt, & propterea moderni Provinciales Miniſter & Fratres provinciæ hujuſmodi ſuper præmiſſis certiorari affectent: Pro parte Miniſtri & Fratrum prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut omnes & ſingulos ex Fratribus dicti Ordinis, qui domos aliquas præfati Ordinis in eodem Regno abſque Sedis præfatæ licentia ſpeciali hactenus receperunt, ab excommunicationis ſententia, quam propterea incurrerunt, abſolvere, & cum eis ſuper irregularitate diſpenſare, omnem ab eis inhabilitatis & infamiæ maculam ſive notam, præmiſſorum occaſione contractam abolere, eiſque, quod domos prædictas, abſque alicujus ſententiæ, cenſuræ, vel pœnæ incurſu retinere, inhabitare & ampliare perpetuo valeant, concedere, & alias eorum ſtatui & ſaluti ſuper præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. IV. Nos igitur attendentes, quod Sedis prædictæ clementia non conſuevit humiliter petentibus veniam denegare, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus omnes & ſingulos ex dicti Ordinis Fratribus, qui domos in Regno hujuſmodi ſine licentia Sedis ejuſdem receperunt, ſi hoc humiliter petierint, ab excommunicationis ſententia, quam propterea incurrerunt, auctoritate noſtra hac vice dumtaxat abſolvas in forma Eccleſiæ conſueta, injunctis inde ſibi pro modo culpæ pœnitentia ſalutari & aliis quæ de jure fuerint injungenda, ac cum eis ſuper irregularitate, ſi quam celebrando Divina vel immiſcendo ſe illis, non tamen in contemptum clavium, contraxerunt, eadem auctoritate diſpenſes, aboleaſque ab eis omnem inhabilitatis & infamiæ maculam ſive notam, præmiſſorum occaſione contractam: eis quoque necnon aliis dicti Ordinis modernis & futuris Fratribus, quod domos ipſas abſque alicujus ſententiæ, cenſuræ, vel pœnæ incurſu retinere, ampliare & inhabitare libere & licite perpetuo poſſint & valeant, tenore præſentium eadem auctoritate concedas, ac licentiam largiaris: fel. record. Bonifacii Papæ VIII. necnon Clementis V. quæ incipit: *Cupientibus*. Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum, ac aliis Apoſtolicis conſtitutionibus, ceteriſque contrariis non obſtantibus quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLIV. VII. Idus Julii, Pontificatus noſtri anno VIII.

CXIV.

Ut poſſint admittere tres Conventus. Ibid. lib. 1. de Regular. de Tabellionatu, de litteris Card. &c. fol. 161.

Dilectis filiis Vicario & univerſis Fratribus Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia, inſulæ Corſicæ, juxta morem dicti Ordinis &c.

§. I. SAcræ Religionis &c. Cum itaque, ſicut exhibita nobis nuper pro parte veſtra petitio continebat, multi & quamplures Chriſtifideles utriuſque ſexus inſulæ Corſicæ, devotionis fervore accenſi, propter Divini verbi prædicationem & doctrinam ac exemplarem vitam Fratrum Ordinis Minorum de Obſervantia, ac devotionem quam ad ipſum Ordinem gerunt, deſiderent, ut in ipſa inſula regularis Obſervantia Ordinis hujuſmodi augeatur, & alia loca de novo ſub eadem regula ædificentur: Pro parte veſtra nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut vobis tria loca, cum Eccleſiis, domibus, campanilibus, campanis, cœmeteriis, hortis, hortalitiis & aliis neceſſariis officinis, pro uſu & habitatione Fratrum regularis Obſervantiæ hujuſ-

Ut ſup. Conſt. 23. hujus Pontificis.

juſmodi de novo ædificandi & conſtruendi, ſeu ædificari & conſtrui faciendi ac ipſa recipiendi, necnon in eis ſub hujuſmodi regulari Obſervantia perpetuo commorandi licentiam concedere, aliaſque vobis ſuper his opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui Divinum cultum ubique vigere & augeri noſtris potiſſime temporibus, ſupremis affectibus deſideramus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis in inſula prædicta tria loca hujuſmodi, cum Eccleſiis, domibus & aliis ſupradictis, in locis ad id congruentibus & honeſtis, pia largitione Chriſtifidelium vobis concedendis, de novo ædificandi & conſtruendi, ſive ædificari & conſtrui faciendi, ac pro uſu & habitatione Fratrum regularis Obſervantiæ hujuſmodi recipiendi ac illa inhabitandi, necnon inibi ſub eadem regulari Obſervantia perpetuo remanendi, plenam & liberam auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium licentiam elargimur. Et inſuper vobis & Fratribus in eiſdem domibus pro tempore commoraturis, quod omnibus & ſingulis privilegiis, gratiis, libertatibus, immunitatibus, conceſſionibus, exemptionibus & indultis, aliis domibus dicti Ordinis de Obſervantia, ac Fratribus in eis degentibus per Sedem prædictam vel alias in genere conceſſis, uti & gaudere libere & licite valeant, eadem auctoritate indulgemus. Non obſtantibus fel. record. Bonifacii Papæ VIII. & aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque; diœceſanorum locorum & quorumcumque aliorum licentia ſuper hoc minime requiſita: jure tamen parochialium Eccleſiarum & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo &c. Nulli ergo &c. ſi quis &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLIV. VII. Idus Septembris, Pontificatus noſtri anno VIII.

CXV.

Ut concedat facultatem admittendi Conventum Obſervantum in territorio oppidi de Harbuſco. Ibid. fol. 191.

Dilecto filio Præpoſito Eccleſiæ ſancti Nazarii Brixien.

§. I. Piis ſupplicantium votis, illis præſertim, quæ Religionis propagationem, & Divini cultus augmentum reſpiciunt, libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis.

§. II. Sane pro parte dilecti filii Jacobi Modeſtici de Gislandis Ordinis Fratrum Minorum profeſſoris, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod dilecti filii incolæ & habitatores loci de Harbuſco, Brixien. diœceſis ob ſingularem devotionem, quam gerunt ad Ordinem prædictum, cupiunt quod in territorio dicti loci una domus, cum Eccleſia, cœmeterio, campanili, campana, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro uſu & habitatione Fratrum dicti Ordinis, in certo loco, qui ad id plurimum conveniens & idoneus exiſtit, de novo erigatur, fundetur & ædificetur, ac in ea Fratres ipſi ſedulum & devotum exhibeant Altiſſimo famulatum. Quare pro parte tam Jacobi, quam incolarum prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ipſi Jacobo domum prædictam in eodem loco, ut præfertur, fundandi, erigendi, ædificandi, ac illam pro Fratrum dicti Ordinis uſu & habitatione perpetuis recipiendi, & inibi commorandi licentiam concedere, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III. Nos igitur, qui dicti Ordinis propagationem, ac Divini cultus au-

augmentum affectamus, ipſorum incolarum & habitatorum pium & laudabile propoſitum in Domino plurimum commendantes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſi eſt ita, præfato Jacobo in eodem loco, ſi conveniens & idoneus ſit, ut præfertur, & ſibi pia largitione concedatur, unam domum, cum Eccleſia, campanili, campana, cœmeterio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro uſu & habitatione Fratrum dicti Ordinis de novo erigendi, fundandi & ædificandi, necnon Fratribus prædictis illam recipiendi & inibi Altiſſimo famulandi, plenam & liberam licentiam auctoritate noſtra concedas. Nos enim ſi licentiam hujuſmodi conceſſeris, Fratribus in dicta erigenda domo pro tempore commoraturis, quod omnibus & ſingulis privilegiis, gratiis & indultis, præfato Ordini, ac illius domibus, necnon Fratribus in eo commorantibus per Sedem Apoſtolicam vel alias in genere conceſſis & inpoſterum concedendis, uti valeant pariter & gaudere, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus. Non obſtantibus ſel. record. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri &c. & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus contrariis quibuſcumque: jure tamen parochialis Eccleſiæ & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLIV. XVIII. Kalendas Octobris, Pontificatus noſtri anno VIII.

CXVI.

Conceditur facultas conſtruendi domum Obſervantum in territorio Caſtri Saviliani. Ibid. lib. 1. de diverſis formis. fol. 71.

Dilectis filiis Univerſitati & hominibus Caſtelli Saviliani, Taurinen. diœceſis &c.

§. I. Piis fidelium votis &c. Cum itaque, ſicut exhibita nobis nuper pro parte veſtra petitio continebat, vos zelo devotionis accenſi, ac cupientes terrena in cœleſtia, & tranſitoria in æterna felici commercio commutare, tam de bonis a Deo vobis collatis, quam aliis Chriſtifidelium piis ad hoc porrectis & porrigendis ſuffragiis, unam domum, cum Eccleſia, campanili, campana, cœmeterio, dormitorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro uſu & habitatione Fratrum Ordinis Minorum de Obſervantia nuncupatorum, Januen. provinciæ, juxta morem ipſius Ordinis, qui ſub ſtricta hujuſmodi Obſervantia inibi debeant Altiſſimo perpetuo deſervire, in territorio Caſtelli Saviliani, Taurinen. diœceſis, in loco utique ad id congruo & honeſto fundare, conſtruere & ædificare, ſeu fundari, conſtrui & ædificari facere inchoaveritis, & ad finem perducere proponatis: Pro parte veſtra nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut vobis præmiſſa faciendi, ac Vicario pro tempore exiſtenti & Fratribus dicti Ordinis & Obſervantiæ, prædictæ Provinciæ Januen. domum ipſam, cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis, pro uſu & habitatione prædictis recipiendi & perpetuo retinendi & inibi morandi licentiam concedere, ac alias ſuper his opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. *Vide Conſtit. 11. hujus Pont.*

§. II. Nos igitur, qui Religionem ipſam propagari, ac Divinum cultum augeri noſtris potiſſime temporibus intenſis deſideriis affectamus, hujuſmodi pium propoſitum in Domino plurimum commendantes, devotioni veſtræ de bonis & ſuffragiis hujuſmodi domum, cum Eccleſia, campanili, campana, cœmeterio, dormitorio, domibus, hortis, hortalitiis, & aliis officinis neceſſariis in loco præfato fundandi, conſtruendi & ædificandi, ſeu

fundari, conſtrui & ædificari faciendi, ſeu jam pro parte fundatam, conſtructam & ædificatam ad finem perducendi, ipſiſque Vicario & Fratribus domum cum Eccleſia hujuſmodi, cum omnibus juribus & pertinentiis ſupradictis, pro eiſdem uſu & habitatione recipiendi & perpetuo retinendi & inibi morandi, ut præfertur, dioeceſani loci & aliorum quorumcumque, etiam dicti Ordinis Superioris licentia minime requiſita, plenam & liberam auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium licentiam elargimur. Et nihilominus dictæ domui per Fratres ipſos recipiendæ, ac univerſis & ſingulis dicti Ordinis Fratribus de Obſervantia nuncupatis, quos in domo præfata pro tempore reſidere contigerit, ut omnibus & ſingulis indulgentiis, privilegiis, libertatibus, exemptionibus, indultis, immunitatibus & gratiis, Ordini prædicto, necnon ipſius aliis domibus, locis & perſonis per Sedem Apoſtolicam, vel alias quomodolibet ſpecialiter vel generaliter conceſſis & concedendis, perpetuo uti & gaudere libere & licite valeant, auctoritate Apoſtolica concedimus per præſentes: jure tamen parochialis Eccleſiæ, ſub qua dicta domus conſiſtet, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo: ſel. record. Bonifacii Papæ VIII. &c. & quibuslibet aliis Apoſtolicis conſtitutionibus, ceteriſque contrariis nequaquam obſtantibus. Nulli ergo &c. ſi quis &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLIV. XIV. Kalendas Novembris, Pontificatus noſtri anno VIII.

CXVII.

Ut poſſint admittere domum conſtruendam a Comite Fuxenſi. Ibid. lib. 1. de Regular. de Tabellionat. de litt. Card. & de plenaria. fol. 191.

Dilecto filio Vicario provinciæ Aquitaniæ Ordinis Fratrum Minorum, juxta morem dicti Ordinis, Obſervantiæ Regularis &c.

Ut ſup. Conſtit. 66. hujus Pont.

§. I. UT ſacer Ordo Fratrum Minorum &c. Cum itaque, ſicut exhibita nobis nuper pro parte dilecti filii nobilis Viri Gaſconis Comitis Fuxi & Bigorræ petitio continebat, ipſe ob ſingularem devotionem, quam gerit ad Fratres Ordinis Minorum, de Obſervantia vulgariter nuncupatos, cupiat, quod una domus dicti Ordinis de Obſervantia in Comitatibus ſeu diſtrictu præfati Comitis, in quibus nulla conſiſtit, conſtruatur & ædificetur, ac in ea Fratres prædicti Ordinis de Obſervantia, qui Chriſtifideles illarum partium, longe jam a mandatis Dei aberrantes, verbo pariter & exemplo ad callem ſalutis reducant, ac inibi ſub regulari Obſervantia in perpetuum exhibeant Altiſſimo famulatum.

§. II. Nos igitur, qui ad dictum Ordinem ſpecialem gerimus devotionis affectum, & ad ea libenter intendimus, per quæ Ordo ipſe ulterius novis palmitibus valeat propagari, ipſius Comitis in hac parte ſupplicationibus inclinati, tibi aut Guardiano Conventus Mirapicen. ejuſdem Ordinis unum locum in aliquo dictorum Comitatuum ſeu diſtrictus, ad id convenientem & idoneum, ac tibi vel eidem Guardiano Mirapicen. Chriſtifidelium largitione tradendum & aſſignandum, recipiendi, & in eo Eccleſiam ſive Oratorium, cum campanili, campana, cœmeterio, clauſtro, refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis conſtrui & ædificari faciendi, ſive conſtructum & ædificatum, pro uſu & habitatione perpetuis Fratrum dicti Ordinis, ſub illius regulari Obſervantia inibi pro tempore degentium, recipiendi, ac tibi ac dictis Fratribus perpetuo inibi morandi, dioeceſani loci & alterius cujuſcumque licentia ſuper hoc minime re-

requiſita, jure parochialis Eccleſiæ & alterius cujuſcumque in omnibus ſemper ſalvo, non obſtantibus fel. record. Bonifacii Papæ VIII. &c. & aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque, plenam & liberam auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium licentiam elargimur: ac volumus & eadem auctoritate decernimus, quod domus conſtruenda ſeu recipienda hujuſmodi, & in ea pro tempore degentes Fratres, omnibus & ſingulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, gratiis ac indultis, aliis domibus & Fratribus Ordinis & Obſervantiæ prædictorum in genere conceſſis ac etiam concedendis, uti poſſint pariter & gaudere. Nulli ergo &c. ſi quis &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLIV. IX. Kalend. Novembris, Pontificatus noſtri anno VIII.

CXVIII.

Ut concedat facultatem ædificandi domum Obſervantum in territorio Caſtri Palantiæ. Ibid. lib. 1. de proviſionib. Prælatorum, & de diverſ. formis, fol. 150.

Venerabili fratri Epiſcopo Novarien.

§. I. COgnita devotionis conſtantia, fidei quoque integritas, quas dilecti filii Univerſitas, Commune & homines terræ Palantiæ, tuæ Diœceſis, ad nos & Romanam gerunt Eccleſiam, non indigne merentur, ut eorum petitiones, illas præſertim, quæ etiam animarum propagata ſalute, ſacræ Religionis augmentum reſpiciunt, quantum cum Deo poſſumus, ad exauditionis gratiam admittamus.

§. II. Sane pro parte eorumdem Univerſitatis, Communis & hominum Terræ Palantiæ nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipſi provide conſiderantes, nullam domum Ordinis Fratrum Minorum, ad quem ſingularem gerunt devotionis affectum, infra dictam terram & ejus tenimentum, ac caſtra & loca circumvicina exiſtere, ac pia devotione ſuccenſi, cupientes terrena in cœleſtia & tranſitoria in æterna felici commercio commutare, de bonis eis a Deo collatis unam domum, pro uſu & habitatione Fratrum prædictorum, in quadam inſula eidem terræ propinqua, aut alio loco ad hoc congruo & honeſto, cum Eccleſia, campanili, campana, dormitorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis fundare & conſtruere, ſeu fundari & conſtrui facere deſiderant, ſi eis Sedis Apoſtolicæ ſuper hoc licentia concedatur. Quare pro parte dictorum Univerſitatis, Communis & hominum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis dictam domum, cum Eccleſia, campanili, campana, dormitorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis hujuſmodi in dicta inſula aut alio loco, ad hoc, ut præmittitur, congruo & honeſto, fundandi & conſtrui faciendi, ac præfatis Fratribus, poſtquam conſtructa fuerit, illam recipiendi, & pro hujuſmodi eorum uſu & habitatatione perpetuo retinendi, licentiam concedere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III. Nos igitur, qui Divinum cultum noſtris potiſſime temporibus vigere & etiam adaugeri intenſis deſideriis affectamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſi eſt ita, Univerſitati, Communi & hominibus præfatis domum unam in loco ad id convenienti & honeſto, pro uſu & habitatione præfatis, fundari & conſtrui faciendi, ac eiſdem Fratribus domum ipſam pro hujuſmodi eorum uſu & habitatione perpetuo retinendi, non obſtantibus fel. record. Bo-

niſacii Papæ VIII. &c. & quibuslibet aliis Apoſtolicis conſtitutionibus &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque, jure tamen parochialis Eccleſiæ & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo, plenam & liberam auctoritate Apoſtolica licentiam largiaris. Volumus autem quod domus conſtruenda hujuſmodi, & Fratres qui in ea pro tempore reſidebunt, omnibus & ſingulis privilegiis, immunitatibus, libertatibus, exemptionibus, conceſſionibus & indultis, quibus aliæ domus & Fratres ejuſdem Ordinis Minorum quomodolibet gaudent & utuntur, uti valeant pariter & gaudere &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLIV. IX. Kalend. Decembris, Pontificatus noſtri anno VIII.

CXIX.

Ut poſſint ædificare domum Obſervantum in diſtrictu loci de Valenſayo. Ibid. folio 304.

Dilecto filio nobili viro Robineto de Stampis militi, Domino loci de Valenſayo, Bituricen. diœceſis &c.

Vide Conſt. 37. hujus Pontif.

§. I. PIa devotorum Deo & Eccleſiæ deſideria &c. Ex tenore ſiquidem pro parte tua nobis nuper oblatæ petitionis accepimus, quod tu ſinceræ devotionis fervore ſuccenſus, ac de propria ſalute recogitans, cupienſque terrena in cœleſtia & tranſitoria in æterna felici commercio commutare, ob præcipuæ dilectionis affectum, quem ad Ordinem Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatum, gerere dignoſceris, unam domum cum Eccleſia, campanili, campana, clauſtro, cœmeterio, & aliis neceſſariis officinis pro uſu & habitatione perpetuis Fratrum eorumdem, qui ibidem ſub regulari Obſervantia jugiter Altiſſimo famulentur, in loco de Valenſayo, Bituricen. diœce. tuæ temporali ditioni ſubjecto, in parte videlicet ipſius ad hoc congrua & honeſta, de bonis a Deo tibi collatis conſtrui & ædificari facere deſideras & proponis. Quare pro parte tua nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut tibi domum cum Eccleſia, campanili, campana, clauſtro, cœmeterio, & aliis neceſſariis officinis hujuſmodi conſtrui & ædificari faciendi, necnon Vicario Provinciæ Turonen. & aliis ejuſdem Ordinis de Obſervantia Fratribus, qui nunc ſunt & erunt pro tempore, illam ad ipſorum opus & uſum recipiendi, licentiam concedere, ac alias ſuper his opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur hujuſmodi tuis ſupplicationibus inclinati, devotioni tuæ domum cum Eccleſia, campanili, campana, clauſtro, cœmeterio & aliis neceſſariis officinis hujuſmodi conſtrui & ædificari faciendi, dictiſque Vicario & Fratribus illam ad ipſorum opus & uſum, ut præfertur, recipiendi, diœceſani loci, & cujuſcumque alterius licentia ſuper hoc minime requiſita, jure tamen parochialis Eccleſiæ & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo, plenam & liberam licentiam auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium elargimur. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. &c. & aliis conſtitutionibus Apoſtolicis contrariis quibuſcumque. Et inſuper domui & Eccleſiæ prædictis, poſtquam conſtructæ & ædificatæ fuerint, ut præfertur, necnon Fratribus Ordinis de Obſervantia hujuſmodi, qui inibi pro tempore deguerint, ut omnibus & ſingulis privilegiis, indulgentiis, libertatibus, immunitatibus & gratiis, quibus aliæ domus & Eccleſiæ, ac Fratres ipſius Ordinis de Obſervantia, pro tempore uti & gaudere quomodolibet dignoſcuntur, plene uti & gaudere valeant, eadem auctoritate concedimus per præſentes &c. Nulli ergo &c. ſi quis &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLIV. XVI. Kal. Jan. Pontific. noſtri anno VIII.

CA-

CALIXTUS III.

Electus eſt anno MCCCCLV. VI. *Idus Aprilis, coronatus Kalendis Maii.*

Anno Christi 1455. Calixti III. anno 1.

I.

Ut det facultatem ædificandi domum Obſervantum in oppido Harlemenſi. Ibid. lib. 2. Regeſti Calixti. fol. 255.

Dilecto filio Præpoſito Eccleſiæ ſancti Panezacii Leydien. Trajecten. diœceſis &c.

§. I. RAtioni congruit & convenit æquitati, ut ea, quæ de Romani Pontificis conceſſione proceſſerunt, licet litteræ Apoſtolicæ confectæ non fuerint ſuper illis, ſuum ſortiantur effectum. Dudum ſiquidem ſel. record. Nicolao Papæ V. prædeceſſori noſtro, pro parte dilectorum filiorum Univerſitatis, oppidanorum & habitatorum oppidi de Harle, Trajecten. diœceſis expoſito, quod ipſi de ſalute propria recogitantes, ac cupientes terrena in cœleſtia & tranſitoria in æterna felici commercio commutare, ad laudem omnipotentis Dei, & ejus Genitricis beatæ Mariæ Virginis glorioſæ, ob reverentiam ſancti Franciſci confeſſoris, ad cujus Religionem & Ordinem ſpecialis gerebant devotionis affectum, locum in dicto oppido pro dilectis filiis Generali, Guardiano & Fratribus dicti Ordinis, & præſertim de Obſervantia regulari, pro eorum Conventu inibi inſtruendo, uſu quoque & habitatione perpetuis donare volebant & intendebant.

§. II. Et deinde pro parte Univerſitatis & oppidanorum & habitatorum prædictorum prædicto prædeceſſori humiliter tunc ſupplicato, ut Generali & Fratribus præſertim de Obſervantia regulari, locum ipſum recipiendi, & in illo, ſicut congruerat, Eccleſiam, domum, cum cœmeterio, campanili, campana, horto, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis conſtruendi, fundandi & ædificandi, ſeu conſtrui, fundari & ædificari faciendi licentiam concedere de benignitate Apoſtolica dignaretur: dictus prædeceſſor de præmiſſis certam notitiam non habens, hujuſmodi ſupplicationibus inclinatus, voluit & conceſſit, videlicet ſeptimo Idus Auguſti, Pontificatus ſui anno VII. certo judici, ejus proprio nomine non expreſſo, dari in mandatis, quatenus ſi eſſet ita, locum prædictum cum ejus juribus & pertinentiis univerſis, Generali, Guardiano & Fratribus de Obſervantia, pro hujuſmodi uſu & habitatione applicare & aſſignare auctoritate ipſius prædeceſſoris procuraret, ipſumque dictum locum pro eiſdem uſu & habitatione recipiendi, & inibi, prout opus foret, Eccleſiam, domum cum cœmeterio, campanili, campana, hortis, hortalitiis & aliis neceſſariis officinis hujuſmodi conſtruendi, fundandi & ædificandi, ſive conſtrui, fundari & ædificari faciendi plenam & liberam eadem auctoritate licentiam largiretur; prædictuſque prædeceſſor, ſi per ipſum judicem dictam licentiam largiri contingeret, ut præfertur, Generali, Guardiano & Fratribus prædicti Ordinis de Obſervantia, qui in eodem loco pro tempore reſiderent, quod omnibus & ſingulis privilegiis, libertatibus & immunitatibus, exemptionibus & gratiis, prædicto Ordini, ac illius domibus ſive locis per Sedem Apoſtolicam vel alias quomodolibet generaliter conceſſis, uti valerent pariter & gaudere, auctoritate Apoſtolica, tenore ſuarum, ſi ſuper hoc confectæ

fuiſ-

fuiſſent litteræ, indulſit. Non obſtantibus tam ſel. record. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri &c. quam aliis Apoſtolicis conſtitutionibus, necnon ſtatutis & conſuetudinibus dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, aut quacumque firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcumque: jure tamen ordinarii, & parochialis Eccleſiæ & cujuslibet alterius ſemper ſalvo.

§. III. Ne autem de voluntate, conceſſione & indulto hujuſmodi, pro eo quod ſuper illis dicti Nicolai prædeceſſoris, ejus ſuperveniente obitu, litteræ confectæ non fuerunt, valeat quomodolibet hæſitari; volumus & Apoſtolica auctoritate decernimus, quod voluntas, conceſſio & indultum dicti Nicolai prædeceſſoris a die VII. Idus Auguſti ſuum ſortiantur effectum, perinde ac ſi ſuper illis prædicti Nicolai prædeceſſoris litteræ, ſub ejuſdem diei data confectæ fuiſſent, prout ſuperius enarratur; quodque præſentes litteræ ad probandum plene voluntatem, conceſſionem & indultum dicti Nicolai prædeceſſoris ubique ſufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur: diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſi eſt ita, locum prædictum cum juribus & pertinentiis univerſis ſupradictis, dictis Generali, Guardiano & Fratribus prædictis de Obſervantia pro hujuſmodi uſu & habitatione applicare & aſſignare eadem auctoritate procures, ipſis dictum locum pro eiſdem uſu & habitatione recipiendi, & inibi prout opus fuerit, Eccleſiam, domum cum cœmeterio, campanili, campana, hortis, hortalitiis, & aliis officinis hujuſmodi, conſtruendi, fundandi & ædificandi, ſive conſtrui, fundari & ædificari faciendi, plenam & liberam eadem auctoritate, tenore præſentium licentiam largiaris. Non obſtantibus omnibus ſupradictis. Contradictores etiam per cenſuram Eccleſiaſticam &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLV. XII. Kalendas Maii, Pontificatus noſtri anno I.

II.

Ut poſſit ædificare Conventum Fratribus Obſervantibus ad Urbem Segobienſem. Ibid. ex lib. 19. Bullar. fol. 88.

Cariſſimo in Chriſto filio Henrico Caſtellæ & Legionis Regi illuſtri &c.

§. I. INter ceteros Ordines in agro Domini plantatos, ſacrum Ordinem beati Franciſci, claris ſuis exigentibus meritis, gerentes in viſceribus caritatis, votis illis gratum libenter præſtamus aſſenſum, per quæ Ordo ipſe ubilibet plantatus, ad Divini nominis gloriam, ac fidei catholicæ exaltationem, tranquillis foveatur eventibus, & proſperis proficiat incrementis. Cum itaque, ſicut pro parte tua nobis fuit humiliter nuper expoſitum, tu fervore devotionis, quem ad Ordinem Fratrum Minorum de Obſervantia geris, accenſus, cupias unam domum pro uſu & habitatione dictorum Fratrum in civitate Segobien. intra muros vel extra, ſub vocabulo ſancti Antonii de Padua, in loco per te eligendo, etiamſi Eccleſia vel Eccleſiaſticus locus exiſtat, de bonis tibi a Deo collatis, de novo fundari, conſtrui & ædificari facere, dummodo illa curæ & gubernationi dilecti filii Ludovici de Saya Ordinis dicti profeſſoris, Cuſtodis in Provincia Caſtellæ, ſecundum ſtatuta & conſuetudines dicti Ordinis, ad inſtar aliarum domorum dicti Ordinis ſibi commiſſarum in dicta cuſtodia, ſubjiciatur, & ſuper hoc tibi per Sedem Apoſtolicam licentia concedatur. Quare pro parte tua, no-

nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut tibi dictam licentiam concedere, aliaſque ſuper hoc opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur tuum pium & laudabile propoſitum in hac parte plurimum in Domino commendantes, ac votis tuis favorabiliter annuentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, tibi domum prædictam cum Eccleſia, campanili, campana, clauſtris, refectorio, hortis, hortalitiis & aliis neceſſariis officinis, in loco per te eligendo, ad id tamen convenienti, etiamſi Eccleſia vel Eccleſiaſticus locus exiſtat, pro uſu & habitatione dictorum Fratrum de Obſervantia, diœceſani loci & cujuſcumque alterius ſuper hoc licentia vel aſſenſu minime requiſitis, de novo erigendi, fundandi, conſtruendi & ædificandi, ſeu erigi, fundari, conſtrui & ædificari faciendi, necnon Fratribus ipſis domum prædictam recipiendi & inhabitandi, plenam & liberam licentiam auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium gratioſe elargimur: ſtatuentes & ordinantes, quod ipſa erigenda domus & Guardianus ac Fratres in ea pro tempore degentes, ſub cura & gubernatione dicti Ludovici, ac ſucceſſorum ſuorum in dicta cuſtodia Provinciæ Caſtellæ, ſub qua Valliſoleti, ac de Medina del Campo, & nonnullæ aliæ domus fore cenſentur, perpetuis futuris temporibus exiſtat & per illos gubernetur in omnibus & per omnia, prout prædictæ & aliæ domus dicti Ordinis ipſi Ludovico vel ſucceſſoribus per ſpeciale Sedis Apoſtolicæ privilegium ſubjectæ, ac illius Fratres ſub ejus cura & gubernatione conſiſtant & per eum gubernentur: necnon omnibus & ſingulis privilegiis, indulgentiis, gratiis & immunitatibus, quibus Valliſoleti, & aliis præmiſſis domibus in ſpecie, ac omnes aliæ domus ejuſdem Ordinis de Obſervantia, necnon Fratres in illis degentes, in genere vel in ſpecie, per Sedem Apoſtolicam, aut alias conceſſis & in poſterum concedendis, gaudent & utuntur, ſeu uti & gaudere poterint quomodolibet in futurum, uti valeant pariter & gaudere: jure tamen parochialis Eccleſiæ, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Non obſtantibus fel. record. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri &c. & aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo &c. ſi quis &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLV. VI. Kalendas Maii, Pontificatus noſtri anno I.

III.

Ut concedat facultatem domos ædificandi juxta reformationem Coletaneam in oppidis Brugen. & Inſulen. Ibid. ex lib. 4. Reg. Calixti. fol. 108.

Venerabili Fratri Epiſcopo Tornacen. &c.

§. I. Piis Chriſti fidelium deſideriis gratum nos decet præſtare conſenſum, & ea quæ Religionis propagationem cultuſque Divini augmentum reſpiciunt, ut votivum conſequantur effectum, favore proſequi gratioſo. Sane pro parte dilectorum filiorum Legislatorum, Scabinorum & Oppidanorum Brugen. & Inſulen. tuæ diœceſis oppidorum, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipſi de bonis a Deo ſibi collatis, ad honorem omnipotentis Dei, ejuſque Genitricis Virginis Mariæ, ac ſanctæ Barbaræ, ob ſingularem quam gerunt erga Ordinem ſanctæ Claræ devotionem, in quolibet oppidorum prædictorum domum cum Eccleſia, campanili, campana, dormitorio, refectorio, clauſtro, hortis, hortalitiis, cœmeterio & aliis neceſſariis officinis, pro uſu & habitatione Sororum dicti Ordinis

jux-

juxta reformationem, ſtudio & opera quondam ſororis Coletæ factam, ſub Miniſtris & ordinariis Prælatis ejuſdem Ordinis immediate degentium, conſtruere & ædificare, ſeu conſtrui & ædificari facere ferventer exoptant, ſi eis ad id Apoſtolicæ Sedis ſuffragetur auctoritas. Quare pro parte dilectæ in Chriſto filiæ nobilis mulieris Iſabellæ, Duciſſæ Burgundiæ, in cujus conthoralis dominio temporali dicta oppida exiſtere perſpiciuntur, ac Legislatorum, Scabinorum & oppidanorum prædictorum, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eorum propoſito hujuſmodi favorabiliter annuentes, eiſque in ſingulis oppidis prædictis, ſeu eorum ſuburbiis, vel locis aliis ad hoc congruis & honeſtis, ſingulas domos cum campanilibus, campanis, Eccleſiis, dormitoriis, refectoriis, cœmeteriis, clauſtris, hortis, hortalitiis & aliis neceſſariis officinis prædictis fundandi, conſtruendi & ædificandi, ſeu fundari, conſtrui & ædificari faciendi, ipſiſque Sororibus, poſtquam conſtructæ fuerint, illas recipiendi, & pro uſu & habitatione prædictis perpetuo retinendi, licentiam concedere, & alias ſuper his opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui cultum Divinum noſtris potiſſime temporibus ubique vigere & adaugeri intenſis deſideriis affectamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſi eſt ita, eiſdem Legislatoribus, Scabinis & oppidanis, ſingulis in oppidis prædictis domos juxta reformationem prænarratam, in locis ad hoc congruis & honeſtis per eos eligendis, cum campanilibus, campanis, Eccleſiis, dormitoriis, refectoriis, cœmeteriis, clauſtris, hortis, hortalitiis & officinis hujuſmodi de novo fundandi, conſtruendi & ædificandi, ſeu fundari, conſtrui & ædificari faciendi, ipſiſque ſororibus illas pro earum uſu & habitatione recipiendi & perpetuo retinendi plenam & liberam licentiam auctoritate noſtra largiaris. Nos enim, ſi domos ipſas fundari, conſtrui & ædificari contingat, ut præfertur, univerſis & ſingulis Monialibus in eis pro tempore demorantibus, ut omnibus & ſingulis privilegiis, indultis, libertatibus, immunitatibus & aliis gratiis, quibus ceteræ ipſius Ordinis perſonæ & domus ubilibet potiuntur & gaudent, etiam uti & gaudere poſſint & debeant, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus. Non obſtantibus piæ mem. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri &c. & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus & ordinationibus, necnon dicti Ordinis, juramento & confirmatione Apoſtolica vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus contrariis quibuſcumque: jure tamen parochialis Eccleſiæ & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLV. VI. Idus Maii, Pontificatus noſtri anno I.

IV.

Ut concedat facultatem fundandi Monaſterium Clariſſarum in oppido Campli.

Ibid. ex lib. 2. regiſtri Calix. fol. 139.

Venerabili Fratri Epiſcopo Aprutino &c.

§. I. PIis ſupplicum votis, illis præſertim per quæ Sacra Religio quælibet dilatetur, ac florido decenti candore præfulgeat, necnon ſponſæ Chriſti luminoſis ſanctimoniæ radiis eniteſcant, libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis. Sane pro parte dilectorum filiorum Conſulum & Procerum & incolarum & habitatorum terræ Campli, tuæ diœceſis, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipſi ob ſingularem, quem ad Or-

Ordinem Fratrum Minorum de Obſervantia, ac B. Bernardinum gerunt devotionis affectum, in Eccleſia beatæ Mariæ Angelorum, infra parochiam parochialis Eccleſiæ ſancti Salvatoris dictæ terræ conſtitutæ, in qua nullum beneficium fundatum eſſe dignoſcitur, & in ea nonnulli confratres Flagellati, alias *de la ſcopa* vulgariter nuncupati, Miſſam interdum ex eleemoſynis celebrari faciunt, unum Monaſterium Monialium ejuſdem Ordinis de novo fundare, conſtruere & ædificare, ſeu fundari, conſtrui & ædificari facere ferventer exoptant, dummodo eis ſuper hoc per Sedem Apoſtolicam licentia concedatur. Quare pro parte Conſulum, Procerum & habitatorum prædictorum, aſſerentium quod ipſi unum aliud Monaſterium dicti Ordinis pro uſu & habitatione Fratrum de Obſervantia extra muros dictæ terræ Apoſtolica auctoritate fundarunt & conſtruxerunt, in quo viginti quinque Fratres vel circa Altiſſimo famulantes commorantur, quodque quindecim mulieres vel circa habitum dicti Ordinis ſuſceperunt, & in eorum propriis domibus degunt, expectantes ut Monaſterium ipſum conſtruatur & perficiatur; nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis in prædicta Eccleſia beatæ Mariæ unum Monaſterium Monialium dicti Ordinis de Obſervantia, cum clauſtro & refectorio & aliis neceſſariis officinis fundandi, conſtruendi & ædificandi, ſeu fundari, conſtrui & ædificari faciendi, ac prædictis Monialibus illud pro earum uſu & habitatione perpetuis recipiendi & inhabitandi licentiam concedere, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur ipſorum Conſulum, Procerum & habitatorum pium & laudabile propoſitum in hac parte plurimum in Domino commendantes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſi, vocatis confratribus & aliis qui fuerint evocandi, ita eſſe repereris, prædictis Conſulibus, Proceribus, incolis & habitatoribus, in eadem Eccleſia beatæ Mariæ dictum Monaſterium cum dormitorio & aliis neceſſariis officinis pro uſu & habitatione prædictarum & aliarum Monialium dicti Ordinis de novo fundandi, conſtruendi, erigendi & ædificandi, ſeu fundari, conſtrui & ædificari faciendi, ipſiſque Monialibus illud pro earum uſu & habitatione perpetuis recipiendi, & inhabitandi plenam & liberam per te Epiſcopum licentiam auctoritate noſtra elargiaris. Nos enim prædictis & pro tempore in prædicto erigendo Monaſterio commoraturis & ſub regulari Obſervantia viventibus Monialibus, quod omnibus & ſingulis privilegiis, gratiis, indultis & immunitatibus, aliis Monaſteriis dicti Ordinis de Obſervantia & Monialibus in eis degentibus per Sedem prædictam vel alias quomodolibet conceſſis, uti valeant pariter & gaudere, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus. Non obſtantibus ſel. record. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri &c. & aliis conſtitutionibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque: jure tamen dictæ parochialis Eccleſiæ & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLV. XIV. Kalendas Junii, Pontificatus noſtri anno I.

V.

Ut det licentiam fundandi Monaſterium Clariſſarum in oppido Antuerpien.
Ibid. fol. 258.

Dilecto filio Abbati Monaſterii ſancti Michaelis Antuerpien. Cameracen. diœceſis &c.

§. I. PIis Chriſtifidelium deſideriis &c. Sane pro parte dilectæ in Chriſto filiæ Iſabellæ, Ducissæ Burgundiæ, nobis exhibita petitio con- *Vide Conſt. 3. hujus Pontificis.*

tinebat, quod in diœceſi Cameracen. ſunt nonnullæ devotæ mulieres, ſummum erga Ordinem ſanctæ Claræ devotionis affectum gerentes, quæ terrena in cœleſtia, ac tranſitoria in eterna felici commercio commutare, ob frugem vitæ melioris, ad Omnipotentis Dei & ipſius ſanctæ Claræ laudem & honorem, in oppido Antuerpien. ejuſdem diœceſis pro uſu & habitatione earum, in loco ad hoc congruo & honeſto per ipſas mulieres eligendo, unum Monaſterium ſive Conventum dicti Ordinis, cum Eccleſia, cœmeterio, campanili, campanis, refectorio, hortis, hortalitiis, aliiſque officinis neceſſariis de novo fundare, erigere & conſtrui facere, ac in eo profeſſionem juxta regulam ejuſdem S. Claræ per fel. rec. Innocentium Papam IV. prædeceſſorem noſtrum confirmatam, emittere regularem, ferventer exoptant, dummodo eis ad id Apoſtolicæ Sedis ſuffragetur auctoritas. Quare pro parte ejuſdem Duciſſæ nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ipſarum mulierum propoſito favorabiliter annuentes, eis Monaſterium ſive Conventum hujuſmodi cum Eccleſia, cœmeterio, campanili, campanis, refectorio, hortis, hortalitiis & officinis hujuſmodi in dicto oppido fundandi & erigendi ac conſtrui faciendi, ipſiſque poſtquam conſtructum fuerit, illud recipiendi, & pro hujuſmodi uſu & habitatione perpetuo ſub regimine Vicarii provincialis provinciæ Colonien. Fratrum Minorum de Obſervantia nuncupatorum, ac illius obedientiæ & regimini, retinendi, deputare, ac alias ſuper his opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur qui cultum Divinum noſtris potiſſime temporibus ubique adaugeri intenſis deſideriis affectamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſi eſt ita, eiſdem mulieribus Monaſterium ſive Conventum ipſum juxta inſtituta & regularem Obſervantiam dicti Ordinis in oppido prædicto, in loco congruo & honeſto per eas eligendo, cum Eccleſia, cœmeterio, campanili, campanis, refectorio, hortis, hortalitiis & aliis neceſſariis officinis de novo fundandi, conſtruendi & ædificandi, ſeu fundari, conſtrui & ædificari faciendi, ac illud pro earum uſu & habitatione recipiendi, plenam & liberam licentiam auctoritate noſtra largiaris. Nos enim, ſi Monaſterium ſive Conventum ipſum fundari, erigi, conſtrui & ædificari contigerit, ut præfertur, tibi quaſcumque idoneas mulieres in Moniales ipſius Monaſterii & ad illius profeſſionem regularem per prædictum Innocentium Papam confirmatam, ſi illam in tuis manibus ſponte & libere facere voluerint, recipiendi & admittendi, ac habitum regularem dicti Ordinis eis exhibendi, necnon unum vel plures Capellanum ſeu Capellanos, per eas eligendum ſeu eligendos, qui Miſſas & alia divina Officia in Eccleſia dicti Monaſterii celebrent, deputandi, ac Vicario prædicto ſubjacendi, plenam & liberam facultatem concedimus per præſentes. Et inſuper omnibus & ſingulis Monialibus in dicto Monaſterio pro tempore exiſtentibus, ut omnibus & ſingulis prærogativis, indultis, libertatibus, exemptionibus, immunitatibus, aliiſque gratiis & conceſſionibus, quibus ceteræ ipſius Ordinis perſonæ & Monaſteria ſive Conventus ubilibet potiuntur & gaudent, etiam uti & gaudere poſſint & debeant, eadem auctoritate, tenore præſentium indulgemus. Non obſtantibus piæ memoriæ Bonifacii Papæ VIII. etiam prædeceſſoris noſtri & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus & ordinationibus, necnon ſtatutis & conſuetudinibus Ordinis hujuſmodi, juramento, confirmatione Apoſtolica vel quavis firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcumque: jure tamen parochialis Eccleſiæ & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLV. VII. Idus Junii, Pontificatus noſtri anno I.

VI.

VI.

Ut concedat facultatem ædificandi domum Minoritarum in Caſtro Franco. Ib id. ex lib. 4. fol. 272.

Venerabili fratri Auguſtino Epiſcopo Civitaten. in civitate Parmenſi reſidenti &c.

§. I. Pia deſideria devotorum, ex injuncto nobis deſuper Apoſtolatus officio eo potiori tenemur affectu proſequi, quo in illis ſacræ Religionis vigor, & ſalubris Dominici gregis doctrina ſuccreſcit uberius, & devotionis ſinceritas per augmentum virtutum ſolidius noſcitur provenire. Sane pro parte dilecti filii nobilis viri Petri Mariæ de Rubeis Domicelli Parmen. Domini Caſtri Franci, Parmen. diœceſis, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim ipſe provida meditatione conſiderans, quod præfatum caſtrum in loco a civitate Parmen. ac aliis inſignibus locis, in quibus populo verbum Dei predicari conſuevit, ſatis longiuſcule conſiſtebat, & quamplurimi ex dilectis filiis incolis dicti Caſtri propter carentiam Prædicatorum, & verbum Dei, circa ea quæ pertinent ad doctrinam Chriſtianam, ſeminantium, valde rudes erant: cupiens ut incolæ hujuſmodi ad aliquam bonam doctrinam ac majorem circa articulos fidei & alia ad religionem Chriſtianam ſpectantia conditionem reducerentur, quamdam Eccleſiam in dicto Caſtro, in loco decenti & honeſto, ac opere, juxta loci qualitatem ſatis inſigni, cum domibus, clauſtro, cœmeterio, campanili, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro uſu & habitatione Fratrum Ordinis Minorum deputavit, extruxit ſeu conſtruere incœpit, illumque dilectis filiis Generali Miniſtro & Fratribus hujuſmodi Ordinis pro eorum uſu & habitatione aſſignare propoſuit atque proponit, ſi eiſdem Generali & Fratribus illam recipiendi a Sede Apoſtolica licentia concedatur. Quare pro parte dicti Petri Mariæ nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eiſdem Generali Miniſtro & Fratribus prædictis domum recipiendi, illamque inhabitandi & perpetuo retinendi licentiam concedere, & alias eis in his opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur ejuſdem Petri Mariæ pium propoſitum in hac parte plurimum in Domino commendantes, de præmiſſis omnibus tamen notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus te de præmiſſis omnibus & ſingulis, ac eorum circumſtantiis univerſis, auctoritate noſtra diligenter informes, & ſi per informationem hujuſmodi ita eſſe repereris, ſuper quo conſcientiam tuam oneramus, Generali Miniſtro & Fratribus prædictis, prædictam Eccleſiam, cum domibus, clauſtro, cœmeterio, campanili, campana, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis hujuſmodi jam conſtructam, & conſtruendis in poſterum recipiendi, illamque inhabitandi, & pro eorum uſu & habitatione perpetuo retinendi, eadem auctoritate licentiam largiaris. Non obſtantibus fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. &c. & aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque: jure tamen parochialis Eccleſiæ & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Nos enim, ſi conceſſionem hujuſmodi per te vigore præſentium fieri contigerit, Fratribus in eadem domo pro tempore commoraturis, ut omnibus & ſingulis immunitatibus, exemptionibus, privilegiis, libertatibus & gratiis, aliis Fratribus & locis dicti Ordinis in genere conceſſis, & quibus illi potiuntur &

gaudent, ipſique potiri & gaudere poſſint, auctoritate Apoſtolica concedimus per præſentes &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLV. VI. Kalendas Auguſti, Pontificatus noſtri anno 1.

VII.

Quod det licentiam fundandi domum Obſervantum in oppido Noviomagien.
Ibid. lib. 5. fol. 302. Et MSS. provinciæ Colonien.

Dilecto filio Officiali Colonienſi &c.

Vide Conſtit. 3. hujus Pontificis.

§. I. Piis Chriſtifidelium deſideriis &c. Sane pro parte dilectorum filiorum Conſulum & Proconſulum, Univerſitatis & hominum oppidi Noviomagien. Colon. diœceſis, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipſi pie conſiderantes, in partibus illis paucas domos Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia exiſtere, ob ſingularem devotionem, quam ad Ordinem ipſum gerunt, quemdam locum ad id congruum ſeu convenientem extra dictum oppidum, de conſenſu venerabilis fratris noſtri Theodori, Archiepiſcopi Colonienſis deputarunt, in quo de bonis eis a Deo collatis unam domum pro uſu & habitatione dictorum Fratrum de Obſervantia de novo fundare, conſtruere & ædificare, ſeu fundari, conſtrui & ædificari facere ſerventer exoptant, ſi eis ad id Apoſtolicæ Sedis ſuffragetur auctoritas. Quare pro parte tam Archiepiſcopi, quam Conſulum, Proconſulum ac Univerſitatis & hominum prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis domum hujuſmodi cum Eccleſia, campanili, campana, cœmeterio, dormitorio, hortis, hortalitiis & aliis neceſſariis officinis, in eodem loco fundandi, conſtruendi & ædificandi, ſeu conſtrui, fundari & ædificari faciendi, ac eiſdem Fratribus domum ipſam, poſtquam conſtructa fuerit, pro uſu & habitatione prædictis recipiendi licentiam concedere, ac alias eis ſuper his opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui cultum Divinum noſtris potiſſime temporibus augeri intenſis deſideriis affectamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſi eſt ita, præfatis Conſulibus, Proconſulibus, Univerſitati & hominibus domum ipſam cum Eccleſia, campanili, campana, cœmeterio, dormitorio, hortis, hortalitiis & aliis neceſſariis officinis hujuſmodi pro uſu & habitatione præfatis in eodem loco fundandi, conſtruendi & ædificandi, ſeu fundari, conſtrui & ædificari faciendi, ac eiſdem Fratribus illam pro eorum uſu & habitatione recipiendi & perpetuo retinendi, plenam & liberam auctoritate noſtra licentiam largiaris. Non obſtantibus fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. &c. ac aliis quibuslibet conſtitutionibus Apoſtolicis, necnon ſtatutis & conſuetudinibus dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica vel quacumque firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nos enim univerſis & ſingulis Fratribus, quos in dicta fundanda domo pro tempore morari ſive reſidere contigerit, ac ipſi domui, quod omnibus & ſingulis indultis, privilegiis, immunitatibus, exemptionibus & gratiis, aliis dicti Ordinis domibus de Obſervantia & Fratribus in eis degentibus per Sedem prædictam, vel alias in genere quomodolibet conceſſis, uti pariter valeant & gaudere, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus: jure tamen parochialis Eccleſiæ & cujuslibet alterius ſemper ſalvo &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLV. pridie Nonas Septembris, Pontificatus noſtri anno 1.

VIII.

VIII.

Ut concederet facultatem ædificandi Monaſterium Clariſſarum Bononiæ. Ibid. lib. 3. bullar. fol. 219.

Dilecto filio Ludovico Joannis perpetuo Adminiſtratori Eccleſiarum Segobricen, Civitatis noſtræ Bononien. Gubernatori &c.

§. I. AD ea, quæ in Omnipotentis Dei laudem & gloriam, ac Divini cultus augmentum provenire noſcuntur, libenter intendimus, & præſertim prudentes Virgines, quæ mundanis abjectis illecebris, vjrginitatem ſuam glorioſiſſimæ Virginis Filio devoverunt, ſpecialibus gratiis & favoribus proſequimur opportunis.

§. II. Sane pro parte dilectorum filiorum Communitatis & civium ac regiminis Civitatis noſtræ Bonon. necnon dilectarum in Chriſto filiarum Abbatiſſæ ſeu Prioriſſæ & Sororum Monaſterii Corporis Chriſti Ferrarien. nobis nuper exhibita petitio continebat, quod dudum ſel. record. Nicolao Papæ V. prædeceſſori noſtro pro parte dilectorum filiorum Fratrum Tertii Ordinis ſancti Franciſci, de Pœnitentia nuncupatorum, in Civitate noſtra Bononienſi commorantium expoſito, quod olim Thaddæus Alberotus de Florentia, Artium & Medicinæ Doctor, in Civitate prædicta tunc moram trahens, de bonis ſibi a Deo collatis, in ejus ultima voluntate inter cetera eiſdem Fratribus reliquit certas pecuniarum ſummas, ad finem ut ex eis emerentur certa bona immobilia, prout per ejus executores empta fuerunt, & in tertia parte ejus bonorum Thaddæum ejus filium ſibi hæredem inſtituit, hoc addito quod ſi dictus Thaddæus decederet ſine filiis, tertia pars hujuſmodi ad dictos Fratres pervenire deberet: ita tamen, quod ipſi Fratres ipſorum bonorum emptorum integram, aliorum vero relictorum bonorum medietatem fructuum inter pauperes verecundos & infirmos, ac certam quantitatem pecuniæ inter pauperes Sorores dicti Tertii Ordinis, cum conſilio & aſſenſu Prioris Fratrum Prædicatorum, & Guardiani Fratrum Minorum de Bononia, annis ſingulis ſub certis modo & forma perpetuo erogare deberent. Petitionis tenor.

§. III. Et deinde inter ipſos Fratres Tertii Ordinis ex una, & Operarios fabricæ, necnon Priorem & Fratres domus Fratrum beatæ Mariæ Servorum Bonon. aſſerentium inter alia, fructus & reditus prædictos eidem fabricæ vigore quarumdam aliarum litterarum Apoſtolicarum ejuſdem prædeceſſoris noſtri uſque ad certum tempus applicatos ſeu deputatos fuiſſe, ex alia partibus, ſuper dictis fructibus & eorum occaſione materia quæſtionis exorta, tandem partes ipſæ quamdam inter ſe inierunt tranſactionem ſeu concordiam, per quam inter cetera concluſerunt, quod, caſu quo eidem prædeceſſori noſtro placeret, quædam poſſeſſio villæ ſeu loci ſancti Dominici, Bononien. diœceſis conſiſtens ex bonis dicti Thaddæi venderetur & de pretio illius libræ mille Bononien. dictæ fabricæ aſſignarentur, ac reliquum pretii in conſtructione cujuſdam Monaſterii converteretur. Inter Operarios fabricæ, & Tertiarios contentio exoritur.

§. IV. Cumque prædicti Fratres tertii Ordinis, pro Religionis augmento, ad Dei laudem, de conſilio Vicarii dilecti filii noſtri Philippi tituli ſancti Laurentii in Lucina presbyteri Cardinalis, Epiſcopi Bononien. in ſpiritualibus generalis, de bonis ſeu reditibus prædictis hoſpitale Fratrum dicti Tertii Ordinis, ſitum in prædicta Civitate juxta Pontem ſancti Archangeli, in Monaſterio Monialium ſeu Sororum Ordinis ſanctæ Claræ, viventium ſub regulari Obſervantia, ſub qua dictæ Sorores Monaſterii Corporis Chri- Idem Tertii Ordinis Fratres cupiunt Cœnobiũ conſtruere pro Monialibus.

Chriſti, Ferrarien. diœceſis, Ordinis ſanctæ Claræ vivunt, ſi ſibi deſuper per eum licentia concederetur, erigere, fundare & conſtruere ſummopere deſiderabant, & quamplures venerabiles mulieres in dicta Civitate in fundandum Monaſterium hujuſmodi ingredi, & in illo ſub regulari habitu Altiſſimo famulari proponebant.

Commiſſio facta a Pontifice Abbati ſancti Pauli pro impertienda facultate.

§. V. Et deinde pro parte ipſorum Fratrum Tertii Ordinis prædeceſſori prædicto humiliter ſupplicato, ut ſuper his de benignitate Apoſtolica providere dignaretur: ipſe prædeceſſor noſter hoſpitalis & bonorum prædictorum qualitates, nomina & cognomina, deſignationes & loca, ac fructuum, reddituum & proventuum hujuſmodi veros valores annuos pro expreſſis habens, dilecto filio Abbati Monaſterii ſancti Pauli Bononien. dedit in mandatis, quatenus vocatis Operariis, Priore & Fratribus domus beatæ Mariæ prædictis, necnon aliis, qui ſorent evocandi, ſuper præmiſſis omnibus & ſingulis, ac eorum circumſtantiis univerſis auctoritate ſua ſe diligenter informaret, & ſi per informationem hujuſmodi ea reperiret fore vera, eiſdem Fratribus Tertii Ordinis dictum hoſpitale in Monaſterium, cum Eccleſia, campanili, campanis, cœmeteriis, clauſtris & aliis, pro uſu & habitatione perpetuis unius Abbatiſſæ ſeu Prioriſſæ & plurium Monialium ſeu Sororum dicti Ordinis ſanctæ Claræ ſub regularibus habitu & Obſervantia, juxta prædicti Monaſterii Ferrarien. inſtituta, perpetuo & conventualiter ſerviturarum, neceſſariis officinis erigendi & conſtruendi, ac dictam poſſeſſionem quibuſvis perſonis pro pretio de quo concordarent, vendendi, & ejus pretium librarum mille Bononien. dictæ fabricæ aſſignandi, reſiduum vero in utilitatem erigendi Monaſterii convertendi, & alia quælibet opportuna faciendi, licentiam concedere; necnon Abbatiſſæ vel Prioriſſæ, ſeu Superiori dicti Monaſterii Corporis Chriſti, quod unam, duas ſeu plures ex Sororibus dicti Monaſterii, quarum una in Abbatiſſam ſeu Prioriſſam inſtitueretur, quæ dictum fundandum Monaſterium intrare volentes, in Sorores recipere, & habitum illis exhibere, ac profeſſionem ab illis admittere poſſet, & illis præeſſet, transferret, præciperet & mandaret: Quodque dictum fundandum Monaſterium juxta Inſtituta prædicta perpetuo regeretur & gubernaretur, ac ſub cura & regimine Fratrum domus ſancti Pauli prope Bononiam dicti Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia perpetuo ſubeſſet, illudque & ejus Abbatiſſa, Sorores & perſonæ privilegiis & indultis, prædicto Monaſterio Corporis Chriſti, & aliis Monaſteriis Ordinis ſanctæ Claræ hujuſmodi per ipſum prædeceſſorem noſtrum vel Sedem Apoſtolicam in ſpecie vel in genere conceſſis & concedendis, pari modo in perpetuum uti & gaudere licite poſſent: necnon dictis Fratribus Tertii Ordinis de Bononia præſentibus & futuris, quidquid de dicta quantitate juxta prædictam concordiam fabricæ hujuſmodi aſſignatum ſupereſſet, & poſtquam de ipſa juxta dictam concordiam integre eidem fabricæ foret ſatisfactum, omnes & ſingulos fructus & reditus dictæ hæreditatis ad opus & ſubventionem fundandi Monaſterii hujuſmodi, & illius Sororum & perſonarum, necnon dictarum Sororum Tertii Ordinis in perpetuum applicare, convertere & commutare valeret, necnon omnia & ſingula, tam legata quam hæreditaria bona prædicta per ipſos Fratres Tertii Ordinis de Bononia pro tempore exiſtentes, ad opus prædictum perpetuo tenenda & poſſidenda, concedere, ſtatuere & decernere auctoritate Apoſtolica procuraret.

Conditiones præſcriptæ.

Cómiſſarius vera expoſita comperit.

§. VI. Cum autem, ſicut accepimus, idem Abbas Commiſſarius prædictus, vocatis Operariis, Priore & Fratribus domus ſanctæ Mariæ Servorum & aliis qui fuerunt evocandi, & habita ſuper contentis in dictis litteris & eorum circumſtantiis diligenti informatione, quia per informationem hu-

hujuſmodi reperit contenta in ipſis litteris fore vera, ipſis Fratribus Tertii Ordinis dictum hoſpitale in Monaſterium, cum Eccleſia & aliis, pro uſu & habitatione perpetuis Abbatiſſæ ſeu Prioriſſæ, Monialium ſeu Sororum dicti Ordinis ſanctæ Claræ erigendi & fundandi, & dictam poſſeſſionem vendendi, & de pretio illius libras mille Bonon. fabricæ Servorum aſſignandi, & reſiduum in utilitatem ipſius Monaſterii erigendi, convertendi & alia opportuna exequendi, licentiam & facultatem conceſſerit; necnon ipſius Abbatiſſæ ſeu Prioriſſæ dicti Monaſterii Corporis Chriſti, ut unam, duas vel plures ex Sororibus dicti Monaſterii Corporis Chriſti, quarum unam in dicti Monaſterii fundandi Abbatiſſam ſeu Prioriſſam inſtituerent, quæ intrare volentes in Sorores recipere, & habitum illis exhibere, & ab illis profeſſionem recipere poſſet, & illis præeſſet, tranſtulit, præcepit & mandavit; & quod dictum Monaſterium ſub cura & regimine Fratrum domus ſancti Pauli prope Bononiam Ordinis Minorum regularis Obſervantiæ ſubeſſet, illudque & ejus Abbatiſſa & perſonæ privilegiis & immunitatibus, prædicto Monaſterio Corporis Chriſti, & aliis dicti Ordinis ſanctæ Claræ, & eorum perſonis per Sedem Apoſtolicam, vel alias in ſpecie vel in genere conceſſis & in poſterum concedendis, pari modo uti & gaudere libere & licite poſſent: necnon dictis Fratribus Tertii Ordinis de Bononia præſentibus & futuris, quod quidquid de dicta quantitate, juxta dictam concordiam, hujuſmodi fabricæ aſſignatum ſupereſſet, poſtquam de ipſa eidem fabricæ foret ſatisfactum, omnes & ſingulos fructus & reditus dictæ hæreditatis ad opus & ſubventionem fundandi Monaſterii hujuſmodi, & illius perſonarum, necnon dictarum Sororum Tertii Ordinis in perpetuum applicavit, convertit & commutavit; necnon omnia & ſingula tam legata, quam hæreditaria bona prædicta, per ipſos Fratres Tertii Ordinis de Bononia pro tempore exiſtentes ad opus prædictum perpetuo tenenda & poſſidenda conceſſit, ſtatuit & decrevit in omnibus & per omnia, prout tam in prædicti prædeceſſoris litteris, quam in proceſſu dicti Abbatis ſuper litteris eujſdem habito latius continetur.

Licentiam concedit Monaſterium erigendi.

Et regimini Fratrum Regular. Obſer. commendatur.

§. VII. Cumque dicta poſſeſſio cuidam civi Bononien. pro certo pretio alienata fuerit, & de eodem pretio præfatis Operariis, necnon Priori & Fratribus domus ſanctæ Mariæ Servorum libræ mille Bonon. hujuſmodi aſſignatæ extiterint, & prædictum Monaſterium ad inſtar ipſius Monaſterii Corporis Chriſti in dicto hoſpitali Tertii Ordinis, cum Eccleſia & aliis officinis, pro uſu dictarum Sororum commode conſtrui & erigi nequiret; Venerabilis frater noſter Beſſarion. Epiſcopus Tuſculanus, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, tunc in dicta Civitate Legatus, omnem conceſſionem alias per ipſum ſub quacumque forma verborum dilectis filiis Fratribus ſancti Hieronymi factam de Monaſterio ſeu Eccleſia ſancti Chriſtophori de Moradellis ejuſdem Civitatis Bonon. cum omnibus juribus & pertinentis ſuis motu proprio, ex certa ſcientia revocavit, & omnem ipſorum Fratrum ſancti Hieronymi de dicta Eccleſia regulam extinxit, necnon prædictam Eccleſiam ſeu Prioratum ſancti Chriſtophori, cui cura imminet animarum, & a Monaſterio ſancti Bartholi prope Ferrariam Ordinis ſancti Benedicti dependet, cujuſque fructus, reditus & proventus duodecim florenos auri de Camera ſecundum communem æſtimationem valorem annuum, ut etiam accepimus, non excedunt, ſive præmiſſo ſive alio quovis modo vacaret, pro uſu & habitatione Monialium Corporis Chriſti dicti Ordinis ſanctæ Claræ, juxta formam dictarum litterarum, ut ſupra conceſſarum, & proceſſus hujuſmodi, non obſtantibus, quod Eccleſia ipſa vel Prioratus ſancti Chriſtophori prædictus a Monaſterio prædicto ſancti Bartholi dependeret, &

Cardinalis Legatus Eccleſiam S. Chriſtophori de Moradellis Monaſterio Corporis Chriſti adnexit.

quod

quod proviſio Rectoris ipſius Eccleſiæ ſeu Prioratus ad Abbatem ſancti Bartholi pro tempore exiſtentem ſpectaret, cum omnibus juribus & pertinentiis ſupradictis, Abbatiſſæ ſeu Prioriſſæ & Sororibus dicti Ordinis ſanctæ Claræ Monaſterii Corporis Chriſti in perpetuum conceſſit & deſignavit, regimen & adminiſtrationem ejuſdem ipſis in perpetuum committendo.

Cõfirmatio Apoſtolica petitur.

§. VIII. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, Abbatiſſa ſeu Prioriſſa & Sorores Monaſterii Corporis Chriſti hujuſmodi dubitent, præmiſſa & in dictis litteris contenta viribus non ſubſiſtere: Pro parte Communitatis, civium & regiminis, necnon Abbatiſſæ ſeu Prioriſſæ prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut præmiſſis, prout nobis videretur, robur Apoſtolicæ confirmationis adjicere, & alias ſuper his opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Et conceditur.

§. IX. Nos igitur honeſtam, laudabilem, ac religioſam dictarum Sororum vitam, de qua fuimus fide dignorum relatione pleniſſime informati, diligenter animadvertentes, ac ut Divinus cultus augeatur ſummo deſiderio affectantes, necnon quaſcumque prædeceſſoris & Legati prædictorum litteras pro expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus tam prædicti prædeceſſoris, quam prædicti Epiſcopi Tuſculani, Sedis Apoſtolicæ Legati litteras, & proceſſus habitos per eoſdem, & in eis contenta & inde ſecuta, cum conditionibus & additionibus tamen infraſcriptis declarandis, auctoritate Apoſtolica approbes & confirmes, ſuppleaſque omnes defectus, ſi qui intervenerint in eiſdem.

Alia etiam bona Monaſterio aſſignata.

§. X. Et nihilominus eiſdem Sororibus alia bona quæcumque hæreditatis quondam dicti Thaddæi Alderoti, ac dictæ Eccleſiæ ſeu Prioratus ſancti Chriſtophori, Ordine & ejus cura per te ſuppreſſis pariter & extinctis, nec non dicti hoſpitalis Tertii Ordinis, in quo prædictum Monaſterium erigi debeat, Oratorio dicti hoſpitalis, una ex manſionibus ejuſdem pro hoſpitalitate ibidem manutenenda exceptis, bona, domos, poſſeſſiones & cetera quocumque nomine nuncupentur, quorum qualitates, quantitates & confines, ac veros valores & eorum nomina atque cognomina præſentibus etiam pro expreſſis haberi volumus, quibuſvis perſonis, cum quibus conditionem ſuam poterunt efficere meliorem, cum omnibus & ſingulis cautelis deſuper neceſſariis, vendendi & alienandi, & omnium prædictorum pretium in erigendo dicto Monaſterio convertendi, eadem auctoritate licentiam largiaris.

§. XI. Et quia ad dictum Monaſterium erigendum plurimis opus eſt expenſis, ut dicti Fratres rationem adminiſtrationis fructuum, redituum & proventuum dictæ hæreditatis prædictis Sororibus ſeu Monialibus reddere teneantur, ac illa bona ejuſdem hæreditatis, quæ abſque Sedis Apoſtolicæ auctoritate alienata fuerint, eiſdem Sororibus ſeu Monialibus reſtituantur, & tam illorum, quam dictæ Eccleſiæ ſeu Prioratus, necnon hoſpitalis bonorum hujuſmodi vendendorum pretia in erectionem & ædificationem Monaſterii hujuſmodi convertantur, eadem auctoritate procures. Quodque dictum Monaſterium ſic, ut præfertur, erigendum, ad dictas Moniales Ordinis ſanctæ Claræ ſpectet & pertineat, nec dicti Fratres Tertii Ordinis, vel alii cujuſcumque conditionis exiſtant, ſe in illo intromittere audeant, abſque earumdem Sororum licentia ſpeciali, harum ſerie ſtatuas & decernas. Nos enim dictum Monaſterium adinſtar prædicti Monaſterii Corporis Chriſti, non in dicto hoſpitali, quia locus ille parvus, ineptus & inhabilis eſt, ac malam aliquarum mulierum, præſertim in proſtibulo exiſtentium, viciniam habere dignoſcitur, ſed in Eccleſia ſeu Prioratu hujuſmodi ſancti Chriſto-

Alius locus pro novo conſtruendo Cœnobio deſignatur.

pho-

phori, propter maiorem hujus loci pro ipſarum Sororum devotione commoditatem, & ſitum ipſius Civitatis pulchriorem, cum ad majus ejuſdem Civitatis ornamentum, quam detrimentum erectio hujuſmodi fore cenſeatur, erigi & ædificari, ac curam dictæ Eccleſiæ ſeu Prioratus ſancti Chriſtophori hujuſmodi ad Eccleſiam ſanctæ Mariæ de Muradellis, ſeu ſancti Martini de Cruce Bononien. prout tibi melius videbitur, transferri decernentes, ſuper eiſdem omnibus & ſingulis tuam conſcientiam onerando, plenam & liberam, tenore præſentium concedimus facultatem. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac dictorum Ordinum & Monaſteriorum, & præſertim Monaſterii ſancti Bartholi, ac hoſpitalis prædictorum ſtatutis & conſuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcumque; etiamſi de ipſis eorumque totis tenoribus præſentibus habenda foret mentio ſpecialis &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLV. x. Kalend. Octobris, Pontificatus noſtri anno 1.

IX.

Ut curet transferri Minores e ſua domo ad Monaſterium derelictum Sororum Ordinis ſancti Benedicti, & prædictam domum converti in Cathedralem Eccleſiam & Epiſcopium. Ibid. lib. 4. fol. 265.

Venerabili Fratri Epiſcopo Trojan. &c.

§. I. ROmanus Pontifex, ſancti Petri cœleſtis regni clavigeri ſucceſſor, & Jeſu Chriſti Vicarius in terris, omnium Eccleſiarum & animarum Epiſcopus, qualitates earumdem Eccleſiarum & locorum omnium reſpiciens, de poteſtatis plenitudine ſibi tradita, Eccleſias Cathedrales, domos & loca quæcumque transferri, & in locis magis accommodis collocari & mutari mandat, prout temporum & rerum qualitate penſata, id conſpicit in Domino ſalubriter expedire.

Petitio Pontifici exhibita.

§. II. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte cariſſimi in Chriſto filii noſtri Alphonſi Regis Aragonum illuſtris, & Venerabils fratris noſtri Jacobi Epiſcopi, & dilectorum filiorum Capituli Aſculan. petitio continebat, quod poſtquam dudum Civitas Aſculana pro magna illius parte, terræ motu id cauſante, adeo & taliter ſubverſa & deſtructa fuerat, quod cives & habitatores illius tunc formidantes ſimilem motum iterum evenire poſſe, compulſi fuerant in alio loco ædificare, & dictam priorem Civitatem, in qua Cathedralis Eccleſia remanſit, penitus & omnino relinquere, & ſucceſſive novam Civitatem Aſculanam, in quodam vicino monte per medium milliare vel circa a Cathedrali Eccleſia diſtante, in qua Eccleſia domus Ordinis Fratrum Minorum in platea publica dictæ Civitatis conſtructa exiſtit, conſtruxerunt & ædificarunt: ſed quia prædicta Cathedralis Eccleſia extra dictam novam Civitatem ſita, quæ in ſuis ædificiis & ſtructuris pulchra & decora fuerat, ſi per hoſtes tempore guerrarum capta & occupata fuiſſet, non modicum detrimentum, imo magnum periculum ipſi novæ Civitati potuiſſet afferre, dicta Cathedralis Eccleſia pro magna illius parte, de mandato quondam nobilis viri Gabrielis de Baucio de Urſinis, tunc Ducis Venuſini volentis dictis periculis obviare, adeo & taliter demolita extitit, quod in neutra ipſarum Civitatum aliqua Cathedralis Eccleſia remanſit, in Divini cultus non modicum detrimentum.

Cathedralis Eccleſia extra Civitatis mœnia demolita.

§. III. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, ſi Eccleſia do-

Incolæ exponunt Eccleſiam ſancti Joannis Minoritis concedere.

mus dictorum Fratrum in Cathedralem, & illius habitationes, cum tenimentis & pertinentiis ſuis in palatium Epiſcopale erigerentur, ac domus & habitationes hujuſmodi prædicto Jacobo ſuiſque ſucceſſoribus pro tempore exiſtentibus Epiſcopis Aſculanis per nos concederentur, & ſecularis ſine cura Eccleſia ſancti Joannis intra mœnia dictæ novæ Civitatis ſita, quæ alias certis Abbatiſſæ & Monialibus Ordinis ſancti Benedicti per Epiſcopum Aſculan. pro earum habitatione conceſſa fuit, & in qua ad præſens nulla Monialis reſidet, ad collationem Epiſcopi Aſculan. pro tempore exiſtentis, caſu vacationis ejuſdem occurrente pertinens, cum illius domibus & aliis confinibus & pertinentiis ſuis dictis Fratribus, pro uſu & habitatione perpetuis eorumdem Fratrum aſſignaretur & etiam concederetur, Epiſcopus & Capitulum prædicti ipſis Fratribus, qui pauci, videlicet tres aut quatuor numero ſunt, refectorium, dormitorium, aliaſque neceſſarias officinas ſuis ſumptibus & expenſis apud ipſam Eccleſiam ſancti Joannis ædificari facere vellent, idque in decorem & venuſtatem dictæ Civitatis, ac Divini cultus augmentum, necnon civium & Capituli prædictæ novæ Civitatis, ac Epiſcopi Aſculan. non modicam commoditatem & frugem ſuccederet; prædictaque erigenda Cathedralis Eccleſiæ Miniſtrorum Chriſti venuſtate ac numero polleret, ac variis honorum titulis inſignita, in oculis omnium decora & pulchra conſpiceretur. Quare pro parte Regis, Epiſcopi & Capituli prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus ad laudem & gloriam Altiſſimi ac totius Curiæ cœleſtis, Fratres prædictos, cum bonis dumtaxat mobilibus, ornamentis Eccleſiaſticis, libris, & aliis ad Divinum cultum pertinentibus & neceſſariis, necnon eorum privilegiis, franchiſiis, exemptionibus, immunitatibus & libertatibus priſtinis, Ordine prædicto in eadem domo ſuppreſſo, ad dictam Eccleſiam ſancti Joannis transferre, eamdemque Eccleſiam ſancti Joannis, ipſiuſque domos & habitationes, hortos, hortalitia, & alias officinas pro eorumdem Fratrum uſu & habitatione perpetuis concedere & donare, ipſiſque Fratribus omnia & ſingula inibi, juxta morem & regulam aliarum domorum dicti Ordinis, conſtruendi & ædificandi, illaque recipiendi licentiam largiri; prædictam Eccleſiam quam de præſenti dicti Fratres inhabitant, ſub vocabulo & honore beatæ Mariæ Virginis, & ſancti Leonis Epiſcopi & Confeſſoris, ſub quo dicta alia Cathedralis Eccleſia fundata erat, una cum domibus & aliis pertinentiis prædictis, etiam cum numero Canonicatuum & Præbendarum & dignitatum, officiorum, Capellaniarum, beneficiorum ac perſonarum in prædicta Cathedrali Eccleſia hactenus deputatorum, cum omnibus juribus, immunitatibus, privilegiis, honoribus, dignitatibus, præbendis, officiis, Capellaniis & beneficiis, necnon ſtatutis & conſuetudinibus, reditibus, proventibus & obventionibus univerſis, ac aliis inſigniis Cathedralibus Eccleſiis facientibus & donantibus erigere, ac illius domos & habitationes, cum hortis, hortalitiis, & aliis omnibus officinis pro palatio Epiſcopali, ac pro uſu & habitatione perpetuis prædicti ac pro tempore exiſtentis Epiſcopi Aſculan. ſimiliter donare, appropriare & applicare, & alias in præmiſſis ipſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Eorumque Templum in Cathedralem convertere.

Epiſcopo Trojano informatio commiſſa.

§. IV. Nos igitur de præmiſſis plenam notitiam non habentes, Regis, Epiſcopi ac Capituli prædictorum ſupplicationibus inclinati, fraternitati tuæ, cum ſicut Rex, Epiſcopus & Capitulum prædicti aſſerunt, in Civitate & diœceſi Aſculan. extra Eccleſiam Aſculan. copia Juriſperitorum, nec aliquis in dignitate conſtitutus, cui in hac parte ſcribendum foret, non reperiatur, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vocatis Fratribus prædictis & aliis qui fuerint evocandi, de præmiſſis omnibus & ſingulis, ac

eo-

eorum circumſtantiis univerſis, auctoritate noſtra te diligenter informes, & ſi per informationem hujuſmodi nobis expoſita prædicta repereris fore vera, per te vel alium ſeu alios, aſſignata prius eiſdem Fratribus dicta Eccleſia ſancti Joannis cum pertinentiis ſuis, ac conſtructis domo, refectorio, dormitorio, campanili, campana & aliis officinis prope eamdem Eccleſiam, cum horto, ſumptibus & expenſis Epiſcopi & Capituli prædictorum, juxta morem Fratrum dicti Ordinis, loco dictæ Eccleſiæ, quam ipſi Fratres inhabitant, & translatis eiſdem Fratribus cum bonis mobilibus, libris, calicibus & ornamentis Eccleſiaſticis omnibus & aliis utenſilibus dumtaxat, Ordine tamen Fratrum Minorum in Eccleſia per eos, ut præfertur, habita, ſuppreſſo, eamdem in Cathedralem Eccleſiam cum numero Canonicorum, capellanorum & beneficiatorum, ac perſonarum, necnon dignitatum, officiorum, canonicatuum prædictorum, capellaniarum & beneficiorum, in prædicta alia Cathedrali Eccleſia deputatorum hactenus, cum juribus, juriſdictionibus, privilegiis, honoribus, Capitulo, ſtatutis, conſuetudinibus, reditibus, proventibus & obventionibus univerſis, ac aliis inſigniis cathedralibus Eccleſiarum facientibus, eadem auctoritate erigas, ac illius domos & habitationes cum hortis, hortalitiis & aliis omnibus officinis pro palatio Epiſcopali, ac uſu & habitatione perpetuis prædicti & pro tempore exiſtentis Epiſcopi Aſculani, prædicta auctoritate dones, appropries & applices, dictiſque Fratribus prædictam Eccleſiam ſancti Joannis recipiendi, ac omnia ad id neceſſaria, ut præfertur, expenſis & ſumptibus Epiſcopi & Capituli prædictorum conſtruendi & ædificandi, prædicta auctoritate licentiam pariter & facultatem largiaris.

Et facultas petitioni annuendi.

§. V. Nos enim, ſi conceſſionem, donationem & licentiam hujuſmodi per te vigore præſentium fieri contigerit, ipſis Fratribus Eccleſiam ſancti Joannis pro tempore inhabitantibus, dictæque Eccleſiæ & erigendæ domui, ut omnibus & ſingulis privilegiis, exemptionibus, libertatibus, indultis & gratiis, aliis prædicti Ordinis domibus & Fratribus per Sedem Apoſtolicam, vel alias generaliter conceſſis, & quibus antea in dicta alia domo dicti Fratres graviſi & uſi fuerunt, uti valeant pariter & gaudere, tenore præſentium indulgemus. Contradictores quoslibet & rebelles, etiam dictos Fratres per cenſuram Eccleſiaſticam & alia juris remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo. Aut ſi eiſdem Fratribus vel quibuſvis aliis communiter vel diviſim a Sede prædicta indultum exiſtat, quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem, non obſtantibus, litteris, mandatis de permutando Eccleſiam & domum Fratrum prædictorum a fel. record. Martino Papa V. prædeceſſore noſtro dudum emanatis, quæ ex certis cauſis & impedimentis præſtitis, executioni minime demandatæ fuerunt, necnon Bonifacii Papæ VIII. &c. & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus, ac privilegiis, exemptionibus, litteris & conceſſionibus, Ordini, domui, Fratribus præfatis in ſpecie vel in genere etiam ſuper his forſan conceſſis, vel in poſterum concedendis &c. necnon ſtatutis & conſuetudinibus dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica vel quavis firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcumque: jure tamen Ordinarii loci & parochialis Eccleſiæ, ac cujuslibet alterius ſemper ſalvo &c.

Privilegia FF. in caſu confirmata.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLV. VIII. Kalendas Octobris, Pontificatus noſtri anno I.

X.

Concedit eis poteſtatem recipiendi & retinendi amplum ſpatium viridarii, ut copioſo prædicare poſſint auditorio. Ibid. lib. 4. Bullar. fol. 260.

Dilectis filiis Guardiano & Fratribus loci, ſeu domus ſanctæ Mariæ de Angelis, extra & prope muros Civitatis Mediolan. Ordinis beati Franciſci, de Obſervantia regulari nuncupatis &c.

§. I. PRo noſtra ad beatum Franciſcum devotione, illa vobis libenter concedimus, per quæ veſtram exemplarem vitam in quærenda animarum ſalute credimus adjuvari.

§. II. Exhibita ſiquidem nobis pro parte veſtra petitio continebat, quod dudum dilectus filius Joannes Rodulphus de Vicemalis civis Mediolanen. conſiderans vos in ea Civitate aliquem locum ad Divini verbi prædicationem idoneum non habere, zelo Divini honoris & animarum ſalutis motus, de nonnullis pecuniarum ſummis, per quondam Marcum de Figinio civem Mediolanen. ad hunc finem teſtamento relictis, quoddam viridarium in porta nova dictæ Civitatis, ſitum inter beatæ Mariæ *della Scala*, & beati Petri ad Carnaredum Eccleſias emit; deinde ſe privans ejuſdem Viridarii proprietate & directo dominio, ac utili, civili poſſeſſione & naturali, ac omni jure in dicto Viridario competenti, ipſius uſum ad prædicationis actum in vos & domum ſeu locum veſtrum tranſtulit, ſive vobis & eidem loco ſeu domui donavit atque conceſſit, prout in inſtrumentis publicis ſuperinde confectis latius continetur: cujus translationis ſive donationis & conceſſionis vigore, vos ex tunc dictum Viridarium in prædicationis uſum dumtaxat tenuiſtis atque tenetis. Unde cum ab aliquibus cum murmuratione dicatur, dominium & proprietatem dicti Viridarii vobis contra veſtri Ordinis regulæ puritatem remanſiſſe, vos proprietariorum & regulæ tranſgreſſorum infamiam, ac periculum animarum evitare cupientes, vobis ut de opportuno remedio providere dignaremur, humiliter ſupplicaſtis.

§. III. Nos igitur veſtris hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, prædictum Viridarium, ac illius proprietatem & dominium ad nos & Romanam Eccleſiam, ad quos ipſius Ordinis Eccleſiarum, domorum & locorum jus, proprietas & dominium pertinet, pariter pertinere, & conceſſionem ad uſus prædicandi vobis factam in Viridario hujuſmodi, cujus ſitum, confines & qualitates, ac inſtrumentorum tenores hic habemus pro ſufficienter expreſſis, Ordini veſtro, ſeu regulæ & conſtitutionibus Apoſtolicis circa ipſam regulam editis, in aliquo repugnantem & contrariam non eſſe, ſed dictum uſum, quemadmodum domorum & locorum prædictorum vobis convenire & competere, ac nihilominus vobis pro tempore exiſtentibus prædicti loci ſeu domus Guardianis & Fratribus uſum & actum prædicandi in eodem Viridario licere, tenore præſentium, auctoritate Apoſtolica declaramus atque decernimus: inſuperque inchoatum ex piis fidelium eleemoſynis ad imbrium defenſionem tectum in ipſo Viridario perficiendi, necnon prædicto Joanni Rodulpho partem ejuſdem Viridarii etiam noſtro & Romanæ Eccleſiæ, ad quos pertinet, nomine vendendi, habitumque pretium in dicti tecti perfectione, prout ſuæ prudentiæ videbitur, expendendi, ſeu in dicto Viridario quomodocumque utiliter agendi, licentiam, auctoritatem & poteſtatem eadem auctoritate & ſimili tenore concedimus. Præmiſſis, & conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon ſtatutis & con-

conſuetudinibus domus & Ordinis prædictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis, ceteriſque contrariis non obſtantibus quibuſcumque. Nulli ergo &c. ſi quis &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLV. II. Idus Februarii, Pontificatus noſtri anno I.

XI.

Ut transferat Clariſſas Monaſterii de Hamuſco ad aliud Ordinis ſancti Benedicti, & relictum Clariſſarum tradat Minoritis Obſervantibus. Ibid. lib. 21. Bullar. de Curia. fol. 201.

Venerabili Fratri Epiſcopo Oveten. &c.

§. I. ROmanus Pontifex, qui ſuper univerſas Orbis Eccleſias & Monaſteria obtinet principatum, circa illa, & præſertim æternæ beatitudinis amatrices, ſponſo ſuo ſub regulari Obſervantia ſerviendo, cum accenſis lampadibus obviam venientes, quandoque per ſuppreſſionis vel unionis miniſterium, quandoque vero alias ordinando, transfert & diſponit, prout ſecundum locorum & temporum qualitatem ſalubriter conſpicit expedire. Exhibita ſiquidem nobis pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Abbatiſſæ & Conventus Monaſterii Ordinis ſanctæ Claræ, Villæ de Hamuſco, Palentinæ diœceſis, necnon Leonoræ quondam nobilis viri Petri Manrique, dum vixit, Regni Legionis Præfecti relictæ, petitio continebat, quod licet ipſa Leonora dudum zelo devotionis accenſa, cupiens terrena in cœleſtia, & tranſitoria in æterna felici commercio commutare, de bonis a Deo ſibi collatis prædictum Monaſterium in dicta Villa de novo cum Eccleſia, claustro & aliis officinis neceſſariis fundaverit, erexerit & conſtruxerit, ac in eo dicti Ordinis Moniales ſub perpetua clauſura, & regulari ibi dicti Ordinis Obſervantia degentes, & Altiſſimo inibi devote famulantes, per ſuperiores dicti Ordinis conſtitui & deputari fecerit; ac demum cupiens ſe hujus ſeculi abjectis illecebris, Deo dedicare, Religionem dicti Ordinis in Monaſterio eodem ingreſſa & Ordinem ipſum expreſſe profeſſa extitit, in quo etiam ipſa, & duæ ejus filiæ carnales etiam ſe ibidem Deo dicantes & dictum Ordinem profeſſæ, ac plures aliæ Moniales, numerum fere quadragenarium aſcendentes, ſub clauſura & Obſervantia prædictis remanent de præſenti. Nihilominus prædicta Leonora ex intimis affectat Monaſterium de Calabaçanos Ordinis ſancti Benedicti prædictæ diœceſis, quod Petrus & Leonora prædicti tunc conjuges in dicto de Calabaçanos eorum loco, ſuis etiam ſumptibus & expenſis fundaverunt, conſtruxerunt & dotarunt, ad ipſius Leonoræ, Abbatiſſæ, necnon Monialium dicti Monaſterii ſanctæ Claræ de Hamuſco quietam habitationem, ex eo quia locus convenientior eſt, quam Villa de Hamuſco, quod Prior & Monachi dicti Monaſterii de Calabaçanos ad aliud ſeu alia ſui Ordinis Monaſterium ſeu Monaſteria de Obſervantia, & Leonora, ac Abbatiſſa, necnon Moniales prædictæ de dicto eorum Monaſterio de Humaſco ad ipſum Monaſterium de Calabaçanos transferrentur, & in dicto Monaſterio de Hamuſco Fratres Ordinis Minorum de Obſervantia introducerentur & deputarentur; quodque ex hoc Abbatiſſæ, Monialibus & Leonoræ prædictis non modica proveniret conſolatio, ipſæque in eodem quietius Altiſſimo famulari & Divinis officiis vacare poſſent. Quare pro parte Abbatiſſæ, Leonoræ & Monialium prædictarum nobis fuit humiliter ſupplicatum, quod earum deſiderio in his annuere, ipſaſque, ſi Prioris & Monachorum dicti Monaſterii de Calabaçanos

Petitio Monialium.

Cœnobium ſancti Benedicti in Monialium Monaſterium converti petitur.

nos ad id conſenſus acceſſerit, in Monaſterio de Calabaçanos Ordine ſancti Benedicti, necnon Prioratu prædicto, auctoritate Apoſtolica penitus ſuppreſſis & extinctis, de dicto Monaſterio de Hamuſco ad prædictum Monaſterium de Calabaçanos, cum omnibus rebus & bonis ſuis mobilibus & immobilibus transferre, ipſumque Monaſterium de Calabaçanos in Monaſterium Ordinis ſanctæ Claræ erigere, ipſumque Ordinem inibi inſtituere, illudque Ordini ſanctæ Claræ hujuſmodi, prædicta auctoritate perpetuo tradere, applicare & aſſignare, & in illo Abbatiſſatus dignitatem creare, erigere & inſtituere, Abbatiſſæ quoque, Monialibus & Leonoræ prædictis de dicto Monaſterio ſanctæ Claræ de Hamuſco ad Monaſterium de Calabaçanos hujuſmodi, cum omnibus & ſingulis earum bonis mobilibus & immobilibus transferendi, ac in illo perpetuo remanendi, & Altiſſimo inibi famulandi facultatem concedere, ac alias eis in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur de præmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vocatis Priore & Conventu dicti Monaſterii de Calabaçanos & aliis qui fuerint evocandi, de præmiſſis omnibus & ſingulis, ac eorum circumſtantiis univerſis auctoritate noſtra te diligenter informes, & ſi per informationem hujuſmodi repereris præmiſſa fore vera, ac tibi id expediens videatur, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, & dictorum Prioris & Monachorum Monaſterii de Calabaçanos ad id aſſenſus accedat, prius tamen data per te Priori & Monachis dicti Monaſterii de Calabaçanos de eodem Monaſterio ad aliud ſeu alia ejuſdem Ordinis Monaſterium ſeu Monaſteria, ſub illius regulari Obſervantia conſtitutum ſeu conſtituta, facultate ſive licentia, ſi tranſire voluerint, tranſeundi, & poſtquam taliter tranſierint, in eodem Monaſterio de Calabaçanos eodem Ordine ſancti Benedicti, ac ipſo Monaſterio, necnon Prioratus dignitate penitus & omnino per te eadem auctoritate ſuppreſſis & extinctis, in eodem Ordinem ſanctæ Claræ prædictum, dicta auctoritate inſtituas, ac illud Ordini ſanctæ Claræ hujuſmodi eadem auctoritate perpetuo tradas, appropries & aſſignes, ac in illo Abbatiſſatus dignitatem crees, erigas & inſtituas; necnon Abbatiſſæ, Monialibus & Leonoræ prædictis de dicto Monaſterio ſanctæ Claræ de Hamuſco ad prædictum Monaſterium de Calabaçanos, cum omnibus & ſingulis earum bonis mobilibus & immobilibus transferendi, ac in illo perpetuo remanendi, & Altiſſimo inibi famulandi eadem auctoritate licentiam concedas; prædictumque Monaſterium de Hamuſco, Ordine ſanctæ Claræ in illo penitus ſuppreſſo & extincto, Ordini Fratrum Minorum de Obſervantia perpetuo ſubjicias, appropries, & dicta auctoritate tradas & aſſignes; necnon Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia hujuſmodi Fratres in illo prædicta auctoritate introducas & colloces, ſeu per Superiorem ejuſdem Ordinis Minorum de Obſervantia introduci & collocari procures, aliaque omnia & ſingula in præmiſſis, & circa ea neceſſaria & opportuna facias & exequaris, prout tibi videbitur expedire.

Commiſſio Epiſcopo Ovetenſi demandata.

§. III. Nos enim Abbatiſſæ & Monialibus, necnon Monaſterio de Calabaçanos prædictis, ut etiam poſtquam de dicto Monaſterio de Hamuſco ad prædictum Monaſterium de Calabaçanos translatæ fuerint, & in eo ſub clauſura & Obſervantia prædictis vixerint, ſi conceſſiones & alia præmiſſa per te vigore præſentium fieri contigerit, Abbatiſſæ & Monialibus ipſius Monaſterii de Calabaçanos pro tempore commorantibus, dictoque Monaſterio de Calabaçanos, ut omnibus & ſingulis privilegiis, exemptionibus, libertatibus, indultis, conceſſionibus & gratiis, Ordini ſanctæ Claræ & illius Mo-

Privilegia Monialibus confirmantur.

Monaſteriis, ac præſertim Monaſterio de Hamuſco prædicto per Sedem Apoſtolicam, vel alias generaliter conceſſis, uti valeant pariter & gaudere, tenore præſentium indulgemus. Præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Monaſteriorum & Ordinum prædictorum, juramento &c. roboratis, non obſtantibus quibuſcumque &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLV. XIII. Kalendas Martii, Pontificatus noſtri anno I.

XII.

Declarat licere Ordinum Mendicantium Profeſſoribus Pœnitentum confeſſiones excipere. Ibid. fol. 32.

Ad futuram rei memoriam.

§. I. AD ea libenter intendimus, per quæ diſſenſiones & ſcandala evitentur, & honeſta petentium deſideria impleantur; necnon pias preces, cum ex devotionis fervore provenire conſpicimus, ad exaudítionis gratiam libenter admittimus, illaque favoribus proſequimur opportunis. Sane pro parte dilectorum filiorum nobilium virorum Alberti Ducis Auſtriæ, & Alberti Ducis Bavariæ ac Communitatis & hominum Argentin. necnon Prædicatorum, Minorum, & aliorum Mendicantium Ordinum, Priorum, Guardianorum & Fratrum domorum in Civitate Argentina conſiſtentium, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod nonnulli parochialium Eccleſiarum Rectores dictæ Civitatis, homines & Fratres Mendicantes prædictos moleſtare & inquietare præſumunt, aſſerentes, quod quilibet hominum Argentin. ſemel in anno eiſdem Rectoribus, ſub pœna peccati mortalis confiteri teneatur, propter quod, ſi quis alicui Fratrum Mendicantium & non Rectori ſuæ parochialis Eccleſiæ confeſſus eſt, Euchariſtiæ Sacramento privatur, in maximum dictorum hominum ſcandalum pariter & detrimentum. Quare pro parte Ducum, Communitatis & hominum, necnon Priorum, Guardianorum ac Fratrum prædictorum aſſerentium, quod niſi per Sedem Apoſtolicam de remedio provideatur opportuno, in partibus illis plura ſcandala veriſimiliter ſubſequentur, nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus ad omne dubium tollendum ſuper privilegiis eiſdem Fratribus Mendicantibus conceſſis, pro ipſorum hominum devotione, ipſi Fratres Mendicantes omnium utriuſque ſexus perſonarum, in Civitate & diœceſi Argentin. conſiſtentium, confeſſionem, eiſdem Rectoribus minime requiſitis, audire libere & licite poſſint, indulgere & decernere ac declarare, & alias ſuper his opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui quantum cum Deo poſſumus, libenter diſſenſionibus & ſcandalis obviamus, prædeceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum veſtigiis inhærentes, qui ſuper iis per Clementinam, quæ incipit: *Dudum de ſepulturis*, ſalubriter providerunt, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ut prædicti Fratres Mendicantes omnium & ſingularum utriuſque ſexus perſonarum in Civitate & diœceſi Argentin. conſiſtentium Confeſſiones, dictis Rectoribus minime requiſitis, ut præfertur, audire eiſque pœnitentiam ſalutarem injungere, ac etiam perſonæ utriuſque ſexus prædictæ, antedictis Rectoribus minime requiſitis, prædictos Mendicantes adire, & ipſis confiteri & pœnitentiam hujuſmodi ſalutarem ab eiſdem ſuſcipere libere & licite poſſint & valeant, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, juxta tenorem dictæ Clementinæ indulgemus; quodque ob hoc prædicti parochialium Eccleſiarum Rectores eiſdem perſonis Euchariſtiam & alia Sacramenta Eccleſiaſtica denegare nequeant, harum

ſe-

ſerie decernimus; necnon quod ſi prædictæ perſonæ ſemel in anno eiſdem Fratribus Mendicantibus confeſſæ fuerint, peccata dictis Fratribus confeſſa, non amplius prædictis parochialium Eccleſiarum Rectoribus confiteri teneantur, eadem auctoritate juxta eamdem Clementinam declaramus: mandantes prædictis parochialium Eccleſiarum Rectoribus, ne ſub pœna excommunicationis, conceſſioni, decreto & declarationi hujuſmodi contradicere, ſeu contra præmiſſa quomodolibet attentare præſumant. In contrarium quomodolibet facientes &c. non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli &c. ſi quis &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLV. II. Idus Martii, Pontificatus noſtri anno I.

XIII.

Dat eis facultatem conſtruendi Monaſterium Clariſſarum in villa de Ardilis.
Ibid. lib. 6. bullarum de Curia, fol. 92.

Dilecto filio nobili viro Ludovico de Borbonio, Comiti Montiſpanſerii, Delphino Alverniæ & Domino Cambralbiæ, ac dilectæ in Chriſto filiæ nobili mulieri Gabrielæ ejus uxori &c.

§. I. UT Religio quælibet dilatetur, ac decenti floridoque candore reſulgeat, & Sponſæ Chriſti luminoſis ſanctimoniæ radiis, ad exemplar imitationis Chriſtifidelibus viam ſalutis aperiant, partes noſtræ ſollicitudinis interponimus, ac piis votis perſonarum Monaſteria Monialium de novo fundare deſiderantium libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis. Cum itaque, ſicut exhibita nobis nuper pro parte veſtra petitio continebat, vos ob ſingularem devotionem, quam ad Ordinem ſanctæ Claræ geritis, in Villa de Ardilis vel alio loco in veſtro dominio conſiſtenti, ad hoc congruo & apto, unum Monaſterium Monialium dicti Ordinis de novo conſtruere & ædificare, ſeu conſtrui & ædificari facere deſideretis, ſi vobis ſuper hoc per Sedem Apoſtolicam licentia concedatur: Pro parte veſtra nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut vobis licentiam hujuſmodi concedere, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur veſtrum pium & laudabile propoſitum in hac parte plurimum in Domino commendantes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis, in dicta villa vel quocumque alio magis congruo & apto loco in veſtro dominio conſiſtenti, abſque cujuſcumque licentia, unam domum dicti Ordinis cum Eccleſia, campanili, clauſtro, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis & aliis neceſſariis officinis, pro uſu & habitatione Monialium dicti Ordinis, erigendi, conſtruendi & ædificandi, ſeu conſtrui, erigi & ædificari faciendi, plenam & liberam licentiam concedimus pariter & facultatem; & nihilominus omnibus & ſingulis Monialibus in Monaſterio hujuſmodi, poſtquam conſtructum fuerit, pro tempore degentibus, quod omnibus & ſingulis privilegiis, prærogativis, libertatibus, gratiis, immunitatibus, aliis Monaſteriis, locis & perſonis dicti Ordinis per Sedem Apoſtolicam vel alias in genere conceſſis & concedendis, uti & gaudere libere & licite poſſint & valeant, præfata auctoritate indulgemus. Non obſtantibus fel. record. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri &c. & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque: jure tamen parochialis Eccleſiæ & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo &c. Nulli ergo &c. ſi quis &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLV. XVII. Kalendas Aprilis, Pontificatus noſtri anno I.

XIV.

XIV.

Ut concedat licentiam ædificandi Monaſterium Clariſſarum in urbe Novarienſi. Ibid. lib. 11. fol. 223.

Dilecto filio Vicario venerabilis fratris noſtri Epiſcopi Novarien. in ſpiritualibus generali &c.

§. I. INter univerſa opera Divinæ placita Majeſtati, fundare ac dotare Cœnobium, in quo ſapientes Virgines accenſis lampadibus obviam exeant Chriſto ſponſo ſuo, & gratum & debitum exhibeant famulatum, non minimum reputamus; cum in eo Divinis laudibus glorificetur Altiſſimus, & per innocentis vitæ merita gloria æternæ beatitudinis acquiratur: et proptera piis deſideriis devotarum perſonarum, quæ affectant Cœnobia ipſa fundare ac dotare, libenter Nos in his favorabiles & benignos exhibemus. Sane pro parte dilectorum filiorum civium & Communitatis Civitatis Novarien. nobis nuper exhibita petitio continebat, quod plures Virgines, viduæ & aliæ mulieres devotæ, in Civitate & diœceſi Novarien. exiſtentes, ob melioris vitæ frugem, ad Ordinem ſanctæ Claræ gerentes ſingularem devotionem, eumdem Ordinem profiteri, & perpetuo Altiſſimo ſub illius regulari habitu & Obſervantia famulari deſiderant; ſed quia inibi nullum dicti Ordinis de Obſervantia hujuſmodi Monaſterium exiſtit, & earum parentibus eas ad alia loca transferre moleſtum nimis & valde diſpendioſum ſit, earum deſiderium in præmiſſis nequeant adimplere. Quare pro parte civium & Communitatis prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis Monaſterium pro dictis mulieribus dicti Ordinis inibi ædificandi & conſtrui faciendi licentiam concedi, & alias in præmiſſis opportune provideri mandare, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui Religionis & cultus divini augmentum ad Dei laudem & gloriam, noſtris potiſſime temporibus intenſis deſideriis affectamus, tam pium ipſorum civium & Communitatis, aſſerentium ſe jam locum ad hoc aptum & idoneum emiſſe, deſiderium in Domino plurimum commendantes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſi eſt ita, eiſdem civibus & Communitati, ſi locus hujuſmodi ad hoc aptus fuerit, Monaſterium hujuſmodi ſub dictæ Sanctæ vocabulo, pro Abbatiſſa & ſororibus ſub regularibus habitu & Obſervantia, & juxta regularia dicti Ordinis inſtituta perpetuo & conventualiter Altiſſimo ſerviturus, cum Eccleſia, cœmeterio, campanili, campanis, hortis, hortalitiis, & aliis officinis fundandi, conſtruendi, ædificandi & dotandi, ac Vicario Provinciali de Obſervantia ſancti Franciſci, ſecundum morem dicti Ordinis, qui pro tempore fuerit, pro hac prima vice inibi aliquam probam & ad hoc idoneam ſororem, dictum ſanctæ Claræ Ordinem expreſſe profeſſam, eidem Monaſterio tunc erecto præficiendi, ac ſibi curam & adminiſtrationem ipſius Monaſterii committendi, necnon Virginum & aliarum mulierum dictum Monaſterium intrare volentium profeſſionem recipiendi & admittendi, dictiſque virginibus & aliis mulieribus eumdem habitum exhibendi, ac omnia alia & ſingula circa hæc neceſſaria & opportuna exequendi, faciendi & exercendi; ita quod ad Vicarium, qui pro tempore fuerit de Obſervantia in illis partibus viſitatio & correctio Monaſterii prædicti & ſingularum perſonarum inibi pro tempore degentium pertinere cenſeatur; plenam & liberam licentiam pariter & facultatem, auctoritate noſtra largiaris. Nos enim, ſi Monaſterium prædictum auctoritate præſentium

conſtrui, ædificari & erigi contigerit, ut illud, ac ipſius Abbatiſſa & ſorores inibi pro tempore exiſtentes, omnibus & ſingulis privilegiis, immunitatibus, indulgentiis, gratiis & indultis, quibus alia Monaſteria Ordinis ſanctæ Claræ & Obſervantiæ prædictorum ac illorum perſonæ, per Nos & dictam Sedem in genere conceſſis & forſitan concedendis &c. uti & gaudere valeant, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium indulgemus. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Monaſteriorum & Ordinum prædictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLVI. VI. Idus Aprilis, Pontificatus noſtri anno I.

Anno Christi 1456. Calixti III. anno 2.

XV.

Ut confirmet translationem Monaſterii ſororum Pœnitentum ad Ordinem ſanctæ Claræ. Ex Monum. MSS. provinciæ Coloniæ.

Dilecto filio Decano Eccleſiæ ſancti Simeonis Trevirenſis &c.

§. I. HIs quæ pro parte Religionis, & perſonarum in ea degentium facta ſunt, ut illibata perſiſtant, libenter, cum a Nobis petitur, adjicimus Apoſtolici muniminis firmitatem. Sane pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Abbatiſſæ & ſororum Monaſterii ſanctæ Mariæ Magdalenæ, Ordinis ſanctæ Claræ Treviren. nuper nobis exhibita petitio continebat, quod cum alias Monaſterium ipſum eſſet domus pro uſu & habitatione ſororum de Pœnitentia nuncupatarum, ac ejus ſtructuræ ac ædificia ad ruinam devenirent, in eoque Divinum ceſſaret officium, ac dilecta in Chriſto filia Hilla Matthiæ de Palatiolo, quæ ibidem ſola ſoror remanſerat, regimini & adminiſtrationi dicti Monaſterii in manibus venerabilis Fratris noſtri Jacobi Archiepiſcopi Treviren. extra Romanam Curiam ſponte & libere ceſſiſſet, præfatus Archiepiſcopus ceſſionem hujuſmodi admittens, & habens ad hoc a fel. record. Nicolao Papa V. prædeceſſore noſtro per ſuas litteras facultatem, ipſarum litterarum & facultatum vigore prædictum Ordinem ſororum de Pœnitentia nuncupatarum in eadem domo penitus & omnino ſuppreſſit & extinxit, ac in ea Ordinem ſanctæ Claræ prædictum erexit & inſtituit, necnon domum ipſam cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis eidem Ordini ſanctæ Claræ univit, annexuit & incorporavit, ac dilectam in Chriſto filiam Eliſabetham de Lyndenfels Abbatiſſam & ſeptem ſorores dicti Ordinis ſanctæ Claræ, ut ibidem Obſervantia Regularis ipſius Ordinis ſanctæ Claræ perpetuo vigeret & obſervaretur, ordinavit, tranſtulit & deputavit.

§. II. Et deinde, poſtquam dicta Eliſabetha Abbatiſſa, una cum ſeptem ſororibus ſuis præfatæ domus ſanctæ Mariæ Magdalenæ, juriumque & pertinentiarum prædictorum corporalem poſſeſſionem apprehenderat, prælibatus Jacobus Archiepiſcopus Abbatiſſam & Sorores ipſas ſub perpetua clauſura incluſit, ac eas & earum ſequaces quoad regimen tam in ſpiritualibus quam temporalibus ſub obedientia Fratrum Minorum de Obſervantia ſancti Franciſci in perpetuum fore decrevit, privilegiavit, liberavit & exemit in omnibus & per omnia, prout domus ſororum in Guadenthall & in Asbaih, Civitate ac diœceſi Baſilienſi privilegiatæ ſunt & exemptæ atque reguntur; ac etiam certa bona immobilia & reditus, quocumque nomine nuncupentur, quæ

quæ ad domum Fratrum Minorum in Confluentia, Treviren. diœceſis, ante reformationem ipſius domus dudum elaborata ſaltem extra ejus clauſuras ſpectabant, eo quod Fratres ejuſdem domus, obſiſtentibus ſibi votis per eos præſtitis, regula quoque ſancti Franciſci & declarationibus Apoſtolicis, bona hujuſmodi & reditus minime levare & retinere poterant, præfatis Abbatiſſæ & ſororibus ſanctæ Claræ, ac earum ſequacibus pro ſublevamine extremæ paupertatis ipſius Monaſterii in perpetuum aſſignavit & donavit, prout in litteris ſeu ordinamentis authenticis deſuper confectis, quarum tenores ac ſi de verbo ad verbum inſererentur præſentibus, haberi volumus pro expreſſis, plenius continetur. Quare pro parte Eliſabethæ Abbatiſſæ & ſororum prædictarum, aſſerentium quod fructus, reditus & proventus ipſius Monaſterii unius marcæ argenti puræ, ſecundum communem æſtimationem, valorem annuum non excedunt, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſuppreſſioni, extinctioni, erectioni, inſtitutioni, ordinationi, translationi, deputationi, liberationi, decreto, incluſioni, exemptioni, privilegio, aſſignationi & donationi, ac aliis per ipſum Archiepiſcopum circa præmiſſa factis & ordinatis, pro illorum ſubſiſtentia firmiori robur Apoſtolicæ confirmationis adjicere, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III. Nos igitur præfati Archiepiſcopi pium & laudabile opus in hac parte plurimum in Domino commendantes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſi, & poſtquam tibi de ſuppreſſione, extinctione, erectione, inſtitutione, adminiſtratione, translatione, deputatione, libertate, decreto, incluſione, exemptione, privilegio, aſſignatione & donatione, ac aliis per Archiepiſcopum factis & ordinatis hujuſmodi legitime conſtiterit, illa ac omnia alia & ſingula in dictis litteris ſeu ordinamentis contenta, & inde ſecuta quæcumque, auctoritate noſtra approbes & confirmes, ſuppleaſque defectus tam juris, quam facti, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem: decernens & mandans, illa omnia & ſingula ſub pœna excommunicationis, quam contravenientes ſeu contrafacientes ipſo facto incurrant, perpetuis futuris temporibus obſervanda fore & obſervari debere. Non obſtantibus fel. record. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri &c. & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus, necnon domus & Ordinis prædictorum ſtatutis & conſuetudinibus ac privilegiis, juramento, confirmatione Apoſtolica vel quavis alia firmitate roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nos enim irritum ex nunc decernimus & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLVI. XVII. Kalendas Julii, Pontificatus noſtri anno II.

XVI.

Ut det facultatem mutandi Conventum extra Caſtrum Pedenatii Fratrum Obſervantum ad alium locum commodiorem. Ibid. ex lib. 18. Reg. Calixti fol. 7.

Venerabili fratri Epiſcopo Agaten. &c.

§. I. AD illa ex intenſis deſideriis cordis libenter attendimus, per quæ cultus Divini augmentum, & ſacræ Religionis propagatio procurantur; & eo libentius humilibus ſupplicum votis annuimus, quo exinde animarum ſalutem & pacem provenire conſpicimus.

§. II. Sane exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum moderni Vicarii provincialis Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia vulgariter nuncupatorum, provinciæ Provinciæ, ſecundum nomina dicti Ordinis, necnon Guardiani & Fratrum domus caſtri Pedenatii dicti Ordinis, tuæ diœceſis, petitio continebat, quod cum dudum fel. record. Nicolaus Papa V. prædeceſſor noſter, videlicet v. Kalendas Januarii, Pontificatus ſui anno VI. dilecto filio Laurentio de Monte, tunc Provinciali Vicario dictæ provinciæ locum unum intra dictum Caſtrum, ſive in illius diſtrictu conſiſtentem, qui ſibi fidelium largitione concedi contingeret, recipiendi, & in illo domum, cum Eccleſia, campanili, campana, cœmeterio, clauſtro, dormitorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro uſu & habitatione perpetuis Fratrum dicti Ordinis, ſub regulari Obſervantia inibi pro tempore degentium, conſtruendi & erigendi, ſeu conſtrui & erigi faciendi, plenam & liberam licentiam per ſuas certi tenoris litteras, ſub certis modo & forma conceſſiſſet, ac decreviſſet, quod domus ipſa conſtruenda, & in ea pro tempore degentes Fratres, omnibus & ſingulis privilegiis, exemptionibus, libertatibus, gratiis, indultis, aliiſque, domibus & Fratribus Ordinis Obſervantiæ prædictorum generaliter conceſſis, uti & gaudere poſſent, prout in dictis litteris plenius continetur; idem Laurentius locum unum prope dictum Caſtrum conſiſtentem recepit, in eoque dumtaxat quamdam capellam de ligno, ſive poſtibus ligneis erigi fecit, pro Divino interdum officio celebrando, abſque alia Conventus ſive domus ædificatione, & in dicto loco aliquos Fratres dictorum Ordinis & Obſervantiæ collocavit, qui hucuſque inibi moram traxerunt.

§. III. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, locus ipſe propter ſui vicinitatem, ſi ibi domus, ut præfertur, ædificaretur, eidem Caſtro, præſertim guerrarum tempore mediocriter nocivus foret, Regnique officiarii & Conſilium ejuſdem Caſtri nullo modo ibi domos ædificari permitterent, quod illa in alio loco remotiore a dicto Caſtro ædificari deſiderant. Pro parte moderni provincialis Vicarii ac Guardiani & Fratrum dicti loci hujuſmodi nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut locum deferendi, atque locum alium idoneum in diſtrictu prædicto eligendi, in eoque Conventum hujuſmodi transferendi & mutandi, necnon domum, ut præfertur, conſtruendi, & dictam capellam demoliendi, ac locum cum horto ſibi adhærenti diſtrahendi, commutandi, ſeu pro ipſorum Fratrum commodo alienandi, licentiam concedere, & alias ſibi in præmiſſis opportune conſulere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. IV. Nos igitur Chriſtifidelium ſalutem & Religionis ac cultus prædictorum augmentum ex dicto paſtorali officio appetentes, ac de præmiſſis certam notitiam non habentes, Fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus de præmiſſis omnibus & ſingulis te diligenter informes, & ſi per informationem eamdem ita eſſe repereris, Vicario moderno, Guardiano & Fratribus locum hujuſmodi deferendi, dimittendi, & Capellam hujuſmodi demoliendi, ac alium locum ad hoc idoneum recipiendi, ibique Conventum transferendi ſeu mutandi, ac domum, cum Eccleſia, campanili, campana, clauſtro, dormitorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro prædictorum Fratrum uſu & habitatione perpetuis conſtruendi & erigendi, ſeu conſtrui & erigi faciendi, alias juxta dictarum litterarum tenorem atque formam, dictumque locum, cum horto hujuſmodi commutandi & alienandi, ac pro eorum commodo & utilitate diſtrahendi, necnon omnia alia & ſingula ad hoc neceſſaria & opportuna faciendi & exequendi, auctoritate noſtra licentiam largiaris pariter & facultatem. Nos

enim

enim domui ædificandæ & Conventui hujuſmodi, ac Fratribus pro tempore inibi degentibus, ut omnibus & ſingulis privilegiis, exemptionibus, libertatibus, gratiis & indultis prædictis per Sedem Apoſtolicam Ordini prædicto & illius domibus generaliter conceſſis, & quibus utuntur & gaudent, uti pariter & gaudere perpetuo poſſint & valeant, concedimus per præſentes. Non obſtantibus piæ memoriæ Bonifacii Papæ VIII. etiam prædeceſſoris noſtri, necnon aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLVI. VI. Kalend. Auguſti, Pontificatus noſtri anno II.

XVII.

Declarat obſervandas eſſe decretales Joannis XXII. *& Clementis V. circa confeſſiones audiendas, ſepulturam liberam &c.* Ibid. lib. 21. fol. 1.

Dilectis filiis Spiren. & ſancti Petri Præpoſitis, ac Theſaurario majoris Baſilien. Eccleſiarum &c.

§. I. NUper pro terminandis quæſtionibus & diſcordiis, quæ inter ſeculares, Clerum, & Mendicantium Ordinum profeſſores, pro eo quod per ipſos hinc inde Decretales per fel. record. Bonifacium Papam VIII. prædeceſſorem noſtrum editæ & a bonæ memoriæ Clemente Papa V. etiam prædeceſſore noſtro in Concilio Viennen. innovatæ non ſervantur, ut plurima ſubſtituantur, litteræ noſtræ emanarunt tenoris ſubſequentis.

§. II. *Calixtus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Illius, licet immeriti, vices gerentes &c. Sane licet olim ſuper quæſtionibus, & periculoſis diſcordiis, quæ inter Prælatos & Rectores, ſeu Sacerdotes & Clericos parochialium Eccleſiarum, per diverſas mundi partes & Provincias conſtitutos ex una parte, & Fratres Ordinum Mendicantium ſuper prædicationibus fidelibus populis faciendis, audiendis eorum confeſſionibus, pœnitentiis injungendis eiſdem, & tumulandis corporibus defunctorum, qui ſuam apud Fratrum ipſorum Eccleſias ſive loca eligerent ſepulturam, ac plurimum ſuſcitabantur diſſenſiones, per Decretalem dudum a fel. record. Bonifacio Papa VIII. prædeceſſore noſtro editam, quæ incipit:* Super Cathedram, *ac per piæ memoriæ Clementem V. qui in Concilio Viennen. Decretalem innovavit eamdem, necnon Joannem XXII. etiam Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, qui illam duntaxat de Prædicatorum & Minorum Ordinum Fratribus mentionem facientem, ad Eremitarum & Carmelitarum Ordinum Fratres extendens, eamdem conſtitutionem per ipſos Eremitarum & Carmelitarum Ordinum Fratres per omnia voluit integraliter & inconcuſſe obſervari, ſalubriter proviſum extitiſſet. Nihilominus innumeroſæ quodammodo de diverſis mundi partibus, Venerabilium Fratrum Epiſcoporum, aliorumque Prælatorum, necnon dilectorum filiorum Curatorum, & parochialium Sacerdotum querelæ contra dilectos filios prædictorum Ordinum profeſſores clamoroſis inſinuationibus noſtrum excitare & fatigare non ceſſant auditum; quod iidem Fratres Decretalem prædictam tenere & obſervare non curant, & illam in Apoſtolicæ Sedis contemptum, & in animarum ſuarum periculum transgredi non verentur; plerique etiam ex illis ſpecialium, quæ ab ipſa Sede in eorum favorem, adverſus ipſam Decretalem emanaſſe aſſerunt privilegiorum, conceſſionum & indultorum prætextu, ne ad hujuſmodi Decretalis obſervationem compelli poſſint, ſe tuentur, in eorum*

con-

conquerentium & Eccleſiarum parochialium præjudicium & gravamen. Intelleximus quoque, quod a nonnullis ex Epiſcopis, Prælatis, Rectoribus, Curatis & Sacerdotibus, dictis Fratribus, contra tenorem prædictæ Decretalis, graves injuriæ, moleſtiæque inferuntur; quodque ex eo quod dicti Fratres in ipſorum prædicationibus Parochianos a viſitatione ſuarum parochialium Eccleſiarum retrahentes, eoſque parochianos ad viſitandum parochiales Eccleſias diebus Dominicis & Feſtivis non teneri, ſed Divina in Eccleſiis ipſorum Fratrum libere frequentare poſſe, ac eoſdem Fratres fore quorumlibet Parochianorum proprios Sacerdotes, quibus in anno per ipſos Parochianos omnia ipſorum peccata confitenda ſunt, & ipſi veri proprii Sacerdotes, quod confeſſio de peccatis ſemel confeſſis dictis Fratribus ad confeſſiones audiendas, juxta prædictam decretalem deputatis, ipſis propriis Sacerdotibus iteranda ſit, aſſerere præſumunt; inter tales prædicantes & aſſerentes, ac veros dictorum Parochianorum Sacerdotes proprios, ſcandala non abſque rancoris & odii livore ſuſcitantur. Nos igitur, quorum eſt hujuſmodi quæſtionibus & diſcordiis ac ſcandalis, rancoris & odii fomentis ubilibet obviare, & eo diligentius inter conquerentes & Fratres prædictos, quo illa deteriora prætenduntur innoxius, & fidelium corda ſcrupuloſis rumoribus circa Eccleſiaſtica Sacramenta ipſis impendenda diſcindunt & conturbant, cupientes quæſtionibus & diſcordiis eiſdem finem imponere, & ut ſinguli, ad quos id ſpectaverit, juris ſui terminis contenti, alteri debitum non invadant, & fimbrias ſuas non dilatent; præſentis conſtitutionis irrefragabili ſanximus edicto, prædictam Decretalem ſive Clem. Dudum, *ut præfertur innovatam, ab omnibus etiam per eos, ad quos juxta præmiſſa extenſa extitit, in omnibus & per omnia, juxta illius ac renovationis & extenſionis hujuſmodi ſeriem & tenorem, integraliter, ac firmiter & inſtanter ſic ubilibet, etiam in urbe Romana obſervandam fore & obſervari debere: quæcumque privilegia, conceſſiones & indulta, ſi quæ a quibuſvis Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris adverſus Decretalem & ejus innovationem, & extenſionem prædictas, ſub quacumque verborum forma, & cum quibuſvis irritantis decreti, ac talibus, quod illis per quaſvis alias litteras Apoſtolicas, etiam facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de illorum tali tenore mentionem, aut aliis ſimilis effectus, vel majoris cautelæ derogatoriis clauſulis, qualitercumque derogari nequeat, ſive motu proprio, ſive quovis reſpectu, pro quibuſvis ex dictis Ordinibus, ſeu eorum domibus & locis in genere vel in ſpecie emanaverint, quorum quidem privilegiorum, conceſſionum & indultorum tenores perinde ac ſi de verbo ad verbum, etiam cum Ordinum, domorum & locorum, quibus conceſſa fuerint, ſpecifica & individuabili expreſſione, præſentibus inſerti forent, eiſdem præſentibus pro expreſſis haberi volumus, quolibet uſu eorumdem privilegiorum, conceſſionum & indultorum, ac hujuſmodi uſus etiam quarumcumque etiam continuata poſſeſſione nullatenus obſtante, prædicta auctoritate caſſantes, revocantes & irritantes, nulliuſque decernentes cenſenda fore roboris vel momenti. Propterea aſſertiones, quibus dicti Fratres Eccleſiarum Parochianos ad viſitandum Eccleſias diebus Dominicis & Feſtivis non teneri, ſed Divina in Eccleſiis ipſorum Fratrum libere frequentare poſſe, ſeque proprios Sacerdotes fore quorumlibet Parochianorum, quibus per ipſos Parochianos ad minus ſemel in anno confitendum ſit, cum non ipſi, ſed parochialium Eccleſiarum ipſarum Rectores ſeu Viceſgerentes eorumdem, aut alii, quibus cura animarum Parochianorum hujuſmodi imminere dignoſcitur, proprii Sacerdotes, confeſſionem de prædictis Fratribus ipſis, juxta Decretalem prædictam, ad audiendas confeſſiones deputatis ſemel confeſſis factam, iiſdem propriis Sacerdotibus iterandam fore aſ-*

aſſerant, ut præfertur, reprobantes, Fratribus & Sacerdotibus ciſdem, ne talia aſſerere præſumant, in virtute ſanctæ obedientiæ diſtrictius inhibemus: volentes & decernentes, quod quicumque ex dictis Fratribus & Sacerdotibus talia de cetero aſſerere præſumpſerit publice vel occulte, niſi per locorum diœceſanos, ſeu eorum auctoritate moniti ab illis deſtiterint, excommunicationis ſententiam incurrant eo ipſo, & per diœceſanos ipſos, quibus ſuper hoc plenam & liberam, præſentium ſerie poteſtatem concedimus, excommunicationis ſententiam hujuſmodi incurriſſe declarari, & ut tales denunciari poſſint. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis ac exemptionibus ſpecialibus vel generalibus, tam Fratribus & Ordinibus prædictis, quam prædictis Sacerdotibus communiter vel diviſim ſub quacumque forma vel expreſſione verborum a prædicta Sede conceſſis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo &c. ſi quis &c.

Datum Romæ apud ſanctam Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLVI. XII. Kalendas Septembris, Pontificatus noſtri anno II.

XVIII.

Ut det facultatem ædificandi domum Sororum Tertii Ordinis in oppido Bargæ. Ibid. lib. 18. Regeſt. Calix. fol. 67.

Venerabili fratri Epiſcopo Lucano &c.

§. I. PIis votis fidelium gratum nos decet præbere aſſenſum, & ea quæ ad Religionis & laudabilium operum exercitium, cum animarum ſalutis propagatione tendere dignoſcuntur, ut debito effectui mancipentur, congruentibus gratiis & favore proſequimur.

§. II. Sane pro parte dilectarum in Chriſto filiarum nonnullarum mulierum continentium, Religioſarum Tertii Ordinis ſancti Franciſci, de Pœnitentia nuncupatarum, tuæ diœceſis, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipſæ zelo devotionis accenſæ, & ut in orationibus, ac ſuavi contemplationis jugo poſſint quietius cum animorum ſinceritate earum vota Altiſſimo perſolvere, pro earum & deinde ſupervenientium perpetuis uſu & habitatione cupiunt unum Monaſterium, cum Eccleſia, campana, clauſtro, refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis in terra Bargæ de Garfagnana, dictæ tuæ diœceſis, in loco ad id convenienti & idoneo, Chriſtifidelium ſuffragiis intervenientibus, de novo fundare, conſtruere, erigere & ædificare, ſeu fundari, conſtrui, erigi & ædificari facere, dummodo ſuper hoc licentia a Sede Apoſtolica concedatur. Quare pro parte dictarum mulierum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut hujuſmodi Monaſterium fundandi, conſtruendi & erigendi, ac illud pro earum uſu & habitatione recipiendi, ac in illo morandi licentiam eis concedere, & alias ſibi in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III. Nos igitur, qui ipſius cultus & quarumcumque Religionum augmentum intenſis deſideriis affectamus, dictarum mulierum religioſarum pium & laudabile propoſitum in Domino commendantes, earum in hac parte ſupplicationibus inclinati, Fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſi eſt ita, dictis religioſis mulieribus in eadem Terra, in loco ad id convenienti & idoneo, ut præfertur, dictum Monaſterium, cum Eccleſia, campanili, campana, clauſtro, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis habentibus, pro illarum & inde ſuperve-

nien-

nientium perpetuis uſu & habitatione, ut præmittitur, adinſtar aliorum dicti Ordinis partium illarum Monaſteriorum, de novo fundandi, erigendi, conſtruendi, & fundari, conſtrui & ædificari faciendi, ipſiſque mulieribus dictum Monaſterium pro hujuſmodi uſu & habitatione recipiendi & inibi commorandi & Altiſſimo perpetuo famulandi, ac juxta regularia dicti Ordinis inſtituta vivendi, plenam & liberam licentiam auctoritate noſtra largiaris: jure parochiali, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Nos enim mulieribus religioſis in dicto Monaſterio pro tempore Divino obſequio mancipatis, ut omnibus & ſingulis privilegiis, indultis, indulgentiis, exemptionibus, immunitatibus, & gratiis, aliis dicti Ordinis Monaſteriis per Sedem Apoſtolicam generaliter, ſi quæ ſint, quomodolibet conceſſis, & quibus utuntur & gaudent, uti & gaudere poſſint, concedimus per præſentes. Non obſtantibus ſel. record. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri &c. & aliis conſtitutionibus Apoſtolicis & ordinationibus, ac dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLVI. XV. Kalendas Februarii, Pontificatus noſtri anno II.

XIX.

Ut poſſit uti & frui omnibus privilegiis Ordini Minorum conceſſis. Ibid. lib. 18. fol. 113. Et Mon. MSS. provin. Germaniæ inferioris.

Dilectis filiis univerſis Fratribus in Eremitorio prope oppidum Trajectenſe, ſupra Moſam, Ordinis Fratrum Minorum, Leodien. diœceſis, commorantibus &c.

§. I. Inter ceteros Ordines in agro plantatos Eccleſiæ, Ordinem veſtrum gerentes in viſceribus caritatis, ad ea vigilanter intendimus, ac opem & operam benignius impertimur, per quæ dictus Ordo, ſublatis impedimentis quibuslibet, ad Divini nominis laudem, proſperis ſucceſſibus affluat, & votivis proficiat incrementis.

§. II. Cum itaque, ſicut exhibita nobis nuper pro parte veſtra petitio continebat, vos de Venerabilis fratris noſtri Joannis, ſcilicet Hegensbergii, Epiſcopi Leodienſis, ac dilectorum filiorum Univerſitatis & hominum oppidi Trajectenſis ſupra Moſam, Leodienſis diœceſis, licentia pariter & conſenſu, quoddam Eremitorium prope dictum oppidum conſiſtens, pro uſu & habitatione vobis conceſſum, prout licite poteratis, noviter acceptaveritis, ac ibidem cum gratiſſima populi acceptatione, in Miſſis & aliis Divinis officiis reddideritis, prout redditis, Altiſſimo famulatum. Nos igitur veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, vobis & pro tempore in dicto Eremitorio degentibus Fratribus dicti Ordinis, quod omnibus & ſingulis privilegiis, præfato Ordini, & illius Fratribus in genere conceſſis, uti & gaudere libere & licite valeatis atque valeant, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque: jure tamen parochialis Eccleſiæ & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Nulli ergo &c. ſi quis &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLVI. IV. Kalend. Februarii, Pontificatus noſtri anno II.

XX.

Inſtituitur viſitator Ordinis de Pœnitentia in Hibernia frater Thomas Ornayn. Ex reg. Calixti. lib. 25. bullar. fol. 10.

Dilectis in Chriſto filiis Fratribus, ac dilectis in Chriſto filiabus Sororibus univerſis Tertii Ordinis ſancti Franciſci, de Pœnitentia nuncupatis, in Hibernia conſtitutis &c.

§. I. DIſpoſitione Divina univerſalis Eccleſiæ regimini præſidentes, pro ſingulorum fidelium noſtræ diligentiæ commiſſorum ſtatu ſalubriter dirigendo, prout ex injuncti nobis paſtoralis officii debito tenemur, ſollicitæ conſiderationis intuitum libenter extendimus, & ad ea, per quæ eorum tranquilitati, directioni pariter & ſaluti opportune conſulitur, partes noſtri miniſterii favorabiliter adhibemus. Sane pro parte veſtra nobis nuper exhibita petitio continebat, quod licet in Hiberniæ partibus nonnullæ domus religioſæ, in quibus utriuſque ſexus perſonæ veſtri Tertii Ordinis ſancti Franciſci, ſub regularibus habitu & Obſervantia dicti Ordinis degunt, fore noſcantur, & in eiſdem domibus viri religioſi in Sacerdotio conſtituti, ac in jure canonico eruditi, qui viſitationem veſtram commodius propter propinquitatem, quam alius quiſquam alterius Ordinis profeſſor, exercere deberent, reperiantur: vos tamen, pro eo quod in regula veſtra caveri dicitur, quod viſitatorem habeatis Sacerdotem alicujus Ordinis approbati, per alios Ordinum Mendicantium Fratres, a vobis ad hoc electos, hactenus viſitari conſueveritis. Cumque, ſicut eadem petitio ſubjungebat, propter locorum diſtantiam & viarum diſcrimina vobis nequaquam commodum ſit, quod per Fratres aliorum Ordinum viſitari debeatis, præſertim cum in Ordine veſtro de Pœnitentia antedicto, Fratres ad hoc ſufficientes & idonei, qui hujuſmodi viſitationis officium poſſint commode exercere, reperiantur, ut præfertur, & propterea vos præmiſſis debita meditatione attentis, Viſitatorem de veſtro Ordine habere ſummopere appetatis, ſi ad id noſtra vobis licentia & auctoritas ſuffragetur: Pro parte veſtra nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut vos more pii Patris opportunis favoribus proſequentes, veſtriſque ſtatui & quieti ſalubriter conſulentes, dilectum filium Thomam Ornayn, presbyterum dicti veſtri Ordinis profeſſorem, ac etiam in eodem jure canonico expertum, & inter omnes Fratres domus beatæ Mariæ de Cillavanabrenaynd, Tuan. diœceſis, quæ prima inter omnes domos veſtri Ordinis prædicti in Hibernia conſiſtentes & famoſa exiſtit, & in qua profeſſionem, per Fratres dicti Ordinis emitti ſolitam, emiſit regularem, antiquiorem, comprobatæ doctrinæ, & ad exercendum quæ ad hujuſmodi viſitationis officium pertinent, ſufficientem, hac prima vice in viſitatorem domorum Fratrum & Sororum dicti veſtri Ordinis in Hibernia conſiſtentium, præſentium & futurorum, cum plena poteſtate quæcumque ad viſitationis officium pertinent, peragendi, conſtituere & deputare, ſibique curam, regimen, adminiſtrationem & gubernationem dictæ domus beatæ Mariæ, de cujus loco oriundus exiſtit, in ſpiritualibus & temporalibus committere, necnon vobis Fratribus antedictis, quod eodem Thoma rebus ab humanis exempto, deinceps perpetuis futuris temporibus, quoties opportunum fuerit, in unum convenire, ac Viſitatorem presbyterum ipſius veſtri, vel alterius Ordinis cum poteſtate ſimili eligere & habere poſſitis, quodque de cetero nullus locus eidem veſtro Ordini in perpetuam eleemoſynam erogatus, ſine Ordinarii loci, necnon Viſitatoris ac veſtri con-

conſenſu in communi congregatione veſtra præſtando, in alium Ordinem quovis modo transferri valeat, concedere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui perſonis ſub Religionis habitu ſtudio piæ vitæ vacantibus, ita debemus eſſe propitii, quod in Divinis beneplacitis exequendis nuſquam poſſint occaſione qualibet impediri, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, eumdem Thomam omnium & ſingularum domorum veſtri Ordinis antedicti, & utriuſque ſexus in eis degentium perſonarum præſentium, & quæ pro tempore erunt, cum poteſtate inquirendi, corrigendi, puniendi, & ſi opus fuerit excommunicandi, ac etiam abſolvendi, dummodo ad id dilecti filii Generalis Miniſtri Ordinis ſancti Franciſci accedat aſſenſus, ac alia, quæ ad hujuſmodi officium pertinere noſcuntur, faciendi & exequendi, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium .... adminiſtrationem & gubernationem dictæ domus beatæ Mariæ, quoad vixerit, in ſpiritualibus & temporalibus committentes: Et nihilominus vobis & ſucceſſoribus veſtris ejuſdem Ordinis Fratribus, quod poſtquam idem Thomas debitum naturæ perſolverit, quoties opportunum fuerit, in unum convenire, ac idoneum & honeſtum presbyterum veſtri vel alterius Ordinis, quem ad hoc duxeritis eligendum, in veſtrum Viſitatorem, qui ſimilem habeat poteſtatem, deputare & habere poſſitis, quodque ſine veſtro & loci Ordinarii conſenſu loca vobis pia fidelium largitione conceſſa, in alium Ordinem quovis modo transferri nequeant, vobis eadem auctoritate concedimus & pariter indulgemus. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac regula prædicta, & quibuſvis aliis ſtatutis, conſuetudinibus dicti Ordinis, etiam confirmatione Apoſtolica roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo &c. ſi quis &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLVI. Nono Kalendas Aprilis, Pontificatus noſtri anno II.

MONUMENTA POLONICA.

Approbat donationem domus, areæ, horti &c. factam a Joanne de Oleniſca Fratribus Obſervantibus, ut Cracoviæ Cœnobium ædificent. Ex Monum. MSS. Provinciæ Poloniæ.

CASIMIRUS Dei gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ & Hæres Ruſſiæ &c.

§. I. OMnium culmini noſtro ſubjectorum, juſta piaque deſideria liberali annuentia proſequimur, atque illis exauditionis gratiam præſtare ſolemus: His tamen liberalius ſinum clementiæ Regalis expandimus, quæ in laudem Omnipotentis Dei, Chriſtianæ religionis augmentum, atque triumphantem Hieruſalem incolentium decus & gloriam, novimus devotione ſingulari ordinata. Significamus itaque univerſis tam præſentibus &c. Qualiter magnificus Joannes de Oleſnica, Palatinus Sandomiriens. ſincere nobis dilectus, æterni remuneratoris clementiam propitiationemque ſibi, ſuæque poſteritati & familiæ procurare ſatagens &c. Curiam ſuam, domum & aream hæreditariam, cum horto & pomario eidem annexo, in ſubinitio Civitatis noſtræ Cracovien. & oppido Stradomia de prope fluvium Rudava ſita, viro venerabili & celeberrimo ſpectatæque virtutis, famulo Dei Joanni de Capiſtrano, tunc præſentialiter apud nos

in

in Cracovia agenti, & Fratribus Religionis & Ordinis beatiſſimi Franciſci de Obſervantia, donatione perpetua & irrevocabili dedit, donavit, contulit & reſignavit, nihil ſibi juris, tituli, dominii aut proprietatis, aut ſuis filiis aut ſucceſſoribus in eadem Curia, domo, horto & area quomodolibet reſervando, ad fundandum & erigendum in hujuſmodi loco & area Eccleſiam conventualem, ſub honore & titulo beati Bernardini Confeſſoris glorioſi, & Monaſterium Fratrum beati Franciſci de Obſervantia; petens hujuſmodi donationem, collationem & reſignationem per nos admitti, approbari, confirmari & ratificari.

§. II. Nos autem attendentes fructum multiplicem quem prædictus frater Joannes de Capiſtrano menſibus aliquot in urbe noſtra Cracovien. ſingulari vitæ & doctrinæ inſiſtendo, in populo noſtro confecit, ſperantes fructum hujuſmodi, per Fratres regulam & Obſervantiam hujuſmodi profeſſos, quorum jam in loco & Monaſterio hujuſmodi frequens extat numerus, in tempora futura duraturum; precibus præfati Joannis Palatini eo faciliorem celerioremque præbuimus conſenſum, quo noveramus in Regno noſtro Poloniæ, Fratrum beati Franciſci de Obſervantia primariam inſtitutionem & fundationem, donatione præfati Joannis Palatini præripuiſſe, atque ceteros in æmulationem ſimilem accenſuros eſſe. De certa itaque noſtra & deliberata notitia, donationem, collationem, reſignationem domus, curiæ, areæ & horti, per dictum Joannem Palatinum, pro fundatione Eccleſiæ & Monaſterii Fratrum ſancti Franciſci de Obſervantia factam, admiſimus, conſentivimus, gratificavimus, ratificavimus, approbavimus & confirmavimus, præſentium que tenore admittimus, conſentimus, gratificamus, ratificamus, approbamus & confirmamus &c.

Datum Cracoviæ, feria ſecunda proxima ante feſtum ſancti Gregorii Pontificis & Confeſſoris anno MCCCCLIV.

Digitized by Google

INDEX RERUM NOTABILIUM

Notæ Arabicæ paginam, Romanæ marginalem paragraphum denotant.

A

A Bagerræ Conventus. 229. LXVIII. Abbatis Villæ domus Sororum Tertii Ordinis. 486. CCXL.

Abraham Bzovius corrigitur. 25. X. 79. I.

De Abundo Conventus. 114. LXV.

Adamitarum ſecta vireſcit. 90. XXII.

Adrianus Flander e captivitate redemptus in Conventu Brugenſi floruit. 177. XXX.

Aeneas Sylvius ſancto Joanni de Capiſtrano Epiſtolas dirigit. 202. XII. 203. XIII. 240. V. 262. XXXVI. XXXVII. de quo tamen male ſentit. 369. LI. ejuſque acta narrat. 89. XIX. ſanctum Bernardinum Senenſem encomiis celebrat. 61. VII. dicendi facundia præditus. 202. XI. Cardinalatu ante acceptum digniſſimus. 318. VIII. ab Imperatore mittitur in Urbem. ibidem. de Conventu Pienſæ benemeritus. 68. XXVIII. V. *Pius II.*

Agelli Conventus. 67. XXV.

Agnes Borbonia pro Conventu Donionii extruendo impetrat facultatem. 69. XXXIII.

Agnes de Herrera Monaſterii Valliſoletani Abbatiſſa, 310. CXXII.

Agnes Manriquia de Cabrera in Monaſterio Zamorenſi floret. 45. LVIII.

Agnes Martinez a beata Virgine de Monaſterio Cubarum extruendo monetur. 46. LXV. 50. V.

Agnes Suarez de SolisMonaſterio ſanctæ Eliſabethæ Salamanticæ bona ſua erogat. 47. LXVII.

Agneſella quædam Monaſterii Capuani Abbatiſſa. 17. XLVI.

Albertus Cardinalis ſancti Euſtachii miracula ſancti Bernardini Senenſis examinat. 23. VII.

Albertus Imperator Judæos juſte perſequitur. 142. XXVI.

Albertus Milinchus Decanus poſſeſſionem quamdam Minoritis Conventus Hammonæ tradit. 232. LXXVIII.

Albertus Morigius Mediolanenſis eximius Concionator. 2. III.

Albertus de Piis Conventus Carpi fundator. 38. XXXVIII. Minorum Ordinem multis devinxit titulis. ibidem.

Albertus Pochelpach Guardianus Norimbergenſis. 157. II.

B. Albertus de Sarthiano animam Deo reddit. 63. XI. quam in cœlum aſcendere Capiſtranus intuetur. 64. XII. de ejus origine diſcrepant auctores. 63. XI. omnes tamen ejus facundiam celebrant. 63. XII. Dæmonis inſidias detegit. ibidem. Congregationi generali Tuſciæ habitæ intereſt. 29. XVIII.

Alemariæ Conventus. 306. CVIII.

Alexander Javorenſis vir piiſſimus in Conventu Uratislaviæ requieſcit. 185. L.

Alexandra Simonetta pietate celebris 487. CCXLIII.

Alexandrinus Epiſcopus Franciſcanus in Eccleſia Minorum Carpi tumulatus. 38. XXXVIII.

Almaricus Guillardis Epiſcopus doctrina & virtute præclarus. 193. VI.

Aloyſius Caracciolus Cœnobium Maydæ extruit. 114. LX.

Aloyſius Puteus vir doctiſſimus ubi floruit. 66. XX.

Alphonſus Aragonius Siciliæ Rex Canonizationem ſancti Bernardini promovet. 1. I. & 23. VII. hac de cauſa Pontifici Romano ſcribit. ibidem. Schiſma in Eccleſia cum aliis Principibus extinguit. 20. I.

Alphonſus Arguellus Minorita Epiſcopus Palentinus. 448. CLXVI.

Alphonſus de Ataida miraculis illuſtris. 114. LXII.

Alphonſus Boroxius Commiſſarius Apoſtolicus in Hiſpania. 110. L. Conventum Complutenſem abſolvit. 238. III.

Alphonſus Calabriæ Dux Robertum Lycienſem laudat. 37. XXXIV.

Alphonſus Carillus Archiepiſcopus Toletanus Cœnobio Complutenſi dat initia. 238. III. 444. CLV.

Alphonſus a Caſtro ſancti Didaci ſocius 64. XIV. morbo gravi corripitur. 65. XV.

Alphonſus Hiſpanus Vicarius Provinciæ Ter-

Terræ laboris. 277. LII. pro Obſervantibus in quadam cauſa compromiſſarius. 278. LIV.
Alphonſus Manriquius Hiſpalenſis Archiepiſcopus in Monaſterio Zamorenſi tumulatus. 45. LVIII.
Alphonſus de Mayorga Roberto Lycienſi reſiſtit. 170. XVII.
Alphonſus de Melgar de Conventu Tertii Ordinis Valderarum benemeritus. 72. XLV.
Alphonſus Pernas Marochitanus Epiſcopus. 37. XXXVI.
Alphonſus Sartor Compluti moritur. 483. CCXXXI.
Alphonſus de Spina pietate & doctrina conſpicuus. 144. XXXI. beati Petri de Regalado ſocius extitit. 446. CLXIX.
Alphonſus Toletanus Archiepiſcopus Eremitorium ſancti Benedicti Gualdafagiaræ Fratribus largitur. 69. XXXIV.
Alphonſus Valliſoletanus domus Aquileræ Vicarius. 449. CLXIX.
Alvarus de Luna Epiſcopus Ebronenſis. 65. XVII. & Conventus Cornagi Dominus. 114. LXIV.
Amadeus olim Sabaudiæ Dux Pſeudopontificatus inſignia deponit. 20. I. num inter Auguſtinianos connumerandus? 21. II. qualis ejus in eremo vivendi norma? 21. III.
Amadeus alius Sabaudiæ Dux Franciſcanis addictiſſimus. 312. IV.
Amalphitanum Monaſterium. 48. II.
Ambergenſis Conventus. 232. LXXIX.
Ambroſius Aquilanus ſancti Joannis de Capiſtrano in itinere ſocius. 80. VII.
Ambroſius a Corbaria Laicus virtutibus illuſtris. 483. CCXXX.
Ambroſius de Fliſco Provinciæ Januæ Miniſter. 276. LI.
Ambroſius Lembergetius provinciæ Boemiæ Vicarius. 303. XCIX.
Amuſci Monaſterium. 45. LVII.
Anceniſii Conventus. 13. XXXII.
Anconæ Conventus. 12. XXX. & domus Sororum Tertii Inſtituti. 17. LII.
Andiſia de Pactis Vidua domum Tertii Ordinis Lycii ædificat. 115. LXIX.
Andrea Antonelli de Vannis Vidua Monaſterium ſancti Elpidii ſuis expenſis conſtrui teſtamento diſponit. 301. XCI.
Andrea de Piſtorio una ex Fundatricibus Piſtorienſis Monaſterii. 17. XLVII.
Andreas Antibarenſis Archiepiſcopus. 9. XXI.
Andreas Aſſiſias beati Franciſci Papienſis ſocius. 226. LVII.
Andreas de Biliis Mediolanenſis Auguſtinianus quoddam opuſculum de ſancti Bernardini rebus geſtis exaravit. 62. VIII.
Andreas Calamorus Monaſterium Integramnæ ut conſtruatur obtinet facultatem. 187. LXI.
Andreas a ſancto Gemino diſertiſſimus Concionator floret. 299. LXXXVI. Congregationi generali Tuſciæ habitæ intereſt. 29. XVIII. acta beati Franciſci Papienſis colligit. 228. LXIII. ſimulque acta ſancti Bernardini Senenſis narrat. 62. VIII. Vicarius Proüinciæ ſancti Franciſci fuit. 299. LXXXVI.
Andreas de Monte Politiano in Univerſitate Perufina publicus Lector. 300. LXXXI.
Andreas Ocliman Tertii Inſtituti Presbyter. 235. LXXXIX.
Andreas Quinque Eccleſienſis Epiſcopus ſancto Joanni de Capiſtrano ſcribit. 246. X.
Angela de Carcano Monialis virtute illuſtris in Monaſterio de Vedano floret. 16. XLIII.
Angela Cæcilia de Reinis ſui obitus diem prædicit. 487. CCXLIII.
Angela Gabriella Monaſterium de Vedano illuſtrat. 16. XLIII.
Angela de Piſtorio cum aliis Monaſterium Piſtorienſe erigit. 17. XLVII.
Angelina de Thermis Aprutina Monialis ſui obitus diem ſibi revelatum prædicit. 44. LIV.
Angelus de Altamura Provinciæ Apuliæ Vicarius. 277. LII.
Angelus de Bulſena Nuncius Apoſtolicus. 290. LXXVI.
Angelus de Carpanzano Guardianus Catanzarii. 154. LIX.
Angelus de Civitella virtute & pietate celebris. 298. LXXXV. Congregationi generali Tuſciæ intereſt. 29. XVIII.
Angelus de Iſchitella ſanctitate illuſtris. 183. XLIV.
Angelus de Perufio Vicarius Generalis Ordinis. 34. XXX. inde Generalis Miniſter. 63. X. Guillelmum Orellay Romæ defendit. 11. XXIV. Ordinem a Prælatorum gravaminibus liberat. 115. LXX. Monaſterium ſanctæ Mariæ de Monticellis extra Florentiam immediatæ ſuæ juriſdictioni ſupponit. 116. LXXI. in Cœnobio Salamantino Regens extitit. 144. XXXI.
Angelus de Rupe celebris Concionator Roberto Lycienſi adhæret. 146. XXXV.
Angelus de Sicilia Nuncius Apoſtolicus in Epiſcopatu Oſtienſi. 324. XIX.
Anglonii Conventus. 113. LIX.
Anna Bernon Brittaniæ Armoricæ Princeps

ceps Franciſcanis valde addicta. 231. LXXIII.
Anna de Cypro Sabaudiæ Ducissa reformationem Monaſterii de Chamberiaco ſollicitat. 234. LXXXV.
Anna ab Heredia Monialis extatico ſpiritu celebris. 45. LVIII.
Anna Mariconna pietate illuſtris. 46. LXIV. 50. V.
Anna Maſſoviæ Ducissa Cracoviam petit. 232. LXXVII.
Antenisii Conventus. 13. XXXII.
Antibarenſis Conventus. 184. XLVII.
Antimi Conventus. 229. LXVI.
Antonellus de Joannetto Epiſcopus Gallipolitanus. 118. III.
Antonia de Bonellis de Conventu Plebis benemerita. 153. LIII.
Antonia Miniſtra Monaſterii Piſtorienſis. 17. XLVII.
Antonia de Vicecomitibus Sacellum quoddam in Eccleſia Mediolanenſi extruit. 15. XLII.
Antonius Æthiops Cremonenſis Tertii Ordinis ſanctitate præclarus. 114. LXI.
Antonius de Albuconio Regis Galliæ apud Pontificem Orator Minoritis addictus. 487. CCXLIV.
Antonius Ariminenſis ſancti Bernardini diſcipulus celebris Concionator. 62. VIII.
Antonius Bitontinus eximius Concionator. 180. XXXIII. ſancti Bernardini diſcipulus. 62. VIII. provinciæ Apuliæ Commiſſarius. 149. XL. itemque Miniſter. 171. XXI. Congregationi generali Tuſciæ intereſt. 29. XVIII.
Antonius de Braida domus Tertiariorum ejuſdem loci fundator, 46. LX.
Antonius de Braquey doctrina præclarus. 305. CVI.
Antonius Buyſſon Epiſcopus Bethlehemita Eccleſiam Conventus Cabilonenſis conſecrat. 151. XLV.
Antonius Cataneus Epiſcopus Salonenſis Templum Monaſterii de Vedano conſecrat. 16. XLIV.
Antonius de Claramonte Minoritis quoddam Oratorium tradit. 230. LXXII.
Antonius Cremonenſis miraculis clarus. 183. XLIII.
Antonius de Gavaciis Laicus virtute & pietate celebris. 298. LXXXV. ab Angelis dum moritur, funeris celebrantur ſolemnia. ibidem.
Antonius Joannis Rector ſanctæ Mariæ Montis Rotundi facultatem Minoritis concedit, ut Cœnobium extruant. 13. XXXI.
Antonius Laliota virtutibus illuſtris. 114. LXI.
Antonius de Latiis Salodienſis Epiſcopus Eccleſiam Conventus Palantiæ conſecrat. 229. LXVII.
Antonius Luperchius provinciæ Boemiæ Vicarius vir illuſtris. 185. L.
Antonius Manriquius Commiſſarius Generalis Ultramontanæ familiæ. 484. CCXXXI.
Antonius a Mendoza Compluti diem claudit extremum. 483. CCXXXI.
Antonius de Monte Falcone provinciæ ſancti Franciſci Vicarius. 43. LIII. 277. LII. quando floruit. 180. XXXIII. inſignis Concionator extitit. ibidem. & de Franciſcana paupertate ſollicitus. 225. LV. Nuncii Apoſtolici munere a Pontifice decoratus. 290. LXXVI.
Antonius de Mugnano Breve quoddam a ſummo Pontifice recipit. 440. CXLIV. Guardianus Hieroſolymitanus extitit. 277. LII. 438. CXLIII.
Antonius de Neapoli Concionator Apoſtolicus, 27. XV.
Antonius Paternionus pro Clariſſis Monaſterium Catanenſe conſtruit. 44. LV.
Antonius de Puteo-Fidonis Tertii Ordinis. 229. LXVI.
Antonius a ſancta Regina omnium virtutum genere illuſtris. 220. XXXVIII. multis apparitionibus cœlitus donatus. 220. XXXIX.
Antonius de Ripa ſanctitate præclarus. 183. XLIV.
Antonius de Ruſconibus Generalis Miniſter decedit. 34. XXIX. ejus dotes recenſentur. ibidem.
Antonius Sanſeverinus Martanenſium Dux Obſervantes ſummo affectu proſequitur. 154. LIX.
Antonius Saxonus de Neapoli Monaſterium ſanctæ Crucis ejuſdem urbis reſtaurat. 38. XXXIX.
Antonius a ſeptem Caſtris Tertiarius primum Ordinem profitetur. 233. LXXIX. pro fidei confeſſione moritur. 75. IV.
Antonius Stralenſis doctrina & virtute præclarus. 232. LXXVIII.
Antonius Tobiæ Monaſterium Capuanum ædificat. 17. XLVI.
Antonius Vercellenſis provinciæ Mediolani Vicarius Conventum Palantiæ abſolvit. 229. LXVII. Congregationi generali Tuſciæ intereſt. 29. LXVII.
Antuerpiæ Monaſterium. 308. CXVI. & domus Tertii Ordinis. 235. LXXXVIII.
Apitii Conventus. 184. XLVI.
Aquilani facultatem impetrant, ut poſſint Templum ſancti Bernardini conſtruere. 101. XXXVIII. nolunt ſancti Corporis pignus Conventualium Cuſto-

ſtodiæ commendare. 218. XXXIII.
Apollonius de Blanchis Placentinus egregius Concionator. 75. V.
Aragnani Conventus. 483. CCXXX.
Archangelus de Meſſana laicus pietate, & doctrina illuſtris, 114. LXI.
Archangelus Pannoſus hebraici idiomatis peritiſſimus. 66. XX.
Arcis Monſinicæ Conventus. 12. XXIX.
Argentonii Conventus. 485. CCXXXVII.
Ariminenſis Conventus. 68. XXX.
Arnaldus de Queren. Tyberiadis Epiſcopus. 37. XXXVI,
Arnedi Conventus. 484. CCXXXIII.
Arnoldus Epiſcopus Baſileenſis Monaſterium Valentinum reformat. 156. LXVI.
Arthurus Monaſterienſis acta S. Joannis de Capiſtrano recenſet. 418. CXXIV.
Arthurus Richemondiæ Comes & Regum Franciæ Comeſtabularius Inſulæ Portus Albi Dominus. 115. LXVII.
Aſculanus Conventus. 303. XCVII.
Aſinellæ Conventus. 230. LXX.
Aſtorgius Cardinalis hiſtoriam de corpore ſancti Franciſci refert. 25. XI.
Atellæ Domus Tertii Ordinis. 310. CXIX.
Athenſis Conventus. 15. XXXIX.
Auguſtinus Datho canonizationis ſancti Bernardini hiſtoriam refert. 59. IV.
Auguſtinus de Monte Barochio pro Obſervantibus compromiſſarius. 278. LIV.
Auriliani Conventus. 13. XXXIII,
Autouguiæ Conventus. 114. LXII.
Aymericus Epiſcopus Lectorenſis. 182. XLI.

B

BAlmetæ Conventus. 485. CCXXXVI.
Balneoregii Monaſterium. 310. CXXII.
Balthaſſar a Monte ſanctæ Mariæ Guardianus Hieroſolymitanus. 145. XXXIII.
Balthaſſaris cujuſdam Laici corpus incorruptum. 45. LVIII.
Baptiſta Berna Venetus Eccleſiam Conventus ſancti Jacobi de Palude reſtaurat. 302. XCV.
Baptiſta Faventinus Inquiſitor. 300. LXXXIX.
Baptiſta Fulgoſius Robertum Lycienſem laudat. 36. XXXIV. ſecus ſanctum Joannem de Capiſtrano. 369. LI.
Baptiſta de Levanto Provinciæ Orientalis Vicarius. 29. XVIII. & familiæ Ciſmontanæ. 288. LXXI. 113. LVI. Januæ Prominiſter. 171. XXI. Pro Obſervantibus compromiſſarius. 278. LIV. Conventum Levanti acceptat. 39. XLIII.
Barcinonæ Domus Sororum Tertii Ordinis. 187. LXI.
De la Barquera Conventus. 231. LXXV.
Bartholomæus de Caponibus Archiepiſcopus Cambalienſis 9. XXI.
Bartholomæus de Colle Nuncius Apoſtolicus. 290. LXXVI.
BartholomæusCorſicanus Vicarius Corſicæ. 277. LII.
Bartholomæus Florentinus Congregationi generali Tuſciæ intereſt. 29. XVIII.
Bartholomæus de Mineo Canonicus Eccleſiam Minorum ejuſdem loci ædificat. 67. XXVII.
Bartholomæus de Perufio Tertii Inſtituti Viſitator. 46. LX.
Bartholomæus de Porris Procurator & Commiſſarius Curiæ Ciſmontanæ. 277. LII.
Bartholomæus Roverella Archiepiſcopus Ravennæ & Marchiæ Gubernator. 167. XI.
Bartholomæus Senenſis Provinciarum Terræ Sanctæ & Tuſciæ Miniſter. 299. LXXXVI.
Baruli Monaſterium. 334. LXXXV.
Baruthi aquæ luſtralis prodigium. 299. LXXXVII.
Baſilius Genuenſis Hieroſolymitanus Patriarcha. 9. XXI.
Baſilius Tuatenſis Cariſenenſis Archiepiſcopus. 481. CCXXVI.
Bela Hungariæ Rex Conventus Strigonii fundator. 20. V.
Benedictus de Adoaria Epiſcopus Tripolenſis. 112. LV.
Benedictus Cremonenſis ubi tumulatus. 113. LIX.
Benedictus Florentinus Congregationi generali Tuſciæ intereſt. 29. XVIII.
Benedictus a S. Fratello Laicus Aquilæ ſepultus. 105. XLII.
Benedictus de Gavoraccio moritur. 298. LXXXVI.
Benedictus Gualdaſagiarenſis ab Archiepiſcopo Toletano Eremitorium ejuſdem loci dono recipit. 69. XXXIV.
Beneventanus Conventus. 66. XXI. & Monaſterium. 188. LXIV.
Bernardi Navarri mendum corrigitur. 21. II.
Bernardina Sedazaria Monaſterium Corporis Chriſti Ferrariæ ædificat. 155. LXIII.
S. Bernardini Conventus. 185. LII.
Bernardinus Aquilanus Provinciæ ſancti Bernardini Vicarius. 277. LII. acta beati Philippi Aquilani recenſet. 480. CCXXIV.
Bernardinus Feltrenſis naſcitur. 442. CXLVIII.

cxlviii. Ejus pueritia, adoleſcentia, & litteraria ſtudia. 442. cxlix. Dat nomen Minoritis. 442. cl. ejus tyrocinium. 443. cli. & in Religione profectus. ibidem. Presbyteratu initiatur. 443. cli.
Bernardinus de Foſſa aſſentitur, cuſtodiam Corporis ſancti Bernardini Conventualibus commendari. 218. xxxiii. pro Obſervantibus Commiſſarius extitit. 278. liv.
Bernardinus de Neto virtutibus, & prophetia celebris. 114. lxi.
Bernardinus de Peruſio ſanctitate conſpicuus. 193. v.
Bernardinus a Porſena oratione & contemplatione illuſtris. 193. v.
Bernardinus a Procina ſanctitate & miraculis clarus. 183. xliv.
Bernardinus Sanſeverinus Biſſiniani Princeps Conventum Luciorum ædificat. 154. lix.
S. Bernardinus Senenſis Sanctorum Cathalogo aſcribitur. 51. i. Ejus canonizatio a Rege Aragoniæ promovetur. 1. i. & examinantur miracula. 2. ii. 23. vii. Ejuſdem canonizationis Epitomen. 55. iii. Senenſium, omniumque aliorum populorum congratulatio. 59. iv. 61. v. num extra Italiæ limites prædicaverit. 61. vi. ejus diſcipuli, ac prædicationis fructus. 61. vii. aliud ejus inſigne miraculum. 182. xl. mortuum ad vitam revocat. 219. xxxv. Ejus Templo Aquilæ dantur initia. ibidem. Et ad ejus honorem multa eriguntur altaria. ibidem.
Bernardinus Tomitanus V. ſupra *Bernardinus Feltrenſis*.
Bernardus de Armaniaco de Conventu Aurilliani optime meritus. 13. xxxiii. Fratrum Sororumque alia Cœnobia defendit. 15. xl.
Bernardus a Freſneda Philippo II. Hiſpaniarum Regi a ſacris Confeſſionibus. 484. ccxxxiv.
Bernardus Hungarus floret. 443. liii.
Bernardus Lauretus de Conventu Leodii benemeritus. 186. lvii.
Bernardus Montis Albani olim Epiſcopus in Germania Apoſtolicus Nuncius. 65. xvii.
Bernardus Mutinenſis S. Joannis de Capiſtrano in Germanico itinere ſocius. 80. vii.
Bernardus de Neapoli ſimiliter. ibidem.
Bernardus Oppolliæ Dux ejuſdem Urbis Conventus fundator. 303. c. 311. ii.
Bernardus Salernitanus Provinciæ Terræ Laboris Vicarius, doctrina & pietate conſpicuus. 154. lix.
Bernardus Tarlatus Bibiena canonizationem ſollicitat S. Joannis de Capiſtrano. 417. cxix.
Bernonii Conventus. 231. lxxiii.
Bertrandus Redonenſis Epiſcopus, doctrina & prædicatione illuſtris. 41. xlviii.
Beſſario Cardinalis miracula ſancti Bernardini Senenſis perpendit. 23. vii.
Bibliotheca Minorum in Conventu Cœſenæ celebris. 236. xciii.
Biffratenſis Conventus. 153. xlix.
Bithi Conventus. 185. li.
Bivonæ Conventus. 230. lxix.
Bizinii Conventus. 230. lxix.
Blanca Dyoniæ Regina Vidua Tertiaria. 489. iv.
Blanca Maria de Vicecomitibus reformationem cujuſdam Monaſterii ſollicitat. 44. lvi. facultatem obtinet, ut Cremonæ Monaſterium conſtruatur. 310. i.
Blancucia conjux cujuſdam Antonii Tobiæ Monaſterium Capuanum ædificat. 17. xlvi.
Blaſius Ghilinus doctor ſuper cauſam Obſervantum judicium amandatum habet. 267. xliv.
Bleſenſis Conventus. 489. iii.
Boemorum ad Principes Germanos Epiſtola. 122. iv. quædam ſubdole a Calixto III. tentant extorquere. 318. viii. doloſe cum Latinis uniuntur. 125. v. ſeqq.
Bona Franciſca de Abdua pietate commendabilis. 487. ccxliii.
Bonaventura de Fruellis Clericus Eccleſiam ſanctæ Mariæ de Vayrano concedit Fratribus Tertii Ordinis. 17. xlix.
Bonaventura de Mella Roberto Lycienſi reſiſtit. 170. xviii.
Bonaventura a Plantanidis Romanus Procurator. 180. xxxiii. Vicarius Provinciæ Mediolani. 277. lii. & inſignis Concionator. 180. xxxiii.
Bonaventura a Varena acta Hieronymi Hiſpani recenſet. 483. ccxxviii.
Bonfinius narrationem de bello Hungarico refert. 335. xli. ejus mendum corrigitur. 80. viii. 384. lxxxi.
Bononiæ Monaſterium. 234. lxxxv. & Hoſpitale Tertii Ordinis. 235. xci.
Borſius Mutinæ, & Regii Dux de Clariſſis Monaſterio ædificando ſollicitus. 234. lxxxiv.
Bovinenſis Conventus. 302. xcvi.
Boyſletanum Monaſterium. 15. xli.
Birgitta de Tricollis Tertiaria. 235. lxxxvii.
Brugenſe Monaſterium. 308. cxv.

Bucia beati Philippi Aquilani parens. 477. CCXVI.
Bulla. V. *Epiſtola*.
Bulla Concordiæ inter Minores. 423. CXXIX.
Burgi novi Conventus. 66. XX.
Bzovius. V. *Abraham Bzovius*.

C

CAbilonenſis Conventus. 151. XLV.
Cajetæ Conventus. 12. XXX.
Calabazani Monaſterium. 45. LVII.
Calixtus III. ad ſupremum Pontificatum aſſumitur. 245. VIII. vovet Turcarum exitium. 245. VIII. bello parat neceſſaria. 245. IX. ſancto Joanni de Capiſtrano Epiſtolas dirigit. 248. XII. 251. XVI. 256. XX. 334. XL. V. *Epiſtola*. cogitat controverſias inter Obſervantes & Conventuales dirimere. 267. XLIV. 277 LIII. ſancto Jacobo Piceno iſtud committit negotium. ibid. multos pro Eccleſiæ obſequio Minoritas operarios adhibet. 290. LXXVI. ſummopere ſtudet pro extinctione Turcarum. 290. LXXVII. num feſtum Transfigurationis inſtituerit. 378. LXVIII.
Campli Conventus. 11. XXVI. & Monaſterium. 307. CXII.
Canarienſibus Fratribus privilegia conceduntur. 14. XXXVII.
Candiæ Conventus. 233. LXXXIII.
Capitula generalia Florentiæ. 29. XXI. Romæ. 62. X. Perufii. 172. XXV. Bononiæ. 317. XXX.
Capitula generalia Obſervantum Ciſmontanæ Familiæ. 145. XXXIII. Aquilæ. 145. XXXIII. Bononiæ. 287. LXXI.
Capitula generalia Obſervantum Ultramontanæ Familiæ Barcinonæ 108. XLVIII.
Capitula particularia Obſervantum. 10. XXII. ſeq. 28. XVI.
Capuæ Monaſterium. 17. XLVI.
Caramanici Conventus. 11. XXVI.
Carignani Monaſterium. 234. LXXXV.
Carolus Gallorum Rex ſchiſma in Eccleſia cum aliis Principibus deſtruit. 20. I.
Carolus Princeps Caroli VII. Gallorum Regis filius de Monaſterio Corbeyenſi benemeritus. 45. LIX.
Carolus V. Imperator Monaſterium Cubarum magnis muneribus afficit. 47. LXVI.
Carpi Conventus. 38. XXXVIII.
Caſimirus Poloniæ Rex ſanctum Joannem de Capiſtrano accerſit. 97. XXXV. 138. XVIIII. ei Capiſtranus ſiniſtrum belli eventum prædicit. 164. VI. cum Eliſabetha Alberti filia nubit. 164. VII.
Caſſiæ Conventus. 66. XIX.
Caſtilionis Aretini domus Sororum Tertii Ordinis. 72. XLIII.
Caſtri Arquati Conventus. 153. LII.
Caſtri Franci Conventus. 301. XCII.
Caſtri Novi Conventus. 230. LXIX. & domus Sororum Tertii Ordinis. 235. LXXXVII.
Caſtri Odonis Conventus. 41. XLVIII.
Catanenſe Monaſterium. 44. LV.
Catarina Ambroſii Joannis Monaſterii Podii Feſulani fundatrix, 310. CXX.
Catarina de Arenis in Eccleſia Conventus Hieracenſis ſacellum extruit. 48. LXIX.
S. Catarina Bononienſis prima Monaſterii Bononiæ Abbatiſſa. 307. CXI.
Catarina Franciſca Cerina Abbatiſſa Monaſterii Bononienſis. 308. CXIII. 315. XIII.
Catarina Gonzalez pietate floret. 45. LVIII
Catarina de Guevara pia Monialis. 71. XLII.
Catarina Lentia domum Tertii Ordinis Piſtorii fundat. 156. LXVII.
Catarina Manriquia pia Monialis in Monaſterio Zamorenſi elucet. 45. LVIII.
Catarina de Morelinis Monaſterium Sulmonenſe fundat. 156. LXV.
Catarina a ſancto Paulo Monialis manſuetudine, aliisque virtutibus celebris. 72. XLII.
Catarina de Piſtorio una ex fundatricibus Monaſterii Piſtorienſis. 17. XLVII.
Catarina Queveda Monialis prophetiæ dono illuſtris. 45. LVIII.
Catarina de Salazar Clariſſa prudentia, aliiſque virtutibus emicans. 71. XLII.
Catarina Sfortia de Minoritis optime merita. 153. LII.
Celani Conventus. 301. XCIII.
Cellarum Conventus. 233. LXXX.
Chamberiaci Monaſterium. 234. XXXXV.
Chamuſci Monaſterium. 234. LXXXV.
Choræ Conventus. 113. LVIII.
Chriſtophorus Maurus Sacellum in honorem ſancti Bernardini Venetiis ædificat. 219. XXXV.
Chriſtophorus de Modoetia Mediolanenſis Guardianus. 435. CXXXVI.
Chriſtophorus Peruſinus quondam Tertiariorum Miniſter ægre fert Obſervantium Regimini eoſdem Tertiarios commendari. 17. LII.
Chriſtophorus Valerius Parmenſis de domo Tertiariorum ejuſdem Urbis benemeritus. 115. LXIX.

Chriſtophorus de Variſio ſancto Joanni de Capiſtrano in Germanico itinere ſocius. 80. VII.
Cidamonii Conventus. 484. CCXXXIV.
Ciminæ Conventus. 230. LXIX.
Citrarii Conventus. 229. LXVIII.
Cividatis Conventus. 184. XLV.
Civitatis Caſtelli domus Sororum Tertii Ordinis. 18. LII.
Civitatis Regiæ Conventus. 69. XXXV.
Clara Margarita Torniella Religione præclara. 308. CXIII.
Clariſſæ in Italia reformari jubentur. 42. LI. 43. LIII. eis varia conceduntur privilegia. 15. XL. 486. CCLI. & in fine cujuslibet anni. Brixinenſes a Sigiſmundo Auſtriæ Duce vexantur. 111. LI. earum Monaſteria. V. *Monaſteria*.
Claudianopolis Conventus. 489. III.
Claudius Saxius Felicis Sabaudi in Eremo ſocius. 22. III.
Climacus quidam Cœnobio Cobilini initia præbet. 485. CCXXXIX.
Clupſitii Conventus. 185. LI.
Cobilini Conventus. 485. CCXXXIX.
Coletaneis Monaſteriis multa Pontifex indulget. 15. XL. earumque protectorem Comitem Armaniacum inſtituit. ibidem.
Collenſis Conventus. 312. II.
Comitia. V. *Capitula*.
Compluti Conventus. 238. III. 484. CCXXXI.
Concenſe Monaſterium. 71. XLII.
Concordia Novarienſis Monialis virrute celebris. 315. XIII.
Conſeranenſis Conventus. 230. LXXI.
Conſtantienſe Monaſterium. 156. LXVI.
Conſtantinopolitanus Conventus. 113. LVI.
Conventuales Obſervantibus infenſi. 266. XLIII. de modo concordiæ agitur. 273. L.
Conventus Fratrum primi Ordinis. Abagerræ. 229. LXVIII. de Abundo. 114. LXV. Agelli. 67. XXV. Alemariæ. 306. CVIII. Ambergenſis. 232. LXXIX. Anceniſii. 13. XXXII. Anconæ. 12. XXX. Angloni. 113. LIX. Antibarenſis. 184. XLVIII. Antimi. 229. LXVI. Apitii. 184. XLVI. Aragnani. 483. CCXXX. Arcis Monſinicæ. 12. XXIX. Argentonii. 485. CCXXXVII. Ariminenſis. 68. XXX. Arnedi. 484. CCXXXIII. Aſculanus. 303. XCVII. Aſinellæ. 230. LXX. Athen. 15. XXXIX. Aurilliani. 13. XXXIII. Antouguiæ. 114. LXII. Balmetæ. 485. CCXXXVI. de la Barquera. 231. LXXV. Beneventanus. 66. XXI. ſancti Bernardini. 185. LII. Bernoy. 231. LXXIII. Biffratenſis. 153. XLIX. Bithi. 185. LI. Bivonæ. 230. LXIX. Bizinii. 230. LXIX. Bleſenſis. 489. III. Bovinenſis. 302. XCVI. Burginovi. 66. XX. Cabilonenſis. 151. XLV. Cajetæ. 12. XXX. Campli. 11. XXVI. Candiæ. 233. LXXXIII. Caramanici. 11. XXVI. Carpi. 38. XXXVIII. Caſſiæ. 66. XIX. Caſtri Arquati. 153. LII. Caſtri Franci. 301. XCII. Caſtrinovi. 230. LXIX. Caſtri Odonis. 41. XLVIII. Celani. 301. XCIII. Cellarum. 233. LXXX. Choræ. 113. LVIII. Cidamonii. 484. CCXXXIV. Ciminæ. 230. LXIX. Citrarii. 229. LXVIII. Cividatis. 184. XLV. Civitatis Regiæ. 69. XXXV. Claudianopolis. 489. III. Clupſitii. 185. LI. Cobilini. 485. CCXXXIX. Complutenſis, 238. III. 484. CCXXXI. Conſeranenſis. 230. LXXI. Conſtantinopolitanus. 113. LVI. Cornagi. 114. LXIV. Coslenſis. 312. II. Cydonis. 184. XLVII. Cylei. 67. XXIII. Dalmatiæ plures Conventus. 299. LXXXVIII. Delfi. 14. XXXVIII. Dixmudæ. 186. LV. Donionii. 68. XXXIII. Dulendii. 186. LVIII. Elphinenſis. 71. XLI. 187. LIX. ſancti Elpidii. 68. XXXI. 301. XCI. Feltrenſis. 154. LVII. Flaviobrigiæ. 70. XXXVII. Fovearum. 13. XXXVI. Funchalis. 70. XXXVIII. Gemniczii. 303. XCIX. Gnoſſi. 67. XXIV. Gorcomiæ. 233. LXXXI. Gravinæ. 67. XXII. Guadalfagiaræ. 69. XXXIV. Hammonæ. 232. LXXVIII. Hirbuſci. 230. LXX. Hectenſtain. 304. CII. Herlemi. 306. CIX. Hulpſicenſis. 20. V. ſancti Jacobi de Palude. 302. XCV. Jaderenſis. 186. LIV. Inſularum Brittanniæ. 153. L. Inſularum Galliæ. 13. XXXIII. Inſulæ. 153. LI. Inſulæ in Hibernia. 42. L. Iſei ſancti Mauritii. 12. XXVIII. Judemburgenſis reformatur. 305. CVII. Kelhaimi. 233. LXXIX. Leodii. 186. LVI. Levanti. 183. XLII. Lucæ. 105. XLIV. Luciorum. 154. LIX. ſanctæ Mariæ de Oliva. 13. XXXIV. Marniani. 13. XXXV. ſancti Martini. 155. LXII. Maſſilienſis. 115. LXVIII. Mauderoucenſis. 230. LXXII. ſancti Mauri. 230. LXIX. Maydæ. 113. LX. Mediolanenſis Viridarii. 482. CCXXVII. Melfićti. 113. LIX. Metenſis novus. 42. XLIX. Minei. 67. XXVII. Montechii. 66. XIX. Montis Brandoni. 38. XXXVII. Montis Falci. 12. XXX. Montis Franconis. 228. LXV. Montis Rotundi. 12. XXXI. 41. XLVI. 68. XXIX. Montis Scutuli. 68. XXIX. Navareti. 114. LXIII. Navi-Burgi. 155. LI. Neapolitanus ſanctæ Crucis. 38. XXXIX. Neapolitanus ſanctæ Mariæ Novæ. 12. XXX. Netinus. 114. LXI. ſancti Nicolai. 184. XLVI.

Novetzellenſis. 185. LIII. Noviomagii. 305. CVI. 485 CCXXXVIII. Olomutii ſancti Bernardini. 185. LII. Olomutii Conceptionis. ibidem. Opaviæ. 119. V. Oppoliæ. 303. C. 311. II. Palantiæ. 229. LXVII. Palatioli. 40. XLV. de Palude ſancti Jacobi. V. *ſupra ſancti Jacobi*. Pedenacii. 186. LVII. Penichenſis. 155. LXI. Plebis. 153. LIII. Plumbini. 184. XLVI. Pontis veteris. 485. CCXXXV. Portus Albi. 115. LXVII. Rabidæ. 14. XXXVII. Riperii. 154. LVIII. Rozelii. 185. LI. Salenſis. 153. LIV. Sagani. 190. II. Salernitanus. 153. LIV. Saviliani. 182. XLII. Segobienſis S. Antonii. 303. XCVIII. Senalongæ. 39. XLII. ſancti Severi. 183. VLIV. Spalatenſis, 71. XL. Spigni. 184. XLVI. Spoleti. 228. LXIII. Stillenſis. 67. XXVI. Surrenti. 12. XXX. Talernæ. 115. LXVII. Terami. 11. XXVII. Terſathi. 185. XLIX. Thononii. 231. LXXIV. Tonarum. 150. XLIII. Tortureti. 230. LXX. Tragoni. 39. XLIV. Tridentinus translatus. 115. LXVI. Tridentinus alter. 154. LXVI. Trojæ. 39. XL. Tuiſſinenſis. 304. CIV. Tuſcanellæ datus Obſervantibus 113. LIX. Valenſay. 230. LXXI. Varſaviæ. 232. LXXVII. Vercellenſis. 183. XLIII. Veronenſis. 154. LV. Verulanus. 65. XVIII. Vici. 184. XLIV. Viennenſis. 83. XIV. Viſochii. 71. XXXIX. Uratislaviæ. 185. L. Urſuniæ. 11. XXV. Willachi. 233. LXXXII. Yporegiæ. 312. IV. Zechenius. 155. LX. Zutphaniæ. 305. CV.

Conventus Dalmatiæ Vicariatui Boſnenſi adjudicantur. 299. LXXXVIII.

Conventus Fratrum Tertii Ordinis. V. *Domus Fratrum Tertii Ordinis*.

Conventus Monialium. V. *Monaſteria*.

Conventus Muri veteris Aragoniæ Vicario Generali Obſervantum ſubeſt. 14. XXXVII.

Conventus Sororum Tertii Ordinis. V. *Domus Sororum*.

Corbeyenſe Monaſterium. 45. LIX.

Cornagi Conventus. 114. LXIV.

Cornelius Achadenſis Epiſcopus Tertiariis addictus. 235. LXXXIX.

Cornelius Elphinenſis Epiſcopus Fratribus Eccleſiam quamdam Parochialem in eadem Urbe largitur. 187. LIX.

Cornelius Omulalay a Clonfertenſi ad Imelacenſem Eccleſiam transfertur. 10. XXI.

Cornelius Ocunlis ab Imelacenſi ad Clonfertenſem Eccleſiam transfertur. 10. XXI.

Cortonæ domus Sororum Tertii Ordinis. 235. LXXXVII.

Coſmas Mediceus Ordini Minorum addictiſſimus. 28. XVI.

Cubarum domus Sororum Tertii Ordinis. 46. LXV.

Cuir-Villeag domus Fratrum Tertii Ordinis. 235. LXXXIX.

Cydonis Conventus. 184. XLVII.

Cylei Conventus. 67. XXIII.

D

DAlmatiæ Conventus adjudicantur Vicariatui Boſnenſi. 299. LXXXVIII.

Damianitæ. V. *Clariſſæ*

Damianus Patavinus Congregationi generali Tuſciæ intereſt. 29. XVIII.

Daniel Abbas Benedictinus conſtructioni Conventus Saviliani annuit. 183. XLII.

David Caren. ſacræ Theologiæ profeſſor Hiberniæ Miniſter ſubſtituitur. 10. XXIV,

Delphi Conventus. 14. XXXVIII.

Demetrius a Mithylene laicus Conventum Gnoſſii fundat. 67. XXIV.

Deneii Monaſterium. 188. LXIV.

Diatalis de Padua provinciæ ſancti Antonii Miniſter. 276. LI.

Didacus Almanca Epiſcopus Caurienſis facultatem concedit, ut Cœnobium Fovearum extruatur. 14. XXXVI.

S. Didacus Complutenſis Romam petit. 64. XIV. Fratrum Valetudinario in Cœnobio Aracœlitano præficitur. 65. XV. Hiſpaniam revertitur. 65. XVI. Complutum mittitur. 444. CLV. omnibus ibi proficuus. 444. CLVI. Ei ſcientia divinitus infuſa. 445. CLVII. Compluti diem extremum claudit. 483. CCXXXI.

Didacus Bivas Conventum ſancti Martini Provinciæ ſancti Michaelis reformat. 155. LXII.

Didacus Lupi de Amicibay Conventus de Abundo Patronus. 114. LXV.

Didacus Manrique Comes de Trivinio Conventum Navareti Fratribus donat. 114. LXIII.

Didacus a Stunica Compluti moritur. 483. CCXXXI.

Didacus Tellos Minorita Eremitorii Gualdafagiaræ incola. 69. XXXIV.

Dionyſius Cardinalis Archiepiſcopus Strigonienſis ſancto Joanni de Capiſtrano Epiſtolas dirigit. 257. XXII. ſeq. 246. X.

Dixmudæ Conventus. 186. LV.

Dominicus Capranica Cardinalis Roberto Lycienſi propitius. 170. XVIII.

Dominicus Cardinalis Firmanus Protector Ordinis reformationem intentat. 42. LI. in quadam cauſa Obſervantum judex inſtituitur. 171. XXI. Ejuſdem opera apud Pontificem Rex Ladislaus utitur. 249. XIII.
Dominicus de Janua ſanctitate præclarus. 74. IV a moleſta liberatur tentatione. 224. LII.
Dominicus Laurenti Pœnitentiarius, & Sacellanus Pontificius. 301. LXXXIX.
Dominicus Melitenſis Laicus ſanctitatis fama celebris. 114. LXI. 120. VII.
Dominicus de Padua ſanctitate & doctrina illuſtris. 74. IV.
Domitilla Peruſina Monialis virtutes conſpicua. 44. LIV.
Domus Fratrum Tertii Ordinis Atellæ. 310. CXIX. Cordubæ. 46. LXI. Cuirt-Villeag. 235. LXXXIX. Eugubii. 17. LI. Ferrariæ. 17. LII. Hoſpitale Bononienſe. 235. XCI. Hoſpitale Elorentinum. 235. XCI. & 487. CCXLVI. Jaderenſis. 235. XC. Januenſis. 46. LX. Laudenſis. 72. XLIV. Milidenſis. 17. XLVIII. Montis ſancti Jacobi. 17. L. Valderarum. 72. XLV. Vayrani. 17. XLIX.
Domus Sororum Tertii Ordinis Abbatis Villæ. 486. CCXL. Anconæ. 17. LII. Antuerpiæ. 235. LXXXVIII. Barcinonæ. 187. LXI. Caſtilionis Aretini. 72. XLIII. Caſtri novi. 235. LXXXVII. Civitatis Caſtelli. 18. LII. Cortonæ. 235. LXXXVII. Cubarum. 46. LXV. Florentiæ ſancti Hieronymi. 72. XLIII. Florentiæ ſanctæ Claræ. 115. LXIX. Gebennæ ſancti Laurentii. 235. LXXXVII. Interamnæ. 187. LXI. Licienſis. 115. LXIX. Majoris. 46. LXIV. Montis Regalis. 234. LXXXVII. Parmenſis. 115. LXIX. 188. LXII. Peruſii ſancti Antonii. 310. CXXI. Piſtorii. 156. LXVII. Podii Feſulani. 310. CXX. Romæ S. Apolloniæ. 115. LXIX. Romæ ſanctæ Margaritæ. 188. LXIII. Salamanticæ. 47. LXVII. Talbachenſis. 72. XLIII. Trevirenſis. 187. LX. Valdaragii. 234. LXXXVI. Viterbienſis ſanctæ Agnetis. 156. LXVIII. Weſſalienſis. 188. LXII.
Domibus Tertii Ordinis varia conceduntur privilegia. 486. CCXLII.
Donionii Conventus. 68. XXXIII.
Dulendii Conventus. 186. LVIII.
Durandus Sapelli Murianenſis Epiſcopus. 65. XVII.

E

Eleonora Eſtenſis Clariſſa. 155. LXIII.
Eliſabetha Joannis Huniadis Conjux Capiſtranum videre cupit. 260. XXXI.
Eliſabetha de Lindenfels Monaſterii Trevirenſis claves accipit. 187. LX. & Monaſterium Antuerpiæ fundat. 309. CXVI.
Elphinenſis Conventus. 71. XLI. 187. LIX.
S. Elpidii Conventus. 68. XXXI. 301. XCI.
Epiſtola Nicolai V. ſummi Pontificis. Archiepiſcopis Cantuarienſi, Dublinienſi &c. 8. XX. Ejuſdem Vicario Generali Obſervantum. 18. II.
Ejuſdem. Beſſarioni Cardinali. 24. VIII.
Ejuſdem. Franciſco Cardinali Portuenſi, Guillelmo ſancti Martini & Petro ſanctæ Mariæ pariter Cardinalibus. 24. IX.
Ejuſdem. Matthæo de Regio Commiſſario curiæ. 26. XIV.
Ejuſdem. Prælatis Dalmatiæ. 28. XVI.
Ejuſdem. Antonio de Ruſconibus Generali Miniſtro. 29. XX.
Ejuſdem. Pro obedientia Obſervantum Generali Miniſtro. 32. XXVIII.
Ejuſdem. Angelo de Peruſio Vicario Generali. 35. XXXI.
Ejuſdem. Pro canonizatione S. Bernardini. 51. II.
Ejuſdem. S. Joanni de Capiſtrano. 80. VI. 97. XXXIV. 135. XV. 136. XVI. 136. XVII.
Ejuſdem. Civibus Aquilanis. 101. XXXVIII.
Ejuſdem. Willelmo Cardinali S. Martini in Mont. 202. XXXIX.
Ejuſdem. F. Eugenio Somma. 106. XLII.
Ejuſdem. Univerſis Chriſtifidelibus. 117. I.
Ejuſdem. FF. Minoribus in Terris Sarracen. 143. XXIX.
Ejuſdem. F. Joanni de Salmiſauren. 143. XXX.
Ejuſdem. FF. in Capitulo Aquilæ. 145. XXXIV.
Ejuſdem. Marco de Bononia Vicario Generali. 146. XXXVI.
Ejuſdem. F. Jacobo de Mozanica Vicario Generali. 173. XXVI.
Ejuſdem. Pro mutatione Procuratoris Hieroſolymorum. 177. XXXI.
Ejuſdem. Prælatis Regni Siciliæ. 176. XXIX.
Ejuſdem. Pro revocatione præfixi termini Miniſteriatus. 179. XXXII.
Ejuſdem. Nobili viro Malateſtæ Novello de Malateſtis. 236. XCIII.
Ejuſdem. Roberto de Licio. 213. XXIV.

Calixti III. ſummi Pontificis.

S. Joanni de Capiſtrano. 239. II. 240. III.

III. 240. V. 244. VI. 248. XII. 251. XVI. 256. XX. 334. XL. 374. LIX. 374. LX. 375. LXI.
Ejuſdem. Æneæ Sylvio. 240. IV.
Ejuſdem. Cardinali Firmano. 250. XV.
Ejuſdem. Baptiſtæ de Levanto Vicario Generali. 267. XLV.
Ejuſdem. Generali, Provincialibus &c. in Capitulo Aſſiſii. 267. XLVI.
Ejuſdem. Laurentio Panormit. Nuncio Apoſtolico. 324. XX. 325. XXI.
Ejuſdem. Generali, Provincialibus &c. Ordinis Minorum. 268. XLVII.
Ejuſdem. In favorem Conventualium, ne Obſervantes eorum recipiant Cœnobia. 269. XLIX.
Ejuſdem. Antianis Civitatis Bononiæ. 288. LXXIII.
Ejuſdem. Fratribus in Capitulo Bononiæ. 289. LXXIV. LXXV.
Ejuſdem. Guardiano Hieroſolimitano. 291. LXXIX.
Ejuſdem. Fratribus Cracoviæ. 294. LXXXII.
Ejuſdem. Pro ſubjectione Obſervantum Miniſtris. 296. LXXXIV.
Ejuſdem. Pro Conventibus Dalmatiæ. 299. LXXXVIII.
Ejuſdem. Univerſis & ſingulis Chriſtifidelibus. 327. XXIII.
Ejuſdem. Cardinali Aquilenſi, Matthæo de Regio &c. 328. XXIV.
Ejuſdem. Carolo Francorum Regi. 379. LXXI.
Ejuſdem. Conſtantino Regi Ætiopiæ. 420. CXXVIII.
Ejuſdem. Bulla Concordiæ inter Obſervantes & Conventuales. 423. CXXIX.
Ejuſdem. Archiepiſcopo Toletano & Compoſtellano &c. 427. CXXXI. 428. CXXXII.
Ejuſdem. Vicario Vicariorum, vel Cuſtodum Minorum Obſervantum. 436. CXXXVIII.
Ejuſdem. Miniſtro Generali Ordinis. 436. CXXXIX.
Ejuſdem. Antonio de Mugnano Guardiano Montis Sion. 438. CXLIII. 440. CXLIV.

Innocentii VIII. ſummi Pontificis.

Pro translatione Corporis B. Gabrielis Anconitani. 476. CCXIV.

Sancti Joannis de Capiſtrano.

Univerſis Chriſtifidelibus. 89. XX.
Ejuſdem. Joanni Rochizanæ Pſeudoantiſtiti. 93. XXVI.
Ejuſdem. Civibus Aquilanis. 99. XXXVII.
Ejuſdem. Capitulo Barcinonæ. 109. XLIX.
Ejuſdem. Georgio Pogebratio. 121. II.
Ejuſdem. Cardinali Cuſano. 128. XII.
Ejuſdem. Nicolao V. 133. XIV. 203. XIV. 197. VII.
Ejuſdem. Guardiano Norimbergæ. 157. III.
Ejuſdem. Caſimiro Regi. 196. VI.
Ejuſdem. Calixto III. ſummo Pontifici. 246. XI. 249. XIV. 252. XVIII. 254. XIX. 281. LX. 284. LXIV. 285. LXV. 317. VI. 318. IX. 322. XVI. 371. LVII. 372. LVIII.
Ejuſdem. Cardinali ſancti Angeli. 321. XV.
Ejuſdem. Cardinali Firmano. 283. LXI. 316. V.
Ejuſdem. Æneæ Sylvio. 319. X.
Ejuſdem. Regi Angliæ. 210. XXI.
Ejuſdem. Ladislao Regi Boemiæ. 208. XVIII.
Ejuſdem. Philippo Duci Burgundiæ. 205. XV. 206. XVI.
Ejuſdem. Electori Moguntino. 197. VIII.

Caſimiri Regis Poloniæ.

S. Joanni de Capiſtrano. 98. XXXV. 139. XX.

Gregorii XV.

Pro officio ſancti Joannis de Capiſtrano ſub ritu duplici. 417. CXXII.

Sancti Jacobi de Marchia.

Miniſtro Provinciæ ſancti Franciſci. 433. CXXXIV.

Friderici III. Imperatoris.

Jacobo de Mozanica Miniſtro Generali. 306. CVII.
Nicolao V. pro commendatione Regularis Obſervantiæ. 262. XXXVIII.
Ejuſdem. Cardinali Firmano. 264. XXXIX.
Ejuſdem. Cardinali ſancti Angeli. 264. XL.
Ejuſdem. Mag. Henrico Senfleben. 264. LI.

Ladislai Regis Hungariæ.

Pro confirmatione privilegiorum Clariſſarum. 192. IV.

Æneæ Sylvii Epiſcopi Senenſis.

S. Joanni de Capiſtrano. 262. XXXVI. 262. XXXVII. 203. XIII. 202. XII.
Cardinali Firmano. 264. XLII.

Joannis Cardinalis ſancti Angeli.

Joanni de Hunyad. 331. XXXIII.
S. Joanni de Capiſtrano. 261. XXXIV. 320. XIV. 331. XXXII. 332. XXXV. 333. XXVI. 333. XXVII. 334. XXVIII.

Dionyſii Cardinalis Epiſcopi Strigonienſis.

S. Joanni de Capiſtrano. 257. XXII. 257. XXIII.

Nicolai Cardinalis Cuſani.

No-

Nobilibus Boemiæ. 131. XIII.
Ejuſdem. ſancto Joanni de Capiſtrano. 198. IX.
Cardinalis Sbignei.
S. Joanni de Capiſtrano. 138. XIX. 162. I. 194. II. 199. X. 210. XX.
Ludovici Scarampi Cardinalis.
S. Joanni de Capiſtrano. 323. XVIII.
Joannis Columnæ.
S. Joanni de Capiſtrano. 172. XXIII.
Dominici Cardinalis Firmani.
Franciſco de Saxo ferrato. 42. LII.
Joannis de Hunnyad.
Epiſcopo Thuſſinenſi. 286. LXIX.
Ejuſdem. ſancto Joanni de Capiſtrano. 316. III.
Ejuſdem. Ambuteſcio Camerario. 316. IV.
Alphonſi Regis Aragoniæ.
Nicolao III. ſummo Pontifici. I. I.
Joannis Epiſcopi Olomuceuſis.
Suis ſubditis. 161. VI.
Epiſcopi Wratislavienſis.
S. Joanni de Capiſtrano. 165. VIII. 259. XXIX. 259. XXX.
B. Archiepiſcopi Ravennæ Marchiæ Gubernatoris.
S. Jacobo de Marchia. 168. XIV.
Wenceslai Decani Pragenſis.
S. Joanni de Capiſtrano. 319. XII.
Thomæ Legati Apoſtolici in Boſna.
S. Joanni de Capiſtrano. 111. LIII.
Rochizanæ Pſeudoantiſtitis.
S. Joanni de Capiſtrano. 91. XXIV. 93. XXV.
Boemorum.
Principibus Germaniæ. 122. IV.
Antonii de Ruſconibus Generalis Miniſtri.
S. Joanni de Capiſtrano. 30. XXVII.
Generalis Miniſtri.
Guardianis Mediolanenſi & Papienſi. 435. CXXXVII.
Marci de Bononia Vicarii Generalis.
S. Joanni de Capiſtrano. 147. XXXVIII.
Ejuſdem. Gabrieli de Verona. 148. XXXIX.
Ejuſdem. S. Jacobo de Marchia. 149. XLII. 167. XII. 168. XIII. 167. XIV.
Ejuſdem. Regi Boſnæ. 169. XVII.
Ejuſdem. Jacobo de Mozanica. 174. XXVII.
Ejuſdem. Vicariis Italiæ. 177. XXX.
Ejuſdem. Civibus Aquilanis. 180. XXXIV.
Ejuſdem. Roberto Licienſi. 180. XXXVI.
Jacobi de Mazonica Generalis.
Fratribus per Raſciam conſtitutis. 215. XVII.
S. Joanni de Capiſtrano. 175. XXVIII.
Ejuſdem. Baptiſtæ de Levanto. 437. CXLII.
Ejuſdem. Vice Vicario & Fratribus Boſnæ. 214. XXV.
Baptiſtæ de Levanto Vicarii Generalis.
Miniſtris Provincialibus. 432. XXXIII.
Ejuſdem. Jacobo de Mozanica. 436. CXI.
Raphaelis Hercxegh Archiep. Colocenſis.
S. Joanni de Capiſtrano. 329. XXVI. 330. XXVII.
E. V. P. Epiſcopi Aſſiſis.
S. Joanni de Capiſtrano. 330. XXVIII. 330. XXIX.
Petri Epiſcopi Canadienſis.
S. Joanni de Capiſtrano. 258. XXVI. XXVII.
Ladislai Epiſcopi Agrienſis.
S. Joanni de Capiſtrano. 257. XXIV. 258. XXV.
Magiſtratus & Caſtellanorum Caſtri de Sachlas.
S. Joanni de Capiſtrano. 330. XXX.
Civium Wratislaviæ.
S. Joanni de Capiſtrano. 209. XIX.
Judicis, & duodecim Juratorum de Lippa.
S. Joanni de Capiſtrano. 260. XXXII.
Georgii Piedebratii.
S. Joanni de Capiſtrano. 166. X.
Leonelli Comitis Celani.
S. Joanni de Capiſtrano. 302. XCIV.
Bernardi Oppoliæ Ducis.
S. Joanni de Capiſtrano. 304. CI.
Ulrici Ciliæ Ortemburgæ &c.
S. Joanni de Capiſtrano. 304. CIII.
Bartholomæi Tertiariorum Miniſtri.
S. Joanni de Capiſtrano. 309. CXVIII.
Civium Aſculanorum.
S. Jacobo de Marchia. 169. XV.
Joannis de Taliacotio.
S. Jacobo de Marchia. 340. XLII. 384. LXXXI.
Nicolai de Phara,
Vicario, & Fratribus Provinciæ Tuſciæ. 84. XV.
Erardus de Marca Epiſcopus Leodienſis Eccleſiam Conventus ejuſdem Urbis conſecrat. 186. LVI.
Eugenius Centelles Cœnobium Guliſani ædificat. 114. LX.
Eugubii ſancti Donati Monaſterium. 156. LXIV. & domus Fratrum Tertii Ordinis. 17. LI.

F

FAbianus de Igal Provinciæ Hungariæ Miniſter. 155. LX.
Fabritius Parvulus egregius Concionator ubi floruit. 154. CIX.

Felix Beſſutia pœnitentia inſignis. 487. CCXLIII.
Felix Peruſina Monialis piiſſima Chriſtum conſolatorem habere meretur. 44. LIV.
Felix Pſeudopontifex. V. *Amadeus Sabaudus*.
Feltrenſis Conventus. 154. LVII.
Ferrariæ Corporis Chriſti Monaſterium. 155. LXIII. & domus Tertii Ordinis, 17. LII.
Fininus Roſſenſis Dominus Conventus Inſulæ in Hibernia fundator. 42. L.
Flaviobrigæ Conventus. 70. XXXVII.
Florentiæ ſanctæ Claræ Monaſterium. 115. LXIX.
Florentiæ domus Sororum Tertii Ordinis. 72. XLIII.
Fodereus corrigitur. 150. XLIII.
Fortunius de Abundo Provinciæ Caſtellæ Vicarius. 114. LXV.
Fovearum Conventus. 13. XXXVI.
Franciſca de Guevara Monialis caritate inſignis. 72. XLII.
Franciſcus de Albarado, & Velaſco in Conventu Cidamonii tumulatus. 485. CCXXXIV.
Franciſcus de Arimino provinciæ Bononiæ Miniſter. 276. LI.
Franciſcus de Barga virtute præclarus. 106. XLV.
Franciſcus Boldu Conventum ſancti Jacobi de Palude accipit. 302. XCV.
Franciſcus de Carbonibus in urbe Genuenſi Apoſtolicus Nuncius. 324. XIX.
Franciſcus de Carreto ex Marchionibus Saonæ domos quaſdam Minoritis largitur. 184. XLVI.
Franciſcus alius de Carreto Minorita Theologiæ Magiſter. ibidem.
Franciſcus de Caſtilla Conventum Ciminenſem ædificat. 230. LXIX.
Franciſcus a Caſtronibus Vicarius provinciæ Marchiæ. 277. LII.
Franciſcus a Codonio laicus omnium virtutum genere ornatiſſimus. 184. XLIV.
Franciſcus Condolmerius Cardinalis, & Epiſcopus Veronenſis Conventus Veronæ primum lapidem ponit. 154. LV.
Franciſcus Dahy hæreticis valde infenſus. 151. XLIV.
Franciſcus Dandulus Venetus ſancti Joannis de Capiſtrano amicus de Canonizatione ſancti Bernardini lætatur. 67. XXIII.
Franciſcus Eugubinus Ordinis Procurator. 67. XXVII. cauſam Guillelmi Orellay Romæ promovet. 11. XXIV.
Franciſcus Ferrarienſis Epiſcopus ſanctæ Claræ Regulam Monaſterio Ferrarienſi tradit. 155. LXIII.
Franciſcus Foſcarus Venetorum Dux varia privilegia pro Monaſterio de Muriano a Pontifice impetrat. 18. LIII.
Franciſcus Gilabertus Conventus Olivæ fundator. 13. XXXIV.
Franciſcus Gonzaga Compluti obit. 484. CCXXXI. ejus mendum corrigitur. 184. XLV.
Franciſcus de Martorano Cuſtos Calabriæ. 154. LIX.
Franciſcus Papienſis ſanctitate celeberrimus. 31. XXV. in ſeculo miles & nobilis. 221. XL. mirabili viſione convertitur. 221. XLI. ei ſanctiſſima Trinitas apparet. 221. XLII. dat nomen Minoritis. 221. XLIII. ei Beſtiæ obtemperant. 222. XLIV. Lupum rapacem cicurat. 222. XLIV. humilitate inſignis. 222. XLV. & paupertatis amator. 222. XLVI. pœnitentia celebris. 223. XLVI. & orationi aſſiduus. 223. XLVII. ei Satan inſidias ſtruit. 223. XLVIII. quas Dei adjutorio vincit. 223. XLVIII. animam cujuſdam Minoritæ a pœnis liberat. 223. XLIX. rigide inanes abigit cogitationes. 224. L. prævidet & mitigat Fratrum diſſenſiones. 224. LI. conſodalem a moleſta liberat tentatione. 224. LII. alterum mirifice conſolatur. 224. LII. multa prophetico ſpiritu prædicit. 224. LIII. Canonizationi ſancti Bernardini incumbit. 51. I. quando mortuus. 220. XL.
Franciſcus de Pizzulo cuſtodiam corporis ſancti Bernardini Conventualibus commendari aſſentitur. 218. XXXIII.
Franciſcus de Rieux Conventum Anceniſii conſtruit. 13. XXXII.
Franciſcus de Saona inde Sixtus IV. cum Antonio de Ruſconibus Miniſtro Generali ſimultates habet. 34. XXIX.
Franciſcus a Saxoferrato Clariſſarum reformator. 42. LI.
Franciſcus Sicarra Conventum Agelli. ædificat. 67. XXV.
Franciſcus Sfortia Dux Mediolani præficitur. 48. I.
Franciſcus de Tarento provinciæ Apuliæ Miniſter. 276. LI.
Franciſcus Ticinenſis. V. *Franciſcus de Papia*.
Franciſcus a Turri vir pius Compluti moritur. 483. CCXXXI.
Franciſcus de Viterbio Nuncius Apoſtolicus. 324. XIX.
Franconus quidam vir pius Conventus Zechenii fundator. 154. LX.
Fratricelli ab Italia pœnitus extirpati. 25. X.

Fridericus Brunſvicenſis Dux, ut Cœnobium Novetzellenſe conſtruat paratus. 185. LIII. illud Cellarum ædificat. 233. LXXX.
Fridericus a Greiffenklaro dat nomen Minoritis. 441. CXLV.
Fridericus III. Imperator honorifice Capiſtranum excipit. 81. XI. ei facultatem largitur, ut pro ſuis Viennæ extruat domicilium. 83. XIV. eumque in Germaniam vocat. 64. XIII. 78. I. Minoritas in ſua ditione alere cupit. 305. CVII. ſchiſma in Eccleſia cum aliis Principibus deſtruit. 20. I.
Fridericus Ulmius Conventum ſancti Nicolai Venetiarum plurimum illuſtrat. 184. XLVI.
Fructuoſus de Cuelar prudentia, & Religione præclarus. 234. LXXXV.
Fulgoſius ſanctum Joannem de Capiſtrano nimis laxo calamo criminatur. 369. LI. ejus impietas redarguitur. 370. LIV.
Funchalii Conventus. 70. XXXVIII.

G

B. GAbriel Anconitanus humilitate, & ſanguine illuſtris. 473. CCVI. ejus virtutes & miracula. 474. CCVIII. ſpiritu prophetico Avarum prædicit periturum. 474. CCVII. obit in Domino. 475. CCX. prodigiis nunc uſque coruſcat. 475. CCX. ejus corpus transfertur. 476. CCXIII. Breve translationis recenſetur. 476. CCXIV. de ejus canonizatione olim actum fuiſſe quidam affirmant. 477. CCXIV. quomodo depingatur. 477. CCXV.
Gabriel de Mezzavacchis Vicarius Provinciæ Bononiæ. 277. LII.
Gabriel Veronenſis Auſtriæ & Boemiæ Vicarius. 277. LII. Roberto Lycienſi reſiſtit. 170. XVIII. ſancti Joannis de Capiſtrano ſocius extitit. 287. LXXI.
Galaſſius de Neapoli provinciæ Terræ laboris Miniſter. 276. LI.
Galaſſus de Piis Conventus Carpi fundator. 38. XXXVIII.
Galterius de Marchia Tertiarius virtutibus celebris. 75. IV.
Gandulphus de Agrigento provinciæ Siciliæ Vicarius. 29. XVIII.
Gargias de Gabanielis Cœnobium Trojæ ædificat. 39. XL.
Gaſco Comes Fuxi & Bigorræ Conventum Conſerranenſem conſtruere cogitat. 230. LXXI.
Gaſpar de Caſtagneto de domo Sororum Tertii Ordinis Parmenſi valde meritus. 115. LXIX.
Gaſpar Florentinus Congregationi generali Tuſciæ intereſt. 29. XVIII.
Gaſpar Venetus Vicarius Dalmatiæ. 377. LII.
B. Gaſparinus ubi tumulatus. 113. LIX.
Gebennenſis domus Sororum Tertii Ordinis. 235. LXXXVII.
Gemniczii Conventus. 303. XCIX.
Generales Miniſtri. V. *Miniſtri Generales*.
Georgius de Carpo Epiſcopus Sebaſtenſis. 481. CCXXVI.
Georgius Podiebracius Pragenſis Gubernator ſancto Joanni de Capiſtrano reſiſtit. 88. XVII. 121. I. ſeqq. 208. XVII. eidem ſancto Viro litteras mittit. 95. XXX. & quibuſdam Principibus. 122. IV. V. *Epiſtola*.
Georgius Raſciæ Deſpotus ſancto Joanni de Capiſtrano ſcribit. 246. X.
Georgius Scanderbegh ſimiliter. 323. XVII.
Gerardus provinciæ Siciliæ Miniſter. 67. XXVII.
Gerardus de Marchia Conventus Hammonæ fundator. 232. LXXVIII.
Gilbertus Centelles Conventum Culiſani extruit. 114. LX.
Gilbertus Walſch ſubſtituitur Miniſter Hiberniæ. 10. XXIV.
Giraldus de Torquetis ſacellum ſancto Bernardino ſacrum Pinaroli erigit. 219. XXXV.
Gnoſſi Conventus. 67. XXIV.
Gondiſalvus a Corduba Monaſterium Cubarum magnis muneribus afficit. 47. LXVI.
Gorcomiæ Conventus. 233. LXXXI.
Ad Gratas ferratas ſancti Salvatoris Monaſterium. 234. LXXXV.
Gratia Dei myſteriosa Rota deſignatur. 32. XXVI.
Gravinæ Conventus. 67. XXII.
Gregorius Papienſis pietate & humilitate celebris. 74. IV.
Gregorius Peruſinus beati Franciſci Papienſis diſcipulus. 227. LX.
Gualdafagiaræ Conventus. 69. XXXIV.
Gualterus de Polena Catanenſis Antiſtes Cœnobium Catanenſe extruxiſſe refertur. 44. LV.
Guicharda Marcelangia ſolum pro Conventu Donionii ædificando largitur. 69. XXXIII.
Guerinus Magiſter inſignis Eccleſiaſtes. 184. XLVI.
Guido de Calviniaco Conventum Argentonii extruit. 485. CCXXXVII.
Guido Carmelita Epiſcopus Tyberiadis Eccleſiam Conventus Tonarum extruit. 150. XLIII.

Guillelmus Cardinalis ſancti Martini miracula ſancti Bernardini Senenſis examinat. 23. VII.
Guillelmus de Eſtoutevilla Cardinalis judicio in cauſa Obſervantum præeſt. 171. XXI.
Guillelmus Hugonis Cardinalis de Stagno ſimiliter. ibidem.
Guillelmus Iragillich Regularem Obſervantiam in Provincia Tuamenſi propagare ſatagit. 71. XLI. Miniſter Hiberniæ ab officio deponitur. 10. XXIV.
Guillelmus Sagonenſis Epiſcopus ſacellum quoddam Monaſterii de Vedàno conſecrat. 16. XLIV. ſimiliter Eccleſiam de Jeſu Mediolani. 487. CCXLIII.
Guillelmus Sanlupius Tonarum Dominus ædificandi Cœnobium ejuſdem oppidi impetrat facultatem. 150. XLIII.

H

HÆbrei a ſancto Joanne de Capiſtrano profligati. 142. XXVI.
Hæretici Minoritas Fratres abhorrent. 112. LIII. Cardinalem Cuſanum adverſus ſanctum Joannem de Capiſtrano concitant. 128. XI. qui ingenti miraculo eorum avertit ludibrium. 142. XXV. V. *Fratricelli*.
Hammonæ Conventus. 232. LXXVIII.
Harbuſci Conventus. 230. LXX.
Hectenſtain Conventus. 304. CII.
Henricus Rex Angliæ Guillelmum Orellay apud Pontificem infidelitatis accuſat. 10. XXIV. ſchiſma in Eccleſia cum aliis Principibus deſtruit. 20. I.
Henricus de Berca pietate, & doctrina inſignis. 232. LXXVIII.
Henricus Bernimk ſimiliter. ibidem.
Henricus Cardinalis ſancti Clementis Monaſterium de Vedano in duas dividit partes. 15. XLII.
Henricus I. Caſtellæ Rex donationem & conceſſionem domus Milidenſis Fratribns Tertii Ordinis factam approbat. 17. XLVIII. valde extitit Minoritis addictus. 303. XCVIII.
Henricus Columberius Felicis Sabaudi in Eremo ſocius. 22. III.
Henricus Dux Viſenſis Conventum Marnani condere facultatem poſtulat 13. XXXV.
Henricus Infans Portugalliæ Indiæ navigationi incumbit. 70. XXXVIII.
Henricus Regius in Monaſterio Trevirenſi tumulatus. 187. LX.
Henricus Ribergerſte Epiſcopus Verdenſis. 481. CCXXVI.
Henricus Snyderman Mercator Alemannus domum Tertii Inſtituti Antuerpiæ emit. 235. LXXXVIII.
Henricus Zutphaniæ provinciæ Coloniæ Miniſter vir celebris. 305. CV.
Herculanus de Piagale ubi natus. 105. XLIII. paſſioni Chriſti devotus. ibid. Lucæ urbem obſeſſam in ſpem bonam erexit. 105. XLIV. ejus intuitu Lucenſes plura domicilia Minoritis aſſignant. 106. XLIV. multos etiam ad Ordinem vocat. 106. XLV. ejus pœnitentia. ibidem. quando mortuus. 105. XLIII.
Herlemi Conventus. 306. CIX.
Hieronyma de Carcano Monialis virtute conſpicua. 16. XLIII.
Hieronymus Albonenſis Theologiæ Regens. 144. XXXI.
Hieronymus de Agrigento provinciæ Siciliæ Commiſſarius Congregationi generali Tuſciæ intereſt. 29. XVIII.
Hieronymus Columna Cardinalis in Conventu Palatiolæ tumulatus. 40. XLV.
Hieronymus Hiſpanus ſanctitate & prodigiis illuſtris. 482. CCXXVIII.
Hieronymus Homotus Vicarius Genuenſis de Conventu Salenſi benemeritus. 153. LIV.
Hieronymus Januenſis provinciæ Genuæ Vicarius. 277. LII.
Hieronymus Mediolanenſis ſancto Joanni de Capiſtrano in Germanico itinere ſocius. 80. VII. & Conventus Viennenſis Vicarius. 83. XIV.
Hieronymus Perufinus Tiro indiſcretam pœnitentiam agit. 225. LVI.
Hieronymus Romanus corrigitur. 21. II.
Hieronymus Stupha Congregationi generali Tuſciæ intereſt. 29. XVIII.
Honuphrius Antonius de Mondaino Tertiariorum Miniſter. 17. LI.
Honuphrius Senenſis ſancti Bernardini ſocius moritur. 2. III.
Hoſpitale Bononienſe. 235. XCI.
Hoſpitale Florentinum. 235. XCI. & 487. CCXLVI.
Hulpſicenſis Conventus. 20. V.
Huſſitæ. V. *Hæretici*.

I

JAcoba Chilſutii Tertiaria Eugubina. 17. LI.
Jacoba de Chivatis prima Monaſterii de Vedano Abbatiſſa. 16. XLII.
Jacobellus Miſnenſis Boemorum hæreſis auctor. 127. IX.
S. Jacobi de Palude Conventus. 302. XCV.

Jacobus Aſculanus Inquiſitor. 300. LXXXIX.
Jacobus de Cartiraga provinciæ Lombardiæ Miniſter. 72. XLIV.
Jacobus de Corneto Vicarius provinciæ Orientalis. 277. LII.
Jacobus de Dozello Congregationi generali Tuſciæ intereſt. 29. XVIII.
Jacobus de Forolivio Commiſſarius pro Conventu Conſtantinopolitano. 113. LVI.
Jacobus Glogonienſis provinciæ Boemiæ Vicarius. 303. XCIX. Cœnobium Wratislaviæ abſolvit. 185. L.
Jacobus Laquedonenſis Epiſcopus hiſtoriam de corpore ſancti Franciſci narrat. 25. XI.
Jacobus Laureti Conventum Pedenacii abſolvit. 186. LVII.
S. Jacobus de Marchia contra Fratricellos Inquiſitor inſtituitur. 25. X. & Vicarius Marchiæ. 26. XII. atque Apoſtolicus Nuncius. 324. XIX. Congregationi generali Tuſciæ intereſt. 29. XVIII. proficiſcitur in Dalmatiam. 149. XLI. commendatur. 149. XLII. ægrotus in Italia hæret. 167. XI. variorum ad eum epiſtolæ, ejuſque ad varios. V. *Epiſtola*. Aſculi Verbum Divinum diſſeminat. 217. XXIX. & Fabriani. 441. CXLVI. negotium concordiæ inter Obſervantes & Conventuales ei a Papa committitur. 277. LIII. pro quo plures exarat articulos. 278. LV. de hoc Baptiſta de Levanto conqueritur. 281. LVIII.
Jacobus a Montella pietatis operibus intentus. 489. IV.
Jacobus a Mozanica Vicarius Generalis Ordinis eligitur. 173. XXV. ei ſcribit Pontifex. 173. XXVI. & Marcus de Bononia. 174 XXVII. S. Joanni de Capiſtrano ipſe epiſtolas dirigit. 175. XXVIII. indicit Comitia Bononiæ. 217. XXX. ejus dotes. ibidem. Miniſter Generalis renunciatur. 217. XXX. Roberto Lycienſi favet. 170. XVIII. animoſius ceteris coram Pontifice loquitur. 171. XXI.
Jacobus Oddo Peruſinus acta beati Franciſci Papienſis ſcribit. 228. LXIII.
Jacobus Philippus Bergomenſis Robertum de Lycio commendat. 36. XXXIII.
S. Jacobus Picenus. V. *S. Jacob. de Marchia.*
Jacobus Primaditius Vicarius Generalis Obſervantum Congregationem Generalem Tuſciæ celebrat. 28. XVI. pro iiſdem Compromiſſarius inſtituitur. 278. LIV. olim Vicarius Generalis Ordinis. 277. LII.
Jacobus Reatinus egregius Concionator. 180. XXXIII.
Jacobus de Sarzuela quaſdam a Pontifice contra Obſervantes impetrat Epiſtolas 269. XLVIII.
Jacobus de Urſinis Conventus Montis Rotundi promovet ædificium. 12. XXXI. 41. XLVI.
Jaderenſis Conventus. 186. LIV. & domus Fartrum Tertii Ordinis. 235. XC.
Januenſis domus Fratrum Tertii Ordinis. 46. LX.
Jeſu nomen tremendum Dæmonibus. 409. CI.
Innocentius Carpenſis pietate illuſtris. 301. LXXXIX.
Inſula Lignorum quando detecta. 70. XXXVIII.
Inſularum Brittanniæ Conventus. 153. L.
Inſularum Galliæ Conventus. 13. XXXIII.
Inſulæ Conventus. 153. LI.
Inſulæ in Hibernia Conventus. 42. L.
Interamnæ domus Sororum Tertii Ordinis. 187. LXI.
Joachimus ab Arnheim in Monaſterio Trevirenſi tumulatus. 187. LX.
Joanna Baptiſta Mediolanenſis pietate commendabilis. 487. CCXLIII.
B. Joanna a Cruce Clariſſas Cubarum quarto voto obſtringi ſollicitat. 47. LXVI.
Joanna de Guevara prima Abbatiſſa Monaſterii Concenſis virtutibus excellens. 71. XLII.
Joanna de Henricuria Conventum Aucenſii extruit. 13. XXXII.
Joanna de Lambertinis Monaſterii Bononienſis Vicaria. 307. CXI.
Joanna Maria Cavanaga in Monaſterio de Jeſu Mediolani iterato Abbatiſſa. 487. CCXLIII.
Joanna Vagnanelli Eugubina Tertii Ordinis. 17. LI.
Joannes Almericenſis Epiſcopus. 49. III.
Joannes Antonii Palgiarici Pœnitentiarius & Sacellanus Pontificius. 301. LXXXIX.
Joannes Aragonius Compluti moritur. 483. CCXXXI.
Joannes Auſtriacus ſancto Joanni de Capiſtrano in Germanico itinere ſocius. 80. VII.
Joannes Baptiſta de Prato Miniſter Tuſciæ. 171. XXI.
Joannes Baptiſta Taluna Aſtrologus celebris in Conventu Minei tumulatus. 67. XXVII.
Joannes de Bezth Guardianus Cœnobii de Thuis ſancto Joanni de Capiſtrano ſcribit. 287. LXX.
Joannes Bilitonius Canonicus Leodienſis Conventum Leodii ut conſtrui poſ-

ſit, impetrat facultatem. 186. LVI.
Joannes la Biſche Dioſpolitanus Epiſcopus. 112. LV. 118. III.
Joannes Beretinius hæreticus ſanctum Joannem de Capiſtrano criminatur. 94. XXVIII.
Joannes Brugman Coloniæ Miniſter ſpiritu prophetico præditus. 305. CV. ubi tumulatus. 305. CVI.
Joannes de Camplo ſancto Joanni de Capiſtrano in Germanico itinere ſocius. 80. VII.
Joannes Cantuellus Decanus Caſſelenſis cauſam Guillelmi Orellay judicat. 10. XXIV.
Joannes de Capha Pſeudoepiſcopus in Valachia populos ſubvertit. 315. I.
S. Joannes de Capiſtrano quarto contra Fratricellos inquirit. 25. X. Canonizationem ſancti Bernardini promovet. 11. XXV. iterato Vicarius Generalis eligitur. 28. XVI. Pontifex eum Generali Miniſtro commendat. 29. XIX. ejuſque confirmatur electio. 30. XXIII. ut viginti Conventus admittere poſſit facultatem impetrat. 41. XLVII. Animam beati Alberti de Sartiano ad Cœlos aſcendere intuetur. 64. XII. Romæ hæbreos convincit & convertit. 64. XIII. pleraque egregie in Italia præſtat. ibidem. mittitur in Germaniam. 78. I. ejus iter a magno ſplendore initiatur. 79. II. concionatur in Agro Brixienſi. 79. III. in ipſa urbe Brixiæ. 79. IV. & Venetiis. 79. V. Inſubres, & Liguri eum ſibi mitti poſtulant. ibid. litteræ Pontificis de hac re. 80. VI. Pergit in Germaniam cum duodecim ſociis. 80. VII. ab Imperatore, Rege & Principibus exceptus. 81. XI. divinitus monitus pergit in Boemiam. 82. XII. prius abit Viennam. ibidem. ubi extruit ſuorum domicilium. 83. XIV. & multos Fratres ad Ordinem recipit. Ibi cum ingenti populorum concurſu verbum Dei diſſeminat. ibidem. honorifice ſuſceptus etiam in aliis Germaniæ partibus. 84. XV. qualiter ibi vitam duceret. 87. XVI. nequit Boemiam pervenire. 88. XVII. abit Olmutium. ibidem. multos reducit ab Huſſitarum erroribus. 88. XVIII. inter quos Moraviæ Camerarium. ibidem. formula qua utebatur in hæreticos reconciliando. 89. XX. eorumdem hæreticorum inſaniæ, & ſpecies recenſentur. 90. XXII. Rochizana ei mittit Epiſtolas. 91. XXIV. 92. XXV. quibus reſpondet. 93. XXVI. cum eo Rochizana agit doloſe. 94. XXVII. eumque criminantur hæretici. 94. XXVIII. ejus apologetica epiſtola. 95. XXXI. Pontifex ejus doctrinam commendat, & acta. 97. XXXIV. cum in ſua Ditione Rex Poloniæ vocat. 97. XXXV. ſui Ordinis, ſanctique Bernardini honorem Aquilanis commendat. 99. XXXVI. ad Capitulares Barcinonæ ſcribit. 109. XLIX. ei Vicariæ Boſnenſis commendatur cura. 111. LII. fraudes Rochizanæ detegit. 121. I. Podiebracium ſui muneris monet. ibidem. ejus ad illum litteræ. 121. II. convitia pro reſponſo recipit. 121. III. in eum Boemi ab eodem Rochizana concitati. 122. III. & Cardinalis Cuſanus ab aliis hæreticis. 128. XI. apud eumdem Cardinalem ſe defendit. 128. XII. & apud ſummum Pontificem. 132. XIV. idem Pontifex reſcribit, eique multa indulget. 135. XV. Prædicatorem in Moldaviam mittit. 138. XVIII. a Rege & Cardinali Cracoviæ in Poloniam vocatur. ibidem. eorum litteræ. 138. XIX. ſeqq. præcipuas Germaniæ urbes ſua doctrina illuſtrat. 140. XXI. ſexaginta viros doctos ſimul ad Ordinem recipit. 141. XXIII. multoſque alios non inferioris notæ. 184. IV. Uratislaviæ ingenti fructu prædicat. 142. XXV. hæreticorum avertit ludibrium. ibidem. hæbreos Chriſtianæ fidei inſultantes punit. 142. XXVI. Honorifice Cracoviæ excipitur. 163. II. fructuoſe ibidem prædicat. 163. III. Regis nuptiis præeſt & benedicit. 164. VII. Epiſcopus Uratislaviæ cum eo de rebus fidei agit. 165. VIII. denuo tentat in Pragam penetrare. 166. IX. vocatur ab Amicis Romam. 172. XXII. renuit tamen venire. 172. XXIV. Paulum Pragenſem comprehendit. 194. I. Cracovia in Boemiam revertitur. 195. III. Regi Polono bellum contra Cruciferos diſſuadet. 195. V. ſcribit ad Regem. 196. VI. ad Pontificem. 197. VII. ad Archiepiſcopum Moguntinum. 197. VIII. ad eum ſcribit Cardinalis Cuſanus. 198. IX. Cardinalis Sbigneus. 199. X. & Æneas Sylvius. 202. XII. 203. XIII. ſcribit iterum ad Pontificem. 203. XIV. & Duci Burgundiæ. 205. XV. ſeqq. cum Ladislao Rege agit, ut Pragam poſſit ire. 208. XVII. 208. XVIII. Multi Principes eum ut ad ſe accederet per Epiſtolas rogant. 210. XX. ſeq. pro regulari Obſervantia ſtrenue laborat. 212. XXIII. in nova Provincia Auſtriæ Comitia celebrat. 218. XXXII. Templum ſancti Bernardini urget extruere. 218. XXXIV. ad Conventum novæ Civitatis vocatur. 239. I. Ejus ad Sylvium Epiſtola. V. *Epiſtola*.

la. ad dietam accedit. 244. VII. vocatur in Hungariam. 245. IX. Novo Pontifici gratulatur. 246. XI. pergit in Hungariam. 249. XIII. priſtinæ poteſtatis confirmationem a Calixto petit & impetrat. ibidem. monet eum actorum in conſenſu Principum. 252. XVII. commendatur. 255. XIX. ab omnibus deſideratur. 256. XXI. & præcipue, ſed incaſſum ab Hunyadis uxore. 260. XXXI. multos convertit Walachos Schyſmaticos. ibidem. Cardinalis Legatus eum Budam vocat. 261. XXXIII. reſtitui Bullam Eugenianam ſollicitat. 261. XXXV. Eum Amici cupiunt Vicarium Generalem. 287. LXXI. & Romam vocant. 281. LIX. ſcribit iterum Pontifici. 281. LX. Cardinali Firmano. 283. LXI. myſterioſæ ejus viſiones. 284. LXIII. 285. LXVI. cum aliis a Pontifice deſignatur Cruciatam prædicare. 289. LXXVI. Cracovienſes ad pietatem excitat. 294. LXXXII. ubique ingenti fructu prædicat. 315. I. e Moldavia Schiſmaticos ejicit. ibidem. eorum comprehendit reducitque ſeductorem. 316. I. Magna operatur contra Turcas. 320. XIII. e manu Legati Crucem ſuſcipit. 322. XVI. iterum Pontifici Epiſtolas dirigit. 322. XVI. indefeſſus in verbi Dei diſſeminatione. 323. XVII. a multis expetitur, & vocatur. 329. XXXV. vocatur Viennam. 331. XXXII. jubetur Comiti Biſtricenſi aſſiſtere. 331. XXXIII. in hoſtem proficiſcitur. 334. XXXIX. a ſolertia Pontifex eum in negotio fidei commendat. 334. XL. ejus geſta in bello Hungarico. 362. XLIII. aliqui eum calumniantur. 368. L. ſeqq. a calumniis defenditur. 371. LVI. ejus ad Pontificem iteratæ Epiſtolæ, & ad alios. V. *Epiſtola*. Victoriam cœlitus ejus precibus apud Belgradum Chriſtiani de Turcis reportant. 377. LXVI. diem claudit extremum. 381. LXXII. ejus mortis relatio. 384. LXXXI. ſeqq. 403. XCI. quo ætatis anno deceſſit. 405. XCIII. quid de ejus Corpore. 413. CXI. ſeq. 414. CXIII. pluries de ejus canonizatione peractum. 415. CXV. quare tamdiu poſthabita. 415. CXVI. unde erga eum concitata quorumdam invidia. 416. CXVII. ſacris honoribus colitur. 417. CXX. Gregorius XV. ejus cultum concedit. 417. CXXI. mira cauſa ejus converſionis a ſeculo. 419. CXXIV. Ejus Corporis forma & ſtatura diſcribuntur. 418. CXXIII. qualiter depingatur. ibidem. quinam ejus ſcripſere acta. 418. CXXIV. variæ res ab eo relictæ. 419. CXXV. hymnus ad ejus honorem. 420. CXXVI. quantum ſub eo regularis Obſervantia creverit. 11. XXV. 41. XLVII. 411. CVI.

S. Joannis de Capiſtrano virtutes.

Ejus zelus in propaganda fide *lege ſupra per totam vitam*. Humilitas. 406. XCIII. Caſtitas. 406. XCIV. Corporis mortificatio & abſtinentia. 406. XCV. Caritas. 407. XCVI. pacis ſtudium. ibidem. prædicationis fructus. 79. III. 408. XCVIII. V. *ſupra*. Fides. 409. CII.

S. Joannis de Capiſtrano miracula, aliaque gratiarum dona.

Iter aggrediens luce mirifica cœlitus circumtuſus. 79. II. ſanat in Brixiano agro plures ægrotos. 79. III. aliaque Mantuæ, Veronæ. Paduæ &c. mirabilia operatur. 79. IV. & Civitati s Novæ. 82. XII. profundum alveum pedes pertranſit. 80. VII. alium quoque pallio inſidens. 80. VIII. obvios populos per loca miraculis aliis illuſtrat. 80. IX. ſeqq. ingenti prodigio hæreticorum ludibrium avertit. 142. XXV. prophetico ſpiritu prædicit Regi ſiniſtrum belli eventum. 164. VI. & Hunyadis filiorum ſtatum. 384. LXXIX. aliaque multa futura. 409. CIII. 410. CV. myſterioſæ ejus viſiones. 284. LXIII. ſanat lethaliter vulneratos. 407. XCVII. 408. XCIX. cicadis ſilentium imponit & hyrundinibus. ibidem. plagam eliminat murium & talparum. ibidem. imbrem avertit a ſuis auditoribus. 408. C. prædicantem aves circumvolant. 409. C. ab obſeſſis corporibus expellit Dœmones. 409. CI.

Joannes Cantuellus Decanus Caſtelenſis cauſam Guillelmi Orellay judicat. 10. XXIV.

Joannes Carvajalius Cardinalis Legatus Pontificius ſanctum Joannem de Capiſtrano Budam vocat. 261. XXXIII. eique mittit Epiſtolam. 320. XIV. Roberto Licienſi propotius ſe oſtendit. 170. XVIII. iterum ad eum ſcribit. V. *Epiſtola*.

Joannes II. Caſtellæ Rex conceſſionem, & donationem Domus Milidenſis Fratribus Tertii Ordinis factam approbat. 17. XLVIII.

Joannes Chadra Tertio Inſtituto valde addictus. 235. LXXXIX.

Joannes de Chapha Pſeudoepiſcopus in Valachia populos ſubvertit. 315. I.

Joannes Cochlæus acta S. Joannis de Capiſtrano ſcribit. 87. XVI.

Joannes Columna Obſervantum Amicus ſancto Joanni de Capiſtrano Epiſtolas dirigit. 172. XXII.

Joan-

Joannes Conſilii religione, & doctrina conſpicuus. 151. XLIV.
Joannes Corvinus de Hunyad S. Joanni de Capiſtrano ſcribit. 246. X. V. *Joannes Hunyad infra.*
Joannes a Coſta Romanæ Curiæ Commiſſarius. 485. CCXXXVI.
Joannes a Daventra Provinciæ Coloniæ Miniſter. 305. CV.
Joannes Dubravius acta ſancti Joannis de Capiſtrano recenſet. 96. XXXIII.
Joannes Dugloſſus Canonicus a Cardinali Sbigneo ad ſanctum Joannem de Capiſtrano miſſus. 163. II. quid in conſtructione Conventus Cracovienſis egerit. 232. LXXVI.
Joannes Emanuel Portugalliæ Epiſcopus Septenſis & Egitanenſis. 152. XLVI.
Joannes de Falconeyo Epiſcopus Beratinenſis. 481. CCXXVI. Pœnitentiarius, & Sacellanus Pontificius. 301. LXXXIX.
Joannes Geos Provinciæ Colonienſis Vicarius. 232. LXXVIII.
Joannes Germanus Cabilonenſis Epiſcopus Conventus Cabilonenſis Eccleſiam ornat. 151. XLV.
Joannes Gezth in Moldavia ad verbum Dei diſſeminandum a ſancto Joanne de Capiſtrano præficitur. 315. I.
Joannes de Govono Albenſis Domus Tertii Ordinis de Braida fundator. 46. LX.
Joannes de Guitaria Epiſcopus Almerienſis. 144. XXXII.
Joannes Hayus Monaſterium Trevirenſe Clariſſarum reformat. 187. LX.
Joannes Horneus Epiſcopus Leodienſis Conventum Leodii conſtruit. 186. LVI.
Joannes de Hunyad ſancto Joanni de Capiſtrano mittit Epiſtolam. 259. XXIX. Bellum in Turcas diſſuadet. 332. XXXIV. Franciſcanos defendit. 286. LXVIII. rerum fidei magnus promotor. 320. XIII. Capiſtrani præſentiam in Hungaria judicat neceſſariam. 331. XXXI. obit in Domino. 381. LXXXII. Ejus Corporis habitudo, & laudes. 383. LXXV. dolet Capiſtranus de ejus morte. 383. LXXVI. 384. LXXX. ejus interitum prodigia præcedunt. 383. LXXVIII. Filiorum ipſius ſtatus a Capiſtrano prædicitur. 384. LXXIX.
Joannes Huter Nicopolitanus Epiſcopus. 112. LV.
Joannes Lanbrankius Epiſcopus Poſnanienſis Chorum Conventus Varſaviæ reſtaurat. 232. LXXVII.
Joannes Lentius Lanfrius Domus Tertii Ordinis Piſtorii fundator. 156. LXVII.
Joaones a Luna Conventum Cornagi extruit. 114. LXIV.
Joannes a ſancta Maria Provinciæ S. Jacobi Vicarius. 10. XXIII.
Joannes Maubertus Capitulum Obſervantum in Eremitorio Argentonii celebrat. 485. CCXXXVII.
Joannes Miſnenſis virtute & ſanctitate illuſtris. 185. LII.
Joannes Mocandi ſolum pro extruendo Cœnobio Donionii Fratribus largitur. 69. XXXIII.
Joannes Mongini de Sauxure Procurator Generalis Roberto Licienſi reſiſtit. 170. XVIII.
Joannes de Monte Ilcino Provinciæ ſancti Angeli Vicarius, 277. LII. Conventum Trojæ ædificari procurat. 39. XL.
Joannes Munniz Laicus virtute, mirandiſque operibus commendabilis. 155. LXII.
Joannes Nicolai in Perufina Univerſitate Theologiæ dat operam. 300. LXXXIX.
Joannes Papiæ Epiſcopus S. Joanni de Capiſtrano ſcribit. 244. VI.
Joannes de Parella Epiſcopus Yporegiæ de Conventu ejuſdem urbis benemeritus. 314. XI.
Joannes Paterna Epiſcopus Piſaurienſis. 113. LV.
Joannes Pelletz Archiepiſcopus Cambalienſis. 481. CCXXVI.
Joannes Pineda in ſanctum Joannem de Capiſtrano calamum acuit. 369. LII.
Joannes de Plano Carpinis Epiſcopus Cambalienſis. 10. XXI.
Joannes Portugalliæ Infans Minoritis dat nomen. 152. XLVI. num hæc ſubſiſtat hiſtoria. ibidem.
Joannes Pratenſis Congregationi generali Tuſciæ intereſt. 29. XVIII. S. Bernardini diſcipulus, & egregius Concionator. 62. VIII. pro Obſervantibus compromiſſarius. 278. LIV.
Joannes Prænestinus Epiſcopus miracula ſancti Bernardini Senenſis examinat. 23. VII.
Joannes Quieſdeber Vicarius Generalis. 217. XXXI.
Joannes Riccius Congregationi generali Tuſciæ intereſt. 29. XVIII. virtute, & pietate inſignis extitit. 298. LXXXV. quando mortuus. 298. LXXXV.
Joannes de Rochizana Pſeudoantiſtes Pragenſis ſancto Joanni de Capiſtrano infenſus. 88. XVII. eidem doloſe ſcribit. 91. XXIV. 92. XXV. & ab eodem reſponſum accipit. 93. XVI. V. *Epiſtola.*
Joannes Rodriquez dal Padror virtute, & pietate illuſtris. 74. IV.
Joannes Saez de Arbolanche fundum pro Cœ-

Cœnobio Flaviobrigenſi extruendo largitur. 70. XXXVII.
Joannes de Salmis aureis Epiſcopus Ottanenſis. 228. LXIV. prius in Sardinia Inquiſitor. 143. XXX.
Joannes Sancii Conventus de Abundo Patronus. 114. LXV.
Joannes Schifictus Moacenſis virtutibus, miraculisque emicans. 74. IV.
Joannes de Taliacotio ſancti Joannis de Capiſtrano ſocius narrationem de bello Hungarico refert. 340. XLII. ſancto Jacobo Piceno ſcribit. 384. LXXXI.
Joannes Tilottus num Joannem de Portugallia in Minoritico cœtu acceperit 152. XLVI.
Joannes de la Treca Hiſpanus habitare in Eremitorio de la Barquera impetrat facultatem. 231. LXXV.
Joannes Treverenſis Roberto de Lycio reſiſtit. 170. XVIII.
Joannes Varadienſis Epiſcopus vir egregius Uratislaviæ initiatus. 185. L.
Joannes Veranus de Volaterris Roberto Lycienſi adhæret. 146. XXXV.
Joannuccius de Valleterrena paupertate, & patientia celebris. 182. XXXIX.
Joſeph Eugubinus Conventus Montis Lucis Spoleti primus Guardianus. 224. LIII. 227. LXII.
Joſeph Maria de Ebora Commiſſarius Generalis Ordinis Cœnobium Palatioli reſtaurat. 40. XLV.
Iſabella Burgunda de Conventu Dixmudæ optime merita. 186. LV.
Iſabella de Rhodis Monaſterium Boyſſet ædificat. 15. XLI.
Iſabella Siciliæ Regina Minoritis addicta, & apud eoſdem tumulata. 161. VII.
Iſei ſancti Mauritii Conventus. 12. XXVIII.
Jubilæum univerſale a Nicolao V. indicitur. 51. I.
Judemburgi Conventus reformatur. 305. CVII.
Julia Lavinia pietate celebris. 487. CCXLIII.
Julianus a ſancto Auguſtino vir pius Compluti diem extremum claudit. 483. CCXXXI.
Julianus Cortonenſis provinciæ Tuſciæ Vicarius. 29. XVIII. 181. XXXVIII. 277. LII.
Juſtinus quidam ſimplicitate & humilite inſignis in Conventu Cobilini tumulatus. 485. CCXXXIX.

K

Kelhaimi Conventus. 233. LXXIX.

L

Ladislaus Agrienſis Epiſcopus ſancto Joanni de Capiſtrano Epiſtolas mittit. 246. X.
Ladislaus de Gara Hungariæ Palatinus ſimiliter. ibidem.
Ladislaus a Gelnono vir religioſiſſimus ubi tumulatus. 232. LXXVII.
Ladislaus Hungariæ & Boemiæ Rex honorifice Capiſtranum excipit. 81. XI. eique mittit epiſtolas. 246. X.
Latinus Tranenſis Archiepiſcopus de Cœnobio Montis Falci benemeritus. 12. XXX.
Latinus Urſinus Cardinalis Ordinis vere Protector. 213. XIII.
Laudenſis domus Fratrum Tertii Ordinis. 72. XLIV.
Laura Felix de Saulis virtute præclara. 487. CCXLIII.
Laurentius Jaderenſis Archiepiſcopus Fratribus Tertii Ordinis ejuſdem Vrbis domum largitur. 235. XC.
Laurentius de Monte Obſervantum Vicarius in provincia Provinciæ. 115. LXVIII. ingenti fructu prædicat. 186. LVII.
Laurentius Panormitanus, ſive ſiculus Indulgentias pro Eccleſia Panormi impetrat. 117. II. ad Siculos & Melitenſes Apoſtolicus Nuncius. 113. LVII. 324. XIX. egregius Concionator. 180. XXXIII.
Laurentius Pugiol Galtelienſis Epiſcopus. 112. LV.
Laurentius Tyburtinus Epiſc. 65. XVII.
Lazarus Arcelius Valtidonenſis Comes Conventum Burginovi extruit. 66. XX.
Leo Alexandrinus Hoſpitali Januenſi præficitur. 47. LXVIII.
Leodii Conventus. 186. LVI.
Leonellus Pius Comes Carpenſis in Eccleſia Minorum Carpi tumulatus. 38. XXXVIII.
Leonora de Caſtella Monaſterium pro Clariſſis Amuſci extruit. 45. LVII.
Levanti Conventus. 183. XLII.
Liberatus de Aquila cuſtodiam corporis ſancti Bernardini Conventualibus relinqui inepte aſſentitur. 218. XXXIII.
Licienſis domus Sororum Tertii Ordinis. 115. LXIX.
Ligerius de Nuſtaer de Conventu Dixmudæ optime meritus. 186. LV.
Lucas Fulginas provinciæ ſancti Franciſci Miniſter. 156. LXIV.
Lucas Rapollanus Epiſcopus ſolum pro extruendo Cœnobio Atellæ concedit. 310. CXIX.

Lucæ Conventus. 105. XCIV.
Lucida Novarienſis Monialis religioſiſſima. 308. CXIII.
Luciorum Conventus. 154. LIX.
Lucretia Ferrarienſis Dux Clariſſa ſanctitate præclara. 155. LXIII.
Ludovica ab Ambaſia in Cœnobio Donionii tumulata. 69. XXXIII.
Ludovica Peruſina devotiſſima Clariſſa. 44. LIV.
Ludovicus Angianus de Conventu Leodii optime meritus. 186. LVI.
Ludovicus Bononienſis Conſiliarius, & familiaris Papæ. 290. LXXVII. ad Æthyopes & Indos proficiſcitur. 293, LXXX. item ad Perſas & Tartaros. 420. CXXVII. multa ei privilegia conceduntur. 293. LXXX.
Ludovicus Cœleſtinus Minorita acta ſancti Joannis de Capiſtrano recenſet. 418. CXXIV.
Ludovicus Caſſarellus provinciæ Januenſis Miniſter. 47. LXVIII.
Ludovicus Fulgoſius Leonem Alexandrinum Minoritam diligit. 47. LXVIII.
Ludovicus Gonzaga Franciſcanis addictus. 154. LVIII.
Ludovicus a Paramo corrigitur. 143. XXX.
Ludovicus Sabaudus Conventum Tononi, ut poſſit conſtrui, facultatem impetrat. 231. LXXIV.
Ludovicus de Sala, ſive de Saya Provinciæ Caſtellæ Cuſtos. 303. XCVIII. moleſtias a Conventualibus illatas declinare ſatagit. 69. XXXVI. Cœnobium de Abundo conſtruit. 114. LXV.
Ludovicus Senenſis Congregationi generali Tuſciæ interceſt. 29. XVIII.
Ludovicus a Taide Conventum Penichenſem abſolvi teſtamento cavet. 155. LXI.
Ludovicus Theutonicus quando mortuus. 106. XLVI.
Ludovicus Tremius Barcinonæ floret. 144. XXXI.
Ludovicus de Valerio Parmenſis Moniales ejuſdem urbis defendit. 188. LXII.
Ludovicus a Valle Camonica Provinciæ Mediolani Vicarius Conventus Vercellenſis ædificium promovet. 183. XLIII.
Ludovicus de Valle-Oleti Epiſcopus Sidonienſis. 10. XXI.
Ludovicus de Varka Religione præclarus ubi tumulatus. 232. LXXVII.
Ludovicus Vincentinus pro Obſervantibus Compromiſſarius. 278. LIV.

M

Magdalena Peruſina Sororum Tertii Ordinis Generalis Miniſtra. 46. LXIII.
Majoris Domus Sororum Tertii Ordinis. 46. LXIV.
Marcus Bononienſis contra divagantes diploma obtinet. 146. XXXVI. Provincias percurrit. 146. XXXVII. Capiſtranum Commiſſarium Auſtriæ, Boemiæ &c. inſtituit. 147. XXXVII. Fratres ad Martyrium ſuis litteris hortatur. 215. XXVII. multaque decernit. 216. XXVIII. commendatur. 288. LXXII. Congregationi generali Tuſciæ intereſt. 29. XVIII. fuit S. Bernardini diſcipulus. 62. VIII. & pro Obſervantibus in quadam cauſa Compromiſſarius. 278. LIV. eorumque Vicarius Generalis. 277. LII.
Marcus Cynicus Robertum Lycienſem laudat. 37. XXXIV.
Marcus de Figinio de Cœnobio Viridarii Mediolani benemeritus. 482. CCXXVII.
Marcus Pecorarius virtutibus illuſtris. 39. XLII.
Marcus Ulyſſiponenſis ſcribit acta beati Franciſci de Tycino. 228. LXIII. & beati Philippi Aquilani. 480. CCXXIV. ejus mendum corrigitur. 28. XVI.
Margarita de Berſta Conventui Dixmudæ multa beneficia confert. 186. LV.
Margarita de Cruce bona ſua Sororibus Tertii Inſtituti Mediolani largitur. 486. CCXLIII. iiſdem dat nomen. ibid.
Margarita Pauli de Civitate Veteri Monaſterium ſanctæ Margaritæ de Urbe fundat. 188. LXIII.
Margarita Sulmonenſis Monaſterium Montis Lucis Peruſiæ reformat. 43. LIII. & Monaſterium SS. Coſmæ, & Damiani de Urbe. 44. LIV. Divinis meditationibus intenta. ibidem.
Maria de Albizis Domum Sororum Tertii Ordinis Florentiæ extruit. 115. LXIX.
Maria Aragonum Regina Monaſterio Valentino valde addicta. 156. LXVI.
Maria de Clivia Conventum Bleſenſem Ordini reſtituit. 489. III.
Maria de Coſtanilla beati Petri de Regalato genitrix. 2. IV.
Maria de Florentia una ex fundatricibus Monaſterii Piſtorienſis. 17. XLVII.
Maria Garcia de Herrera cum Agnete Monaſterii Valliſoletani Abbatiſſa contendit. 310. CXXII.
Maria Lazari de Bertis Eugubina Tertiaria. 17. LI.

Maria a Luna Cœnobium Cornagi conſtruit. 114. LXIV.
Maria Mediolanenſis humilitate illuſtris. 16. XLIII. Ei Chriſtus infantis forma apparet. ibidem.
Maria a Montalto gratia curationum celebris, 71. XLII.
Maria a Velaſco Monaſterii Concenſis fundatrix. 71. XLII.
Marianus Florentinus geſta recenſet beati Franciſci Papienſis. 228. LXIII. & beati Philippi Aquilani. 480. CCXXIV. ejus menda corriguntur. 28. XVII. 35. XXXII. Robertum de Lycio laudat. 37. XXXIV.
Marianus a Muro laicus Religione præclarus. 483. CCXXX.
S. Mariæ de Oliva Conventus. 13. XXXIV.
Marina Antonia Pauli Tertiariarum Eugubii Miniſtra. 17. LI.
Marinus de Monopolo Montis Marani Epiſcopus. 144. XXXII.
Marinus de Monte-Falcone in Univerſitate Peruſina Theologiæ Magiſter. 301. LXXXIX.
Marnani Conventus. 13. XXXV.
S. Martini Conventus. 155. LXXII.
Martinus Beretranus laicus virtute & prophetia illuſtris. 67. XXV.
Martinus Guſmanius in Conventu Antimi tumulatus. 229. LXVI.
Martinus Manzus a Zuniga Epiſcopus Oxonienſis Judex Apoſtolicus ſuper cauſam ſancti Joannis de Capiſtrano. 449. CLXIX.
Matthæus Agrigentinus Epiſcopatum dimittit. 104. XL. a Conſodalibus rejicitur. ibidem. Obit in Domino. ibid. Corpus exanime ſacram Euchariſtiam colit. 104. XLI. ſuavemque emittit odorem. ibidem.
Matthæus de Barga virtutibus celebris. 106. XLV.
Matthæus Narnienſis pro Obſervantibus Compromiſſarius. 278. LIV.
Matthæus de Ochiatana ſacerdos pietate illuſtris. 483. CCXXX.
Matthæus Rheginus in Regno Neapolitano Inquiſitor. 26. XIII. contra Turcas ſuppetias colligit. 176. XXIX. ejus laudes. ibidem. & 328. XXIV. Fratrum Cruceſignatorum præfectus inſtituitur. 328. XXIII. judicio Roberti Lycienſis intereſt. 171. XXI. Nuncius Apoſtolicus in Regno Neapolitano. 324. XIX.
Matthæus Thuſſinenſis in Tranſilvania Epiſcopus impie Minoritas inſequitur. 286. LXVIII.
Matthias Doringh provinciæ Saxoniæ Miniſter. 176. LI.
Matthias Hunyadis filius ad Regnum Hungariæ aſſumitur. 383. LXXV.
Maſſilienſis Conventus. 115. LXVIII.
Mauderoacenſis Conventus. 230. LXXII.
S. Mauri Conventus. 230. LXIX.
Maydæ Conventus. 113. LX.
Mediolanenſis Viridarii Conventus. 482. CCXXVII. & Monaſterium de Vedano. 15. XLII. de Jeſu. 487. CCXLIII.
Melchior Carmonenſis provinciæ ſancti Angeli Miniſter. 14. XXXVI.
Melficti Conventus. 113. LIX.
Mencia Avalos pia Monialis. 45. LVIII.
Mencia Velez virtutibus præclara. 71. XLII.
Metenſis novus Conventus. 42. XLIX.
Michael de Barga virtute conſpicuus. 106. XLV.
Michael de Bechen ſancto Joanni de Capiſtrano ſcribit. 112. LIV.
Michael de Candia Agienſis Epiſcopus. 112. LV.
Michael Caſtault Chriſtopolitanus Epiſcopus. 228. LXIV.
Michael Hiſpanus Theologus celebris Cœnobio Levanti præficitur. 39. XLIII.
Michael Jaderenſis Vicarius Boſnæ ſancto Joanni de Capiſtrano epiſtolas dirigit. 111. LII.
Michael de Lyra doctrina & Religione præclarus. 232. LXXVIII.
Michael de Mediolano Congregationi Generali Tuſciæ intereſt. 29. XVIII.
Michael Oſtoides Cœnobium Viſochii extruit. 71. XXXIX.
Michael Peruſinus ſancto Joanni de Capiſtrano in Germanico itinere ſocius. 80. VII.
Michael Siculus Conventus Viennenſis Guardianus. 83. XIV. a ſancto Joanne de Capiſtrano in Tranſilvania ad Verbum Dei diſſeminandum præficitur. 315. I.
Michael Viennenſis Coventum Bulzani iterum extruit. 483. CCXXIX.
Michael Zilagus Albæ Regalis Præfectus ſancto Joanni de Capiſtrano epiſtolas dirigit. 334. XXXIX.
Milidenſis domus Fratrum Tertii Ordinis. 17. XLVIII.
Militis cujuſdam Boemi egregium facinus. 375. LXIII.
Minei Conventus. 67. XXVII.
Miniſter Generalis Jacobus a Mozanica. 217. XXX.
Miniſtris præfixum regiminis tempus præſcribitur. 10. XXIII. inde revocatur. 178. XXXII.
Minores contra hæreticos inquirunt. 25. X. 26. XIII. 106. XLVII. 108. XLVII. 143. XXX. 300. LXXXIX. V. *S. Jacobus de Marchia*, *S. Joannes de Capiſtrano*.

Nuncii Apoſtolici. 106. XLVII. 290. LXXVI. 324. XIX.
Prædicatores Apoſtolici. 27. XV.
Multa inter Raſcianos patiuntur diſcrimina. 215. XXVI. & ab aliis vexantur. 296. LXXXIII.
Eorum Conventus. V. *Conventus, & privilegia.* V. in fine quorumlibet annorum. V. *Obſervantes.*
Modeſta Soncinas virtutibus præclara. 487. CCXLIII.
Monaſteria Clariſſarum Amuſci. 45. LVII. Antuerpiæ. 308. CXVI. Balneoregii. 310. CXXII. Baruli. 234. LXXXV. Beneventan. 188. LXIV. Bononiæ. 234. LXXXV. Boyſſet. 15. XLI. Brugenſe reformatur. 308. CXV. Calabazani. 45. LVII. Campli. 307. CXII. Capuæ. 17. XLVI. Carignani. 234. LXXXV. Catanenſe. 44. LV. Chamberiaci. 234. LXXXV. Chamuſci. ibidem. Concenſe. 71. XLII. Conſtantienſe. 156. LXVI. Corbeyenſe. 45. LIX. Denei. 188. LXIV. Eugubii ſancti Donati. 156. LXIV. Ferrariæ Corporis Chriſti. 155. LXIII. Florentiæ ſanctæ Claræ. 115. LXIX. Ad Gratas Ferratas ſancti Salvatoris. 234. LXXXV. Mediolanenſe de Jeſu. 487. CCXLIII. Mediolanenſe de Vedano. 15. XLII. Novariæ. 308. CXIII. Pergulæ. 308. CXIV. Peruſinum Montis Lucis. 43. LIII. Piſtorii. 17. XLVII. Regienſe. 234. LXXXIV. Romanum ſanctorum Coſmæ & Damiani. 44. LIV. Sulmonæ. 156. LXV. Valentinum. 156. LXVI. 310. CXXII. Valliſoleti. 310. CXXII. de Vedano. 15. XLII. Zamorenſe. 45. LVII. Znoimæ. 191. IV.
Monaſteria Sororum Tertii Ordinis. V. *Domus Tertii Ordinis.*
Moniales. V. *Clariſſæ.*
Montechii Conventus. 66. XIX.
Montis Falci Conventus. 12. XXX.
Montis Franconis Conventus. 228. LXV.
Montis Prandoni Conventus. 38. XXXVII.
Montis Rotundi Conventus. 12. XXXI. 41. XLVI.
Montis Regalis domus Sororum Tertii Ordinis. 234. LXXXVII.
Montis Scutuli Conventus. 68. XXIX.
Montis Ulmi domus Fratrum Tertii Ordinis. 17. L.

N

NAvareti Conventus. 114. LXIII.
Nauclerus narrationem de bello Hungarico refert. 340. XLI.
Naviburgi Conventus. 155. LI.
Neapolitanus ſanctæ Crucis Conventus. 38. XXXIX.
Neapolitanus ſanctæ Mariæ Novæ Conventus. 12. XXX.
Netinus Conventus. 114. LXI.
S. Nicolai Conventus. 184. XLVI.
Nicolaus Auximanus Marchiæ Vicarius. 171. XXI. Congregationi Tuſciæ intereſt. 29. XVIII.
Nicolaus a Coſtikio pietate clarus ubi tumulatus. 232. LXXVII.
Nicolaus Cuſanus Cardinalis Ordines Regularium in Germania reformat. 110. LI.
Nicolaus de Fara ſancti Joannis de Capiſtrano ſocius. 80. VII. 287. LXXI. acta ejuſdem recenſet. 83. XV.
Nicolaus Herbonius virtutibus illuſtris. 232. LXXII.
Nicolaus a Leonibus Oratorium ſancti Nicolai Fratribus concedit. 184. XLVI.
Nicolaus Michilinus Miniſter Tertii Ordinis. 17. L.
Nicolaus Pichonius Roberto Lycienſi reſiſtit. 170. XVIII.
Nicolaus Pikius Guardianus a Geuzis cum ſociis pro fide occiſus. 233. LXXXI.
Nicolaus V. ſummus Pontifex Fabrianum contra Fratricellos acturus abit. 25. X. corpus ſancti Franciſci Aſſiſii viſitat. 25. XI. Bernardinum Senenſem Sanctorum albo aſcribit. 51. I. ſanctum Joannem de Capiſtrano in Germaniam mittit. 78. I. & ad eum epiſtolas dirigit. 80. VI. ejuſdem geſta populis commendat. 97. XXIV. eique multa indulget. 135. XV. Minoritis in remotis regionibus laborantibus ſimiliter. 143. XXIX. pleriſque malis in Ordine medetur. 171. XXI. Procuratores ſacrorum locorum mutat. 177. XXXI. Obſervantibus regreſſum ad Conventuales concedit. 212. XXII. ejus Bullæ, epiſtolæ, aliaque Diplomata. V. *Epiſtola.* diem claudit extremum. 244. VII.
Nicolaus Tellus. V. ſup. *Nicolaus de Fara.*
Nicolaus Tirro Provinciæ Siciliæ Miniſter. 276. LI.
Nicolaus Walshe Miniſter Hiberniæ ſubſtituitur. 10. XXIV.
Nicolaus de Willach Cœnobium ejuſdem oppidi ad Obſervantes transferri procurat. 233. LXXXII. ſancto Joanni de Capiſtrano ſcribit. 246. X.
Nicoloſa Nerii Sororibus Tertii Inſtituti ſummopere addicta. 486. CCXLII.
Novariæ Monaſterium. 308. CXIII.
Novetzellenſis Conventus. 185. LIII.
Noviomagi Conventus. 305. CVI.

Ob-

O

OBſervantes a Conventualibus perturbantur. 30. XXIII. orationibus tribulationem avertunt. 31. XXV. in Caſtellæ Regno Miniſtro Generali ſubjiciuntur. 32. XXVII. etiam ii provinciæ Burgundiæ. 296. LXXXIII. quidam ex eis Conventualibus cuſtodiam corporis ſancti Bernardini permittunt. 218. XXXIII. cum iiſdem de modo concordiæ agunt. 273. L. eis aliqua ex articulis a ſancto Jacobo Piceno compactis diſplicent. 280. LVI. habere Vicarium Generalem ſanctum Joannem de Capiſtrano cupiunt. 287. LXXI. eorum laudes. 262. XXXVIII. 265. XLII. V. *Minores*.
Olomutii ſancti Bernardini Conventus. 185. LII. & Conceptionis. ibidem.
Onuphrius de Biſiniano Miniſter Provinciæ Calabriæ. 276. LI.
Onuphrius Segianus virtutibus plenus moritur. 181. XXXVII.
Opaviæ Conventus. 119. V.
Oppoliæ Conventus. 303. C. 311. II.
Orteſius quidam gratia curationum donatus. 70. XXXVII.
Otus Epiſcopus Dertuſenſis quaſdam contra Clariſſas Monaſterii Valentini controverſias movet. 310. CXXII.

P

PAlantiæ Conventus. 229. LXVII.
Palatioli Conventus. 40. XLV.
De Palude ſancti Jacobi Conventus. 302. XCV.
Paris a Puteo Juriſconſultus quædam de ſancto Joanne Capiſtranenſi recenſet. 419. CXXIV.
Parmenſis domus Sororum Tertii Ordinis. 115. LXIX. 188. LXII.
Paula Mantuæ Princeps ſanctitate præclara moritur. 35. XXXII.
Paulinus Lembergerius provinciæ Boemiæ Vicarius. 185. LII.
Paulotia de Perleonibus domum ſanctæ Apolloniæ Urbis tertii Inſtituti fundat. 115. LXIX.
Paulus Capiton ſanctitate celebris obit. 106. XLVI.
Paulus de Celano Conventus Inſulæ in Provincia Romana fundator. 153. LI.
Paulus Ferrarienſis ſancto Joanni de Capiſtrano in Germanico itinere ſocius. 80. VII.
Paulus Piretius Conventum Fovearum ædificat. 13. XXXVI.
Paulus Pragenſis Huſſitarum hæreſes propagare ſatagit. 194. I.
Paulus de Synopoli provinciæ Calabriæ Vicarius. 277. LII.
Pedenacii Conventus. 186. LVII.
Penichenſis Conventus. 155. LXI.
Pergulæ Monaſterium. 308. CXIV.
Peruſii ſancti Antonii Monaſterium. 310. CXXI. & Montis Lucis. 43. LIII.
Petronilla de Caſſeron Tertiaria Cœnobium Donionii ſuis ſumptibus fundat. 69. XXXIII. & Conventui Caſtri Odonis multa contulit beneficia. 41. XLVIII.
Petrus de Anguillara egregius Concionator. 180. XXXIII. Roberto Lycienſi reſiſtit. 170. XVIII.
Petrus Barbus Cardinalis eidem Roberto propitius. 170, XVIII.
Petrus Bruer Epiſcopus Tiberiadis. 112 LV.
Petrus de Carcano ſacræ Theologiæ profeſſor, Apoſtolicus Nuncius in Lombardia Ciſpadana. 324. XIX.
Petrus de Caſtella Epiſcopus Palentinus. 448. CLXVI.
Petrus Chanadienſis Epiſcopus ſancto Joanni de Capiſtrano epiſtolas dirigit. 246. X.
Petrus Cheminotus Epiſcopus Helenopolitanus. 481. CCXXVI.
Petrus de Clavibus, ſive de Chaves ubi tumulatus. 114. LXII.
Petrus de Cordona inſignis heros in Cœnobio Maydæ ſepultus. 114. LX.
Petrus Cretenſis Conventum ſancti Jacobi de Palude primus recipit. 302. XCV.
Petrus Dresdenſis Boemorum hæreſis auctor. 127. VIII.
Petrus Fabri Cœnobii Inſularum Britanniæ fundator. 153. L.
Petrus Fulginas contra hæreticos inquirit. 300. LXXXIX.
Petrus Legerus Sebaſtenſis Epiſcopus. 65. XVII.
Petrus Manriquius Legionenſis Præfectus Monaſterium Amuſci ædificat. 487. CCXLV. in Monaſterio Legionenſi tumulatus. 45. LVIII.
Petrus Maria de Rubeis Conventum Caſtri Franci ædificat. 301. XCII.
Petrus Maurocenus provinciæ ſancti Antonii Vicarius. 277. LII.
Petrus de Medina Hipponenſis Epiſcopus. 10. XXI.
Petrus de Migella Epiſcopus Cuperſanus. ibidem.
Petrus de Noceto Pontifici Nicolao V. a ſecretis. 25. XI. cauſas Obſervantum apud eumdem patrocinatur. 170. XIX.
Petrus de la Penna Roberto Lycienſi reſiſtit. 170. XVIII.

B. Petrus Regalatus naſcitur. 2. IV. ejus pueritia qualis. ibidem. Minorum habitu induitur. 3. V. beato Petro Villacretio adhæret. 3. VII. ad Eremitorium Aquileræ tranſit. ibidem. ibique Prælatus inſtituitur. 4. VIII. miraculoſe Conſodalibus neceſſaria parat. 4. VIII. garrientes hirundines imperio abigit. 4. IX. in oratione fervidus. 4. X. Angelorum miniſterio ad longinquum Cœnobium transfertur. 5. XI. Alveum ſicco pede pertranſit. 5. XII. brevi tempore longum abſolvit iter. 6. XIII. a bimulo laudatur infante. 6. XIV. finalem pœnitentiam cujuſdam deſperatæ mulieris revelatam habet. 6. XV. propheticum ſpiritum alias etiam oſtendit. 7. XVI. 446. CLXI. Ferocientem ſola voce cohibet Taurum. 7. XVII. in ejus ſinu panis fragmenta in roſas convertuntur. ibidem. heroicæ ejus virtutes. 8. XVIII. ingentem Obſervantiæ curam agit. 445. CLVIII. appetenti mirabiliter coturnix advenit. 446. CLIX. mortis præſcius animam præparat. 446. CLXI. adoleſcentem contractum ſanat. 447. CLXI. ejus geſtorum tres compacti proceſſus. 449. CLXIX. ejus corporis odor. 450. CLXX. ex tumulo pauperi panem largitur. 450. CLXXI. alia ejus recenſentur prodigia. 451. CLXXIII. ſeqq. de ejuſdem canonizatione adducuntur decreta. 472. CCV.

Petrus Rodulphus Robertum Lycienſem laudat. 36. XXXIV. acta beati Philippi Aquilani recenſet. 480. CCXXIV. ejus menda corriguntur. 34. XXIX. 35. XXXII. 63. X.

Petrus a Santoyo ſacræ Theologiæ Magiſter a Conventualibus ad Obſervantes tranſit. 3. VII.

Petrus Supronienſis ſancto Joanni de Capiſtrano in Germanico itinere ſocius. 70. VII.

Petrus Traſtamerii Comes Fratribus Tertii Ordinis domum Milidenſem fundat. 17. XLVIII.

Petrus Turcus Conventum Ciminenſem ædificat. 230. LXIX.

Petrus de Vallibus Viſitator Sororum inſtituitur. 15. XL.

Petrus Vayvoda e Moldavia Schiſmaticos eicit. 315. I.

Petrus Villacretius beatum Petrum Regalatum ſuæ aſperioris vitæ ſocium aſſumit. 3. VII.

Petrus Uratislavienſis Epiſcopus de rebus fidei cum Capiſtrano agit. 165. VIII.

Petrus Zapata Oſorius Sorores Monaſterii Cubarum muneribus proſequitur. 47. LXVI.

B. Philippus Aquilanus apud Caſſinam naſcitur. 477. CCXVI. ejus parentes & pueritia. ibidem. Ordinem Minorum ingreditur. ibidem. ejus virtutes. ibidem. cum Dæmon fruſtra ab oratione perturbat. 478. CCXVIII. Divinis valde intentus & caſtitatis amator. 478. CCXIX. ſomni moleſtias ſuperat. 478. CCXX. otium vitat. 479. CCXX. paupertatem diligit. ibidem. Tirones inſtruit. 479. CXXXI. prophetico ſpiritu claret. 480. CCXXIII. pie moritur. ibidem. quinam de eo ſcripſerunt. 480. CCXXIV.

Philippus Bonus Burgundiæ Dux Ordini valde addictus. 151. XLV. Turcis infenſus. 202. XI. Conventus Alcmariæ protector. 306. CVIII. domum Harlemi ædificari aſſentitur. 306. CIX.

Philippus Cardinalis Bononienſis hortum & Eccleſiam Fratribus Anconæ concedit. 12. XXX.

Philippus de Maſſa celebris Concionator. 180. XXXIII.

Philippus alius de Maſſa laicus Pontificem Nicolaum in Obſervantes incitat. 170. XIX.

Philippus Norreys Mendicantibus infenſus plectitur. 8. XIX. contra eum Pontifex diploma expedit. 8. XX.

Philippus de Sanduces Cœnobium Dulendii ædificare incipit. 186. LVIII

Philippus a Vienna Conventum Caſtri Odonis extruit. 41. XLVIII. & Conventus Donionii ſuis ſumptibus prima fundamenta ponit. 69. XXXIII.

Pileus Archiepiſcopus Januenſis Eremitorium beati Elzearii de Braida Fratribus Tertii Inſtituti largitur. 46. LX.

Piſtorii Monaſterium. 17. XLVII. & domus Sororum Tertii Ordinis. 156. LXVII.

Plebis Conventus 153. LIII.

Plumbini Conventus. 184. XLVI.

Podiebrachius Pragenſis Huſſitarum Anteſignanus. 88. XVII. eum ſanctus Joannes de Capiſtrano monet. 121. I. convitia pro reſponſo reddit. 121. III. Pragæ præfectus inſtituitur. 127. X.

Podii Feſulani domus Sororum Tertii Ordinis. 310. CXX.

Polidorus Romanus moritur. 219. XXXVI. quis & qualis fuerit. ibidem Corpus miris modis affligebat. 220. XXXVII.

Pontis veteris Conventus. 485. CCXXXV.

Portus Albi Conventus. 115. LXVII.

Prædicatores ut ſibi ipſis cavere debeant. 37. XXXV. ex Minoritis inſignes recenſentur. 62. VII.

Privilegia Guardiano Hieroſolymorum conceſſa. 438. CXLIII.

Pri-

Privilegia conceſſa tribus Ordinibus a ſancto Franciſco inſtitutis. V. in fine cujuslibet anni, & Additiones Patris Meliſſani.
Privilegia Fratribus Canarienſibus conceſſa. 14. XXXVII.
Procuratores Terræ ſanctæ mutantur. 177. XXXI.
Procuratoris Generalis Conventualium domus. 12. XXX.
Proſperus Columna Cardinalis Calixtum III. coronat. 245. VIII.

Q

Quentinus Baudi Guardianus Conventus Tonarum. 150. XLIII.

R

Rabidæ Conventus. 14. XXXVII.
Raphael Theutonicus pietate illuſtris. 301. XC.
Raphael Volaterranus Robertum Lycienſem laudibus celebrat. 36. XXXIII.
Raphaela de Carreria Monaſterium Tertii Ordinis licentiam impetrat, ut conſtruatur. 187. LXI.
Regienſe Monaſterium. 234. LXXXIV.
Renatus Lotaringiæ Dux Minoritis addictiſſimus. 150. XLIII.
Renatus Siciliæ, & Hieruſalem Rex Conventum Balmetæ ædificat. 485. CCXXXVI.
Riperii Conventus. 154. LVIII.
Robertus Limorenſis Epiſcopus judicium contra Guillelmum Orellay inſtituit. 10. XXIV.
Robertus de Lycio inconſtantis animi vir. 145. XXXV. prædicare Aquilanis renuit. 149. XL. ad Obſervantes revertitur. 180. XXXV. ſed non perſiſtit. ibidem. ei a Pontifice ampliſſima privilegia conceſſa. 213. XXIV. ad Vicariam Boſnæ promovetur. 214. LXV. Congregationi Generali Tuſciæ intereſt. 29. XVIII. ſanctum Bernardinum Senenſem encomiis celebrat. 61. VII. Nuncius Apoſtolicus in Emilia inſtituitur. 324. XIX.
Robertus de Simero Epiſcopus Neocaſtrenſis. 113. LV. 118. III.
Robinetus de Stampis ut Cœnobium de Valenſay ædificari poſſit impetrat facultatem. 230. LXXI.
Rochizana Pſeudo Antiſtes Pragenſis itineri in Boemiam S. Joannis de Capiſtr. obſtat. 88. XVII. ejus ad eumdem epiſtolæ. 91. XXIV. ſeq. V. *Epiſtola*. eum doloſe ad publicum invitat certamen. 92. XXV. 94. XXVII. adverſus eumdem Boemos concitat. 122. III. quis & qualis fuerit. 127. IX. multa contra Catholicos Pragenſes molitur. 319. XI.
Rodericus Martini domum pro Tertio Inſtituto Cordubæ extruit. 46. LXI
Rodericus Teneato Polenſis Epiſcopus. 74. III.
Rodericus Velaſcus Epiſcopus Palentinus. 448. CLXVI.
Rodulphus corrigitur. 172. XXV. 184. XLVI. V. *Petrus Rodulphus*.
Rolandus Bordais Brittanniæ Cuſtos. 153. L.
Romanum ſanctorum Coſmæ & Damiani Monaſterium. 44. LIV. ſanctæ Margaritæ, 188. LXIII. & domus Sororum Tertii Ordinis. 115. LXIX.
Rozelii Conventus. 185. LI.

S

Sagani Conventus. 190. II.
Salamanticæ domus Sororum Tertii Ordinis. 47. LXVII.
Salenſis Conventus. 153. LIV.
Salvator de Marco Calabriæ Miniſter doctrina inſignis. 154. LIX.
Salvator Maſſonius acta ſancti Joannis de Capiſtrano ſcribit. 418. CXXIV.
Sancius de Canalibus Monaſterii Beneventani Viſitator. 188. LXIV.
Sancius Salmanticenſis Epiſcop. domum pro Sororibus Tertii Inſtituti conſtruit. 47. LXVII.
Sanctes de ſancto Geneſio doctrina & prudentia illuſtris floret. 481. CCXXV.
Saviliani Conventus. 182. XLII.
Scholaſtica Mediolanenſis miraculis præclara. 487. CCXLIII.
Segobienſis ſancti Antonii Conventus. 303. XCVIII.
Senalongæ Conventus. 39. XLII.
Seraphina Romana ſanctitate præclara. 44. LIV.
Seraphinus Cajetanus Congregationi Generali Tuſciæ intereſt. 29. XVIII. & judicio Roberti Lycienſis. 71. XXI.
S. Severi Conventus. 183. XLIV.
Sigiſmundus Auſtriæ Dux Cardinalem Cuſanum, & Clariſſas Brixinenſes odio inſequitur. 110. LI.
Sigiſmundus Imperator Rochizanam odio habet. 127. X.
Silveſter Senenſis Congregationi Generali Tuſciæ intereſt. 29. XVIII.
Simonettus Foggia Provinciæ ſancti Angeli Miniſter. 276. LI.
Simonettus de Marchia Tuſciæ Miniſter. 276. LI.

Sophia Boemiæ Regina ſancto Joanni de Capiſtrano Cracoviæ obviam procedit. 163. II.
Spalatenſis Conventus. 71. XL.
Spigni Conventus. 184. XLVI.
Spoleti Conventus. 228. LXIII.
Stephanus Brulifer ubi tumulatus. 231. LXXIII.
Stephanus Carolonius Conventum Donionii ædificari ſollicitat. 69. XXXIII.
Stephanus Gallus in Eccleſia Conventus Carpi ſepultus. 38. XXXVIII.
Stephanus Thomæ Rex Boſnæ S. Joanni de Capiſtrano ſcribit. 323, XVII.
Stephanus a Zevener Provinciæ Coloniæ Miniſter. 305. CV.
Stillenſis Conventus. 67. XXVI.
Sulmonæ Monaſterium. 156. LXV.
Surrentinus Conventus. 12. XXX.

T

TAlbachenſis Domus Sororum Tertii Ordinis. 72. XLIII.
Talernæ Conventus. 115. LXVII.
Terami Conventus. 11. XXVII.
Terræ Sanctæ in ſubſidium quædam conceduntur. 291. LXXVIII.
Terſathi Conventus, 185. XLIX.
Tertiarii ad ſuorum ſtatutorum Obſervantiam cogendi ſunt. 46. LXII. eorum propagatur inſtitutum. 309. CXVII. Ferrarienſes Obſervantibus ſubjiciuntur. 17. LII. Eorum Domus. V. *Domus Tertii Ordinis*, & privilegia. V. *Privilegia* & in fine quorumlibet annorum.
Thaddæus Aderatus DoctorFlorentinus ſuas facultates Hoſpitali Bononienſi relinquit. 235. XCI.
Thaddæus Alberotus Florentinus cum Fratribus Tertiariis facit ſimiliter. 306. CX.
Theodora Romana pietate, & ſanguine illuſtris. 44. LIV.
Theodoricus Auriga Vicarius Generalis Ciſmontanus. 108. XLVIII. Roberto Licienſi reſiſtit. 170. XVIII.
Theodoricus Curſus Epiſcopus Diecæſarienſis. 10. XXI.
Theodoricus Cyrenenſis Epiſcopus Eccleſiam Conventus Hammonæ conſecrat. 232. LXXVIII.
Theodoricus Leutus ab Hæreticis pro fide interemptus. 305. CV.
Theodorus Pius Minorita Epiſcopus Monopolitanus Eccleſiam Conventus Carpi conſecrat. 38. XXXVIII.
Thereſia a Cardenas Monaſterium Cubarum muneribus proſequitur. 47. LXVI.
Thomas a ſancto Antonio Laicus pietate ſpectabilis. 483. CCXXX.
Thomas Burton Epiſcopus Sodorenſis. 300. LXXXIX.
Thomas Cardamaccius in Univerſitate Patavina profeſſor. 67. XXVI.
Thomas Farenſis Epiſcopus Legatus Apoſtolicus ſancto Joanni de Capiſtrano ſcribit. 111. LIII.
Thomas de Penariis Rector Eccleſiam ſanctæ Mariæ de Vayrano Fratribus Tertii Inſtituti concedit. 17. XLIX.
Thomas de Sur Archiepiſcopus Tarſenſis Annæ Cypriæ a ſacris confeſſionibus. 78. VI.
Thononii Conventus. 231. LXXIV.
Tonarum Conventus. 150. XLIII.
Tortureti Conventus. 230. LXX.
Tragonii Conventus. 39. XLIV.
Trevirenſe Monaſterium. 187. LX.
Tridentinus Conventus. 154. LVI.
Tridentinus alius Conventus translatus. 115. LXVI.
Triſtanus Luſitanus pietate celebris mores Valentinorum reformat. 13. XXXIV.
Trithemius Robertum de Lycio laudibus celebrat. 36. XXXIII.
Trojæ Conventus. 39. XL.
Tuiſſinenſis Conventus. 304. CIV.

V

VAldaragii Domus Sororum Tertii Ordinis. 234. LXXXVI.
Valderarum Domus Fratrum Tertii Ordinis, 72. XLV.
Valenſay Conventus. 230. LXXI.
Valentinum Monaſterium. 156. LXVI. 310. CXXII.
Valliſoleti Monaſterium. 310. CXXII.
Varſaviæ Conventus. 232. LXXVII.
Vaſchera Franciſcanus Epiſcopus in Eccleſia Minorum Carpi tumulatus. 38. XXXVIII.
Ubaldus deMonte novo Provinciæ Marchiæ Miniſter. 276. LI.
De Vedano Monaſterium. 15. XLII.
Venturinus Cremonenſis Epiſcopus ſolum largitur & Eccleſiam Fratribus Tertii Ordinis, ut Domus Vayrani ædificari poſſit. 17. XLIX.
Vercellenſis Conventus. 183. XLIII.
Veronenſis Conventus. 154. LV.
Verulanus Conventus. 65. XVIII.
Ugolina Vercellenſis Virgo efficto ſexu in arcta cellula per longum tempus latitat. 183. XLIII.
VicariusGeneralis Joannes Quieſdeber. 217. XXXI.
Vici Conventus. 184. XLIV.

Viennenſis Conventus . 83. XIV.
Villachi Conventus . 233. LXXXII.
Vincentius a Como ſanctitate floret. 314. XII.
S. Vincentius Ferrerius ſanctum Bernardinum Senenſem encomiis celebrat. 61. VI.
Vincentius Minorita eximius Concionator Judæis infenſus . 120. VII.
Vinciguerra Lanarius in favorem Sororum Tertii Ordinis teſtamentum condit 46. LXIV.
Viridis de Piis Domicella Carpenſis Monaſterii Corporis Chriſti Ferrariæ fundatrix . 155. LXIII.
Viſochii Conventus . 71. XXXIX.
Uldericus Epiſcopus in Pataviam Capiſtranum advocat . 210. XX.
Ulricus Anmein Epiſcopus Hieropolitanus . 481. CCXXVI.
Ulricus Ciliæ S. Joanni de Capiſtrano ſcribit . 246. X. Conventum Hectenſtain extruit . 304. CII.
Uratislaviæ Conventus . 185. L.
Uratislavienſes cavent ab Huſſitarum fraudibus . 208. XVII.
Urſinus de Urſinis Cœnobium Antimi extruit . 229. LXVI.
Urſuniæ Conventus . 11. XXV.
Weſſaliæ Domus Sororum Tertii Ordinis . 188. LXII.
Willelmus Oppavienſis Dux ſolum pro ædificando Minoritis Conventu largitur. 118. V.

Y

Y Poregiæ Conventus . 312. IV.

Z

Z Amorenſe Monaſterium . 45. LVII.
Z Zechenius Conventus . 155. LX.
Znoymæ Monaſterium . 191. IV.
Zutphaniæ Conventus . 305. CV.

INDEX BULLARUM

Quæ in hujus Duodecimi Tomi Regeſto continentur.

Numerus Arabicus indicat paginam, Romanus per ordinem poſitas Bullas.

AD ea ex Apoſtolicæ. *Nicolai V.* 516. XXVII.
Ad ea libenter intendimus. *Calixti III.* 631. XII.
Ad ea per quæ. *Nicolai V.* 572. LXXXIII.
Ad ea quæ. *Ejuſdem.* 555. LXIX.
Ad ea quæ. *Calixti III.* 621. VIII.
Ad illa ex intenſis. *Ejuſdem.* 635. XVI.
Apoſtolatus officium. *Nicolai V.* 494. III.
Apoſtolatus officium. *Ejuſdem.* 495. IV.
Apoſtolatus officium. *Ejuſdem.* 501. XIV.
Apoſtolatus officium. *Ejuſdem.* 501. XV.
Apoſtolicæ Nobis. *Ejuſdem.* 496. VIII.
Apoſtolicæ Nobis. *Ejuſdem.* 498. X.
Apoſtolicæ Nobis. *Ejuſdem.* 512. XXVI.
Apoſtolicæ Nobis. *Ejuſdem.* 517. XXVIII.
Apoſtolicæ Nobis. *Ejuſdem.* 584. XCIV.
Circumſpecta caritas. *Nicolai V.* 578. LXXXVIII.
Cognita devotionis conſtantia. *Ejuſdem.* 523. XXXV.
Cognita devotionis conſtantia. *Ejuſdem.* 525. XXXVIII.
Cognita devotionis conſtantia. *Ejuſdem.* 611. CXVIII.
Cum proximis temporibus. *Ejuſdem.* 496. VII.
Digna reddimur. *Ejuſdem.* 493. I.
Digna reddimur. *Ejuſdem.* 605. CXII.
Diſpoſitione Divina. *Calixti III.* 641. XX.
Divina diſponente clementia. *Nicolai V.* 495. V.
Divina diſponente clementia. *Ejuſdem.* 495. VI.
Divina diſponente clementia. *Ejuſdem.* 500. XII.
Dudum ſiquidem. *Ejuſdem.* 539. LV.
Dum ad præclara. *Ejuſdem.* 536. LII.
Dum ad uberes fructus. *Ejuſdem.* 559. LXXIII.
Etſi cunctorum. *Ejuſdem.* 520. XXXI.
Etſi cunctorum. *Ejuſdem.* 538. LIV.
Etſi cunctorum. *Ejuſdem.* 568. LXXX.
Etſi deſideriis. *Ejuſdem.* 541. LVI.
Ex Apoſtolicæ ſervitutis. *Ejuſdem.* 510. XXIV.
Ex Apoſtolicæ ſervitutis. *Ejuſdem.* 533. XLVIII.
Ex debito. *Ejuſdem.* 562. LXXV.
Ex injuncto. *Ejuſdem.* 579. LXXXIX.
Ex paternæ caritatis. *Ejuſdem.* 571. LXXXII.
Ex ſupernæ providentia. *Ejuſdem.* 527. XLI.
Exigit devotionis tuæ. *Ejuſdem.* 583. XCIII.
Expoſcit Nobis injunctum. *Ejuſdem.* 509. XXII.
Expoſcit plena vigiliis. *Ejuſdem.* 508. XXI.
Fidelium votis. *Ejuſdem.* 497. IX.
His quæ pro parte. *Calixti III.* 634. XV.
Humilibus & honeſtis. *Nicolai V.* 502. XVII.

Humilibus ſupplicum votis. *Ejuſdem*. 501. XVI.
Humilibus ſupplicum votis. *Ejuſdem*. 544. LIX.
Iis quæ ad Sacræ. *Ejuſdem*. 582. XCII.
Iis quæ Divini. *Ejuſdem*. 601. CVIII.
Immenſa. *Ejuſdem*. 531. XLVI.
Injunctum Nobis deſuper. *Ejuſdem*. 528. XLII.
Inter cetera. *Ejuſdem*. 529. XLIII.
Inter cetera. *Ejuſdem*. 590. C.
Inter ceteros Ordines. *Ejuſdem*. 535. L.
Inter ceteros Ordines. *Calixti III*. 614. II.
Inter ceteros Ordines. *Ejuſdem*. 640. XIX.
Inter deſiderabilia. *Nicolai V*. 59. CV.
Inter Eccleſiaſticos Ordines. *Ejuſdem*. 523. XXXVI.
Inter univerſa. *Ejuſdem*. 537. LIII.
Inter univerſa. *Calixti III*. 639. XIV.
Mentis. *Nicolai V*. 494. II.
Nuper pro terminandis. *Calixti III*. 637. XVII.
Omnium culmini noſtro. *Monumenta Polonica*. 643.
Paſtoralis officii cura. *Nicolai V*. 560. LXXIV.
Paſtoralis officii debitum. *Ejuſdem*. 511. XXV.
Paſtoris æterni. *Ejuſdem*. 546. LX.
Pia Deo & Eccleſiæ. *Ejuſdem*. 526. XXXIX.
Pia Deo & Eccleſiæ. *Ejuſdem*. 543. LVIII.
Pia Deo & Eccleſiæ. *Ejuſdem*. 550. LXIV.
Pia Deo & Eccleſiæ. *Ejuſdem*. 566. LXXVIII.
Pia Deo & Eccleſiæ. *Ejuſdem*. 567. LXXIX.
Pia Deo & Eccleſiæ. *Ejuſdem*. 570. LXXXI.
Pia Deo & Eccleſiæ. *Ejuſdem*. 574. LXXXV.
Pia Deo & Eccleſiæ. *Ejuſdem*. 600. CVII.
Pia deſideria devotorum. *Calixti III*. 619. VI.
Pia devotorum. *Nicolai V*. 524. XXXVII.
Pia devotorum. *Ejuſdem*. 612. CXIX.
Pia fidelium vota. *Ejuſdem*. 581. XCI.
Pia fidelium vota. *Ejuſdem*. 602. CIX.
Pia vota fidelium. *Ejuſdem*. 536. LI.
Pia vota fidelium. *Ejuſdem*. 548. LXII.
Piis Chriſtifidelium deſideriis. *Calixti III*. 615. III.
Piis Chriſtifidelium deſideriis. *Ejuſdem*. 617. V.
Piis Chriſtifidelium deſideriis. *Ejuſdem*. 620. VII.
Piis fidelium votis. *Nicolai V*. 499. XI.
Piis fidelium votis. *Ejuſdem*. 504. XVIII.
Piis fidelium votis. *Ejuſdem*. 519. XXX.
Piis fidelium votis. *Ejuſdem*. 521. XXXII.
Piis fidelium votis. *Ejuſdem*. 522. XXXIII.
Piis fidelium votis. *Ejuſdem*. 533. XLVII.
Piis fidelium votis. *Ejuſdem*. 535. XLIX.
Piis fidelium votis. *Ejuſdem*. 549. XLIII.
Piis fidelium votis. *Ejuſdem*. 554. LXVIII.
Piis fidelium votis. *Ejuſdem*. 586. XCVI.
Piis fidelium votis. *Ejuſdem*. 592. CI.
Piis fidelium votis. *Ejuſdem*. 596. CIV.
Piis fidelium votis. *Ejuſdem*. 604. CXI.
Piis fidelium votis. *Ejuſdem*. 609. CXVI.
Piis ſupplicantium votis. *Ejuſdem*. 608. CXV.

Piis votis ſupplicum. *Calixti III.* 616. IV.
Piis votis fidelium. *Ejuſdem.* 639. XVIII.
Promptum & benevolum. *Nicolai V.* 531. XLV.
Pro noſtra. *Calixti III.* 628. X.
Quia plerumque. *Nicolai V.* 507. XX.
Quoniam juxta. *Ejuſdem.* 522. XXXIV.
Rationi congruit. *Calixti III.* 613. I.
Religionis zelus. *Nicolai V.* 595. CIII.
Romani Pontificis providentia. *Ejuſdem.* 500. XIII.
Romanus Pontifex. *Calixti III.* 625. IX.
Romanus Pontifex, *Ejuſdem.* 629. XI.
Sacer Ordo. *Nicolai V.* 585. XCV.
Sacra Ordinis veſtri. *Ejuſdem.* 519. XXIX.
Sacræ Religionis. *Ejuſdem.* 510. XXIII.
Sacræ Religionis. *Ejuſdem.* 526. XL.
Sacræ Religionis. *Ejuſdem.* 530. XLIV.
Sacræ Religionis. *Ejuſdem.* 551. LXV.
Sacræ Religionis. *Ejuſdem.* 552. LXVII.
Sacræ Religionis. *Ejuſdem.* 556. LXX.
Sacræ Religionis. *Ejuſdem.* 558. LXXII.
Sacræ Religionis. *Ejuſdem.* 565. LXXVII
Sacræ Religionis. *Ejuſdem.* 575. LXXXVI.
Sacræ Religionis. *Ejuſdem.* 587. XCVII.
Sacræ Religionis. *Ejuſdem.* 589. XCIX.
Sacræ Religionis. *Ejuſdem.* 607. CXIV.
Sedis Apoſtolicæ. *Ejuſdem.* 505. XIX.
Sedis Apoſtolicæ. *Ejuſdem.* 577. LXXXVII.
Sedis Apoſtolicæ. *Ejuſdem.* 593. CII.
Sinceræ devotionis. *Ejuſdem.* 547. LXI.
Sinceræ devotionis. *Ejuſdem.* 588. XCVIII.
Sinceræ devotionis. *Ejuſdem.* 599. CVI.
Solet Sedis Apoſtolicæ. *Ejuſdem.* 606. CXIII.
Votis fidelium. *Ejuſdem.* 580. XC.
Urget Nos. *Ejuſdem.* 542. LVII.
Ut ea quæ. *Ejuſdem.* 564. LXXVI.
Ut inter æternæ. *Ejuſdem.* 557. LXXI.
Ut quælibet ſacra Religio. *Ejuſdem.* 603. CX.
Ut Religio quælibet. *Calixti III.* 632. XIII.
Ut ſacer Ordo. *Nicolai V.* 552. LXVI.
Ut ſacer Ordo. *Ejuſdem.* 573. LXXXIV.
Ut ſacer Ordo. *Ejuſdem.* 610. CXVII.

FINIS TOMI DUODECIMI.

AOL 1471246

Menda, quæ in hujus duodecimi Tomi editione irrepſerunt; benevole Lector ita corriges.

Pag. 6.	§. XIV.	*lin.* 4.	ab uberius	ab uberibus
27.	§. XIV.	*lin.* 41.	pridie Kalendis	pridie Kalendas
30.	§. XXI.	*lin.* 6.	auplauſu	applauſu
72.	§. LXIII.	*lin.* 5.	a ſancto Gregorio	a ſancto Georgio
219.	§. XXXV.	*lin.* 11.	facolla	ſacella
248.	§. XI.	*lin.* 9.	conculari	conculeari
282.	§. LX.	*lin.* 19.	ex hoc vili	ex hoc ovili
360.	§. XLII.	*lin.* 40.	acclamatto	acclamatio
377.	§. LXIII.	*lin.* 20.	ſub pupilla	ſub papilla
410.	§. CXXVIII.	*lin.* 1.	Dei	Deus
448.	§. CLXIV.	*lin.* 15.	ad Archiepiſcopum	ad Archiepiſcopatum
472.	§. CCIII.	*lin.* 31.	genum	genuum

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google


Digitized by Google

Digitized by Google